PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI SCHEVCHZERI,

Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof. Academiæ Imperialis Naturæ Curioſor. LEOPOLDINO-CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membri.

ICONIBVS ÆNEIS

illuſtrata

procurante & ſumtus ſuppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,

Auguſtano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS Chalcographo aulico.

TOMVS III.

A TAB. CCCCXVI. ad DXCIV.

AVGVSTÆ VINDELICORVM & VLMÆ,
MDCCXXXIII.

NEWTON THEOLOGICAL INSTITUTION

TAB. CCCCXVI.

I. REG. Cap. I. v. 2.
Abiſag Davidi à ſervitÿs.

I. Buch der Kön. Cap. I. v. 2.
Die Aufwärterin Abiſag.

I. G. Thelot sculps.

LIBER PRIOR REGUM.

TAB. CCCCXVI.

1. Reg. Cap. I. verſ. 1. 2.

Quum Dauid Rex jam ſenex eſſet, prouectæque ætatis,texerunt eum veſtimentis, at non potuit calefieri.

Dixerunt igitur ei ſerui ſui: Quærant Domino meo Regi puellam virginem, quæ aſtet Regi, & eum foueat, dormiatque in gremio tuo, ut calefiat Dominus meus Rex.

Et rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur veſtibus,non calefiebat.

Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram Rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum noſtrum Regem.

EX Fluido orti quò propiores ſumus origini, eò & ſumus molliores; cedunt ſolida fluidis, fibræ humoribus: in conſiſtenti ætate ſunt, quæ nos conſtituunt, partes veluti in æquilibrio: in Senecta tandem rigeſcunt ſolida; cedunt, denſantur, imò veluti ſolideſcunt Fluida. Ex his pronum eſt inferre, cur homo ad certam duntaxat creſcat altitudinem, poſteà decreſcat? actiuam magis eſſe & feruidam juuentutem, ultimam & decrepitam ætatem frigidam: feliciter peragi ibi circulatorium ſanguinis & ſecretorium diuerſorum Fluidorum motum, decreſcere hîc imo tandem ſiſti. Exemplo eſt ſeptuagenarius *Dauid*, cui frigeſcebant extrema, non equidem ex principio naturali & neceſſario, quia dantur hujus ſenectæ viri adhuc calidi, agiles, imo & proli procreandæ apti. Aſt perpendentibus magni hujus Herois, Regis atque Prophetæ vitam, laborioſam illam ſimul & ærumnoſam; fractam tot piis meditationibus, ſollicitis curis, itineribus, expeditionibus bellicis, perſecutionibus, ſexu ſequiori, hujusque frequentiſſimo uſu, fortè & abuſu; haud videbitur mirum, ſi ſenex factus fuerit ante ſenectam, ſi fibræ rigefactæ, circulus ſanguinis retardatus, eò quidem usque, ut cogitandum fuerit *ſeruis* ac Perſonæ Regiæ Medicis de remediis, quibus frigidus ſenex foueri poſſet. *Texerunt* autem *eum veſtimentis, at non potuit calefieri.* Ratio plana. Non dant nobis Lecti ac Veſtimenta calorem per ſe, ſed retinent exhalans corpore noſtro fluidum, quò minus auolet. Sed Dauidi erat tranſpiratio adeò parca, quæ retenta licet veſtibus ac ſtragulis eum calefacere non poterat. *Quærebant itaque puellam pulchram in omnibus terminis Iſrael, inuenerunt Abiſag Sunamitidem.* v. 3. 4. Calidum florentis ætatis & exquiſitæ pulchritudinis natiuum. Conſilium en Medicum, cui, in Rebuspublicis ſaltem benè conſtitutis, vel obſtaculo forent Fora matrimonialia, vel illud his naſſæ. Debebat formoſula hæc Regem fouere & viſu & tactu, pulchro aſpectu excitare languentes ſpiritus, actuali calore promouere ſanguinis circulum. Non equidem ii ſumus, qui ſiniſtras de pientiſſimo Rege, & notoria ad vitam beatam præparatione foueamus opiniones. De Friderico Barbaroſſa legimus, fuiſſe ei Medicorum recutitorum ſuaſu in extrema ſenecta admotos caloris ergò infantes vel pueros. Et apud R. *Moyſen Aph.* 30. & *Joh. Damaſcenum* idem offendas, quo Dauid uſus fuit, remedium præſcriptum Paralyticis. Inungi Abiſagam inſuper juſſiſſet *Verulamius*, ſi Dauidi fuiſſet à conſiliis medicis, Myrrha aliisue tum odoramentis tum balſamis pretioſis, ut & recrearet odor fragrans, & ipſæ particulæ aromaticæ profundius penetrarent in interiora corporis.

Gratior eſt pulchro veniens è corpore calor.

TAB. CCCCXVII.

1. Reg. Cap. IV. verſ. 22. 23.

Fuit autem cibus Solomonis pro die uno, triginta Cori Similaginis, & ſexaginta Cori farinæ.

Decem Boues ſaginati, & viginti Boues paſcales, centumque Oues, præter Ceruos, Capreas, Ibices, ſaginata & altilia.

Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ.

Decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes: excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium.

Videmus heic, ut in omni Solomonis vita, adimpletas magnificas DEI promiſſiones. 1. Reg. III. 13. *Quin & quæ non poſtulaſti, dedi tibi, nempe diuitias & gloriam, adeò ut tui ſimilis nullus fuerit inter Reges cunctis diebus tuis. (Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet, & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retrò diebus.)* Sanè in ipſum complementi hujus Teſtimonium recenſetur ſpecificè, quod in dies conſumſerit Aula, unde quid annuatim impendi debuerit, colligere facile licet.

Sumſimus alibi כֹּר *Cor* ſiue *Chomer* pro 20220. digitis cubicis Pariſinis: qui dant, juxta reductionem meam, 11$\frac{7}{17}$. quartalia, & 6$\frac{10}{17}$. modiolos, menſuræ Tigurinæ: dabunt proin 30. *Cori ſimilaginis* pro Regis menſa 342. quartalia, 5$\frac{11}{17}$. modiolos, & 60. *Cori farinæ*, nempe pro Legionariis aliisque inferioris ordinis miniſtris, 686. quartalia, 11$\frac{4}{17}$. modiolos, aſcenditque omnis farinæ quantitas pro Aula quotidie inſumta ad 1029. quartalia $\frac{15}{17}$. modioli, ſiue rotundo numero, ad modios 257. 1. quartale 1. modiolum: ſiue 16465. modiolos, quot numero homines ali poterant, ſi ſingulis modiolum aſſignes. Ponit *Ed. Bernardus* pro Coro 648. Libras Romanas: da in victum militi 2. Libras, obtinebis victum pro 29160. hominibus ex nonageſies 648. ſiue 58320. Libris. *Clericus* habet duntaxat 24000. Quodſi dederis militi 3. Libras, habebis alimoniam pro 19440. hominibus.

Eſt autem סֹלֶת *ſoleth*, σεμίδαλις, *Similago*, & *Simila*, farina delicatior, flos ac deliciæ farinæ triticeæ, ad uſus menſarum lautiſſimos, panificia, placentas & bellaria adhibita, cribro tenuiſſimo ſecreta, magni ſemper æſtimata. *Martialis* L. XIII.

Nec dotes poteris ſimilæ numerare, nec uſus,
Piſtori toties cum ſit & apta coquo.

Et eſt hæc vox adhuc nobis uſitata, *Semmel, Simlen, Semmel-Mehl.* De qua alibi plura. Quemadmodum ex σεμιδάλι paratus panis exquiſiti alboris, σεμιδαλίτης, *Similaceus* dictus, ita ex ἀλεύρῳ panis σιλιγνίτης *ſiligineus*: eſt autem ἄλευρον, quo LXX. utuntur, Farina triticea, eaque confuſanea, ad panificium præſtantiſſima. Habet originalis Textus pro Farina קֶמַח *Kæmach*, LXX. ἄλευρον κεκοπανισμένον, *Farinam ſubactam*, κοπάνῳ, piſtillo, tuſam, piſtam, in maſſam redactam.

בָּקָר בְּרִאִים *bakar beriim*, propriè ſunt *Tauri domo ſaginati* v. 23. ſic & vaccæ illæ pingues à Pharaone in ſomno viſæ Gen. XLI. 2. 4. 18. 20. vocantur בְּרִיאוֹת *berijoth.*

בָּקָר רְעִי *bakar rei, boues paſcales, Weid-Rinder*, in paſcuis pinguibus enutriti. Obſeruamus, ὡς ἐν παρόδῳ, magni ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe habitam carnem bouinam, & menſis Regiis illatam, ut heic. Prov. XV. 17. *Præſtat cœnula ex oluſculo cum amicitia boui ſaginato cum odio. (Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum ſaginatum cum odio.)* Matth. XXII. 4. ſequentem in modum inuitare juſſit Rex conuiuas ad filii nuptias: ἰδὲ, τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα, οἱ ταῦροί μου καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα. Et in conuiuiis, quæ *Agamemnon* parauit Principibus Græcis, *Ajaci* item & *Neſtori*, *Menelaus Telemacho*, *Alcinous Ulyſſi*, nec non *Phæaciis* illis delicatulis, caro bouina ſemper primum tenet locum, ut videre eſt apud *Dioſcoridem* ἐν τοῖς παρ' Ὁμήρου νόμοις. Et eſt ſanè caro hæc una ex ſaniſſimis, & mundis. Diſcant heic ad Solomonis menſam guloſi illi & voluptuoſi etiam ex plebejis, non contemnere conuiuia, in quibus apponitur hæc caro.

בַּרְבֻּרִים אֲבוּסִים *barbyrim abuſim*, nobis *ſaginata & altilia, gemäſtetes Geflügel*, propriè loquendo ſunt *Galli* ſaginati. Ita reddunt *Selomo*, *Pomarius*, *Santes Pagninus*, Græci habent ὄρνιθας ἐκλεκτὰς νομάδας, *aues electas paſcuales:* alii

TAB. CCCCXVII.

I. REG. Cap. IV. v. 22. 23.
Salomonis Panis quotidianus.

I. Buch der Kön. Cap. IV. v. 22. 23.
Salomons täglich Proviant.

I. A. Fridrich sculps.

PJCB

alii ὄρνιθας σιτευτὰς, vel σιτευςὰς. Ita *Athenæus* L. XIV. c. 21. Σιτιςῶν δὲ ὀρνίθων μὲν μνημονεύει Μάτρων ἐν ταῖς παρωδίαις ἔτως.

> Ὡς ἔφαθ᾽ οἱ δ᾽ ἐγέλασσαν, ἐπηνεγκάν τ᾽ ἐπὶ τῦτο
> Σιτευτὰς ὄρνιθας ἐπ᾽ ἀργυρέοισι πίναξι.

Altilium Gallinarum ita meminit Matron in Parodiis: Quo dicto illi riſerunt, moxque attulerunt altiles Gallinas in patinis argenteis. Et Romanorum altilia fuere ex genere Gallinaceo. *Catoni* dicuntur *paſcales*, *paſcuales*. Et *altilium* nomine, *Geflügel*, nos Germani communiter intelligimus Gallinas & Gallos.

De reliquis Animantibus in Textu memoratis egimus alibi.

I. Reg. Cap. V. verſ. II.

Solomon verò daret Hiram viginti mille Coros Tritici in cibum pro domo ejus, & viginti Coros olei contuſi: hæc dabat Solomon ipſi Hiram ſingulis annis.

Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici in cibum domui ejus, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.

IN noſtris oris viuunt, qui opera ſeruilia aliis præſtant, vino vel cereuiſia & pane: in Oriente Tritico opus eſt & Oleo. His binis Terræ, vel DEI potius, donariis abundabat Palæſtina ita, ut & ſuffecerint ea incolis, & in commercium venerint cum Nationibus vicinis, Tyriis atque Sidoniis. Conſtat id ex Ezech. XXVII. 17. *Et Juda & Terra Iſraelis fuerunt mercatores tui, Tritico Minith, balſamo, melle, oleo, & reſina, quæ dederunt ad negotiationem tuam. (Juda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo; balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.)* Ubi ad Tyrum fit adlocutio. Illuſtrant hæc Locum Noui Teſtamenti Act. XII. 20. Ἦν δὲ ὁ Ἡρώδης θυμομαχῶν Τυρίοις καὶ Σιδωνίοις· ὁμοθυμαδὸν δὲ παρῆσαν πρὸς αὐτὸν, καὶ πείσαντες Βλάςον τὸν ἐπὶ τῦ κοιτῶνος τῦ βασιλέως ᾐτῦντο εἰρήνην· διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. Eſt *Corus* ſeu *Chomer*, quod clarum ex Textu, menſura aridorum & fluidorum. In aridis juxta meam reductionem continet 11. quartalia, $6\frac{10}{17}$. modiolos menſuræ Tigurinæ, in fluidis totidem, æquiualens 10. Bathis, ex mea ad menſuras noſtrates reductione 126. menſuras, 1. dimidiam $\frac{1}{3}$. dimidiæ menſuræ ruralis; ſiue 153. menſuras, 3. quartalia menſuræ urbicæ. Dant proin 20. Cori in aridis 228. quartalia, $3\frac{13}{17}$. modiolos, ſiue ſiue 57. modios, $3\frac{12}{17}$. modiolos: 20000. Cori 228235. quartalia ſiue 5708. modios, 3. quartalia, $4\frac{12}{17}$. modiolos. Itidemque faciunt 20000. Cori $2533333\frac{2}{3}$. menſuras rurales, & 3075000. urbicas. Ex *Eduardi Bernardi* computo æquiualet Corus 648. Libris Romanis, proin 20. Cori 12960. & 20000. Cori 12960000. Libris. Notandum autem, in originali Textu, ut & verſione noſtra extare duntaxat 20. Coros olei, pro quibus LXX. habent εἴκοσι χιλιάδας βαὶθ viginti millia Bath. Et *Joſephus* pro εἴκοσι χιλιάδας Κόρῦς πυρῦ duntaxat habet διχιλίῦς Κόρῦς, 2000. Coros.

Cum loco noſtro pugnare videtur 2. Paral. II. 10. ubi legitur Solomo Lignicidis dediſſe *Tritici contuſi cororum viginti millia, Hordei cororum viginti millia, vini bathorum viginti millia, & olei bathorum viginti millia.* Ad quam ἐναντιοφανείαν tollendam obſeruandum, in Textu præſenti exprimi Tributum annuum, quod Regi Hiramo ſoluit Solomon, in Paralipomenis verò quod numeratur Triticum, Hordeum, vinum & oleum data fuiſſe ſeruis operariis.

TAB. CCCCXVIII.

1. Reg. Cap. IV. verſ. 33.

Diſſeruit etiam (Solomon) ſapienter de Lignis, à Cedro, quæ eſt in Libano, usque ad Hyſſopum, quæ progerminat ex pariete. Simulque diſſeruit de Animantibus, de Volucribus, de Reptilibus, atque Piſcibus.

Et diſputauit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, usque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis & volucribus, & reptilibus & piſcibus.

ADnumerandus haud dubiè eſt Solomon ſapientiſſimus Regum Botanicis atque Zoographis, imò verò Dux omnium conſtituendus. Scripſiſſe Librum de Plantis & Animalibus pro rato habent Judæi. vid. *Peſachim* in *Miſchna* C. 4. T. II. Edit. Surenhuſ. p. 148. ubi mentio fit *Libri Medicinæ*, βίβλου ἰαμάτων, quo titulo citatur à *Suida* in voce ἐξεκίας, qui Rex aboleuiſſe dicitur hunc Librum, quod ex eo ægri curationes hauſerint, neglecta Diuini Nominis invocatione. vide plura in *Fabricii Codic. Pſeudepigraph. Vet. Teſtam.* p. 1045. & *Lochner Nerio* p. 75. ubi conjectat, eſſe hunc Librum *Herbarium* Arabica Lingua conſcriptum, cujus meminit *Morbof. Polyh.* L. I. c. 6. vel & *ſanctiſſimam artem* Salomoni ab Angelo traditam in *Codicib. MSt. Ashmolean.* & *Catal. MSt. Angl. & Hibern.* P. I. n. 8277. Id quidem mihi extra dubium ponitur, Librum hunc, ſi uspiam extaret, fore Commentarii ampliſſimi loco in Plantas & Animalia S. Scripturæ, & Philoſophiæ Orientalis Cornucopiæ. Poſito quoque, quod *Joſephus* vult, fuiſſe Ethicam potius quam Hiſtoriam Naturalem, καθ᾽ ἕκαστον εἶδος δένδρου παραβολὴν, haurire inde nihilominus poſſemus plura ad Hiſtoriam Naturæ pertinentia, quia præſumi debet de expertiſſimo Naturæ ſcrutatore, fundâſſe Parabolas ſuas ipſâ rerum naturâ: poſito etiam, quod idem vult Judæorum Hiſtoricus, ineſſe Solomonis Libro Magica, præſumere iterum licet, nota ei fuiſſe multa Magica, ſed tamen non comprobata, ut nobis Medicis multa paſſim obueniunt Magica, quæ rejicimus tanquam ſuperſtitioſa & noxia.

Eſt *Cedrus* Solomonæa, *Cedrus magna ſiue Libani conifera* I B. L. IX. p. 277. *Cedrus conifera foliis Laricis.* C B. Pin. 490. multoties in Sacro Codice memorata, ex *Rauwolfii* deſcriptione, Arbor *perpetuò virens, robuſtis ramis brachiata, orgyjas aliquot craſſa, ad ſummam abietum noſtrarum proceritatem aſſurgens —— Rami (ut & Coni magni, rotundi) ſurſum ſpectant longi, tam pulchro ordine diſpoſiti, ac ſi artificis manus reſectos, æquatosque appoſuiſſet, ſic ut eminus etiam circinatus æqualiter diſpoſitorum orbis egregiè appareat. —— Cæteroqui magna huic cum Larice ſimilitudo, potiſſimum in foliolis, quæ parua, anguſta, conferta, in exerto ſurcello fuſco, clauis Muſci terreſtris longitudine & craſſitie ſimili: quæ, ut ait Bellonius, ab uno ſurculo exorſa 40. vel 50. ſimul ſerie quadam in ordinem diſpoſita, ſurculorum radiantia pictoris penicillum referre videntur, odorata, ſubacida, & cum leui amaritudine adſtringentia. Sola Cedrelate inter Arbores, dempta abiete, conos in cœlum tendentes mittit, qui quidem abiegnis ſimiles, craſſiores tamen, duriores, ac multo majores, quinum vel ſenum digitorum turbinati, compactili ſquamarum compreſſarum congerie coagmentati, atque obtuſi, ex cinereo fului, conis Pini alioqui graciliores, tam firmiter ramo adhærentes, ut à parente diuelli non poſſint, niſi auulſa arboris parte: Coni porrò biantes ſe pandunt, ac paulatim diffiſſi roribus & pluuiis decidunt, relicto in ramo pediculo firmo & tereti: Semen habet abieti ſimile, non vinaceo majus, dulcis ſaporis, ut piceæ, ad cujus latus oleoſum quidpiam includitur odoratiſſimum.* Character Arboris eſt *Laricis*, unde *Tournefortio* Cedrus noſtra Libani vocatur *Larix Orientalis fructu rotundiore obtuſo.* Figuram totius Arboris A. mutuo petii ex *de la Roque Voyage de Syrie & du Mont Liban.* p. 82. qui inter alia refert, paucas hodie ſupereſſe in Libano Cedros, & à Maronitis, ne intereant, vel diminuantur, religioſè obſeruari. Hebraicum Cedri nomen in Textu eſt ארז *erez*, unde & Arabum *araza*, trajectis literis *azara*, *arzon*, quo quidem nomine generatim Arborem coniferam indigitant, adeoque & Pinum, Abietem, Laricem comprehendunt. Fructum Cedri in natiua magnitudine ſiſtit. Fig. B.

Hyſſopi, אזוב *ezob* mentio fit paſſim in Scriptura. Plura de hac herba ſacra egi occaſione Agni Paſchalis, quæ heic repetere nolo. Ubi oſtendi, eſſe *ezob*, *Hyſſopum*, Plantam omnibus ſacer-

I. Reg. Cap. IV. v. 33.
Cedrus, Hyſſopus.

I. Buch der Kön. Cap. IV. v. 33.
Ceder-Baum, Hyſſop.

I. G. Pintz sculps.

I. REG. Cap. V. v. 13-17.
Operarii Salomonis in Libano.

I. Büch der Kön. Cap. V. v. 13-17.
Salomons Werckleüte aüf Libanon.

G. D. Heüman sculps.

ſacerdotibus ad nouam usque Oeconomiam cognitam. Obicem videtur ponere, quem nunc enucleamus, Textus, quia Hyſſopus non *progerminat ex pariete*. Intelligendas eſſe potius vel rutam murariam vel minutas plantas alias ex muris procreſcentes. Conſtat ex Arabe *Iſaac Ben Omran*, naſci Hyſſopum copiosè circa Hieroſolymam in montoſis. Urbs hæc ſancta quia ipſa eſt montibus inædificata, *fundamenta ejus in montibus ſanctis*. Pſal. LXXXVII. 1. mens Scriptoris noſtri forte hæc eſt, naſci ubique in Hieroſolyma, circa eam, ad muros, in muris, ex muris Hyſſopum, ut ex Libani rupibus Cedros. Vel, ſi preſſius inhæreamus Textui, cognitas fuiſſe Solomoni Plantas à Cedro, maxima Libani Arbore, ad minimum usque Hyſſopi fruticulum, Hieroſolymis nemini non notum, quæ explicatio mihi videtur omnium & ſimpliciſſima & optima.

Ejusmodi hyſſopum poni curaui Fig. C.

TAB. CCCCXIX.

1. Reg. Cap. V. verſ. 13 - 17.

13. Extraxit quoque Solomon ſummam ex omni Iſraele, fuitque ſumma illa triginta millia virorum.

14. Quos miſit in Libanum, decem millia videlicet per menſem alternatim, quum per menſem fuiſſent in Libano, manebant duobus menſibus domi ſuæ: Adoniram autem huic ſummæ præerat.

15. Habuit inſuper Solomon ſeptuaginta millia eorum, qui bajulabant onera, & octoginta millia fabrorum in monte.

16. Præter eos, quos Solomon habuit Præfectos operi, nempe tria millia & trecenti, qui præerant multitudini, quæ faciebat opus.

17. Præcepitque Rex, ut veherent lapides magnos, lapides pretioſos, lapides denique politos pro fundamento ædis.

13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Iſrael, & erat indictio triginta millia virorum.

14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſſim, ita ut duobus menſibus eſſent in domibus ſuis: & Adoniram erat ſuper hujuscemodi indictionem.

15. Fuerunt itaque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant: & octoginta millia latomorum in monte.

16. Absque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo, & his qui faciebant opus.

17. Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides precioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos.

IN confeſſo eſt apud omnes Scripturæ Interpretes, & Architectos, eſſe *Templi Solomonei* fabricam perfectiſſimum Architecturæ ciuilis, quæ nobiliſſimam conſtituit Matheſeos, imò & Prudentiæ Politicæ, partem, Exemplar. Et nemini non conſtat, ædificii extruendi patronum quemuis opus habere operariis, materialibus, pecunia. Inprimis etiam opus eſt ad magnificam, qualis hæc fuit, ſtructuram Directore ſupremo, quem *officinatorem* Latini, Hiſpani *Apparejador*, vocant, qui ad poſſeſſoris ſiue Patroni nutum, & juxta minoris moduli Exemplar omnia ordinet, officialibus & operariis faciunda mandet, & fabricam det effectui. Et attentione id eſt dignum, quòd tanti momenti officio præfecerit Salomo non ex Iſraelitis quempiam, ſed Tyrium. Nil derogari vult inde honori Nationis ſuæ: homines ſeligit, qui, quod agere debent, probè intelligant; non, quod ſæpe fit, hominem ineptum alligat officio, ſed officio dat rerum agendarum peritum. *Mitto*, (ita ſcribit Tyriorum Rex Hiramus Solomoni, Architectum, quem mittit, ſyſtaticis hisce com-

commendans 2. Paral. II. 13. 14.) *virum ſapientem & intelligentia præditum (quo uſus eſt) pater meus Hiram, filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui operari ſcit in auro & argento, in ære & ferro, in lapidibus & lignis, in purpura & hyacintho, in byſſo & coccino (ſciens quoque) ſculpere ſculpturas varias, & ingenioſe excogitare omnis generis opus ingenioſum, quod proponetur ei à ſapientibus tuis, atque à ſapientibus Domini mei Dauidis patris tui.* (*Miſi ergo tibi virum prudentem & ſcientiſſimum, Hiram patris mei. Filium mulieris de filiabus Dan: cujus Pater fuit Tyrius, qui nouerit operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & byſſo & coccino: & qui ſciat cælare omnem ſculpturam, & adinuenire prudenter quodcunque in opere neceſſarium eſt, cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei Dauid, patris tui.*) Et jam ante *miſerat* Dauidi Hiramus I. ſecundi hujus Genitor *legatos, ſimulque ligna cedrina, fabros lignarios, & latomos, ac murarios fabros, qui extruxerunt domum Dauidi.* 2. Sam. V. II. (*Miſit quoque Hiram, Rex Tyri, nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: & ædificauerunt domum Dauid.*) Hi ipſi operarii, quia rem ſuam benè agebant, ad votum Dauidis, utitur iis quoque Salomo: Nam binorum horum Regum, Patris & Filii, regimine militiæ majorem dabant operam & agriculturæ Iſraelitæ, quàm Architecturæ; ut è contra apud Tyrios atque Sidonios florebant mercatura, & artes mechanicæ. Conceptu equidem facile, non ſuffeciſſe tempus Architecto huic Tyrio, ut ipſe operaretur in auro, argento, ære, ferro, aliis ſupra recenſitis: ſufficit, fuiſſe illarum rerum & operum peritum, ut aliis potuerit faciunda injungere; & ſufficiat hæc obſeruatio pro regula Principibus atque Rebuspublicis, ut Architectos ſibi ſeligant Architecturæ & Artium eò pertinentium peritos.

Eſt operariorum numerus ingens. Primò recenſetur המס *hammas*, φόρος, *Tributum, ſumma triginta millia virorum*, Iſraelitarum nempe, qui tributariam hanc operam præſtare tenebantur, 10000. nempe per menſem, qui binis ſequentibus menſibus domi poterant manere, & res ſuas curare, redituri ad ſeruile officium tertio menſe. His præfectus fuit *Adoniram.* Præterea numerantur 70000. *eorum, qui bajulabant onera*, & 80000. *fabrorum lignariorum.* Fuerunt hi 150000. ut in ſummam colliguntur 2. Paralip. II. 17. Tyrii ac Ægyptii, *viri aduenæ.* Porro 3300. *Præfecti operi, qui præerant multitudini, quæ faciebat opus*, Hieroſolymæ nempe: quibus ſubjecti operarii non numerantur. Quodſi ſingulis his ſubmittamus 50. viros, obtinebimus 165000. Sunt hi 3300. diſtinguendi probè ab illis 3600. directoribus, quorum mentio fit 2. Par. II. 18. & qui res ſuas gerebant in monte Libano. Aſcendit proin omnium, & Præfectorum, & operariorum ſumma ad 346900. Et ſub Titulo *fabrorum in monte* v. 15. veniunt quoque lapicidæ, qui *cædebant in monte* 2. Paral. II. 18. non ligna duntaxat, ſed & ſaxa, *lapides magnos, lapides pretioſos*, ratione magnitudinis, duritiei, impenſarum, & temporis.

TAB. CCCCXX.

I. Reg. Cap. VI. verſ. I. 2.

Factum itaque eſt in anno octogeſimo ſuper quadringenteſimum ab egreſſu filiorum Iſrael de Terra Ægypti, anno quarto, menſe Sif, is eſt menſis ſecundus, quo Solomon regnauit ſuper Iſraelem, ædificare cœpit ædem DOMINI.

Et ea quidem ædes, quam ædificauit Rex Solomon DOMINO, habuit ſexaginta Cubitos ſua longitudine, viginti latitudine ſua, atque triginta Cubitos altitudine ſua.

Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de Terra Ægypti, in anno quarto (menſe Ziph, ipſe eſt menſis ſecundus,) regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificare cœpit domum DOMINO.

Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon DOMINO, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

Habi-

I. REG. Cap. VI. v. 2.
Prima Templi Salomonei Idea.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 2.
Erſtes Model des Salomoniſchen Tempels.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

HAbitauit hactenus altiſſimus DEUS, qui Eſſentia ſua perfectiſſima omnipræſens nullibi incluſus, nullibi excluſus, in tabernaculo ſub aulæis, ſupra arcam fœderis, quæ inſtabilis ambulabat huc illuc. Propoſuerat ſibi equidem Dauid, ab hoſtibus, quos benè multos habuit, liberatus, & tranquillitati ſuæ redditus, poſtquam ſibi ipſi cedrinam ædem extruxerat, DEO ſuo extruere Templum magnificum; an ex vana mentis libidine, vel ſubmiſſa erga DEUM deuotione, meum non eſt inquirere. *En*, ita ait ad Prophetam Nathan, *ego nunc habito in domo cedrina, Arca autem DOMINI manet intra aulæum.* (*Ego habito in domo cedrina, & arca Dei poſita eſt in medio pellium.*) 2. Sam. VII. 2. Sed debebat honor iſte reſeruari Solomoni filio. En reſponſum DEI ipſius per Nathanem! v. 12. *Quum exacti fuerint dies tui, dormierisque cum Patribus tuis, excitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, regnumque ejus firmabo. Is extruet domum Nomini meo.* Ea tamen Dauidi obtigit felicitas, ut in Exemplari ſiue modulo potuerit videre magnifici Templi ſtructuram, & neruum ædis ædificandi, argentum, colligere. *Dedit Dauid filio ſuo Solomoni deformationem porticus & domuncularum ejus, repoſitorium* (repoſitoriorum) *ejus, cœnaculorum ejus, penetralium ejus, atque domus propitiationis, deformationem quoque omnium, quæ ſecum habebat in animo pro atriis domus DOMINI, & pro omnibus gazophylaciis, quæ erant circumquaque pro theſauris domus DEI —— omnia in deformatione ex manu DOMINI, qui me intelligentem reddidit in omni opere deformato.* (*Dedit autem Dauid Salomoni, filio ſuo, deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis: Nec non & omnium, quæ cogitauerat atriorum & exedrarum per circuitum in theſauros domus DOMINI, & in theſauros ſanctorum: —— Omnia venerunt ſcripta manu DOMINI ad me, ut intelligerem uniuerſa opera exemplaris.*) I. Chron. XXVIII. 11. 12. 19. Unde luce meridiana clarius patet, fuiſſe DEUM ipſum fundatorem, inuentorem, & ſummum ſtructuræ hujus incomparabilis Architectum; & abundè vel ex tenui noſtra adumbratione conſtabit, fuiſſe Templum hocce abſolutiſſimum omnibus & numeris & menſuris Architecturæ ciuilis Exemplar, imo, *omnem Romanorum & Græcorum architectandi rationem, aut ſi quæ eſt alia vel nobilior vel vetuſtior, ab hujus fabricæ ratione ejusque Ideis deſumtam fuiſſe, ideoque hanc atque illam non alia ratione conferendam eſſe, quàm ſi fluminis aquæ cum aquis comparentur fontis, ex quo dimanant.* Verba ſunt *Villalpandi Lib. II. Iſagog.* c. 13. Structura omnibus ſeptem mundi miraculis, tantopere decantatis, & ſimul ſumtis ſuperior, noſtra proin attentione, eaque ſumma, dignior tantò, quia illuſtris fuit Eccleſiæ noui fœderis typus.

In anteceſſum notari meretur, non unius Templi Hieroſolymitani mentionem fieri in Sacris. *Primum*, quod nunc deſcribendum ſumſimus, eſt Salomoneum, deſtructum à Chaldæis. 2. Reg. XXV. *Secundum* Zorobabelis, extructum ſub Nehemia. Eſr. III. dirutum à Romanis. Ab hoc non eſt reuerà diſtinctum Herodianum, ſed illud duntaxat ab Herode ampliatum, & exornatum. *Major erit gloria domus iſtius poſterioris, quàm prioris, dicit DOMINUS Exercituum.* Hag. II. 9. Quam Prophetiam explicant Interpretes non de ſumptuoſa magis magnificentia ædificii, ſed de Meſſia ipſo, cujus ſacratiſſima ſimul atque humillima perſona ædem hancce ſua præſentia honorauit. Nam ſecundo huic Templo defuere 1. Arca cum Cherubinis. 2. Ignis οὐρανοπετὴς ſacer. 3. Majeſtatis Diuinæ præſentia. 4. Spiritus Prophetiæ. 5. Urim & Thummim. *Tertium* eſt Ezechielis, deſcriptum à Propheta exquiſitè Cap. XL. & ſeqq. quod in rerum natura nunquam extitit, ſed communiter agnoſcitur pro præcellenti Typo Regni CHRISTI in Nouo Teſtamento.

Inſtituti mei, ſimul & officii ratio erit, materiam hancce ſatis difficilem pertractare ita, ut obſeruato locorum 1. Reg. VI. 2. Paral. III. & Ezech. XL. paralleliſmo ſenſum daturus ſim ſimpliciſſimum, eum illuſtrare Iconibus, & applicare Architecturæ ciuilis regulis; omnia pro ingenii mei modulo.

Exhibet v. 1. circumſtantias temporis, quo ſtructura Templi magnifica à Salomone fuit cœpta, nempe *Anno* 480. *ab egreſſu filiorum Iſrael de Terra Ægypti, anno quarto, menſe Sif, is eſt menſis ſecundus.* 2. Paralip. III. 2. legitur, *menſe ſecundo, in ſecundo* (die) *anno quarto regni ſui.* En calculum ex *Spanbem. Chronol. ſacr.* p. 234. Epochæ celebratiſſimæ.

	Anni
Ab Exodo ex Ægypto ad ingreſſum in Canaan - - - -	40.
Ad mortem Joſuæ - - -	17.
Ad obitum Othnielis. Jud. III. 11. -	40.
Ad finem 80. annorum, quibus Iſrael quietè vixit ſub Ehud & Samgar -	80.
Ad Siſſeram ſub Debora deuictum -	40.
Anni tranquillitatis ſub Gedeone - -	40.
Sub Abimelecho, Thola & Jair - -	48.
Ad Simſonem, ſub Jephta, Ibzan, Elon, Abdon - - - -	31.
Sub Simſone & Eli - - -	60.
Per conſequens ab exitu ex Ægypto ad regimen Samueli-Saulicum -	396.
A principio regiminis Samuelis, incluſo regno Saulis usque ad Dauidem - - - - -	40.
Ab initio regni Dauidis ad ejus obitum -	40.
A principio regni Solomonis ad inchoatam ſtructuram Templi, quarti Anni initium - - -	3.
	479.
Incluſo inchoato Anno quarto - -	480.

Incidit

Incidit hæc Epocha juxta *Bucholcerum* in annum à condito mundo 2934. ante CHRISTUM natum 1037. Numerat *Clericus* Annos 2927. pro inchoato Templo, 2934. pro finito.

Notari meretur, quòd Sacri Codicis Scriptores Hieroſolymitani Templi Fabricam non eo deſcripſerint ordine, quem obſeruare ſolent Architecti ſyſtematici, ſed ita, ut menſuris oſtenſis partes præcipuæ totius hinc inde jaceant veluti ſparſæ, ut ex Architecti Interpretis officio ſit, flores diſperſos colligere, ſeparata coordinare, obſcura explicare, defectus ſupplere, quo obtineamus tandem diſtinctam ex deſcriptione obſcura ſatis, quam ſicco pede prætereunt lectores plerique, ideam.

TAB. CCCCXXI.

Ere fore duco, Ichnographiam dare ante & Scenographiam totius ædificii, ut Lector beneuolus generatim ſaltem id intueri, & præcipuas partes menti ſuæ ſiſtere poſſit.

Extructum fuit Templum in monte Moria in extremo Urbis Hieroſolymæ verſus Orientem, ex lateribus Orientali, Meridiano & Septentrionali prærupto. Super hunc montem ſpatium accuratè quadratum ABCD, definitur, muro undique cinctum, qui diſtinctus ordine pilis erat quadratis, quos inter murus minus craſſus jacebat. Erant hæ pilæ formæ perfectè cubicæ, qualem habent teſſeræ luſoriæ. Hunc murum 6. Cubitos altum, totidem latum menſus eſt ſupremus Architectus Ezech. XL. 5. *Ecce murus extra domum quoquouerſus — Et menſus eſt craſſitudinem ædificii uno calamo, & altitudinem uno calamo. (Et ecce murus forinſecus in circuitu domus undique — Et menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.)* Totus verò hujus ſpatii circuitus 12000. Cubitos ſeu 2000. Calamos comprehendebat, quoduis adeò Latus 500. Calamos, vel 3000. Cubitos. Ezech. XLII. 15. usque ad finem. Ex ſpatio hoc in Judæorum gratiam reſecari poteſt aliud ſpatium quadratum 12. ſcalis ſeu cubitis elatius priori, ſingulis lateribus 1000. cubitos continens. Exterius ſpatium, quod 8. ſpatia continet 1000. cubitorum quadrata, vocamus *Atrium Gentium* ABCD. E medio horum quadratorum EFGH. medium aliud reſecamus HIKL. 500. cubitorum latera habens undique. Ut adeò reſtet circa illud ſpatium 250. cubitos latum. Hoc exterius cingi poteſt peribolo extrinſecus 6. intrinſecus 3. cubitos alto, cujus pilis juxta portas Lex Caſtimoniæ, & alia Gentibus acceſſum prohibens inſcribebatur. Spatium autem ipſum *Atrium Mulierum* vocatur, in medio relictis utrinque 100. cubitis, porticu cinctum 50. cubitos lata. Quadratum intimum HIKL. ſiſtit Templum ipſum 2. cubitis altius, & in eo Sanctiſſimum eleuatius adhuc $2\frac{1}{2}$. cubitis. Porticum illam repræſentat WXYZ. *Sturm. Sciagr. Templ. Hieroſol.* p. 56.

TAB. CCCCXXII.

Diſtinctam magis ſiſtit Templi Protographiam, ubi

ABCD. Ambitus Atrii Gentium.
E. Pilæ muri in peribolo calamum latæ altæ & craſſæ.
HIKL. Ambitus Templi, cujus latus 500. cubitorum.
MNOP. Rectangulum reſecandum pro Templo interiori.
QQ. Atria ſeptem interiora ſeu areæ ſubdiales.
abcd. Atrium Sacerdotum.
abef. Atrium Sacerdotum interius, ubi Altare † & Mare æneum. *
RR. Turres 50. cubitos latæ & longæ.
SS. Porticus 100. cubitos longæ, 50. latæ.
TT. Portæ, nempe tres exteriores, & tres interiores.
v. v. Veſtibula Portarum tum exteriora tum interiora.
V. V. Thalami Portarum.
NcZM. Ædificia circa Templum intimum.
g. Veſtibulum Sancti & Sancti Sanctorum, ubi binæ columnæ Jachin & Boas.
h. Sanctum.
s. Sanctum Sanctorum, ſiue Sanctiſſimum.



I. REG. Cap. VI. v. 1.
Ichnographia Montis Sancti.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 1.
Grundriß des Heil. Berges.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VI. v. 1.
Templi Hieroſolymitani Protographia.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 1.
Grundriß des Tempels zu Jeruſalem.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

RPJCB



I. REG. Cap. VI.
Diductior Templi Ichnographia.



I. Buch der Kön. Cap. VI.
Weitläufftiger Tempel-Riß.

I. A. Fridrich sculps.



I. REG. Cap. VI.
Templi Hieroſolymitani Scenographia.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Perſpectiviſche Vorſtellung des Tempels.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCCXXIII.

IN extenſo magis ſiſtit & ſpecialiorem Templi Hieroſolymitani Ichnographiam, qualem inprimis ex viſione Ezechielis concepit & rectificauit poſt *Goldmannum Leonh. Chriſtoph. Sturmius.*

HIKL. eſt ambitus templi, cujus latus 500. cubitorum.
I. Porta Orientalis exterior.
1. Porta Orientalis interior.
2. Porta Septentrionalis exterior.
y. Porta Septentrionalis interior.
3. Porta Meridionalis exterior.
4. Porta Meridionalis interior.
AA. Thalami juxta Portas, Orientalem nempe, & ſic concipiendi in reliquis Portis.
BB. Thalami vel Exedræ Sacerdotum obeuntium Domus Miniſterium.
C. Exedra Sacerdotum obeuntium Miniſterium Altaris.
DD. Thalami, ſiue Cellæ, in quibus ſacerdotes comedunt ſacroſancta.
E. Culina Sacerdotum.
5. Atria Templi.
7. Turres.
8. Altare æneum.
9.9. Columnæ binæ Jachin & Boas.
Ɛ. Mare æneum.
t. Sanctum.
u. Sanctum Sanctorum.
Alii Characteres, & ſigna alia, explicantur alibi.

TAB. CCCCXXIV.

SEquitur Scenographica Templi Hieroſolymitani repræſentatio, ubi
abcd. ſubſtructio templi alta 300. cubitos, longa 780. Cubitos.
bc. Peribolus Muri.
h. Atrium Gentium.
l. Porta Orientalis exterior.
mm. Atria Templi.
n. Porta Septentrionalis.
oo. Turres Templi.
p. Porta Meridionalis.
r. Altare æneum.
ſ. ſ. Columnæ binæ in veſtibulo templi interioris.
t. Porta Templi intima ad Sanctum.

Nunc demum redimus ad Locum 1. Reg. VI. 2. & explicationem Tab. CCCCXX. Ædem nempe ſacram, ſed eam non integram, verùm interiorem, templum κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum, quæ *Sanctum* comprehendit & *Sanctiſſimum* ſiue *Sanctum Sanctorum.* Locus extat parallelus 2. Paralip. III. 3. *Hæc autem ſunt, in quibus Solomon edoctus fuit, ut ædificaret domum DEI, longitudo cubitorum fuit prima menſura, cubitorum inquam ſexaginta, latitudo verò cubitorum viginti. (Et hæc ſunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum DEI, longitudinis cubitos in menſura prima ſexaginta, latitudinis cubitos viginti.)* Altitudinis nulla fit mentio. Sanctiſſimi nempe Tab. CCCCXXIII. u. longitudo (uti & latitudo) erat 20. & Sancti t. 40. Cubitorum. Ita & legimus Ezech. XLI. 2. de Sancto: *menſus eſt longitudinem ejus cubitorum quadraginta, & latitudinem cubitorum viginti.* Et de Sanctiſſimo, v. 4. *Ejus longitudinem menſus eſt viginti cubitorum — Et dixit ad me: Hoc Sanctum Sanctorum eſt.*

Longitudo itaque Sacerrimi hujus ædificii fuit 60. cubitorum: dant hi Pedes Pariſinos 100. poll. 1. Tigurinos pedes decimales 106. poll. 8. Latitudo 20. cubitorum dat
Pedes Pariſin. 33. poll. 4. lin. 4.
- - Tigurin. 35. - - 6. - - 0.

Erat Sanctiſſimum ejusdem & longitudinis & latitudinis, proin quadratum. De altitudine dabitur occaſio loquendi ad v. 20. Erant parietes, ut totius templi, ita hujus ædis ex marmore candido, ſaxis arctiſſimè compaginatis, cedrino ligno intus obducti, & auro puro. Aream tegebant tabulæ marmoreæ abiegnis lignis obductæ, tabulatum ſuperius fornicatum cedrino. In medio hujus Sanctiſſimi repoſita fuit tripollicari baſi marmoreæ arca, & in ea binæ tabulæ fœderis, cui adjunctæ fuere binæ aliæ arculæ, in quarum una ſeruabatur Manna, cum Aharonis virga, in altera Philiſtæorum dona. Ornabant parietes circumcirca Cherubini, & arcæ adſtabant duæ hujus generis figuræ coloſſeæ. Fuit hoc Sanctiſſimum DEI habitaculum conclaue exiguum quadratæ figuræ, quod pro ſede ſibi ſelegit cœli terræque ſupremus Monarcha, aditum concedens ſemel in anno, nec niſi Pontifici ſummo. Hanc in arca fœderis ſedem ſacratiſſimam ſeruauit DEUS ad captiuitatem usque Babylonicam, & primi templi deſtructionem: nam ſecundo

 tem-

templo deerant Arca, Cherubini, Gloria Altiſſimi.

Sanctum ſiue *Domus major* 2. Paralip. III. 5. longum erat 40. cubitos ſiue
Pedes Pariſienſes 66. poll. 8. lin. 8.
Pedes Tigurinos 71. — 2. — 0.
20. cubitos latum, 30. altum, 10. inſuper cubitis altius eleuatum ab Herode, fuit enim, quod ex Rabbinis conſtat, altitudo Sancti in Templo Herodiano 40. cubitorum. In hoc Sancto erant candelabra aurea, menſæ pro panibus propitiationis, & altare incenſi. Ad conclaue hoc, ſanctitate poſt Sanctiſſimum ſecundum, nemini patebat aditus, niſi ſacerdotibus, & ne his quidem extra officii ordinem. Aſt tribus palmariis anni feſtis concedebatur ſacerdotibus abſque diſcrimine omnibus ad preces ibi fundendas. Excluſi proin ſacro hoc loco erant Leuitæ & Laici Iſraelitæ.

Planum ex hactenus dictis, cur Scriptores ſacri templi deſcriptionem inchoarint ab interiore & intimo, ſacro & ſacerrimo totius ædificii loco. Conſtituebant hæc templum κατ' ἐξοχὴν, quod tabernaculi fuit ſuccedaneum. Conueniret & hodie Hiſtorico, Regis Palatium aliquod magnificum deſcripturo, initium facere ab intimis penetralibus & Principis ipſius thalamis, atque inde progredi ſenſim ad partes exteriores.

Conferri cum hac tabula meretur Scenographia templi Tab. CCCCXXXII.

TAB. CCCCXXV.

PRo majori materiæ illuſtratione ſiſto templi totius interioris Scenographiam ex *Lundii Leuit. Prieſterth.* L. II. c. 4. ubi

a. eſt Veſtibulum.
b. Porta ad Veſtibulum.
cc. Columnæ æneæ, Jachin & Boas.
d. Baſis, cui hoc templum inſiſtit.
e. Scalæ gradus ad templum, ex atrio ſacerdotum.
ff. Lorica tecti.
gg. Cœnaculum ſupra Sanctum & Sanctiſſimum.
hh. Sanctum.
ii. Sanctiſſimum.
kk. Thalami.

TAB. CCCCXXVI.

COrrectius damus hocce templum jungendo *Orientalem faciem veſtibuli Sanctuarii & turris ſuperſtructæ aſpectui lateris Sanctuarii & cœnaculi ac turris ſuperſtructæ veſtibulo* ex *Villalpando*, iisdem cum Tab. præcedenti uſi literis, eademque harum ſignificatione. Ichnographiam dat Tab. CCCCXXIX.

TAB. CCCCXXVII.

ORthographicam exhibet templi totius interioris & veſtibuli ſectionem, & à Septentrione concedit, abſciſſis ædibus lateralibus, proſpectum in interiora. Ubi

A. eſt veſtibuli turris.
a. bina ſuprema conclauia, ubi coronæ duæ aureæ fuere aſſeruatæ.
b. Porta ad veſtibulum.
cd. Menſæ binæ, aurea una, d. marmorea altera, c. in veſtibulo locatæ. In hac reponebantur panes propoſitionis, antequam Sancto fuerunt illati: in illa panes præteritæ ſeptimanæ, è Sancto exportati, de qua hoc ipſo in loco ſacro ſuam portionem comedebat Sacerdos ſummus.
B. Sanctum, in quo
ee. Menſæ panum propoſitionis.
ff. Candelabra aurea.
g. Ara incenſi aurea.
hh. Columnæ duæ pumilæ aureæ, quibus imponebat Pontifex ſummus patinas aureas redux ex Sanctiſſimo, in Propitiationis Feſto, poſtquam ſanguinem ſepties ſparſit verſus arcam fœderis & gratiæ.
i. Porta pentagona ad Sanctiſſimum.
k. Rete aureum, vel opus clathratum ſupra hanc portam, 10. cubitorum in altitudi-

I. REG. Cap. VI.
Orient. et Septentr. Sanctuarii Facies.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Oſt=und Nordlich Ausſehen des innern Tempels.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB



I. Reg. Cap. VI.
Orient. et Septentr. Sanctuarii Facies.

I. Buch der Kön. Cap. VI
Oſt=und Nordlich Ausſehen des iñern Tempels.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

TAB. CCCCXXVII.



I. REG. Cap. VI.
Sectio Orthogr. Templi inter. et Vestibuli.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Durchſchnitt des iñern Tempels und Vorhofs.

I. G. Pintz sculps.



I. REG. Cap. VI.
Interna Sanctiſsimi Structura.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Inwendiges Ausſehen des Allerheiligſten.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VI. v. 1.
Primum Sanctuarii Vestigium.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 1.
Grundriß des innern Tempels.

I. A. Fridrich sculps.

titudine, per quod fumus ex Altari incenſi penetrare poterat ad Sanctiſſimum.
C. Sanctiſſimum, ubi
l. Arca Fœderis, Cherubini, & Columna nubis.
D. Cœnaculum ſuperius, 60. cubitos longum, 20. latum, 30. altum, ubi aſſeruabantur
m. Tabernaculum Moſaicum, & quæ ad id pertinebant, nempe
n. Labrum.
o. Altare holocauſti.
p. Altare incenſi.

TAB. CCCCXXVIII.

PRæſentat internam *Sanctiſſimi* ſtructuram, ex *Villalpandi* mente undique clauſam & opacam, in cujus medio arca fœderis, parietes verò Cherubinis ornati.

TAB. CCCCXXIX.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 3.

Porticus erat ante ſtructuram ædis, cujus longitudo viginti cubitorum erat ſecundum altitudinem ædis, latitudo autem ejus decem fuit cubitorum ante ædem.

Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.

LEgas 2. Paral. III. 4. *Porticus, quæ erat ante faciem longitudinis, ſecundum latitudinem ædis viginti erat cubitorum, altitudo ejus centum & viginti, obduxitque intus auro mundo. (Porticum verò ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta menſuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat: & deaurauit eam intrinſecus auro mundiſſimo.)* In uno parallelorum locorum habes longitudinem & latitudinem, in altero longitudinem & altitudinem *veſtibuli*, אולם *ulam*. Ita facilè conciliabis inuicem.

Fuit hæc ſtructura Sancto ad ortum, habuitque à Meridie verſus Septentrionem 20. cubitos, nempe ab a. ad b. in hac templi ichnographia Villalpandina, ex qua diſtinctius intelligi poterit Tab. CCCCXXVI. Hæc autem eſt ipſa *longitudo ſecundum latitudinem ædis* in textu noſtro obuia. Sed à c. ad d. ab occaſu verſus ortum 10. fuere cubiti, in ichnographia 10½. Sed altitudo hujus ædificii fuit 120. cubitorum: qui dant

Pedes Pariſienſes 199. poll. 11. lin. 0.
Siue rotundo numero pedes 200.
Pedes Tigurinos 213. poll. 6. lin. 0. dec.

Fuit hoc ædificium turritum templo eleuatius 40. cubitis. In templo ſecundo tota altitudo fuit 60. cubitorum: ſuppleuit autem Herodes non ſolùm 60. qui deerant cubitos, ſed & ampliauit à Meridie verſus Septentrionem cum muro 70. & utriſque alis 100. cubitis: ab ortu item verſus occaſum 1. cubito, ut longitudo interna fuerit 11. cubitorum, ut videre eſt in *Middoth* c. 4. *ſect.* 7. & R. *Juda Leone* L. II. *de Templo* c. 21. §. 176. Sed fuit ipſum hoc Templum Herodianum altius Salomoneo, nempe 100. cubitorum, ut turris 120. cubitos alta ſupereminuerit duntaxat 20. cubitis, quot ſcilicet conſtituebant contignationem tecti, alti in primo templo 4. cubitis, in Herodiano verò 20. *Joſephus* L. VI. *Bell. Jud.* c. 6. altitudinem turris hujus facit 100. cubitorum, ſed *Ant.* L. VIII. c. 2. cubitorum 120. ibi excludens tecti contignationem, heic includens, ſecum adeò facile conciliandus. Templo à Chaldæis & Babyloniis vaſtato turrim hancce ſummam conſcendiſſe dicuntur quidam Sacerdotes, templiue claues projeciſſe verſus cœlum, his quidem prolatis lugubribus verbis: *O Domine DEUSque æterne, recipe tu claues haſce, quarum nos ſumus indigni!* quo facto manus è nubibus protenſa arripuerit claues, præcipitatis in ignem, quo ardebat templum, ſacerdotibus. Refert hæc *Lightfoot Hor. Hebr.* ad Matth. IV. 5. ex *Babylon. Taanith.*

In Templo Solomoneo juxta R. *Judam Leonem* habuit turris hæc altitudinem 90. cubitorum cauam usque ad laquear, ut dare potuerint reſidui ad tecti contignationem usque 24.

 cubiti

cubiti ad minimum bina conclauia, vel quatuor, ſi bina juxta poſueris in eodem horizonte. In Templo verò Herodiano, ſi turris hæc caua fuit in altitudine 90. cubitorum, reſtabant 10. cubiti ad tecti contignationem usque pro binis conclauibus juxta ſe poſitis.

Fuere hæc conclauia, quod ex 2. Paral. III. 4. conſtat, *obducta intus auro mundo*, uti & parietes templi. In templo ſecundo fuere in his repoſitæ *coronæ aureæ*, Joſuæ Pontifici impoſitæ Zach. VI. 11. Qualinam modo aſcenderint Sacerdotes ad hæc conclauia, non facile eſt dictu. Tradunt Rabbini, affixas fuiſſe laqueari ſummo catenas aureas, quarum ductu aſcenderint. Conjectat *Lundius*, in pariete occidentali veſtibuli ſecretam fuiſſe ſcalam, quæ conceſſerit aſcenſum, quod vero eſt admodùm ſimile.

Sub laqueari dicto transuerſim jacebant ab ortu verſus occaſum pro majori parietum & totius turris robore trabes ex ligno querno, juxta *l'Empereur* ex *Middoth*, vel cedrino, quinque cubitos craſſæ juxtæ R. *Judam Leonem.* Et per trabium harum interſtitia patebat proſpectus ad ſummum usque laquear, gratior tantò, ſi & hæ, & parietes ipſi auro fuere obducti, inſuperque ſculpturis variis ex floribus, & cucurbitis ſylueſtribus exornati. Reconditæ autem ibi fuere arcæ, & in iis theſauri DOMINI & Regis, de quibus alibi plura.

In angulis hujus veſtibuli, meridionali nempe & ſeptentrionali, (Templi ſcilicet Herodiani, cujus veſtibulum 15. cubitis latius fuit verſus Septentrionem, & totidem verſus Meridiem) thalami fuere bini pro aſſeruandis cultris ſacrificatoriis, quibus mactabantur animalia, & cute detracta diſſecabantur. In uno autem horum jacebant cultri uſui apti, in altero obtuſi inepti. In quouis horum thalamorum 24. aderant arcæ, reſpondentes Sacerdotum ordinibus totidem, qui hebdomadatim alternabant. Ut proin ſingulis ordinibus fuerint ſuæ arcæ, cultri ſui. Bina hæc conclauia proſpectum dabant ab antica facie, Orientali, latiorem templi, 100. nempe cubitorum in latitudine, quod retro veſtibulum latum fuit duntaxat 70. cubitos; intellige hæc omnia de Templo Herodiano. Propter alas hasce comparatur templum in *Middoth* Leoni, qui antica ſui corporis parte latior eſt, à poſtica anguſtior.

Ad ortum patuit ex veſtibulo hocce ad templum ipſum porta magnifica alta & alata, quam Ahas Rex impius claudi juſſit, cultum ſacrum inhibiturus, ſed aperiri filius Hiskias. 2. Paral. XXVIII. 24. XXIX. 7. Sed non habuit hæc porta aulæum, ut quidem habuit porta templi & Sanctiſſimi. De altitudine & latitudine portæ hujus nil extat in ſacris. Portam veſtibuli Herodiani *Joſephus* L. VI. *Bell. Jud.* c. 6. facit altam 70. cubitos, latam 25. quæ disproportio fidem omnem ſuperat. Vero eſt ſimilior, quæ in *Middoth* exprimitur, altitudo 40. latitudo 20. cubitorum, quam & Sanctum habebat in Templo Herodiano. Et vel exin conjectat R. *Juda Leo*, portam hancce veſtibuli in Solomoneo fuiſſe altam 30. latam 20. cubitos, uti Sanctum: quod ipſum verò à vero abludit, quia porta ejusdem fuiſſet latitudinis cum veſtibulo. En Ezechielis Templo fuit *paraſtas veſtibuli (craſſitudine) quinque cubitorum utrinque*, amplitudo proin integra 10. cubitorum, & *latitudo humeri portæ trium cubitorum ab utroque latere*, tota proin apertura 6. cubitorum. Ezech. XL. 48. ut nos ſæpe in magnificis templorum ſtructuris portas latiores videmus, quàm ſunt valuarum ipſarum aperturæ.

In templo Solomoneo non habuit, quod modò dictum, porta veſtibuli aulæum, ſed alas, in Herodiano verò nullas alas, ſed aulæum pretioſiſſimum, ejusdem cum porta magnitudinis in linteo candidiſſimo ex aureis, cœruleis, purpureis & coccineis filis intertextum. Meminit & *Joſephus* L. III. *Ant.* c. 5. anterioris cujusdam aulæi linei, quod pluuioſo tempore fuerit prætenſum, pro defenſione pretioſioris illius & interioris, ad imitationem ipſius tabernaculi.

In gratiam Lectoris addo diſtinctam partium in hac Ichnographia expreſſarum ſignificationem, explicationi noſtræ accommodam.

A. Veſtibulum.
ab. Longitudo veſtibuli 20. cubitorum.
cd. Latitudo veſtibuli 10. cubitorum.
ef. Porta veſtibuli 14. cubitorum.
gg. Columnæ æneæ Jachin & Boas.
hh. Porta ſeu aditus ad Sanctum.
i. Sanctum.
kk. Candelabra.
ll. Menſæ panum propoſitionis.
m. Altare incenſi.
n. Porta Sanctiſſimi.
o. Sanctiſſimum, Sancta Sanctorum.
p. Arca Fœderis.
q. Paries ſeu murus templi 6. cubitorum.
rr. Thalami templo circumcirca adjecti.
ss. Paries ædificii hujus lateralis 5. cubitorum latitudinis per circuitum.
t. Scala ab Atrio Sacerdotum ad veſtibulum & templum, ab Oriente.
u. Scala à Meridie.
w. Scala à Septentrione.
x. Anticamera fornicata inter oſtium ad thalamos & thalamum primum.
y. Cochlea, per quam aſcendebatur ad mediam & ſupremam thalamorum contignationes.
* Oſtium è veſtibulo ad thalamos.

TAB.

RPJCB



I. Reg. Cap. VI. v. 1.
Ichnographia Templi, Talmudiſtarum.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 1.
Grundriß des Tempels nach dem Talmud.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCS



I. REG. Cap. VI.
Ichnographia Templi ſec. Iudæos.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Grundriß des Tempels nach den Juden.

I. A. Fridrich ſculpſ.

TAB. CCCCXXX.

DE Fabrica Templi Hieroſolymitani nemo, inquies, melius & certius nos informare poterit, quàm ipſi Judæi, de eo inprimis, quod oculis ſuis viderunt. Sed falleris. Adeò in Talmude confuſa omnia, & intricata, ut exercitatiſſimi quique in rebus Judaicis nec ſibi ſatisfacere queant, nec aliis. Haud abs re interim erit, quia frequentiſſima eſt Templi Herodiani mentio, ideam qualem qualem ſiſtere templi, & eam quidem in hac tabula, qualem concepit *Leonh. Chriſtoph. Sturm. Sciagr. Templi Hieroſol.* c. 5. p. 33. En ſingula in compendio!

a. Sanctiſſimum 20. cubitos longum.
b. Velum duplex inter Sanctum & Sanctiſſimum, 1. cubitum craſſum.
c. Sanctum, 40. cubitos longum. Ut proin tota templi longitudo ſit 61. cubitorum.
d. Oſtium Sancti 10. cubitos latum, 20. altum.
e. Duplex circuitus triplicis contignationis, in uniuerſum 38. gazophylaciorum.
f. Veſtibulum.
g. Cochlea in craſſitie muri, qua aſcendebatur ad ſuperiores contignationes dictarum ædium lateralium.
hh. Atrium circum circa templum.
iklm. Pars atrii ſeparata, *Septentrio* dicta, mactandis holocauſtis deſtinata, in tria ſpatia diſtincta.
n. Locus fuit annulorum, 24. cubitos latum, ubi annulis pecudes alligabantur.
o. 8. cubitos latum, ubi & 8. fuere menſæ lapideæ mactationis, locus menſarum dictum.
p. 12. cubitos latum, locus mactatorum.
q. Atrium Sacerdotum.
r. Atrium Iſraelis.
s. Altare æneum magnum.
t. Atrium mulierum.
u. Exedra Nazaræorum.
w. Exedra euermiculationis lignorum.
x. Locus oleorum.
y. Exedra leproſorum.
z. Nicanoris porta.
1. Locus agnorum.
2. Excubiæ Sacerdotum.
3. Locus panum propoſitionis.
4. Locus ſigillorum.

TAB. CCCCXXXI.

NEminem latet, quantæ ſit authoritatis *Lightfootus*, quantæ in enucleandis Judæorum Sacris diligentiæ, in deſcribendo templo, quale id fuerit tempore CHRISTI Saluatoris, induſtriæ, ut proin haud abs re erit, ejus quoque Ichnographiam, lectioni ipſius inprimis Noui Teſtamenti accommodam, heic ſiſtere, mutatam paſſim, vel potius correctam, ab Inſpectoribus Orphanotrophii Hallenſis.

A. Extremus muri peribolus.
B. Portæ in eo.
C. Porta Suſan, quæ vocatur Regis Porta. 1. Paralip. IX. 18.
D. Porta Huldah.
E. Porta ejusdem nominis alia.
F. Porta Teri.
G. Porticus Salomonis. Joh. X. 23. Act. III. 2.
H. Atrium Gentium.
I. Chel, ſpatium intermurale, atria ambiens, in quod nemini acceſſus dabatur, niſi Judæis.
K. Templum ipſum.
L. Baſis templi.
M. Gradus ſcalæ ad templum 12.
N. Columnæ æneæ Jachin & Boas.
O. Gazophylacia.
P. Veſtibulum templi.
Q. Sanctum.
R. Sanctum Sanctorum. Sanctiſſimum.
S. Sepimentum ad utrumque latus templi, quod arcebat populum ab atrio Sacerdotum.
T. Tegmen Sabbathi, ſub quo populus & Sacerdotes liberi erant ab injuriis tempeſtatum, vel aliàs ſub umbra.
V. Mare æneum.
W. Labra ænea decem, quinque nempe in atrii latere meridionali, & quinque in ſeptentrionali. 1. Reg. VII. 38. 39. ubi abluebantur ante ſacrificia, quàm altari fuere illata.
X. Altare magnum holocauſtorum.
Y. Annuli 24. quibus alligabantur boues mactandi.

Z. Menſæ 8. marmoreæ, quibus impoſita animalia mactata ulterius fuere diuiſa.

a. Columnæ octo mactatoriæ pygmææ marmoreæ, è quibus ſuſpendebantur animalia mactata.

b. Conclaue Gazith, ubi ſeſe congregabat 71. viris conſtans Synedrium magnum.

c. Altera ejusdem conclauis pars, ubi ſorte diſtribuebantur ſacerdotum officia.

d. Conclaue lignorum, item Camera Aſſeſſorum, juxta quod omne lignum templo inferebatur, & ubi Sacerdos ſummus ſæpe cum aliis deliberando conſidebat.

e. Conclaue rotæ, ubi aqua in potum miniſtrantibus ſeruiens rotæ beneficio fuit hauſta.

f. Porta holocauſti, per quam omne lignum atrio fuit illatum.

g. Porta primogenitorum, per quam omnia animalia primogenita ad atrium interius fuere deducta.

h. Porta aquarum, ſub qua fons Ethan, ex Salomonis horto huc deriuatus, qui toti templo dabat aquas.

i. Locus in atrii interioris meridionali parte, ubi ædificia fuere contignationibus ſuperioribus ab intra deſtituta, ad arcendum proſpectum in Sanctiſſimum.

k. Culina Sacerdotum, deſtinata coquendis iis ſacrificiorum portionibus, quæ Sacerdotum erant.

l. Conclaue agnorum, ubi ſemper aſſeruati fuere 8. agni, ſacrificiis quotidianis deſtinati.

m. Conclaue ignis, ubi conſtans aſſeruabatur ignis.

n. Conclaue panum propoſitionis, ubi hi fuere cocti in vigilia Sabbathi.

o. Conclaue ſignorum, ubi diſtribuebantur ſigna iis, qui vel vinum vel oleum deſiderabant pro ſacrificiis.

p. Porta ignis, ubi erant Sacerdotum excubiæ, & ignis pro recalefaciendis Sacerdotibus.

q. Porta ſacrificiorum, per quam ſacratiſſima ſacrificia atrio interiori fuere illata.

r. Porta cantus, cantoribus Leuitis proxima. Porta prominentiæ, quia prominebat verſus atrium gentium.

s. Porta ablutionis, ubi abluebantur ſacrificia altari inferenda.

t. Conclaue Parphah, ubi pelles animalibus detractæ, & ſale conſperſæ, reponebantur.

u. Conclaue ſalis, ſali aſſeruando deſtinatum.

w. Atrium Sacerdotum, 11. cubitos latum, 135. longum.

x. Menſæ binæ, argentea una, altera marmorea, juxta altare holocauſtorum, quarum uni imponebantur 93. vaſa aurea, alteri ſacrificia cum adipe altari inferenda.

y. Cinerarium, cineribus conſumtorum ab igne ſacrificiorum excipiendis deſtinatum.

z. Cauitas, ad quam aqua ex Ethamenſi fonte deriuata defluebat.

𝔞. Atrium Iſraelis 11. cubitos latum, 135. longum.

𝔟. Thronus Salomonis in hoc ipſo Atrio Iſraelis 3. cubitos altus, 5. latus, cui inſiſtens Rex preces fundebat in dedicatione templi 2. Chron. VI. 13. VII. 1.

𝔠. Arca Jojadæ, arca argenti ruinæ templi, ubi collegerat dimidium Siclum ab Iſraelitis. 2. Reg. XII. 9.

𝔡. Atrium exterius ſiue mulierum, ad quod acceſſus patebat ſexui ſequiori.

𝔢. Porta Nicanoris, item Porta noua & ænea, per quam aditus patebat ex atrio exteriori ad interius.

𝔣. Tabernacula Feſto Tabernaculorum, quod ſeptiduo durabat, extructa. Lev. XXIII. 34.

𝔤. Cathedra Summi Pontificis, de qua is Feſto Propitiationis partem legis prælegere ſolebat.

𝔥. Candelabra magna aurea, accenſa imminente nocte Feſto Tabernaculorum, in atrio exteriori.

𝔦. 𝔦. Tredecim arcæ eleemoſynariæ columnis interjectæ, excipiendis donariis, Corban, deſtinatæ.

𝔨. 𝔨. Atrium Nazaræorum, in angulo Auſtro-Orientali, quò deferebant ſacrificia voto finito.

𝔩. Atrium lignorum in angulo Euro-Boreali, ubi ligna pro altari holocauſtorum fuere ſelecta.

𝔪. Atrium leproſorum, in angulo Zephyro-Boreali, ubi leproſi ſeſe monſtrare debebant Sacerdotibus, ſacrificia poſt oblaturi.

𝔫. Atrium olei & vini, ubi aſſeruabatur oleum & vinum pro quotidianis ſacrificiis & candelabris, Lev. II. 1. Exod. XXVII. 20. In angulo atrii Zephyro-Auſtrali.

𝔬. Synagoga explicandæ legi in diebus Sabbathi & Feſtis dicata, ad intermurale verſus atrium gentium extenſa.

𝔭. Porta ſpecioſa templi, è regione portæ Suſan, quæ aditum dabat ad atrium mulierum.

𝔮. Gradus quindecim hemicyclici, in quibus decantari ſolebant 15. Pſalmi graduum à Pſ. CXX. usque ad CXXXIV. Feſto Tabernaculorum, à Leuitis.

𝔯. 𝔯. Cellæ fumorum, loca in medio atrii aperta, pro exitu fumi.

TAB.

RPJCS



I. Reg. Cap. VI.
Scenographiæ Templi Exemplar Hallenſe.



I. Buch der Kön. Cap. VI.
Halliſches Model einer perſpectiviſchen Vorſtellung.

I. A. Fridrich sculps.



I. REG. Cap. VI. v. 4. 5. 6.
Proſpect. cubicul. parietibus et antis concluſor:

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 4. 5. 6.
Kamern u. Fenſter zwiſchen dem Maürwerck.

D. Scheüchzer sculps.

TAB. CCCCXXXII.

PAteſcet clarius ædificii, cujus Ichnographiam nunc dedimus, ſtructura, ſi ipſam ſubjungamus Scenographiam, Exemplaris nempe, quod in Orphanotrophio Hallenſi monſtratur, & conferri poteſt cum Tab. CCCCXXIV.

a. Extremus eſt muri peribolus.
bbb. Portæ in ea.
c. Porta Teri.
d. Porta Suſan.
e. Porta Huldæ.
f. Porta alia Huldæ.
gg. Atrium Gentium.
hh. Intermurale.
i. Porta ſpecioſa.
k. Atrium exterius, ſiue mulierum.
l. Chorus mulierum.
mm. Candelabra aurea.
n. Cathedra Summi Pontificis.
o. Porta Nicanoris.
pp. Atrium Iſraelis.
qq. Atrium Sacerdotum.
r. Porta Holocauſti.
s. Porta Primogenitorum.
t. Porta Aquarum.
u. Altare magnum Holocauſtorum.
w. Cliuus ad illud.
x. Mare æneum.
y. Porta Cantorum.
z. Porta ſacrificiorum.
1. Porta ignis.
2. Templum ipſum.
3. Atrium Naziræorum.
4. Atrium lignorum.
5. Atrium leproſorum.
6. Atrium olei & vini.
7. Tabernacula.
8. Menſæ ſacrificiorum.

TAB. CCCCXXXIII.

I. Reg. Cap. VI. verſ. 4.

Fecit inſuper ædi feneſtras (a) lumina videlicet valuata.

(a) Vel proſpectiones clathratas, vel feneſtras diductas & contractas. Nam quæ lucis plurimum dare debent, foris contractæ, intus debent eſſe diductæ: rurſus quæ plurimum aeris, foris diductæ, intus contractæ eſſe debent. Quidam legunt feneſtras obliquas.

Fecitque in templo feneſtras obliquas.

SUnt *feneſtræ* pars una ex ædificii neceſſariis, intromittendo lumini & transmittendo aeri deſtinatæ, quo quidem opus habemus ad obeunda noſtra munia & ſanitatem. Hinc eſt, quod in plateis anguſtioribus lumini acceſſum quærere ſæpe cogamur ex alto per feneſtras Gallis *aba jours* dictas, ſiquidem is non datur ad latera. *Fecit & Solomon ædi feneſtras.* Fuere proin & in Sancto, & in Sanctiſſimo feneſtræ, ſi per *ædem* intelligas templum interius, propriè ita dictum. Certum id, in Sanctiſſimo tabernaculi non fuiſſe feneſtras, neque aliud lumen patuiſſe quàm ad latus veli, vel per fiſſuras ejus, ex Sancto. Et ita quoque prætendit *Villalpandus*, caruiſſe Sanctiſſimum templi feneſtris, atque fuiſſe omnia intus obſcura. Subſcribit ei *Capellus*, vid. Tab. CCCCXXVIII. Sed è contra dat R. *Juda Leo* & Rabbini etiam Sanctiſſimo feneſtras, ſubſcribente *Lundio* & aliis. Vult eas & Textus noſter. Fuere, quod ſupra vidimus, & Sanctum & Sanctiſſimum 30. cubitos alta: Illud ſolum ſi habuiſſet feneſtras, & hoc ſi caruiſſet iis, prodiiſſet in æde ex tribus plagis, Occaſu, Meridie & Septentrione, oculis expoſita incongruitas, quam præuidens *Villalpandus* feneſtras collocauit ſupra Sanctiſſimum. Negari id nequit, nemini licuiſſe introſpicere Sanctiſſimum hunc locum: ſed neque licuiſſet, vel patuiſſet ulli ab extra, licet adfuiſſent feneſtræ, quia hæ 21. cubitos ad minimum elatiores fuiſſent baſi, cui inſiſtebant homines.

Obſcurè ſatis exprimitur feneſtrarum forma, & ut conclauia ipſa feneſtris, ita hæc lumine opus habent: חַלּוֹנֵי שְׁקֻפִים אֲטֻמִים *feneſtræ proſpicientes occluſæ.* Habent LXX. θυρίδας παρακυπτομένας κρυπτὰς, Vulgata, *feneſtras obliquas*, noſtra Latina, *feneſtras, lumina videlicet valuata,*

vata, ita & vernacula, *Fenſter, die man mit Läden auf- und zuthun konnte.* Lutheri verſio eſt clarior, *inwendig weit, auswendig eng*, veſtigiis inhærens *Targum*, ut communiter hujusmodi feneſtras videmus in Templis, commodas valde diſpergendo undique lumini. Nuncupat feneſtras hasce τοξικὰς *Symmachus*, & ita Hiſpani *Saeteras*, quia ante pulueris pyrii inuentionem commodæ fuere ſagittariis. Huic ſententiæ ſubſcribunt *Flac. in Clav. Tit. Feneſtra. Dieteric. Ant. Bibl. ad 1. Reg. VIII. 13. Serar. ad 1. Reg. VI. R. Juda Leo* è contra prætendit, fuiſſe ab intra anguſtas, ab extra latas. Conciliat utrosque *Junius* cum *Tremellio* adnotans ad h. l. fuiſſe intus & extus amplas, in medio anguſtatas, quales hodienum conſpicere licet in ædibus magnificis, templis. Id volunt & *Villalpandus* & *Lundius*, ille Tom. II. p. 199. hic *Leuit. Prieſterth.* L. II. c. 6. & 10. p. 261. 285. & quidem poſt R. *Judam Leonem*, fuiſſe vitreas, vitris veluti *occluſas*. Aliis occluſionem explicantibus per opus clathratum.

Altitudinis feneſtrarum nulla fit in Sacris mentio. *Lundius* in primo Templo facit cubitos 6. R. *Juda Leo* in ſecundo 20. Et ſanè poterant eſſe altiores in ſecundo, quia inferior contignatio 10. cubitis altior fuerat quàm in primo.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 5. 6.

5. Extruxit deinde ad parietem Ædis ambitus circunquaque cum parietibus Ædis circunquaque tam ipſi Templo, quàm ipſi adyto, & fecit latera circunquaque.

Quidam Jazia exponunt thalamos, quidam tabulata.

6. Ambitus infimus quinque fuit Cubitorum latitudine ſua, medii latitudo ſex habuit Cubitos, tertius verò latitudine ſua ſeptem habuit Cubitos, nam foris dejectiones Ædi fecerat per ambitum, ne apprehenderent parietes Ædis.

5. Et ædificauit ſuper parietem Templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum Templi & oraculi, & fecit latera in circuitu.

6. Tabulatum quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in domo per circuitum forinſecus, ut non hærerent muris Templi.

Manet his Verſionibus obſcuritas, nî accedat clarior lux ex Architectura ciuili, combinanda cum genuino terminorum, qui in Textu originali occurrunt, ſenſu. Quam Hermeneuticæ Regulam ſi obſeruemus, haud aberrabimus facile à ſcopo. יָצִיעַ *jatſia* vocatur heic *ambitus*, *Umgang, Gang.* Et facile naſci poteſt legenti idea, fuiſſe extra *ad parietem ædis*, Sancti nempe & Sanctiſſimi, nempe verſus Meridiem, Septentrionem & Occaſum (nam Ortum verſus fuit veſtibuli turris) tres *ambitus*, *Galleries* Gallis, unum ſupra alium, aeri libero expoſitos, & imum quidem ex his 5. medium 6. ſupremum 7. cubitorum in latitudine. Sed non eſt hic conceptus Architecturæ magnificæ ſtructuræ Solomoneæ σύμμετρος. יָצִיעַ LXX. vertunt μέλαθρα, Vulgata *tabulata*, quæ thalami ſunt, ſiue conclauia: & rectè. Fuerunt namque in tribus templi lateribus tres thalamorum, unius ſupra alium, feries. Imorum Ichnographiam videre licet Tab. CCCCXXIII. F. Scenographiam Tab. CCCCXXVI. K. Illuſtrandæ huic materiæ, & textibus ſimul explicandis inſeruit doctrina de *murorum contracturis*. Et ratio dictat & experientia, muros imâ ſui parte, qua totam ædificii ſuperædificati molem ſuſtinent, latiores eſſe, tenuiores magis & magis mediâ atque ſupremâ, & proin debere contrahi, id quod in omnibus ædificiis videre licet. Qui in imo 3. pedes habent in craſſitie, in medio habent $2\frac{1}{2}$. in ſummo 2. In Tabula præſenti fuit ima murorum templi craſſities a b. 7. cubitorum, media c d. 6. ſumma e f. 5. cubitorum. Sed quemadmodum pro trabibus firmandis ſolemus communiter perforare muros ipſos, ita heic habuere muri ſuas prominentias, tres proin, quamlibet dimidii cubiti g h. g h. Ima harum antarum ſiue prominentiarum fuit in altitudine 5. cubitorum. His autem prominentiis incumbebant trabes g k. g k. Et hinc patet, cur thalami imi 5. duntaxat habuerint cubitos in latitudine l. quia ibi muri craſſities fuit omnium maxima 7. cubitorum, medii thalami m. 6. cubitos, ſummi n. 7. cubitos, quia hîc muri craſſities fuit duntaxat 5. cubitorum.

Sit

Sit igitur hæc paraphraſtica Textus interpretatio: *Extruxit deinde ad parietem ædis*, Sancti & Sanctiſſimi, *ambitus*, thalamos, ædem ambientes, *circumquaque*, verſus Meridiem, Occaſum, & Septentrionem, *tam ipſi Templo*, Sancto, *quàm ipſi adyto*, Sanctiſſimo, *& fecit latera circumquaque*, muri ſcilicet interioris antas ſiue prominentias, quibus thalami horumque trabes incumberent. *Ambitus infimus*, thalamus infimus, *quinque fuit cubitorum in latitudine ſua*, *medii* thalami *latitudo ſex habuit cubitos*, *tertius verò* thalamus *latitudine ſua ſeptem habuit cubitos*, *nam foris dejectiones ædi fecerat*, trabes prominentiis muri impoſuit, *per ambitum*, *ne apprehenderent parietes ædis*, ut non opus fuerit perforare parietes ad immittendum trabes. Hæc quidem hactenus de latitudine thalamorum templi lateralium. Altitudo extat v. 10. (in Tab. h o. h o.) *Ædificauit quoque ad totam illam ædem ambitus*, thalamos, *quinque cubitorum altitudine*. Erant proin ſinguli thalami 5. cubitos alti, infimi 5. lati, medii 6. ſupremi 7.

Dat *Joſephus Ant.* L. VIII. c. 2. Templo Solomoneo 30. thalamos, ſingulisque 25. cubitos in longitudine & latitudine, 20. in altitudine, ſtatuitque ſupra hos alios inſuper thalamos, & ſuper his alios. Sed pugnat hæc opinio cum Ratione, Scriptura & Architectura. Vix vel parum excedit circuitus Templi verſus plagas Meridionalem, Occidentalem & Septentrionalem, cubitos 160. & verò poſcunt 30. thalami, 25. cubitos ſinguli, cubitos 750. Sed neque thalami hi Templo adjecti quoad altitudinem ædi ipſi ſacræ potuerunt eſſe æquales, quia ſic caruiſſet lumine Sanctum atque Sanctiſſimum. Errat *Joſephus* thalamis adſcribens altitudinem 20. cubitorum, contradicens Scripturæ, quæ 5. duntaxat habet: latitudinem is 25. cubitorum, hæc infimis thalamis 5. mediis 6. ſupremis 7. Vult autem *l'Empereur* numeros in Joſepho fuiſſe à copiſtis falſificatos *not. 1. ad Middoth* c. 4. *ſect.* 3.

In Templo ſecundo Herodiano juxta *Middoth* l. c. fuere in totum thalami 38. nempe 15. in latere Septentrionali, 15. in Meridionali, 8. verſus Occaſum. Verſus Meridiem proin in ſingulis contignationibus fuere 5. & totidem verſus Septentrionem, verſus Occaſum verò in ima 3. in media 3. in ſuprema 2. Et forſan ita quoque ſe res habuit in Templo Solomoneo. Amplitudo thalamorum non exprimitur in *Middoth*. Sed R. *Juda Leo de Templo* c. 24. §. 222. ſcribit, muri craſſitiem inter binos quosuis thalamos fuiſſe 5. cubitorum. Hæc ſi ita fuerint, fuit quiuis thalamus ex Meridionalibus & Septentrionalibus longus 7. cubitos, longiores paulò occidentales imi & medii, & longiſſimi omnium ſupremi. In veſtigio Sanctuarii Tab. CCCCXXIX. videas in ima contignatione thalamos 5. ad Meridiem, 5. ad Septentrionem, & 4. ad Occaſum.

Thalamorum imorum area fuit in primo Templo ejusdem Horizontis cum Sancti & Sanctiſſimi area. Colligere id licet ex 1. Reg. VI. 8. ubi, *oſtium lateris intermedii erat in dextro ædis latere*, *aſcendebaturque per cochleas ad intermedium, & ab intermedio in tabulata ſuperiora*, ſiue tertia. *(Oſtium lateris medii in pariete erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.)* Patuit adeò aditus per hoc oſtium & anticameram fornicatam Tab. CCCCXXIX. x. ad imos thalamos, absque quod aſcendendum fuerit, vel deſcendendum, ſed ad mediam & ſupremam contignationes aſcendendum fuit per ſcalam cochlearum y. Tab. cit. oſtium ipſum notatur ſigno * per quod nempe aditus patuit ad imos thalamos.

In Templo autem ſecundo fuit ima area in thalamis imis cubitis 5. depreſſior areâ Templi, ut per præmemoratum oſtium * & anticameram x. deſcendendum fuerit ad imæ contignationis thalamos, & aſcendendum ad thalamos ſupremæ.

Ex prædictis inferre licet altitudinem totius thalamorum ædificii, parieti externo Templi adjecti. Poſita laquearis ſuperioris in ſingulis thalamis craſſitie 1. cubiti, (Villalpandus habet $1\frac{1}{4}$. 90.) prodibunt 18. cubiti pro integra altitudine, (vel $18\frac{3}{4}$.) nempe

Thalamus imus - - - -	5.	5.
Laquear ſiue Tabulatum ſuperius	1.	$1\frac{1}{4}$.
Thalamus medius - - - -	5.	5.
Tabulatum - - - - - - -	1.	$1\frac{1}{4}$.
Thalamus ſupremus - - -	5.	5.
Tabulatum - - - - - -	1.	$1\frac{1}{4}$.
	18.	$18\frac{3}{4}$.

Quandoquidem nunc conſtat, murum Templi integrum ad contignationem usque tecti altum fuiſſe 30. cubitos, ſequitur, prominuiſſe Templum ipſum cubitis 12. vel $11\frac{1}{4}$. Et non poterant feneſtræ locari depreſſiori loco, quàm 3. cubitis ſupra tectum ædificii lateralis, ut qui in eo deambularunt, introſpicere haud potuerint in Sanctuarium, Sanctum nempe & Sanctiſſimum. Reſtant proin pro feneſtris ipſis h. i. Tab. CCCCXXVI. 9. cubiti usque ad tectum, vel $8\frac{1}{4}$. ut feneſtris dare poſſimus ad minimum cubitos 6.

In Templo verò ſecundo, ubi Templi ædificium 10. cubitis fuit eleuatius, potuere & feneſtræ eſſe altiores.

Et vero eſt ſimile, tectum horum thalamorum munitum fuiſſe lorica, ad euitandum lapſum.

Habebant ſinguli thalami tres portas, unam ad dextrum thalamum, alteram ad ſiniſtrum, tertiâ adſcendebatur ad thalamum ſuperiorem, haud dubiè per ſcalam in ipſo muro exaratam, qui inter thalamos ipſos fuit interjectus, 5. cubitorum craſſitie.

Fuere omnes 38. thalami intus cedrinis tabulis obducti, teſte *Joſepho Ant.* L. VIII. c. 1. & juxta R. *Judam Leonem de Templo* L. I. c. 24. inſuper auro puro tecti. Forſan & auro tectum fuit ipſum ſupremorum thalamorum tectum, uti Templi ipſius tectum.

In hiſce thalamis aſſeruabatur portio theſauri DOMINO ſacri, qui conſtabat auro, argento, & vaſis pretioſis: &, conjectante *Carpzouio not. 11. ad Schickard. de Jur. Reg. Hebr.* c. 3. theſaurus ipſe Regius, cui ſcopo inſeruire poterant arcæ ipſi muro exteriori 5. cubitos craſſo fortè inciſæ, intus argento obductæ. Cuſtodit & R. *Juda Leo* l. c. in uno horum thalamorum trabem illam auream, cujus *Joſephus* meminit *Ant.* L. XIV. c. 12. minas 300. grauem, quam unà cum aliis rebus pretioſis acceperat à Sacerdote Eleazaro Gaſſus, & abſtulerat.

Ea fuit muri templi craſſities, ut paſſim potuerint in eo eſſe loculamenta ſecreta, quibus urgente belli aliaue neceſſitate poterant recondi rariora quæuis & pretioſiora. Et dicitur in uno horum, occaſione reſtaurati Templi, inueniſſe Hilkias legem Moſis propria manu ſcriptam tempore Joſiæ, tranſlatam fortè eò, ut ſecura eſſet à raptu, ex cœnaculo Templi à Sacerdote quodam pio. Ita memorante *Joſepho de Bell.* L. VII. c. 15. in ultimo Templi excidio Sacerdos quidam, nomine *Jeſus*, *Themuti* filius, in gratiam poſitus à Tito, ex hujusmodi loculamentis produxerat candelabra bina aurea, iis, quæ in Templo fuerant, prorſus æqualia.

De ambitu thalamos hos ambiente, in quo deambulare poterant circum circa ædificium, ciſterna item aquarum, ſiue hydrophylacio, in quo colligebatur deflua ex Templi tecto pluuialis aqua, legatur *Lundius*.

Quæ *Clericus* habet in Textus noſtros, indicant clarè ſatis, Criticum potius fuiſſe quàm Architectum. v. 5. reddit צלעות *tſelaoth*, LXX. πλευρὰς, noſtrum *Gänge*, potius *Kammeren*, *thalamos*, per *alas*, *coſtas*, ac ſi fuerint appendices certi, quibus deſcribendis parem ſe non ſentit. *Erant*, inquit, *additamenta quædam ad latera tabulatorum, quæ nemo deſcripſerit, niſi qui viderit.* v. 6. מגרעות *migraoth*, διάστημα, *diminutiones*, ſiue *contracturas*, quærit is non nobiscum in muris Templi, ſed in Templo ipſo, pertendens, fuiſſe aream imam Sancti & Sanctiſſimi omnium longiſſimam & latiſſimam, cœnaculi aream ſupra Templum minorem, & minorem adhuc tertiam contignationis tertiæ; Thalamos è contra Templo adjectos in ſuperioribus contignationibus ampliores, in ima anguſtiores.

Plura fortè de hac re dicenda occurrent in explicatione Templi Ezechielis.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 7.

Cæterum ipſa ædes quum extrueretur, extruebatur lapide integro, ut erat aduectus, ut in extruenda ea neque mallei neque ſecures in æde audirentur, nihil denique ferreorum inſtrumentorum.

Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt: & malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur.

Occaſionem dedit hic Textus Judæis exornandi Scripta Romantico-Talmudica. Multus apud eos ſermo de verme *Schamir*, qui grani hordeacei fuerit magnitudine, creatus à DEO ſexto creationis die inter veſperas, ea indutus potentia, ut qua ſaxum is tetigerit, ibidem fuerit in medium fiſſus. Hoc vermiculo mediante, inquiunt vel fabulantur illi, inſculpſerat Moſes nomina filiorum Iſrael gemmis pectoralis ſummi Sacerdotis, & Solomo Rex ſaxa Templo dicata diffidit, incantans prius ad obtinendum eum genios, prouocans horum Principem Aſmodeum, Sardimam Angelum, vermiculum tandem obtinens ab aquila, cui fuerat in cuſtodiam traditus. Vermem hunc, poſtquam eo priuata fuerat aquila, præ mœrore αὐτόχειρ laqueo ſibi injecto vitam finiens, excepiſſe Judæos pulte hordeaceo in lana ſpongioſa, & aſſeruaſſe in canale ſiue cylindro plumbeo. De hoc vermiculo ne γρῦ quidem Sacer Textus. Incompatibilia ſunt ridicula hujus commatis commenta Scripturæ authoritati; Sunt & aliæ hujus farinæ recutitorum gloſſæ, fuiſſe Templum extructum ex lapide integro, id eſt, non ſecto; vel non ab hominibus, ſed angelis; vel ſaxa ſponte ſua quoduis ſuum ſibi occupaſſe locum: vel, Diabolum ipſum, quæ & Turcarum eſt traditio, fuiſſe coadjutorem: vel, Diuina ordinante Prouidentia, in eam creuiſſe formam ſingula, uti quidem ædi conueniebant ſtruendæ. Liberabit ſe facile omnibus ſcrupulis, qui Textum attentè conſiderat & cum ratione. Res omnis eò redit, ſaxa in Libano monte adeò exquiſitè & ad normam fuiſſe cæſa, ut quadrarint ſibi inuicem, & nulla mutatione in monte Moriah faciunda fuerit opus. Commendat ſe hæc ſententia ſimplicitate ſua, &

RPJCB



I. REG. Cap. VI. v. 8.
Scala Cochlearis in latere Sanctuarii.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 8.
Wendel-Treppe zu denen Schatz-Kam̃ern.

I. A. Fridrich sculps.

& congruit ἀκριβείᾳ totius ædificii, tanto quidem magis, quod ſaxa illa fuerint niuei candoris marmor, teſte *Joſepho Ant.* L. VIII. c. 2. XV. c. 14. *de Bell.* L. VI. c. 6. *R. Juda Leone de Templo* L. I. c. 5. Et vel ex cauſis phyſicis nobis conſtat, marmora polita arctiſſimè cohærere abſque glutine vel cæmento intermedio, notaque eſt Romanorum experientia, qui ex marmoribus conſtruxere ædificia in æuum duratura, abſque cæmento, viſibili ſaltem, intermedio. Mordicus tamen defendere non auderem, quòd nullum prorſus, vel nullibi, gluten cæmentumue fuerit intermedium, & nullus mallei in extructione uſus. Lignicidæ noſtri licet ante ligna conſtruendæ ædi deſtinata ſecent ad amuſſim, quàm ea coordinent vel compaginent, opus nihilominus habent hîc ibi ſecuris ictu. Fuere ſanè mallei neceſſarii conjungendis aſſeribus, compaginandis trabibus, infigendis clauis. Et conſtat ex 1. Reg. V. 17. 18. fuiſſe ſaxa fiſſa non vermiculo Schamir, ſed magno labore & induſtria parata & cæſa ab ipſis hominibus. *Præcepit Rex, ut adueherent lapides magnos, lapides pretioſos, lapides denique politos pro fundamento ædis, quos ſcalpſerunt ædificatores Salomonis, & ædificatores Hiram & Giblim, parabantque ligna & lapides ad ædificandam ædem. (Præcepitque Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides precioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos: quos dolauerunt cæmentarii Salomonis & cæmentarii Hiram: porrò Giblii præparauerunt ligna & lapides ad ædificandam domum.)* Interim doleo, deeſſe Entomologiæ deſcriptionem mirifici illius vermis λιθοφθόρε, & Operi Biblico Iconem.

TAB. CCCCXXXIV.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 8.

Oſtium lateris intermedii erat in dextro ædis latere, aſcendebaturque per cochleas ad intermedium, & ab intermedio in tabulata ſuperiora. *(a)*

(*a*) Tertia.

Oſtium lateris medii in pariete erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.

Sunt omnia Templi Solomonei perfectiſſimum Architecturæ Exemplar. Ita heic ſcala y. Tab. CCCCXXIX. ad quam ex veſtibulo patebat aditus, & per quam adſcendebatur ad contignationes ſuperiores. Eſt namque is ſcalarum uſus, ut ex una contignatione ducant ad aliam, ut heic ex ima in mediam, ex media ad ſummam. Ita erant ex quouis Templi latere ſcalæ duæ principales y. y. pro omnibus tribus contignationibus thalamorum; ſed & aliæ veluti ſecundariæ, quibus ex ſingulis thalamis inferioribus aſcenſus patuit ad ſuperiores, non quidem per thalamos ipſos, quia hæ difformitatem peperiſſent, ſed per murum ipſum intermedium: Fuit autem axis ſcalarum cochlearium ſiue cochlearium erectus perpendiculariter, circa quem vertebantur gradus, ut tota cochlea fuerit in muro 7. cubitos craſſo: & fortè, quod in ædificiis magnificis obſeruamus paſſim, non immediatè ſequebatur unus gradus alium, ſed fuere certis interuallis ſpatia, quibus quieſcere & ſpiritum recolligere fuit datum; cujusmodi ſcalas vocamus fractas, *gebrochene Stiegen.* In Solomoneo Templo inde à veſtibulo, ſiue etiam thalamis imis, aſcendebatur continuò per cochleas; in Templo verò ſecundo per primam portam, & anticameram fornicatam planus dabatur acceſſus ad contignationem mediam, deſcendebatur autem ad thalamos imæ contignationis, & aſcendebatur ad thalamos ſupremæ. Cochleas haſce, de quibus heic ſermo, Textus originalis vocat בְּלוּלִים *belulim*, LXX. ἑλικτὴν ἀνάβασιν.

TAB. CCCCXXXV.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 9.

Extruxit itaque ædem, abſoluitque eam, concamerauitque ædem fornicis in modum (a) ordinibus (aſſerum) cedrinorum.

(a) Contignationem ac laquear fecit inciſis valleculis in ſtrictiores tabulas ordinibus cedrinis inſulſis.

Et ædificauit domum, & conſummauit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.

Senſus horum verborum planus & ſimplex is eſt, Solomonem extructis muris usque ad tecti contignationem contexiſſe Templum laqueari & incumbente ei tecto plano vel aliquantum inclinato. Quod nos vocare ſolemus contignationem tecti, *Dachſtul*, id erant in Templo laquearia artificioſè fabricata, utplurimùm fornicata, ex trabibus & aſſeribus compaginata. LXX. ita: καὶ ἐκοιλοςάθμησε τὸν οἶκον κέδροις, Vulgata, *laquearibus cedrinis.* Alii Codices Græci, φατνώμασι, φατνώσεσι, καὶ διατάξεσι, & videntur Græci Interpretes intellexiſſe tegulas quasdam concauas, quales habemus hemicylindricas.

Lundius Leuit. Prieſterth. L. II. c. 6. explicat verſiculum hunc de laqueari ſiue tabulato ſuperiori Sanctiſſimi, Textumque ita reddit: *Er deckte das Haus mit gewölbten Balcken und Täfelungen von Cedern.* Judæi rem ita illuſtrant: jacuiſſe transuerſim trabes cedrinas ſupra Templum bicubitales in craſſitie & latitudine auro obductas, certo ab inuicem interuallo. Sub quauis harum trabium fuiſſe aliam trabem cubitalem in craſſitie excauatam, & veluti fornicatam, ſculpturis variis florum & cucurbitarum ſylueſtrium exornatam, laminis aureis obductam, & gemmis inſuper decoratam. Craſſioribus autem illis trabibus incubuiſſe laquear ipſum compactum ex aſſeribus cedrinis cubitum craſſis, iisque pulchrè exſculptis, & auro obductis: & his demum aſſeribus ſiue trabibus inſtratam fuiſſe luderationem ex calce & lapidibus, cubitum craſſam, ita ut tabulatum ſuperius craſſitudinem habuerit 5. cubitorum: Nempe

Trabs infima fornicata - -	a.	1.
Trabes huic incumbentes - -	b.	2.
Aſſeres his impoſiti - - -	c.	1.
Aſſeribus inſtrata ruderatio -	d.	1.
		5.

TAB. CCCCXXXVI.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 10.

Ædificauit quoque ad totam illam ædem ambitus altitudine quinque cubitorum hærentes ædis lignis cedrinis.

Et ædificauit tabulatum ſuper omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis.

Alium inueniet & ſimpliciorem hujus Textus ſenſum, qui hactenus dicta perpendit; *Ariæ Montani* literalis hæc eſt expoſitio: *Et ædificauit thalamum ſuper omni domo quinque cubitorum ſtatura ejus, & apprehendebat domum cum lignis cedrinis.* Eſt *ambitus* nomen vel æquivocum, vel ἀσύςατον. Quadrat magis *thalami* vel *cœnaculi.* Intelligitur nempe heic *cœnaculum* toti Templo, Sancto nempe & Sanctiſſimo, ſuperexpanſum, ex cedrinis lignis conſtructum, muroque inædificatum: quod cœnaculum ſupernè operiebat tectum. Externam hujus cœnaculi (de qua fortè alibi plura) faciem videſis Tab. CCCCXXVI. g. internam & contenta in eo in ſectione orthographica Tab. CCCCXXVII.



I. Reg. Cap. VI. v. 9. — I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 9.

Laqueares cedrini: Sectio ad Oſtium Sanctiſsimi. — Dachſtuhls-Dielen: Thür zum Allerheiligſten.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VI. v. 23-28.
Cherubim.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 23-28.
Cherubim.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. VI. v. 18.
Sculpturæ Colocynthidum et florum.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 18.
Ausgeſtochenes Blumwerck u. Coloquinten.

I. G. Pintz scups.

RPJCB

1. Reg. Cap. VI. verſ. 14. 15.

Extruxit itaque Solomon ædem, & abſoluit eam.

Et extruxit parietes ædis intus tabulis cedrinis, à pauimento ædis ad contignationem usque laquearium, obduxit ligna intus, ipſum pauimentum obduxit intus lignis (a) piceis.

(a) Alii abiegnis aut larignis.

Igitur ædificauit Salomon domum, & conſummauit eam.

Et ædificauit parietes domus intrinſecus, tabulatis cedrinis: à pauimento domus usque ad ſummitatem parietum, & usque ad laquearia, & operuit lignis cedrinis intrinſecus: & texit pauimentum domus tabulis abiegnis.

EXhibetur heic diſcrimen inter tabulationem erectam ſiue perpendicularem, & fornicatam in Sanctiſſimo. *Parietes ædis intus*, id eſt, erecti, erant cedrini, *tabulis* ſiue aſſeribus *cedrinis*, *à pauimento ædis ad contignationem usque laquearium*, à pauimento nempe ædis imo ad usque laquearia fornicata, *obducta lignis intus*. LXX. καὶ ἐκοιλοςάθμησε συνεχόμενα ἐν ξύλοις ἔσωθεν, ubi obſeruanda ἔμφασις vocabuli κοιλοςαθμεῖν, *concamerare*, ut vel exin conſtet, laquear ſuperius non conſtitiſſe ex aſſeribus planis, læuigatis, ſed curuis, ut pectus hominis concameratur coſtis, & naues partibus curuis, unde & LXX. eas vocant πλεύρας, *coſtas*. Ita rem explicat *Villalpandus* T. II. p. 272. 440.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 16.

Ædificauit viginti cubitis à lateribus ædis aſſeribus cedrinis à pauimento ad parietes, interius ad (a) adytum Sancti Sanctorum.

(a) Adytum Sanctum Sanctorum eſt, aut oraculum, ante quod ara fuit incenſi.

Ædificauitque viginti cubitorum ad poſteriorem partem templi tabulata cedrina à pauimento usque ad ſuperiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum Sanctorum.

SUpra v. 2. legitur ædis altitudo 30. cubitorum, heic 20. Ibi nempe intelligi debet altitudo integra ad usque contignationem tecti, heic *à pauimento ad parietes* fornicatos Sanctiſſimi, quod v. 15. proximè præcedenti deſcribitur, & in omnem dimenſionem, altitudinem, latitudinem, & longitudinem, interprete *Villalpando* T. II. p. 440. habuit 20. cubitos, adeoque perfectè fuit cubicum. Sed *Lundius Leuit. Prieſt.* L. II. c. 6. hosce 20. cubitos, de quibus nunc ſermo, intelligit duntaxat de altitudine parietis Sanctum inter & Sanctiſſimum intergerini, prætendens, fuiſſe parietem hunc 10. cubitis inferiorem tribus reliquis, occidentali, meridionali & ſeptentrionali; craſſum ex Judæorum mente cubitum. conf. Tab. CCCCXXVI. CCCCXXVIII.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 17.

(a) Ædes ipſa habuit quadraginta cubitos, nempe ipſum Sanctum per ſe.

(a) Hechal palatium eſt, ædes magnifica, baſilica; hic pro media parte Templi puto accipi, quod Sanctum dicitur.

Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus oraculi.

ESt hæc absque omni dubio longitudo *Sancti* i. Tab. CCCCXXIX. ab occaſu ad ortum protenſa, quod Sanctum *domus major* vocatur 2. Chron. III. 5. proindeque longitudinem habebat latitudinis duplam.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 18.

Porro (aſſeres) ipſi cedrini, qui erant intus in æde, extrudebant nodos prominulos, floresque apertos, omnia ex cedro erant, ut lapis nullus videretur.

Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas, & juncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.

NOn commoditati duntaxat ſeruit Architectura ciuilis, ſed & obſeruat decorum. Utriusque hujus ſcopi perfectiſſimum dat exemplar templum Solomoneum. Picturæ equidem, quod ſciamus, adfuit nihil, ſed artificioſæ ſimul ac pretioſæ ſculpturæ in ligno & ære benè multæ. In Sancto & Sanctiſſimo fuere parietes non ex aſſeribus planis cedrinis tabulati, ſed pulcherrimis ſculpturis exornati, & inſuper auro puriſſimo obducti.

In textu memorantur duplicis generis ſculpturæ מִקְלַעַת פְּקָעִים *miklaath pekaim*, *ſculpturæ inſtar fundæ colocyntharum*, vel, *depictæ picturis inſtar fundæ cucurbitarum agreſtium, & cælaturis* &c. juxta *Ariæ Montani* verſionem: ita & *Clericus*, *inciſa erat ſculptura colocynthidum.* Ita & redduntur פְּקָעוֹת *pekaoth* per *coloquintidas agreſtes*, *wilde Kürbſen*, 2. Reg. IV. 39. Deſcriptionem dat *Dioſcorides* L. IV. c. 178. Κολοκυνθὶς, οἱ δὲ κολόκυνθα αἰγὸς, οἱ δὲ σικύαν πικρὰν, οἱ δὲ κολόκυνθα Ἀλεξανδρίνη, κλημάτια καὶ φύλλα ἐῤῥωμένα ἐπὶ τῆς γῆς ἀνίησιν, ὅμοια τοῖς τοῦ ἡμέρου σικύου, ἐπεσχισμένα. Καρπὸν δὲ περιφερῆ, ὅμοιον σφαίρᾳ μέσῃ, πικρὸν ἰσχυρῶς. *Colocynthis ſarmenta foliaque ſatiui cucumeris emittit, per terram repentia, diuiſa, fructum in ſpeciem mediocris pilæ conglomeratum vehementer amarum.* Et fuit ſanè ædi inſigni ornamento ſculptura, ſi per parietes proreptauit planta hæc cum ſuis floribus, foliis & fructibus: nam & florum formas adfuiſſe indicant פְּטוּרֵי צִצִּים *peture tſitſim*, *florum apertiones*, *ausgeſtochen Blumwerck*. Siſtimus heic Fig. A. *Colocynthidem majorem fructu rotundo* C. B. quæ folia habet nigricantia, aſpera, laciniata, caules rotundos, aſperos, humi repentes, humili ſtatu ſemper contenti, quem qui myſticas amat interpretationes, commodè quis applicauerit ſtatui humiliationis CHRISTI; ut amaritiem fructus dulciſſimi Saluatoris Paſſioni, & clauiculas, quibus hæc planta vicinis ſeſe alligat fruticibus, baculis, ſepibus, ejus merito. Placent ſanè colocynthides præ *fungis*, quos pro פְּקָעִים feligit *Hiller Hierophyt.* P. II. p. 220. qui quidem abjecta ſuâ generatione & formâ etiam quadrare poſſent typicæ explicationi, ſed non ita, ut colocynthis, ſculpturis. Et ſi quid deſideraretur fungiforme in his, ſeligerem ego *peponem ſeu melopeponem* clypeiformem C B. qui *cucurbita eſt clypeiformis ſeu Siciliana*, *melopepo latus quibusdam vocata* I B. cujus figuram exhibet Fig. B. *Fungi* ne deſint, ſiſtimus tum lamellares & pileatos Fig. C. tum fiſtuloſos ſiue poroſos Fig. D.

TAB.

TAB. CCCCXXXVII.

I. Reg. Cap. VI. verſ. 19.

Jam adytum ipſum intra ædem interius præparauit, ut illic poneret arcam fœderis DOMINI.

Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis DOMINI.

QUod nobis dicitur *Adytum*, *Chor*, id Textus Hebraicus nuncupat דְּבִיר *debbir*, LXX. Δαβὶρ, & eſt ad literam *Oraculum*, ubi DEUS voluntatem ſuam populo ſuo manifeſtauit. Vocatur communiter intima hæc Templi pars *Sanctiſſimum*, *Sanctum Sanctorum*, & conferri commodè poteſt cum Choro in Templis Chriſtianorum. In ſacratiſſimo hoc loco depoſita erat, Textu teſte, *arca fœderis* DOMINI, cum tabulis legis in ea reconditis. Et locata quidem erat hæc arca in Sanctiſſimi medio, eodem, quo in tabernaculo, ſitu, ut vectium directio fuerit ab occaſu verſus ortum, & longitudo arcæ reſponderit latitudini Templi. Sed non inſidebat immediatè pauimento, verùm baſi marmoreæ tripollicaris altitudinis, de qua multa fabulari ſciunt Judæi, memorantes inter alia, inſculptum ei fuiſſe nomen τετραγράμματον יהוה, quod qui ſciuiſſet, mundum ipſum deſtruxiſſet, ſi voluiſſet. Huic incommodo ut præueniretur, inſediſſe binis columnis ferreis ante Sanctuarium poſitis Moloſſos duos, qui ingenti latratu tantum incuſſerint terrorem egredientibus, ut memoriâ exciderit, quod legerant, nomen. Ipſa, quæ JESUS Nazarenus patrauit, miracula adſcribenda eſſe huic ipſi nomini, quod legerit in Templo, lectum inſcripſerit chartæ pergamenæ, imo inciſo in cruribus vulneri ſchedulam hanc inditam reportauerit. Saxum hoc ipſum à DEO pro baſi locatum in medio mundi, & ex eo tanquam materia prima creata reliqua omnia, ut piſces producti fuere ex aqua, homines ex humo. Hoc ipſum ſaxum unxiſſe Jacobum in Itinere Meſopotamico, & quæ hujus farinæ ſunt plura apud Talmudiſtas, horumque commentatores reperiunda. Sub hoc ſaxo excauatum fuiſſe volunt ductum ſubterraneum, ubi arca cuſtodiri potuerit ſub regimine impiorum Regum, & ante deſtructionem Templi. Id quod colligunt ex 2. Chron. XXXV. 3. ubi in mandatis dat Joſias Leuitis, ut *ponerent arcam ſanctitatis in domo, quam ædificauit Salomon, filius Dauidis*. Sed incertum eſt, an hæc arca fuerit ipſa arca fœderis. Certum hoc, defuiſſe hanc Templo ſecundo. Sanctuarii hujus intimi veſtigium vide Tabula CCCCXXIX. o. & internam faciem Tab. CCCCXXVIII.

I. Reg. Cap. VI. verſ. 20.

Quod adytum per ſe habuit viginti cubitos longitudinis, viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, quod obduxit *(a)* auro optimo, & aram obduxit cedro.

(a) Ebr. auro concluſo.

Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo: ſed & altare veſtiuit cedro.

DE Sanctiſſimi dimenſione actum jam ſpeciatim ad v. 6. *Aurum optimum*, quo integrum hoc conclaue Sacratiſſimum intus fuit obductum, vocatur זָהָב סָגוּר *zahab ſagur*, *aurum concluſum*, & non conſtabat ex ſpuma, vel tenuiſſimis bracteis, ſed laminis juxta *Abarbanelem* & R. *Judam Leonem* tres ducatos ſiue aureos craſſis, cedrinis aſſeribus affixis mediantibus clauis aureis.

Ara, de qua hîc, non erat in Sanctiſſimo, ſed ante id, in Sancto. Erat autem *ara incenſi*, compacta ex ligno cedrino, ſed intus extusque obducta auro puro. De hujus ſtructura alibi plura, nempe ad Tabb. CCVII. CCVIII. CCIX. Locus exhibetur Tab. CCCCXXIX. m.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 21. 22.

21. Obduxit etiam Solomon ædem ipſam ab intus auro optimo, traducens repagula auro obducta ante adytum, & obduxit (parietem) illum auro.
22. Quin totam ædem auro obduxit, donec totam ædem abſolueret, ſed & totam aram, quæ erat pone adytum, obduxit auro.

21. Domum quoque ante Oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis.
22. Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur: ſed & totum altare oraculi texit auro.

Patebit ſuo tempore ex calculo, quanta auri copia ædificio Templi fuerit impenſa. Legimus & heic *totam ædem auro* fuiſſe *obductam,* nempe intus, extus enim tota hæc ædes magnifica ſplendore albo ſeſe commendabat, utpote ex marmore albo conſtructa. Intus auro & gemmis fulgens, de quibus ad 2. Chron. III. 6. Alibi quoque de *repagulis auro obductis.* Prætendunt enim nonnulli, pependiſſe catenas aureas ornamenti loco ex parietibus: alii ſuſpenſum fuiſſe aulæum Sanctum inter & Sanctiſſimum ex catenis aureis.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 23-28.

23. Fecit inſuper in ipſo adyto duos Cherubim (a) ex lignis pineis, altitudo utriusque decem fuit cubitorum.

(a) Alii ex lignis oleæ, alii ex larignis.

24. Una ala ipſius Cherub habuit quinque cubitos, altera quoque ala ipſius Cherub quinque cubitos, ut eſſent decem cubiti ab extremitate alarum ejus, ad extremitatem alarum ejus.
25. Sic & alter Cherub decem habuit cubitos, erat enim utrique Cherubim eadem ſtatura, eademque forma.
26. Nam altitudo unius decem erat cubitorum, ſicque alterius Cherub.
27. Collocauit autem ipſos Cherubim intra domum interiorem, expanderuntque Cherubim alas, unius ala attigit parietem, alterius deinde Cherub ala attigit alterum parietem, alæque eorum altera alteram attigit in medio ædis.
28. Obduxit inſuper Cherubim auro.

23. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis.
24. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera: id eſt, decem cubitos habentes, à ſummitate alæ unius, usque ad alæ alterius ſummitatem.
25. Decem quoque cubitorum erat Cherub ſecundus: in menſura pari, & opus unum erat in duobus Cherubim.
26. Id eſt, altitudinem habebat unus Cherub decem cubitorum, & ſimiliter Cherub ſecundus.
27. Poſuitque Cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas ſuas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe inuicem contingebant.
28. Texit quoque Cherubim auro.

Eſt

Eſt & *Sculptura* & *Plaſtice* inſigni Architecturæ ciuili ornamento. Et ex *Pomponio Gaurico* videre licet, Romanis & Græcis in uſu fuiſſe quatuor inprimis *Statuarum* genera. 1. *Pariles*, quæ naturali magnitudine repræſentabant ſapientes, vel de patria viros optimè meritos, vel & Reges deuictos: quò & referuntur *Caryatides* & *Atlantes*, de quibus *Vitruv.* L. I. c. 1. VI. c. 10. 2. *Magnæ* & *Auguſtæ* in honorem Regum & Principum ſeſqui ſupra magnitudinem erectæ. 3. *Majores* & *Heroicæ*, in gratiam Heroum, in magnitudine dupla, quas ſequebantur *maximæ* ſiue *Coloſſi*, quæ ad ſextuplam usque aſcendebant magnitudinem. 4. *Sigilla*, Icunculæ paruæ Deorum vel & hominum, de quibus *Vitruv.* L. IX. c. 9.

Occurrunt & heic, in Sanctiſſimo, decem cubitorum ſtatuæ, ſiue 16. Pedum Pariſienſium, 6. pollicum, 8. linearum: ſiue 17. Pedum Tigurinorum, 8. pollicum decimalium, כְּרוּבִים *Cherubim* dictæ, ad *magnas* ſaltem, ſiue *Auguſtas Statuas*, ſi non *maximas*, ſiue *Coloſſos* referendæ. En deſcriptionem ex 2. Chron. III. 10. ſeqq. *Fecit præterea intra Sanctum Sanctorum duos Cherubim opere artificioſo, & obduxit eos auro. Longitudo alarum Cherubim erat viginti cubitorum, una enim ala erat quinque cubitorum, pertingens ad parietem ædis, & altera ala ſimiliter erat quinque cubitorum, pertingens ad alam alterius Cherub: ſic ala Cherub alterius quinque erat cubitorum, pertingens ad parietem domus, & ala altera quinque cubitorum, adhærens alæ alterius Cherub. Alæ itaque Cherubim iſtorum erant extenſæ cubitis viginti, ipſi autem ſtabant pedibus ſuis, erantque facies eorum introverſæ.) (Fecit etiam in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos, opere ſtatuario: & texit eos auro. Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub. Similiter Cherub alterius ala quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala ejus altera quinque cubitorum, alam Cherub alterius contingebat. Igitur alæ utriusque Cherubim expanſæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipſi autem ſtabant erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum.)* Deſcribitur, quod vides, magnitudo harum ſtatuarum diſtinctè tum 1. Reg. tum 2. Chron. ſed præter alas nihil extat de earum forma. Offendimus & Exod. XXVI. 1. & XXXVI. 8. Cherubinos artificioſè textos in Aulæo ex pretioſioribus tabernaculi, ſed nec ibi quidquam de forma. Hinc eſt, quòd non una ſit Eruditorum de ea mens. Fatetur *Joſephus Ant.* L. III. c. 16. neminem hominum neque cogitatione aſſequi, neque dicere potuiſſe, quænam eſſet horum Cherubinorum ἀγγελοειδῶν facies. *Buxtorffius* veſtigiis inſiſtens Judæorum homines facit alatos, TAB. CLXXX. alii brachiorum loco affigunt alas, dum illi brachia habent & alas v. TAB. CLXXIX. *Lutherus* ad Ezech. X. 9. alatam facit figuram ex aue, boue, leone, homine, compoſitam. R. *Juda Leo* ſingulis dat Cherubinis quatuor facies, alas 16. duas nempe ad latus cujusque faciei eleuatas, ad volandum pronas, binas rurſum ad facierum latera deorſum protenſas ad tegendum corpus. Deſumſit is hanc ſtructuram ex Ezech. I. 6. Fig. A. Sed quæſtio eſt ſolutu haud ita facilis, num eadem ſit figura Cherubinorum Moſaicorum, Solomoneorum & Ezechielis, & quid per *facies* intelligi debeat? *Joſephus Medus Comm. in Apoc.* & *Momma de Statu Eccleſ. ſub triplici Oeconom.* eidem capiti affingit quatuor diuerſas facies, hominis ab ante, aquilæ ponè, leonis ad dextram, Bouis ad ſiniſtram. Fig. B. *Maimonides* quatuor exhibet humanas facies, ſed quæ humanum, bouinum, leoninum, aquilinum repræſentant vultum. Fig. C. *Villalpandi* Cherubinos ſiſtit TAB. CCCCXXVIII. Facies quatuor ei ſunt quadruplicis generis formæ, facies hominis, collum & pectus leonis, alæ aquilinæ, eæque quatuor, binæ eleuatæ, ad volandum pronæ, binæ ad contegenda inguina, pedes biſulci, quales ſunt vitulorum. Eandem prope formam exhibet *Fortunat. Scacchi Myrothec.* II. p. 473. Priuat is Cherubinos manibus, & dat ſingulis alas 6. binas in humeris ad volatum expanſas, binas quæ crura contegunt & inguina; ex binis reſiduis vibrant ſinguli, qui arcæ adſtant, unam ſupra arcam, eamque dextram unus, ſiniſtram alter, alteram extendunt quoque ſuper arcam à poſtica hujus parte. Vide TAB. CLXXXI.

Cherubinorum Solomoneorum *facies* erant juxta 2. Chron. III. 13. *introuerſæ*, nempe verſus Sanctuarium, haud dubiè ita, ut lateralis fuerit illorum proſpectus ad arcam & propitiatorium.

Fuerunt magni hi Cherubini, quorum mentio fit in Textu, compacti ex variis fragmentis, *opere exemtili*, ut ſculptores ſtatuas hujusmodi majores conficere ſolent vel effigiare, quò fragmenta ab inuicem ſeparari queant, ſed toti tandem laminis aureis craſſis fuere obducti.

Lignum, ex quo Cherubini fuere ſculpti, erat שֶׁמֶן *ſchemen*, quod noſtræ aliæque Verſiones reddunt per oleagineum, *Oel-Baum Holtz*, quoniam hæc vox frequentiſſimè in Sacris denotat *oleum*. Eſt autem id durabile valde. *Cariem vetuſtatemque non ſentit. Plin.* L. XVI. c. 40. Alii volunt *lignum cedrinum*, alii *cupreſſinum*, *pineum* alii. R. *Judam Leonem* ſi audias, fuit *balſami* ſpecies. Sed Nehem. VIII. 15. diſtinguitur עֵץ שֶׁמֶן *ets ſchemen* à זַיִת *zaith*, *lignum olei* ab *olea*. LXX. variant, nunc enim habent ἀρκεύθινα, Juniperina, nunc κυπαρίσσινα. Exiſtimat *Ed. Caſtellus*, fuiſſe hoc lignum שֶׁמֶן lignum illud הָדָר *badar*, *decoris*, Leuit. XXIII. 40. quod communiter per *lignum citri* explicant, nam & hoc

hoc lignum dat oleum. *Plin.* L. XV. c. 7. *Fit & è citro, cupreſſo, nucibus juglandibus, quod caryinon vocant.* Imo fortè non ex unius generis ligno oleoſo fuere ſculpti Cherubini, ex alio truncus, ex alio brachia, crura, alæue ex alio.

TAB. CCCCXXXVIII.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 29.

Et omnes parietes circumducens exſculpſit ſculpturis extantibus, nempe Cherubim, & palmis, floribusque apertis, intus ſcilicet & foris.

Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredientes.

EXornati erant ſcilicet Sancti pariter atque Sanctiſſimi parietes ſculpturis exquiſiti artificii, quæ *Cherubinos, palmas, flores*, fructusque & totam colocynthidum vel cucurbitarum faciem repræſentabant, ita ſcilicet, ut binos inter Cherubinos ſteterit Palma circum circa parietes. vid. Tab. CCCCXXVIII. Clarum id ex Ezech. XLI. 18. *Cæterùm fabrefacti fuerunt Cherubim & Palmæ, Palmæque ſingulæ inter duos Cherubim. (Et fabrefacta Cherubim & palmæ: & palma inter Cherub & Cherub.)* Obducebatur autem tota hæc ſculptura laminis aureis, & ornabatur paſſim fulgentibus gemmis, ut præter aurum & gemmas vidiſſes nihil.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 30.

Quin & pauimentum ædis auro obduxit intus ſcilicet & foris.

Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus & extrinſecus.

PRolucet & heic Templi Solomonei magnificentia. Hanc quærebant Romani in operibus Muſiuis, quibus ſternebantur Templorum pauimenta, paſſim adhuc, præſertim in Italia, reliqua, teſſellata aliàs dicta. Hodie ſterni ſolent pauimenta lapidibus coctis, vel, ſi pretioſius quid deſideratur & ſplendidius, Tabulis marmoreis politis. Sed heic, in Sancto & Sanctiſſimo, pedibus calcant nil niſi aurum Sacerdotes, quo obducebantur aſſeres *intus*, in Sanctiſſimo, & *foris*, in Sancto.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 31. 32.

31. Porro ad oſtium (a) adyti fecit fores de (b) lignis pineis, limine & poſtibus quinquangulis.

(a) Hoc intelligunt de Adyto & de Baſilica.
(b) Alii oleagineis, alii larignis.

32. Duæ januæ erant de lignis pineis, exculpſitque in eis extantes Cherubim & palmas, apertos flores, obduxitque auro, & obduxit Cherubim & Palmas bracteis aureis tenuibus.

31. Et in ingreſſu oraculi fecit duo oſtiola de lignis oliuarum, poſtesque angulorum quinque.

32. Et duo oſtia de lignis oliuarum: & ſculpſit in eis picturam Cherubim, & palmarum ſpecies, & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro: & operuit tam Cherubim, quàm palmas, & cætera auro.

Sanctum



I. REG. Cap. VI. v. 31. 32.
Oſtium Sanctiſsimi.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 31. 32.
Thür zum Allerheiligſten.

I. A. Fridrich sculps.



I. REG. Cap. VI. v. 33-35.
Ianua Veſtibulum inter et Sanctum.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 33-35.
Thür zwiſchen dem Vorhof und Heiligen.

C. Rembshart sculp.

SAnctum inter & Sanctiſſimum paries fuit intergerinus, Judæis, inprimis R. *Juda Leone* tradentibus, cubitum craſſus ex aſſeribus ſiue trabibus cedrinis arctè compactis & per vectes ex auro puro mediam illorum ſubſtantiam transeuntes firmatis: opere ſculptili tum ex parte Sancti tum quà Sanctiſſimum reſpiciebat exornatus, Cherubinis nempe, palmis, & floribus. Supra hunc parietem auro obductum ad usque laquear ſuperius locant opus aureum clathratum ſiue retiforme, quod tranſitum dabat fumo accenſo ex Sancto in Sanctiſſimum, & gemmis variis exornatum fuiſſe dicitur.

In medio hujus parietis janua erat pentagona, ut ſuperliminare non jacuerit horizontaliter ſuper poſtes, ſed ſupernè angulum formarit acutum. Ita intelligi debent *limen & poſtes quinquanguli* in noſtro Textu.

Conſtabat hæc janua ex duabus alis ſiue valuis ex ligno שֶׁמֶן, quas ornabant Cherubinorum, palmarum, & florum ſculpturæ auro obductæ. Cardines ex puro auro. Menſura hujus januæ haud extat in Sacris. Sed in Ezechielis Templo XLI. 1. fuere *paraſtades utrinque ſex cubitorum craſſitudine.* R. *Judam Leonem* & alios ex Judæis ſi audias, fuit hæc janua etiam in Templo Solomoneo 6. cubitos alta 7. lata, ubi altitudo intelligi debet haud dubiè poſtium perpendicularis usque ad angulum obtuſum, quem formabant poſtes cum ſuperliminari: Quæ omnia videre licet in Tabula adjecta, conferenda cum Tab. CCCCXXVII.

Haud erant binæ hæ forium valuæ clauſæ, verùm ſtabant verſus Sanctum apertæ. Ne cui autem pateret proſpectus in interiora Sanctiſſimi, pendebat januæ hujus latitudine Aulæum artificioſiſſimè contextum ex byſſo, coccino, azuro, & purpura cum Cherubinis. Et ne quis ipſo Propitiationis Feſto in adytum hoc introſpicere poſſet, intrante ſummo Sacerdote, remoto Aulæo, in mandatis dederat DEUS, ut nullus *homo eſſet* in Sancto, *in tentorio conſtitutionis, quum ille ingreditur ad expiandum in Sanctuario, donec egrediatur.* Leuit. XVI. 17.

TAB. CCCCXXXIX.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 33. 34. 35.

33. Sic quoque fecit ad oſtium baſilicæ, nempe poſtes de lignis *(a)* pineis, ſed quadrangulos.

(a) Quidam legunt, abiegnis.

34. Duæ januæ erant de lignis piceis, duo latera volubilia unius januæ, & duo latera volubilia alterius *(b)* januæ.

(b) Bifores videntur fuiſſe, unaquæque duabus valuis.

35. In his exculpſit Cherubim, palmas, flores apertos, obduxitque antepagmenta auro juſtificato.

33. Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulatos.

34. Et duo oſtia de lignis abiegnis altrinſecus: & utrumque oſtium duplex erat, & ſe inuicem tenens aperiebatur.

35. Et ſculpſit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes; operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.

JAnua hæc eſt veſtibulum inter & Sanctum, (Tab. CCCCXXVI. b.) ornata tum intus verſus Sanctum, tum extus, quà reſpiciebat veſtibulum, ſculpturis ex Palmis, Cherubinis, floribus, auroque obducta, ſed quadrangula, ut ſunt hodie januæ pleræque.

In Sacris haud exprimitur menſura hujus Portæ ſiue Januæ Templi Solomonei. *Joſephus Ant.* L. VIII. c. 2. cubitos 20. dat latitudini, & altitudinem proportionatam. Verum ἀσύστατον hunc conceptum ſubruit ipſa totius Sancti latitudo, quæ cubitos 20. non exceſſit. Et magis adhuc aberrat ab omni veriſimilitudine L. VI. *de Bello* c. 6. portæ Templi Herodiani adſcribens januam 55. cubitos altam, 16. latam, quum tamen Sanctum in hoc ipſo Templo altitudinem duntaxat habuerit 40. cubitorum, januam proin dat 15. cubitis altiorem ipſo ædificio. Ipſe quidem Sancto ſecundi Templi altitudinem aſſignat 60. cubitorum, quod proin 5. cubitis ſuperaſſet januam. Sed & hanc ἀσυμμετρίαν nemo non videt. Rationi magis ſunt congrua, quæ habet *Middoth* c. 4. *ſect.* 1. ubi Portæ Templi Herodiani adſcribitur altitudo 20. & latitudo 10. cubitorum.

Forma hujus januæ deſcribitur adeò obſcurè, ut ſint benè multi ex Interpretibus, qui nec introitum per eam, nec exitum inueniant. Verſio noſtra ita ſonat v. 34. *Duæ januæ erant de lignis piceis, duo latera volubilia unius januæ, & duo latera volubilia alterius januæ.* Vernacula: *Zwo Thüren von Tannen-Holtz, zwey Blätter der einen Thüren giengen um, und zwey ausgeſchnittene Wercke giengen auch um.* Lutherus: *Es waren zwo Thüren von Tannen-Holtz, und eine jegliche Thür hatte zwey Blatt an einander hangend in ihren Anglen.* LXX. δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ μία, καὶ ϛροφεῖς αὐτῶν, καὶ δύο πτυχαὶ ἡ θύρα ἡ δευτέρα ϛρεφόμενα. Senſus hic eſto: Habebat hæc janua duas valuas, & quælibet harum valuarum duas alas, ut paſſim hujusmodi valuas feneſtrarum videmus binis partibus veluti alis conſtantes, quæ propter anguſtiam ſpatii replicari debent. Conſentientes habemus hac ex parte Judæos, qui quidem variant in circumſtantiis. Sunt qui altitudinem januæ faciunt 20. latitudinem 10. cubitorum, craſſitiem muri Sanctum inter & veſtibulum, ab Oriente verſus Occidentem 6. cubitorum. Hi binas ſtatuunt januas, unam poſt aliam, ſingulas conſtantes ex duabus valuis, unam verſus Sanctum, alteram verſus veſtibulum, ut ſpatium fuerit binas inter januas medium, ut hujusmodi januis conſecutiuis cuſtodiri ſolent paſſim theſauri, & muniri urbes vel fortalitia. Et locant quidem januam, quæ reſpiciebat veſtibulum, non in extremo muri angulo, ſed ad cubiti diſtantiam intra murum verſus Sanctum. Quodſi nunc ponamus craſſitiem muri 6. cubitorum, & alam januæ 5. cubitorum, operuit hæc replicata totam muri craſſitiem reliquam. Interiorem autem januam, quæ erat in introitu Sancti collocant in extremo muri angulo, ubi alæ apertæ & replicatæ partem Orientalis parietis in Sancto tegebant. Alii, quos inter R. *Juda Leo* & *Middoth* januam, quæ veſtibulum reſpiciebat, collocant in dimidii cubiti diſtantia ab extremo muro, & ita quoque januam interiorem in dimidii cubiti diſtantia ab angulo muri, ut ita rurſum operuerit janua veſtibuli replicata 5. cubitos parietis, inter binas januas medii; valuæ autem januæ Sancti apertæ ſeſe extenderint ad 2½. cubitos intra Sanctum. Volunt namque hi, quod ſupra vidimus, conſtitiſſe valuas ex binis aliis alis, quæ replicari poterant. Rurſus alii eandem quidem dant januis dimidii cubiti diſtantiam intra murum, ſed interiorem non aperiunt verſus Sanctum, verum extrorſus verſus veſtibulum, & valuas ſingulas diuidunt in binas alas, ſingulas harum cubitorum 2½. Ut proin binæ januæ, exterior & interior, replicatæ ſeſe contigerint in medio parietis, operientes craſſitiem muri 5. cubitorum. Atque ſic aperiebatur janua ſancti interior extrorſum, janua verò exterior veſtibuli introrſum. Quæ ſententia videtur reliquis præferenda, digna autem, quæ in Tabula præſenti diſtinctè exhibeatur.

Intra januam hanc ſuſpenſum fuit velum pretioſum, cujus Scriptura non meminit, tradente Joſepho illi ſimile, quod Sanctiſſimum ſeparauit à Sancto. Herodiani Templi velum juxta *Joſephum* L. VI. *de Bell.* c. 6. contextum fuit ex byſſo, coccino, purpura, cum Cherubinis & floribus, totoque ſtellarum in cœlo fulgentium apparatu, ſignis exceptis.

Supra hanc portam *Helena*, Regis *Monobazi* mater, in Templi ſecundi veſtibulo ſuſpendiſſe dicitur candelabrum magnum aureum, quod à Solis Orientis radiis per veſtibuli portam præaltam illapſis colluſtratum fulgore ſuo ſignum dabat parandis Sacrificiis matutinis. Ibidem pependiſſe dicitur *Vitis* ampla aurea, donarium Herodis; petioli uuarum dicuntur fuiſſe viri longitudine, uuarum baccæ Carbunculi, Sapphiri, Adamantes, aliæque gemmæ pretioſæ; quibus ex pia liberalitate acceſſiſſe dicunt nunc folia, nunc aliæ vitis partes. Tanti fuit hæc vitis ponderis, ſi R. *Eliezeri* credimus in *Middoth*, ut 300. Sacerdotum operâ opus fuerit ad eam loco mouendam. Ex *Gorionide* æſtimant vitim hanc R. *Juda Leo* & *Gaffarellus* ad 1000. Talenta, id eſt, 12300000. Ducatos aureos. Unanimes ſunt de ingenti vitis hujus pretio Judæi Doctores poſt *Joſephum.* Sed vult *Villalpandus*, conſtitiſſe duntaxat ex filis aureis velo ipſi intertextis. *Lipſius* & alii, fuiſſe ipſam hanc vitem, cujus *Joſephus* meminit *Ant.* L. XIV. c. 5. dono datam *Pompejo* ab *Ariſtobulo*, cujus valor fuerit 500. Talentorum, quam ipſe viderit Romæ in Jouis Capitolini Templo, cum inſculpto nomine *Alexandri* Judæorum Regis. Sed refutat *Lipſium Seldenus* rationibus haud contemnendis, quoniam vitis Ariſtobuli Pompejo donata fuit 30. annis ante, quàm Herodes Templum ædificare cœperit.

Memorat R. *Juda Leo* alia in hac porta ſuſpenſa: *Laciniam rubram*, quæ Feſto Propitiationis niueo apparens candore ſymbolum fuerit & ſignum gratiæ diuinæ: *Gladium aureum* Talenti pondere, ab Herode huc poſitum inſcriptione: *Quicunque extraneus huc approximat*, ſcilicet aut non-ſacerdos, aut Sacerdos extra officium, *morte moriatur.*

Aperiebatur hæc porta quotidie: modum vide apud *Lund. Lev. Prieſt.* L. II. c. 7.

Lucem fœnerabitur tractationi huic compendioſa Iconum in Tab. CCCCXXXIX. explicatio.

A. ſiſtit januas, unam a b. exteriorem veſtibuli, quæ cubito diſtat ab angulo muri, muro applicatàm. d e. eandem expanſam.

b c. Januam Sancti interiorem ad Orientalem Sancti murum replicatam. f f. eandem expanſam.

B. Ja-

RPJCB

I. REG. Cap. VI. v. 36.
Sacra in Atrio intimo peragenda.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 36.
Verrichtungen im Prieſter=Vorhof.

I. G. Pintz sculps.

B. Januas dimidio cubito diſtantes ab angulis muri. g h. exteriorem, quæ reſpicit veſtibulum, muro parietis applicatam. h i. interiorem quæ ſpectat Sanctum, & 2½. cubitis replicata ingreditur Sanctum.

C. Januas, quæ replicatæ obtegunt murorum parietes. k l. exteriorem, quæ replicatur introrſum. l m. interiorem, quæ replicatur extrorſum.

D. exhibet eundem januarum ſitum in proſpectu ſcenographico, ſimulque velum.

n. Janua eſt interior Sancti, quæ replicatur extrorſum.

o. Janua exterior, quæ replicatur introrſum.

p. & q. eædem ſunt januæ in ſtatu dimidiæ expanſionis.

r r. s s. craſſities muri 6. cubitorum.

r s. diſtantia murorum ſiue apertura januarum 10. cubitorum.

t u. Januarum altitudo 20. cubitorum, heic, ut contractior exhibeatur 10.

TAB. CCCCXL.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 36.

Extruxit inſuper atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine cedrorum dedolatorum.

Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri.

Atrium, חָצֵר *chatſer*, αὐλή, *der Hof, Vorhof*, primus intra ædes aditus, area eſt ampla ſub dio, cincta undique extructis ædificiis, cujusmodi atria videre licet in Regum Principumque palatiis, ædibus quoque priuatis.

In Templo Hieroſolymitano erant hujusmodi *atria* præcipuè tria, *interius*, *exterius*, & *atrium gentium*. Templo interiori, κατ' ἐξοχὴν ita dicto, quod luſtrauimus hactenus, adjacebant proximè *atrium interius*, & verſus ortum hujus *exterius*, utrumque autem ambiebat *atrium gentium*. Erat unum alio altius, & pro altitudinis ratione ſanctius.

Atrium interius, de quo nunc, ambiebat proximè Templum. Nuncupatur *atrium Sacerdotum*, 2. Chron. IV. 9. *atrium ædis* DOMINI, 2. Chron. XXIV. 21. *atrium domus* DOMINI, Jer. XXVI. 2. XIX. 14.

Longitudo tota atrii hujus interioris ab Oriente ad Occidentem extendit ſeſe ad 187. Latitudo à Meridie ad Septentrionem 135. cubitos; in media autem hac area fuit Templum, ſummo totius ædificii loco poſitum, ad quod ex atrio aſcendebatur per ſcalam 12. graduum ſemicubitalium in altitudine, ut proin Templum 6. cubitis altius fuerit ipſo Templi atrio. De qua ſcala alibi plura. Vide interim Tabul. CCCCXXV.

Diuiditur atrium hoc interius in varias partes. 1. Aream, quæ ambiebat Templum verſus Meridiem, Occaſum & Septentrionem. 2. Atrium Sacerdotum, quod Templo fuit ad ortum. 3. Atrium Iſraelis, quod Atrio Sacerdotum fuit ad ortum. Omnes hæ areæ ſtratæ erant marmore candido. *Pauimenti* hujus *lapidei* mentio fit 2. Reg. XVI. 17. De ſingulis videamus, quæ ſcitu ſunt neceſſaria. Inſpiciatur ad interim Ichnographia Templi, ea ſpeciatim, quam ſiſtit Tab. CCCCXXIII.

I. Area retrò veſtibulum cedebat ſanctitate areæ ſiue atrio orientali. Ibi enim diebus feſtis ſolennibus aditus patebat omnibus Iſraelitis ad fundendum preces: Sed haud dubiè pars hæc ab atrio Sacerdotum diſtincta ſiue ſeparata fuit per cancellos. Tab. CCCCXXIII. F.

II. *Atrium Sacerdotum*, ad Orientem veſtibuli ſitum ſubdiuiditur rurſum in tres partes. 1. Veſtibulo proxima vocabatur *locus inter veſtibulum & altare*, vid. Tab. cit. & CCCCXXXI. Diſtabat namque altare holocauſti à veſtibulo 22. cubitis, in ſecundo nempe Templo, pro quibus in Solomoneo poni poſſunt 24. quia altare holocauſti in eo minus fuit illo. Fuit hæc area omnium poſt Templum ſacerrima, nec patuit ad eam acceſſus niſi Sacerdotibus, nec iis omnibus, ſed duntaxat τελείοις, mundis & ſanis, fungentibus officio. Imò & Sacerdotibus exeundum fuit ſacro hoc loco, quoties ſuffitus accendebatur in Templo, dato nempe prius campanæ ſigno. Et rebus patriæ afflictis proſtrati heic jacebant Sacerdotes, imploraturi DEI auxiliatrices manus. Audi DEUM ipſum monitorem Joel. II. 17. *Inter Veſtibulum & Altare plorabunt Sacerdotes miniſtri DOMINI, dicentque; Parce DOMINE populo tuo, & ne permittas, ut hæreditas tua probrum fiat,* aut

aut ut eis imperitent gentes. Sed non ſemel duntaxat fuit profanatus ſacer hic locus. Occiſus heic pientiſſimus Zacharias Matth. XXIII. 35. ὅπως ἔλθῃ ἐφ᾽ ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον, ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ τοῦ δικαίου ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. Vidit Ezechiel VIII. 16. *in atrio DOMINI interiori, juxta oſtium Templi DOMINI inter veſtibulum & inter altare ferme viginti quinque viros, quorum dorſa verſa erant ad Templum DOMINI, facies verò horum ad Orientem, qui adorabant ad ortum Solis. (in oſtio templi DOMINI inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum DOMINI, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis.)* Ad ortum veſtibuli in angulo meridionali ſtabat in Templo Solomonis *mare æneum*, de quo ſuo loco, Tab. CCCCXXXI. V. & juxta illud 10. labra ſiue *machinæ æneæ*, 1. Reg. VII. 27. nam quinque aliæ ſtabant è regione, verſus Septentrionem Tab. cit. W. In angulo atrii interioris meridionali collocat quoque R. *Juda Leo Tegmen Sabbathi* ſiue *Pulpitum Sabbathi*, (alii in atrio præcedenti Tab. CCCCXXXI. T.) quod auferri juſſit impius Ahas 2. Reg. XVI. 18. Hoc tegmen volunt alii fuiſſe ſedem vel thronum quempiam Regis, alii locum, ubi ſub umbra ſtare poterant Sacerdotes Sabbathi die ſeptimanâ finita. Verſus ortum in meridionali latere ſtabant binæ *menſæ* (Tab. cit. X.) *argentea* una, cui imponebantur quotidie vaſa 93. argentea & aurea pro uſibus ſacris, *marmorea* altera, cui imponebantur ſacrificia, & pinguedo, altari inferenda. Prope menſam hanc marmoream, tradente R. *Juda Leone*, columnis inſiſtebant duo Sacerdotes, tubis in quotidianis ſacrificiis canentes, & Leuitarum cantui dulci harmonia reſpondentes. 2. In atrii hujusdem orientaliori parte ſtabat *altare holocauſti*, (Tab. cit. X.) cujus deſcriptio peculiarem meretur locum. Cubitorum 8. diſtantia ab hac ara verſus Septentrionem fuit mactationis locus, ubi ſcilicet mactari ſolebant ſacrificia omnis generis. In area hac 24. cubitos lata pauimento affixi fuere 24. *annuli ferrei* (Tab. cit. Y.) in ſerie quadruplici, firmandis animantibus ſacro uſui dicatis. In ulteriori 4. cubitorum diſtantia, ſiue 36. cubitorum ab ara verſus Septentrionem ſtabant 8. *marmoreæ menſæ*, (Tab. cit. Z.) ſingulæ $1\frac{1}{2}$. cubitum longæ lataeque, cubitum altæ. Quibus proximè adſtabant 8. *columnæ* mactatoriæ pumulæ, *pygmæi* dictæ, cum capitellis cedrinis (Tab. cit. a.) quibus infixi erant triplici ſerie unci ferrei, pro ſacrificiis ſuſpendendis. *Locus* hic ita dictus fuit *mactationis*. 3. Tertia atrii hujus ſecundi *atrium* vocabatur Sacerdotum κατ᾽ ἐξοχὴν, (Tab. cit. W.) fuitque altari ad ortum, habebatque ab Occaſu ad Ortum cubitos 11. ſed à Meridie verſus Septentrionem 135. quos ita computabis.

	Cubit.
A pariete meridionali uſque ad cliuum - - - - - -	$12\frac{1}{2}$.
A cliuo ad baſin altaris - -	30.
Tota baſis - - - - -	32.
Ab altari uſque ad annulos mactationis - - - - - -	8.
Spatium ipſorum annulorum - -	24.
Ab annulis ad menſas, his incluſis -	4.
A menſis ad columnas - -	4.
Columnarum locus - - -	$12\frac{1}{2}$.
Inde uſque ad parietem ſeptentrionalem - - - - - -	8.
	135.

In hac atrii ſacerdotalis parte, haud longè ab ara verſus Septentrionem, poſita erat capſa cylindrica lignea, in qua aſſeruabatur ſors legenda Feſto Propitiationis de duobus hircis. Quæ ſors conſtabat ex tabulis ſeu laminis duabus, in primo Templo buxeis, in ſecundo aureis, in quarum una ſcriptum erat ליהוה DOMINO, in altera לעזאזל, *Azazeli*. Ex hac atrii parte, in qua erat & *cumulus cinerum*, deſcendebatur ad *Iſraelis atrium* per tres gradus $\frac{1}{2}$. cubitum altos & latos, infra quos fuit alius cubitalis, ut atrium Sacerdotum $2\frac{1}{2}$. cubitis fuerit altius Iſraelitico. Ad hos uſque ſcalæ gradus licebat accedere Iſraelitis, non plus ultra. Volunt aliqui, ſeparata inſuper fuiſſe hæc atria bina opere cancellato. Stabant autem in dictis tribus gradibus Leuitæ ad altaris ortum, cantantes durante ſacrificio, unde nuncupati fuere *Pulpitum* ſiue Cathedra *Leuitarum*. Intra hoc Sacerdotum atrium nemini patebat aditus, ne Regi quidem ipſi, ſed qui ſacrificium habebat offerendum, is ingrediens manum imponebat animalis mactandi capiti, confitens peccata, mactans ſacrificium, adſtans quoque aræ, eo tempore, quo illud inferebatur altari. Miſcebat quoque ipſe ſacrificium ſuum cibarium. Sed non videtur ingreſſus Iſraelita Atrium per Portam Orientalem (Tab. cit. r.) verùm per laterales meridionalem & ſeptentrionalem. Tradit equidem R. *Juda Leo*, patuiſſe Iſraelitis diebus tribus feſtis ſolemnibus acceſſum ad ipſum uſque altare: ſed eſt dubitationi locus.

III. Reſtat ex atrio interiori *Atrium Iſraelis*, Orientalius Atrio Sacerdotum, & $2\frac{1}{2}$. cubitis depreſſius. Habebat hoc 11. cubitos ab Occaſu ad Ortum, & 135. ab Auſtro in Boream. Ad hoc atrium patebat Iſraelitis omnibus mundis aditus in Sabbathis, Nouiluniis, Diebus ſolemnibus Feſtis, imo quotidie. Nomen dedit non tam omnis populus Iſrael, quam 24. *viri ſtationarii*, ex quauis Tribu bini, qui in dies nomine totius populi cultui ſacro vacare debebant. In medio hujus atrii (Tab. cit. 𝔞.) fuit pro Rege erectus *Thronus* (Tab. cit. 𝔟.) cui ſoli, eique ex Familia Dauidica, ſedere licebat. Ibidem fuit & *Arca*, (Tab. cit. 𝔠.) Jojadæ dicta, in quam Iſraelitæ projiciebant dimidium ſiclum, quem tributi loco pendere debebant.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 2.
Ichnographia domus Saltus Libani.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 2.
Hauſe des Waldes Libanon.

I. G. Pintz sculps.

PPJCB

I. REG. Cap. VII. v. 2.
Scenographia domus Saltus Libani.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 2.
Salomons Luſt-Hauſe.

I. G. Pinz sculps.

bebant. Fuit hoc atrium infernè fornicatum pro thalamis ſubterraneis.

Longitudo integra atrii, cujus partes nunc unam poſt alteram diſtinctè conſiderauimus, interioris fuit cubitorum 187. ab Occaſu verſus Ortum, latitudo, ut ſupra vidimus, à Meridie ad Septentrionem 135. longitudinem ex *Middoth* ita computamus. Cubit.

Atrium Iſraelis - - - -	11.
Atrium Sacerdotum κατ' ἐξοχὴν ita dictum, cum Leuitarum pulpito -	11.
Altare - - - - - -	32.
Locus inter templum & altare - -	22.
Templum ipſum - - -	100.
Area ponè templum ad occaſum -	11.
	187.

Scilicet ſpectant hæc omnia Templum Herodianum, & diſtinctè videri poſſunt Tab. cit. CCCCXXXI. In Templo Solomoneo veſtibulum & altare minorem habuere latitudinem, ut locus templum inter & altare fuit amplior. Cæterùm haud differebant longitudine atria Herodis & Solomonis.

Poſſent hæc omnia tabulis benè multis illuſtrari, & totidem diſtinctis ſiſti atria ſingula, imò & atriorum partes: ſed parcam multiplicationi haud neceſſariæ tabularum, tantò quidem magis, quia vel mediocriter verſatus omnia videre poterit in Tab. CCCCXXXI. Ichnographica & CCCCXXXII. Scenographica. Ne tamen ἀσύμβολος prorſus diſcedere videar, è re judicaui ſiſtere nonnulla in Atrio Sacerdotum peragi ſolita, ut Lector diſtinctum de hactenus dictis formare queat conceptum.

A. ſunt ſtantes in Iſraelis Atrio Iſraelitæ, & in interius Atrium Sacerdotum proſpicientes, & ſtantes vel ad Pulpiti Leuitarum radices, vel majoris commoditatis ergò cubitis inclinati muro Atria Iſraelis & Sacerdotum ſeparanti, ne oblitus prorſus videar ſententiæ *Clerici*, qui totum interius atrium cingit muro ex triplici cæſorum lapidum ſerie extructo, & inſuper tabulis cedrinis obtecto.

B. Pulpitum Leuitarum, ſiue ſcala ex Atrio Iſraelis ad Atrium Sacerdotum.

C. Altare Holocauſti.

D. Columnæ binæ, quibus inſiſtentes Sacerdotes canebant tubis.

E. Locus annulorum, quo animalia mactanda ferreis annulis firmabantur.

F. Locus columnarum, ubi animalia ſacrificiis deſtinata pendebant uncis.

G. Locus menſarum, quibus imponebantur ſacrificia, & diſſecabantur.

H. Pontifex ſummus ſortem legens pro adſtantibus binis hircis ex capſa cylindrica.

I. Menſæ binæ ad altare, argentea una, marmorea altera.

TAB. CCCCXLI. CCCCXLII.

1. Reg. Cap. VI. verſ. 37. 38.

37. Quarto anno, in menſe Sif, fundata eſt ædes DOMINI.
38. Et in anno undecimo, in menſe Bul, (is eſt menſis octauus,) abſoluta eſt ædes ſecundùm omnes rationes ſuas, & ſecundùm omnia, quæ ad eam pertinebant, ædificauitque eam ſeptem annis.

37. Anno quarto fundata eſt domus DOMINI, in menſe Ziph.
38. Et in anno undecimo, menſe Bul, (ipſe eſt menſis octauus,) perfecta eſt domus in omni opere ſuo, & in uniuerſis utenſilibus ſuis: ædificauitque eam annis ſeptem.

De Templi fabricandi initio, quæ una ex præcipuis Chronologiæ ſacræ Epochis, actum ad 1. Reg. VI. 1. quòd nempe incidat in annum quartum Regiminis Solomonei, menſem *Siv*, vel *Siuan*, qui nonus eſt inter ciuiles, tertius in anno ſacro, reſpondetque partim Majo, partim Junio. Memoratu autem eſt id dignum, inde ab Exodo Iſraelitarum ex Ægypto usque ad Templi ædificationem effluxiſſe Annos 480. & totidem fere ad ædificationem Templi ſecundi, rurſusque totidem incirca ad ultimam Septimanam, Dan. IX. Finis verò Templi incidit in *annum undecimum, menſem Bul;* hoc nomine veniebat Chaldæis anni ſacri ſiue Eccleſiaſtici menſis octauus, ciuilis ſecundus, *Marcheſuan* dictus, qui reſpondet Octobri partim, partim Nouembri. Unde conſtat, magnificum hoc ædificium, cui ſimile terra nunquam tulit, nec feret, abſolutum fuiſſe annis ſeptem, menſibus inſuper ſex. Opus, cui vix ſuffena videri poterat hominis

unius

unius ætas, quo reuera oſtendit Solomon immenſas, quibus abundauit, diuitias, & zelum laude æternâ dignum pro DEI Gloria, ἐπίδειξιν τοῦ πλούτου, καὶ τῆς προθυμίας, *Joſeph. Ant.* L. VIII. p. 263. Et vult *Clericus* citius finem potuiſſe imponi tanto operi, niſi longam temporis moram popoſciſſent ſculpturæ & opera fuſilia.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 1.

Solomon extruxit etiam ſuam domum, idque (a) tredecim annis, abſoluens totam domum ſuam.

(a) Alii volunt, ordinis eſſe numerum, leguntque, tredecimo anno.

Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum uſque perduxit.

Expediebatur ſacra ædes annis ſeptem, propria Regis annis tredecim, Architectum proin egit Solomon per vicennium. Ita diſtinctè legimus 1. Reg. IX. 10. *Et poſt viginti annos quum Solomon abſoluiſſet extructionem utriusque ædis, nempe ædis DOMINI & ædis Regiæ. (Expletis autem annis viginti, poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt, domum DOMINI, & domum regis.)* De diſcrimine hoc non ita judicandum, ac ſi pretio & magnificentia præcelluiſſet Palatium Regium Templo: Non tanto ardore proſecutus eſt Rex ſuam quàm DEI Gloriam. Eſt hæc interpretatio *Joſephi Ant.* L. VIII. c. 2. Minuere videtur *Clericus* utriusque ædis gloriam, longæ moræ culpam rejiciens in ipſos Iſraelitas, agriculturæ potius & pecorum curæ aptiores, quàm Architecturæ, & ad eam pertinentibus artibus.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 2.

Extruxit quoque domum ſaltus Libani, cujus longitudo centum fuit cubitorum, latitudo verò ejus quinquaginta cubitorum, altitudo ejus triginta cubitorum, ſuper quatuor ordines columnarum cedrinarum, erantque cedrinæ trabes dedolatæ ſuper columnas.

Ædificauit quoque domum ſaltus Libani, centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis; & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

Elyſia fuit hæc & ſplendida *Domus Saltus Libani* dicta, non quòd in Libano monte fuerit extructa, qui non Solomonis fuit, ſed Tyriorum. Neque eſt veroſimile, Solomonem in domo dicti montis ſuſpendiſſe clypeos ex puro auro, qui facilè auferri potuiſſent ab hominibus rapacibus. Ut omnino conjectare liceat ædem hanc delitioſam abfuiſſe haud longè ab Hieroſolyma, ſede Regia. Hujus ædis

Longit. 100. cubit.	ped. 166.	digit. 6.	lin. 8.	Par.
	178.	— 0.	— 0.	Tig.
Latitudo 50. —	83.	— 3.	— 4.	Par.
	89.	— 0.	— 0.	Tig.
Altitudo 30. —	49.	— 11.	— 0.	Par.
	53.	— 4.	— 0.	Tig.

Ex deſcriptione conſtat, fuiſſe hanc ædem extructam quidem juxta exquiſitiſſimas ſymmetriæ architectonicæ regulas, ſed ex ligno (unde & fortè nomen *Domus Saltus Libani* obtinuit.) Nam *quatuor* aderant *ordines columnarum cedrinarum*, & *cedrinæ trabes dedolatæ ſuper columnas*. LXX. τριῶν στίχων στυλῶν, tres columnarum ordines. Quod ſi ponamus 4. ordines ſupra inuicem ſtantes, contignationi uni, incluſo pauimento, vix plures aſſignare poſſumus quàm 12. pedes: ſed 17. ſi duntaxat fuere tres ordines. *Villalpandum* ſi audiamus *Tom.* II. *Part.* II. c. 64. p. 561. non fuit ex toto lignea hæc domus, ſed marmorea, *opere Corinthiaco, additis poſtibus cum valuis cælatis ad ornamentum loci ſimul ac monumentum: omnia incruſtata pretioſo marmore — Sculptorum ibi mirabile artificium, in quo effictæ erant variæ arborum ac plantarum ſpecies, frondibus ac foliis tanta ſubtilitate expreſſis, ut agitari viderentur, cætera omnia variis picturis ornata. In cubiculis, aulis, porticibus multa erant triclinia auro referta, ut quæ aurea ſuppellectile ad omne Regis miniſterium erant inſtructa, uno verbo, totum ædificium*

dificium è marmore conſtabat candido & pretioſo, lignis cedrinis & abiegnis, auro & argento, gemmisque pretioſiſſimis, diſpoſitis etiam per parietes variis lapillis auro incluſis, ſtructura Capitolio, quod tantopere extollunt Scriptores Romani, longè ſuperior.

Laudatus ſæpe *Villalpandus* p. 433. quatuor columnarum ordines, de quibus Textus, non quærit in linea perpendiculari, ſed in imi Horizontis plano, ut primus ordo ſit parieti adpactus Meridiano (Tab. CCCCXLI. a.) alter diſtans à priori modulis tribus, ſiue cubitis 9⅓. (Tab. cit. b.) tertius parieti adjaceat aquilonari (Tab. cit. d.) quartus rurſus diſtans modulos tres (Tab. cit. c.) quos eosdem ordines etiam inuenit ab Oriente ad Occidentem (Tab. cit. e. f. g. h.) Vel & per quatuor ordines intelligi poſſe quatuor porticus (Tab. cit. i k l m.)

I. Reg. Cap. VII. verſ. 3.

Contabulatumque fecit cedrinum ſupernè ad illas trabes, quæ fuerunt poſitæ ſuper columnas quadraginta quinque, nam unusquisque ordo habuit quindecim.

Et tabulatis cedrinis veſtiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis ſuſtentabatur.

VIdetur is eſſe Verſiculi contractâ breuitate obſcuri ſenſus, fuiſſe in una Palatii, 100. nempe cubitos longa, facie columnas 15. ejusdem omnes altitudinis, certo ab inuicem interuallo poſitas, & tres hujusmodi columnarum ordines ſiue ſeries ſupra inuicem ſtantes, & intercolumnia, ſiue diſtantias columnarum ratione axium, 11. circiter pedum Pariſienſium. Fauet huic explicationi LXX. viralis, quæ duntaxat tres habet ordines columnarum: ſic enim infimus haberet columnas 15. medius & ſupremus ſinguli totidem, & omnes tres præcisè 45. qui numerus exprimitur in noſtro textu. Num horizontalis fuerit planitiei tectum cedrinum, dubitare licet, vero videtur ſimilius, fuiſſe planum inclinatum, ita tamen, ut in eo deambulare licuerit.

I. Reg. Cap. VII. verſ. 4.

Lumina deinde erant triplici ordine, ut feneſtra feneſtræ eſſet juncta, idque tribus (a) parietibus.

(a) Ebr. vicibus.

Unus autem ordo habebat columnas quindecim, contra ſe inuicem poſitas, & è regione ſe reſpicientes, æquali ſpatio inter columnas.

IN omni ædificio adſit oportet firmitas & decorum: Lumina omnia ſiue feneſtræ, quia ſunt murorum aperturæ, debilitant ædem, hinc eſt, quod nullæ ponantur feneſtræ in ædium angulis, ubi muri omnium debent eſſe craſſiſſimi. Pone ſparſas hinc inde nullo ordine juxta & ſupra inuicem feneſtras, perdet multum ædes & de firmitate ſua, & de decoro. Quapropter præcipiunt Architecturæ regulæ, ut aperturæ murorum ſiue lumina ſibi reſpondeant in linea perpendiculari, & hoc ipſo diminuatur incumbens graue onus. Hanc ipſam regulam obſeruauit Salomo, & in ſtructura templi & in domo ſaltus Libani. *Lumina erant triplici ordine*, id eſt, in tribus diuerſis contignationibus, una ſeries in una contignatione, ut *feneſtra feneſtræ eſſet juncta, idque tribus parietibus*, vel *vicibus*, id eſt, facies ædis oppoſitæ inuicem ſibi erant ſimillimæ, vel potius æquales, & in longitudine ſua, & firmitate, & decoro, & aperturis. Forſan & tres *parietes* vel *vices* volunt, fuiſſe ternas quasuis feneſtras juxta inuicem poſitas, & certo interuallo iterum ternas, quales exhibebit Scenographia Palatii.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 5.

Omnia foramina feneſtrarum poſteſque quadrata erant, feneſtraque feneſtræ vicinæ juncta tribus parietibus.

Et ſuper columnas quadrangulata ligna, in cunctis æqualia.

In ædificiis amplis, & mole grauibus, qualia ſunt templa, pro ſtructuræ robore vel rotundantur feneſtræ ſupernè, vel in acutos angulos, more Gothico, coeunt. Ita namque ex Architecti intentione plus illabitur luminis, & diminuitur preſſio ponderis incumbentis. Aliàs, & extra illos caſus, eſt januarum atque feneſtrarum forma omnium maximè decora *quadrata*, nempe non tam præciſè & in ſtricto ſenſu quadrata, quàm rectangula, ut altitudo ſit latitudinis dupla. Sed & heic poteſt Architectus præcauere preſſioni poſtibus & ſuperliminaribus feneſtrarum & januarum imponendo fornicem intra muri ipſius ſtructuram.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 6.

Et fecit porticum columnarum, cujus longitudo fuit quinquaginta cubitorum, latitudo verò ejus triginta cubitorum, & porticus erat ante ipſas, columnæque & trabes craſſæ ante eas.

Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis: & alteram porticum in facie majoris porticus: & columnas, & epiſtylia ſuper columnas.

Conjectare licet ex hoc & ſequentibus proximè verſiculis, fuiſſe ante delitioſum, de quo hactenus, Solomonis palatium atrium amplum, & in eo porticum columnis ſuffultam, in qua tempore vel pluuioſo vel cœlo nimiùm ſudo deambulare licuit, 30. cubitos latam, 50. longam: poſt hanc porticum rurſus atrium apertum: & poſt hoc aliam porticum ſupernè tectam. De priori atrio videtur intelligendus v. 8. *Domus verò ejus, in qua habitabat, aliud atrium habuit à domo ad porticum ſimili opere. (Et domuncula, in qua ſedebatur ad judicandum, erat in media porticu ſimili opere.)* Siquidem, de quo nonnulli dubitant, hic verſiculus Domum Saltus Libani attinet. Retrò Palatium poni commodè poteſt hortus ſpatioſus & amœnus.

In Tab. CCCCXLII. repræſentare volui Baſilicam Solomoneam Scenographice, ut triplex ordo columnarum inuicem ſuperſtantium, & porticus ſubſtructæ diſtinctius videri queant.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 15.
Columnæ Sacræ ordo.

I Buch der Kön. Cap. VII. v. 15.
Ordnung der Heiligen Säule.

G. D. Heümann sculps.

TAB. CCCCXLIII.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 15.

Finxit is duas columnas æneas, altitudo columnæ unius erat decem & octo cubitorum, & utramque columnam ambiebat *(a)* circulus duodecim cubitorum.

(a) Hæc linea eſt circulus circummetiens columnam.

Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.

QUalitates ſtructuræ omni neceſſariæ ſunt robur, pulchritudo, decorum, commoditas, inprimis etiam elegans Symmetria, qua omnes partes ita commenſurantur inuicem, ut ſenſibus offerant concinnam quandam harmoniam, quæ rationum ſiue proportionum ἀκρίβεια in ſupremo gradu occurrit in totius mundi ſtructura, utpote creati certo pondere, numero, menſura; & omni menti humanæ veluti naturæ quodam jure eſt ab ipſo Creatore impreſſa.

Exemplum Symmetriæ illuſtre offerunt *columnæ*, ſpeciatim binæ, de quibus nunc, *æneæ*, ſub veſtibulo ante Templum erectæ: opus, quod quater in Sacro Codice & recenſetur, & laudatur: opus Perſarum diuitiis, Romanorum potentia ac ſapientia, atque Herodis æmulatione ſuperius, & inimitabile: à quo atque veluti per ἀποσπασμάτια mutuati ſunt Græci atque Romani, ut quicquid concinni occurrit & pulchri in gentium harum *quinque* ita dictis *ordinibus*, ab his noſtris columnis deriuari debeat. *Nos contendimus, ab hoc uno omnes ordines originem trahere, & hujus triglyphos imitatos eſſe Dores, Capitellum verò Corinthios.* Ita, & fuſiùs, *Villalp. Tom.* II. p. 456. Ut proin hic noſter *Ordo ſacer* omnium quidem totius Templi, ſed ſpeciatim Coloſſearum harum columnarum, nominibus *Jachin* & *Boas* inſignium, complexus dici poſſit omnis, quæ in Architectura Græcorum & Romanorum occurrit, pulchritudinis.

Meretur antè dilucidari hæc materia amplius, quàm ad explicationem Textus & ſpecialem noſtrarum columnarum ſacrarum deuenero.

Diſtingui ſolent *columnarum ordines*, ipſis quoque lignicidis & ſcriniariis cogniti, 1. in *robuſtiores*, maſculos veluti, qui ſimplicioribus & robuſtis quadrant ſtructuris, & *teneros*, veluti fœmineos, qui delicatioribus, ornatioribus & ſumptuoſioribus quadrant ædificiis. 2. in *humiles* & *elatos*, illi ſunt *Tuſcanus*, *Doricus*, *Jonicus*, hi *Romanus* & *Corinthius*. Ordinem noſtrum *ſacrum* à profanis illis diſtinguunt ſpeciatim ornamenta mutata à gentilibus in icunculas idololatricas, punica e. g. mala in grandines, vel veſicas vacuas: Palmæ folia in Acanthi vel Cardui folia, Cherubinos in cadauerosa capita: corda alata in oua ſerpentum, lilia in ſpinas. Hac de re ita *Sturmius* in *Goldmanns Anweiſung zur Ciuil-Bau-Kunſt* p. 78. *Als GOTT Seinen Tempel mit Granat-Aepffeln unter andern Zierden hatte ſchmücken laſſen, hat dem Verführer das Widerſpiel gefallen, und hat der Schloſſen oder leere Waſſer-Blaſen an die Stelle geſetzet, welche Vitruuius über den Kinne des Krantzleiſtens anweiſet. GOTT hat durch die Granat-Aepffel bedeuten wollen, daß die tugendhafte Fruchtbarkeit, welche durch Ausberſtung des ſchmertzlichen Creutzes ſichtbar wird, gecrönet werden ſolte: dann die Granat-Aepffel tragen ein Crönlein, und zerberſten, wann ſie reif ſind, und tragen inwendig eine Menge Beeren. Aber dem Verführer hat der ſchädliche Hagel müſſen an die Stelle geſetzet werden, wie er ſich dann vor einen Gott, der in den Lüfften herrſchet, ausgiebet, da er doch nur ein ehrloſer Nachrichter iſt, welcher das von GOTT ausgeſprochene Urtheil ausführen muß, und vor ſich keine Gewalt hat — Die aufrecht ſtehende Blätter der Palmen in den Knäuffen bedeuten ein aufwärts hoffendes Gemüth, und den Sieg des künftigen Lebens bey den Glaubigen: Aber unſer Verführer hat die Bären-Klau-Blätter, welche gebogen zur Erde hangen, an die Stelle eingeführet, welche ein verzweifelt niedergeſchlagen Gemüth abbilden. Aber die Bildniſſe der Cherubim hat der abfällige Engel vor allen andern nicht leiden können, derhalben hat er an ſtatt der lebenden Bilder am Borten Schind-Köpfe oder Aas-Köpfe an die Stelle geſetzet, und aus dem Thier- oder Leben-Träger (Zophorus, wie er im Griechiſchen heiſſet.) einen Aas-Träger gemachet. An ſtatt der geflügelten Hertzlein, welche auf die Wulſt in groſſer Menge gehauen waren, hat er Schlangen-Eyer, und an ſtatt der Lilien, unter welchen die fliegende Hertzen weideten, hat er Schlangen-Stacheln eingeführet.* Hæc *Goldmannus* & *Sturmius*.

Nunc pergimus, vel redimus ad Templi columnas æneas, quas digito veluti monſtrare videtur Diuus Paulus 1. Tim. III. 15. Eccleſiam vocando ςύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Pergemus autem lento pede, à verſiculo ad verſiculum, allegaturus loca parallela, collatione digniora tantò, quia ſunt paſſim ἐναντιοφανέα.

De *loco* harum columnarum præmonenda nonnulla. Haud dubium eſt, quin hæ, de quibus Textus, erectæ fuerint in veſtibulo ante Sanctum, *ante Porticum Baſilicæ.* v. 21. Et has ſolas nominibus *Jachin* & *Boas* claruiſſe creditum hactenus. Sed ejusdem & pretii, & formæ, & eorundem nominum binas alias fuiſſe ante Sanctiſſimum, ſed parietinas, probat Vir Clar. *Joh. Specht*, Miniſterii Iſnenſis Senior, ex 2. Chron. III. quia inde à v. 8. heic deſcribitur Sanctiſſimum quoad amplitudinem, deaurationem, Cherubinos, Aulæum, tandemque columnas Jachin & Boas. v. 17. Repræſentabitur hoc Sanctiſſimi frontiſpicium ex mente Clar. Viri infra.

Altitudinem ſimul & craſſitiem deſcribit Textus noſter: altitudinem ſolam 2. Reg. XXV. 17. *Erat columnæ unius altitudo decem & octo cubitorum.* Dimenſionem utramque Jer. LII. 21. *Erat columnæ unius altitudo decem & octo cubitorum, funis autem, qui ambiebat eam, duodecim cubitorum, denſitas ejus quatuor erat digitorum, eratque concaua. (De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro groſſitudo ejus quatuor digitorum: & intrinſecus caua erat.)* Adde 2. Chron. III. 15. *Ante ædem fecit duas columnas longitudine cubitorum triginta quinque, quod verò obductum fuit capiti ejus, cubitorum quinque. (Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porrò capita earum quinque cubitorum.)*

De altitudine, in uno loco 18. in altero 35. cubitorum, non eadem omnibus eſt mens, diſſipanda autem ἐναντιοφανεία ad Architecturæ normam. Vult *Lyranus*, altitudinem columnæ unius fuiſſe 35. cubitorum, & 18. cubitos intelligendos eſſe de ſcapo, qui Architectis columnæ κατ᾽ ἐξοχὴν nomine veniat; 35. verò de Baſi, Scapo, & Capitello. Ita quoque *Junius* & *Tremellius* 35. cubitos intelligunt de tota columna, eosque ſacros, qui duplo majores fuerint communibus: quia autem bis 18. non faciant 35. ſed 36. Baſi columnæ dandum eſſe 1. cubitum, quæ 2. Chron. non veniat in cenſum. Subſcribit *l'Empereur præf. ad Middoth*, alii, minus firmo ſtantes talo, quia enormis nimium prodit altitudo, & de differentia inter cubitos communem & Sanctuarii nobis nil conſtat certi. *Joſephus*, R. *Juda Leo*, & alii Judæorum Doctores, quia altitudinem ponunt 18. cubitorum, ſtatuit *Lundius Leuit. Prieſt.* L. II. c. 12. Baſin $\frac{1}{2}$. cubiti, & columnam reliquam $17\frac{1}{2}$. ut binæ columnæ absque baſi altæ fuerint 35. cubitos: Qui 18. cubiti dant

Pedes Pariſ. 29. pollices 9. lineas $7\frac{1}{5}$.
Tigur. 32. - - 0. - - $3\frac{42}{67}$.

Villalpandus T. II. p. 423. tribuit quoque uni columnæ $17\frac{1}{2}$. absque ſubſtrato Plintho, & Capitulo: 18. columnæ unà cum Plintho, ſed absque Capitello; Ut proin rurſum utriusque columnæ altitudo, excluſis Plinthis & Capitulis, ſurgat ad 35. cubitos. *Goldmannus* & *Sturmius*, ut heic, ita alibi præferendi aliis interpretibus, 18. cubitos intelligunt de Scapo unà cum Baſi & Scamillo, excluſo Capitulo, utpote quod 2. Reg. XXV. 17. trium ſtatuitur cubitorum. Ut proin tota altitudo columnæ, nempe Scamillus, Baſis, Scapus & Capitulum, junctim ſumta fuerint 21. cubitorum, ſiue

Pedum Pariſ. 35. pollices 0. lineas $2\frac{2}{5}$.
Tigur. 37. - - 3. - - $7\frac{61}{67}$.

Quia verò 2. Chron. binarum columnarum altitudo juncta ſtatuitur 35. cubitorum, ſequitur unam, habuiſſe $17\frac{1}{2}$. Nempe Scamillo tribui debet $\frac{1}{2}$. cubitus, huicque ſociari alius Scamillus cum Apophygi, ut in Columna Trajani, quæ extat Romæ, qui duo Scamilli unà cum Baſi & Scapo dant 18. cubitos. Baſis ipſa fuit cubitalis, ut adhuc in omnibus ordinibus altitudine eſt moduli. Subtracta hac Baſi cubitali à cubitis 17. reſtat Scapi altitudo 16. cubitorum, quæ egregia eſt ratio altitudinis ad craſſitiem, ſcilicet 8. ad 1. quâ laborat Corinthiacus Ordo. Et vel ex hoc ſpecimine, & columnæ ipſius intuitu, conſtat, Architecti eſſe, ſupplere juxta artis regulas, quod vel obſcurè deſcribitur, vel mancè. Scopus namque Scripturæ Sacræ non eſt, ſyſtemata integra tradere Phyſica, Geometrica, Aſtronomica, ita neque heic Architectonica.

Pergo ad περιφερίαν columnarum. De hac ita Textus: *Utramque columnam ambiebat circulus duodecim cubitorum.* Ex collatione Jer. LII. 21. colligi poſſe videtur, intelligendam eſſe hanc menſuram non de utraque columna junctim ſumtis, ſed de ambitu uniuscujusque columnæ. *Funis*, inquit Propheta, *qui ambiebat eam* columnam, *duodecim* fuit *cubitorum.* Quæ quidem interpretatio *Villalpando* incongrua videtur: vult is, inhærendo ſenſui literali Textus noſtri, peripheriam binarum columnarum fuiſſe 12. cubitorum, unius proin 6. Juxta priorem interpretationem ex ratione diametri ad circumferentiam diameter columnæ fuit 4. circiter cubitorum, ex *Villalpandi* verò mente 2. Heic rurſum recurrendum nobis eſt ad proportionum regulas Architecturæ applicandas. Negari id nequit, diſproportionatam eſſe 4. cubitorum craſſitiem in Scapo ad altitudinem totius columnæ 18. cubitorum, præprimis ſi altitudini includatur ſtylobata. Sed oſtenſum jam ſupra, non tam impoſitam fuiſſe columnam ſtylobatæ, quàm duplici Scamillo. Et prætendit *Lundius*, nullam nos urgere neceſſitatem,

tem, ut credamus, fuiſſe omnes totius Templi columnas binis his, de quibus nunc, conformes, quod vult *Villalpandus*; & potuiſſe utique Solomonem binis his robur dare prorſus diſtinctum, ut dedit diſtincta nomina fortitudine ipſa fundata: ut quæ in veſtibulo ſteterint non ad ſuſtinendum quid, quod aliarum columnarum eſt officium, ſed ad ornamentum & pompam. Obuias heic difficultates omnium optimè ſoluunt iterum laudandi *Goldmannus* & *Sturmius* ita, & dilucidè, quòd 12. cubiti intelligendi veniant de ambitu Plinthi, qui, quia figuræ eſt quadratæ, latus habebit 3. cubitorum. Exinde innoteſcit Architecto Ecphora duplex Plinthi, & ſimul ipſius ſtylobatæ 3. cubitorum, à qua ſi ſubtrahatur Scapi diameter 2. cubitorum, reſtat crepido 1. cubiti, ex utroque nempe latere $\frac{1}{2}$. cubiti, uti eam *Vitruuius* aſſumſit in ſtylobata Attico. Memorat quoque *Villalpandus* antiquam traditionem, juxta quam tantæ fuerint columnæ noſtræ craſſitudinis, ut eas tres viri vix brachiis ſuis amplecti potuerint, torum nempe inferiorem, cujus diameter æqualis eſt lateri Plinthi, id eſt, 3. cubitorum, peripheria 9. cubitor. & quod excurrit.

Adnotari id porrò meretur ex *Goldmanno*, quia craſſities ſcapi fuit 2. cubitorum, ſemidiametrum 1. cubiti dare præciſè modulum. Eſt autem *modulus* menſura communis, ſiue ſcala, qua utuntur Architecti ad delineandas columnas, harumque ſingulas partes, & dividitur hodie percommodè, ad euitandas fractiones, in partes 360. Hanc diuiſionem inueniſſe ſe exiſtimat *Goldmannus* in cubito ſuo ſacro, quem ex Ezech. XL. 5. longiorem vult palmo, quàm fuit cubitus communis, id eſt, 2. pedes. Pes unus, quia 4. habet palmos, palmus 4. digiti latitudines, erit cubitus, æqualis duobus pedibus, ſiue bis 16. ſiue 32. digitis latis, additi 4. inſuper digiti lati dabunt 36. pro cubito ſacro, qui 36. ſinguli in 10. particulas ſubdiuiſi dant 360. pro modulo. Et cubitum ſacrum fuiſſe hunc ipſum modulum, ita porrò probat *Goldmannus*: Dicitur funis 12. cubitorum fuiſſe peripheria non unius columnæ, ſed utriusque. Exinde ſequitur, peripheriam unius columnæ fuiſſe 6. cubitorum, & ſemidiametrum, quam pro modulo ſumimus 1. cubiti: aliquanto equidem plus poſcit Archimedea diametri ad circumferentiam proportio, ſed demit tantundem columnæ in ſtrias excauatio fune menſurata. Accedit, quòd Architecti veteres columnas commenſurare ſoliti fuerint ex $\frac{1}{3}$. altitudinis Templi. Hæc quia fuit 120. cubitorum, dabit $\frac{1}{3}$. cubitos; 40. æneæ columnæ commenſuratæ ex dimidia altitudine columnarum Templi 20. dabunt modulum, qui $\frac{1}{20}$. eſt altitudinis columnæ.

Clarum ex hactenus dictis, funem ſiue peripheriam 12. cubitorum in Textu noſtro intelligi poſſe de utraque columna junctim ſumptis, ut unius peripheria fuerit 6. cubitorum: ſed & in Jer. LII. de unaquaque columna, nempe hujus Plintho quadrato, ſicque tolli ἐναντιοφάνειαν.

Id tandem ex citato loco Jer. LII. annotari meretur, non fuiſſe conflatas columnas ex ſolido ære totas, ſed *denſitatem* fuiſſe *quatuor digitorum*, illasque *concauas*: & quidem, in quo præſertim conſtat artificii ſingularitas, non malleo tuſas, ſed fuſas igne, nempe *in argilla denſa inter Succoth & Zarthan.* 1. Reg. VII. 46. Poſitâ hac quatuor digitorum craſſitie, & reliquæ molis concauitate, cadet multùm de *Villalpandi* computo, qui æs hisce columnis impenſum æſtimat ad 19027. centenarios, licet diametro non plures tribuat quàm 2. cubitos. *Eupolemo* ſi credimus apud *Euſebium*, obductæ fuerunt inſuper auro craſſitie digiti, quod *Villalpandus* extollit ſupra 86000000. Sed nihil de hac re habet Scriptura, nihil *Joſephus*, nihil Judæi alii. Ut facile poſſimus traditionem hanc *Eupolemo* linquere ſuam.

Fata harum columnarum, pretio & arte monadicarum, hæc fuere, quòd in prima Templi deſtructione fuerint fractæ, & cum aliis vaſis ſacris Babylonem abductæ. *Columnas æreas, quæ erant in æde DOMINI, machinas, & mare æneum, quod erat in æde DOMINI, comminuerunt Chaldæi, & omne æs ex illis tulerunt Babylonem.* 2. Reg. XX. 13. Jer. LII. 17. Et vult ex recutitis *Benjamin Itin.* p. 22. Romam tandem fuiſſe deuectas hasce columnas, erectas in Diui Stephani Templo juxta Sancti hujus imaginem, inſcriptumque ſingulis columnis SOLOMONIS, DAVIDIS FILII, nomen. Et narrarunt eidem Judæi ibi commorantes, quotannis die 9. Jul. ſudare hasce columnas. Quam traditionem rurſum genti illi linquimus, cum Sacra Scriptura ἀσύστατον. Certum hoc, defuiſſe has columnas Templo ſecundo.

Eſt materia, quam tracto, & porrò, DEO vires largiente, explanaturus ſum, ejus generis, ut explicari nequeat abſque terminis technicis ex Architectura deſumtis, ſed neque hi intelligi à Lectore artis imperito abſque figuris. Et hactenus fortè cum aliqua indignatione lecta fuit ipſa hæc in præſentem Textum παράφρασις. Quapropter ut in gratiam redeam cum amico Lectore, conſultum duco, imo neceſſarium, ante ſiſtere totam columnam, quàm ulterius in ejus explicatione pergo, ut conceptum de ejus ſtructura, & ſingulis partibus ſibi formare queat diſtinctum, imo ipſe, ſi luberit, eandem ſub qualicunque modulo deſignare. Noſtrum *modulum* ſiſtit, eumque in partes 360. diuiſum Fig. A. Tab. CCCCXLIV. qui ſemidiametrum dat Scapo tereti y z. Fig. B. Tab. cit. diſcrimen inter *cubitum communem* & *ſacrum* juxta *Goldmannum* & *Sturmium*, ubi communis a b. conſtat 2. pedibus, ſiue 8. palmis, ſiue 32. digitis: ſacer a c. 2. pedibus plus uno palmo, ſiue 36. digitis, qui 36. digiti in 360. partes diuiſi dant ipſum modulum.

Fig. C. in eadem Tab. CCCCXLIII. ſiſtit inferiorem columnæ partem, quæ ſeſe erigit ſupra Scapum teretem. En altitudines partium ſingularum unà cum Ecphoris.

ALTITUDINES BASEOS ſeu STYLOBATÆ.

	Partic.
Altitudo tota ſeu ſupra Apophygin imi Scapi. x. - - - -	820.
Supra regulam ſupremam ſeu limbum Scapi. w. - - - -	772.
Supra ſupremum Torulum. u. - -	760.
- - Torulum ſequentem. t. - -	735.
- - Torum. s. - - - -	700.
- - Aſtragalum. r. - - - -	650.
- - Regulam. q. - - - -	640.
- - Trochilum ſuperiorem. p. -	630.
- - Regulam Trochili. o. - -	615.
- - Aſtragalum Tori tertii. n. - -	603.
- - Torulum medium ſuperiorem. m.	593.
- - - - - - - inferiorem. l.	560.
- - Aſtragalum. k. - - - -	528.
- - Regulam. i. - - - -	516.
- - Trochilum inferiorem. h. - -	504.
- - Regulam. g. - - - -	485.
- - Aſtragalum Tori primi. f. - -	473.
- - Torum primum. e. - -	461.
- - Plinthum. d. - - - -	420.
Supra Cymatium Doricum inuerſum. c.	360.
- - Faſciam. b. - - - -	205.
- - Quadram. a. - - - -	180.

ECPHORÆ STYLOBATÆ.

Ecphora Quadræ. a. - - - -	630.
- - Faſciæ b. & Cymatii Dorici. c. in imo - - - -	590.
- - Cymatii in ſummo - -	520.
- - Plinthi. d. - - - -	480.
- - Centrorum Tori infimi e. Aſtragali. f. Regulæ. g. -	460.
- - Trochili h. in ſummo - -	430.
- - Regulæ. i. Centri Toruli medii inferioris. l. - - -	442.
Ecphora Centri Toruli medii ſuperioris. m. - - - -	420.
- - Aſtragali. n. & Regulæ. o. -	410.
- - Trochili p. in ſummo - -	390.
- - Regulæ. q. & Centrorum Tori. s. & Aſtragali. r. - -	400.
- - Centrorum Torulorum ſuperiorum. t. u. & Limbi. w. -	380.
- - Scapi teretis. y z. - - -	360.
SCAPI teretis altitudo - - -	1380.
- - contracti altitudo - - -	4140.

TAB. CCCCXLIV.

CAPITULUM.

	Partic.
PRofunditas à Capitulo ſummo infra Apophygin. a. - - - -	1224.
- - infra Cinctam. b. - - - -	1164.
- - - - Annulum. c. - - -	1140.
- - - - ipſius Capituli - -	1080.
- - - - ſupra ventrem foliorum minorum. e. - - -	1030.
- - - - inciſuram inferiorem. f. -	980.
- - - - - - - ſuperiorem. g. -	880.
- - - - infra labia eorundem. h. -	855.
- - - - ſupra folia minora. i. - -	780.
- - - - ſupra inciſuras inferiores foliorum majorum. k. -	660.
- - - - ſupra inciſuras ſuperiores eorundem. l. - - -	540.
Profunditas infra labia eorundem. m. -	516.
- - - - ſupra folia majora. n. -	420.
- - - - infra volutas. o. - -	348.
- - - - ſupra volutas minores. p.	180.
- - - - ſupra volutas majores & limbum Aheni. q. - -	168.
- - - - infra Apophygin Abaci. r.	132.
- - - - - - limbum Abaci. s. -	84.
- - - - Echini. t. - - -	60.

ECPHORÆ.

	Partic.
Ecphora Scapi contracti. a. - -	330.
- - Aheni in imo. u. - -	300.
Ecphora Aheni in ſummo. w. - -	414.
- - Limbi ſupra Abacum. s. -	510.
- - totius Capituli. x. - -	540.

EPISTYLIUM.

Altitudo Epiſtyliii - - -	432.
Infra Supercilium. a. - - -	408.
- - Cymatium Lesbium. b. - -	360.
- - Aſtragalum guttarum. c. - -	338.
- - Regulam guttarum. d. - -	328.
- - Guttas ipſas. e. - - -	240.
- - Faſciam ſuperiorem. f. - -	208.
- - Cymatium Lesbium. g. - -	184.
- - Faſciam mediam. h. - - -	88.
- - Aſtragalum faſciæ inferioris. i. -	70.

ECPHORÆ.

Totius Epiſtylii. a. - - -	420.
Cymatii Lesbii extimi. b. in ſummo -	410.
- - - - - - - - - imo -	395.
Regulæ ſupra guttas laterales ſupercilii. d. - - - -	390.
Cymatii Lesbii interioris. k. in ſummo	375.
- - - - - - - - - - - imo -	360.
Faſciæ ſuperioris. f. - - -	352.
Cymatii Lesbii inferioris. g. in ſummo	346.
- - - - - - - - - - - imo -	340.
Faſciæ mediæ. h. - - -	334.

Faſciæ



I. REG. Cap. VII. v. 15.
Columnæ Sacræ ordo.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 15.
Ordnung der Heiligen Säule.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

	Partic.
Faſciæ imæ. l. - - -	325.
Supercilii ſupra guttas anteriores. m. -	252.
Regulæ ſupra eaſdem. p. - -	220.
Cymatii Lesbii intimi. n. in ſummo -	240.
- - - - - - imo -	226.
ZOPHORUS.	
Altitudo Zophori - - -	740.
Infra Aſtragalum. a. - - -	672.
Infra Tæniam. b. - - -	648.
Supra Triglyphi canaliculos. c. - -	612.
ECPHORÆ.	
Tæniæ ſupra Triglyphum lateralem b.	390.
Triglyphi lateralis. d. - -	360.
Tæniæ Zophori. e. - - -	342.
Zophori ipſius. f. - - -	330.
Centri Triglyphorum anteriorum. g. -	75.
Initii eorundem. h. - - -	40.
CORONIX.	
Altitudo Coronicis - - -	684.
Infra Supercilium. a. - - -	660.
- - Simam. b. - - -	564.
- - Regulam. c. - - -	552.
- - Cymatium Lesbium. d. -	516.
- - Aſtragalum. e. - - -	504.
- - Coronam. f. - - -	396.

	Portic.
Infra Cymatium Lesbium. g. ſupra mutulos. - - -	368.
Supra mutulos. h. - - -	348.
Infra eoſdem - - -	228.
- - Interſtitium. i. - -	222.
- - Echinum. k. - - -	162.
- - Aſtragalum Tæniæ. l. - -	144.
- - Regulam Tæniæ. m. - -	132.
- - Tæniam ipſam. n. - -	60.
- - Regulam ſeu ſupra Cymatium Lesbium. o. - - -	48.
ECPHORÆ.	
Totius Coronicis. a. - -	1037.
Regulæ ſub Sima. c. - -	941.
Cymatii Lesbii. d. in ſummo - -	927.
- - - - - imo - -	911.
Coronæ. f. - - -	905.
Cymatii Lesbii ſupra mutulos exteriores. g. in ſummo - -	737.
- - - imo - -	719.
Mutuli anterioris extimi. q. - -	533.
Echini in ſummo - - -	521.
Regulæ. m. ſub illo - -	481.
Tæniæ. n. - - - -	469.
Regulæ. o. ſupra Cymatium Lesbium -	426.
Cymatii Lesbii. p. in ſummo - -	414.
- - - - - imo - -	390.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 16.

Fecit & duo Epiſtylia ſphærica, quæ ponerentur ſuper capita columnarum, quæ fuſa erant ex aere: quinque cubitorum erat altitudo unius Epiſtylii, quinque cubitorum altitudo alterius Epiſtylii.

Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum, fuſilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.

Loca parallela ſunt 2. Reg. XXV. 17. *Erat columnæ unius altitudo decem & octo cubitorum, eratque Epiſtylium æneum ſuper ipſam, & altitudo Epiſtylii trium erat cubitorum.* 2. Chron. III. 15. *Ante ædem fecit duas columnas longitudine cubitorum triginta quinque, quod verò obductum fuit capiti ejus cubitorum quinque. (Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis: porro capita earum quinque cubitorum.)* כּוֹתֶרֶת *cothereth*, Plural. כֹּתָרוֹת *cotharoth* in Textu, LXX. ἐπίθεμα, in Architectorum lingua nuncupatur *Capitellum*, Italis *il Capitello*, Gallis *le Chapiteau*, Germanis *Capitäl, Knauff.* Pars columnæ ſuprema & ornatiſſima latè excurrens ab axi, ut columnæ ſit tegumento. Latina noſtra habet *Epiſtylia ſphærica*, Vernacula *Knöpf.* Sed eſt *Epiſtylium* in vero & Architectis proprio ſignificatu duntaxat una ex Capituli partibus, & ingenerat adjectiuum *ſphærica*, uti quoque vernaculum *Knopf*, uti quoque icones paſſim in Bibliis reperiundæ, conceptum minimè Architectonicum, & falſum, quem nullibi inter ordines reperias. Altitudo hujus Capituli in binis locis 1. Reg. & 2. Chron. eſt 5. cubitorum, ſed 2. Reg. duntaxat 3. cubitorum. Noua ἐναντιοφάνεια, ita, ex *Villalpandi* mente T. II. p. 444. ſoluenda, ut 5. cubiti intelligendi veniant de Capitulo integro, & 3. duntaxat de Epiſtylio κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicto, quod infima eſt Trabeationis pars, & Zophoro, qui media. Quo ipſo indicari videtur, quòd binæ hæ partes columnæ, quæ ejuſdem prope ſunt craſſitiei, ſimul in una maſſa fuerint fuſæ.

Reſtant proin pro Coronice, quæ ſuprema Capituli eſt pars, duo cubiti. Et *Goldmann Anweiſ. zur Ciuil-Bau-Kunſt.* p. 34. Trabeationem Ordinis integram ſtatuit 5. cubitorum, qui proin faciunt 5. modulos, & $\frac{1}{4}$. totius columnæ, quæ alta fuit 20. cubitos, nempe

Stylobata	-	-	-	1.
Scapus	-	-	-	16.
Capitulum	-	-	-	3.
				20.

Aliter rem concipit *Lundius Leuit. Prieſt.* L. II. c. 12. p. 296. de quo mox.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 17.

Fecit (inſuper) cancellos opere reticulato, & funes opere concatenato ad Epiſtylia, quæ erant in cono columnarum, ſeptenos videlicet utrique Epiſtylio.

Et quaſi in modum retis, & catenarum ſibi inuicem miro opere contextarum: utrumque capitellum columnarum fuſile erat: ſeptena verſuum retiacula in capitello uno, & ſeptena retiacula in capitello altero.

Loca parallela 2. Reg. XXV. 17. *ſuper Epiſtylio erat reticulatum opus:* eadem leguntur verba Jer. LII. 23. & 2. Chron. III. 16. *Fecit inſuper catenas juxta rationem, & poſuit in conum columnarum, fecitque mala punica centum, & poſuit in catenis. (Nec non & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit.)* Sunt hic & ſequentes proximè verſiculi δυσνόητοι, ut mirum non ſit, in ſententiarum abiiſſe diuortia Interpretes. Vult *Lundius Leuit. Prieſt.* L. II. c. 12. p. 296. pependiſſe de Capitulo opus cancellatum ſiue concatenatum, illi ſimile, quod in Templo fuit ſupra parietem Sancti & Sanctiſſimi intergerinum, & opere hoc tectum capitulum, ut quis vel quæ caput tegit caputio reticulato, & fuiſſe in hoc opere catenulas vel funes ſeptem. Quam opinionem mutuò petit inprimis ex 2. Chron. Sed altitudinem ſiue profunditatem operis hujus fuiſſe duntaxat 2. cubitorum, infra Capituli ſummum, ut conſpectui patuerint 3. inſuper cubiti ſculpturarum ex foliis & floribus. Ita is ſimul conciliat 1. Reg. VII. 16. ubi altitudo Capitulo adſignatur 5. cubitorum, cum 2. Reg. XXV. 17. ubi duntaxat mentio fit 3. cubitorum. Ut ibi intelligatur Capitulum integrum, uti id fuit ex parte opere reticulato tectum; heic verò ſculpturæ Capituli, inferiori hujus parte retectæ. Et hanc eſſe rationem, cur adeò diſtincta facta fuerit partium Capituli mentio.

Aliter ſentit *Villalpandus* T. II. p. 451. fuiſſe hoc retiaculum unà cum interjectis malis punicis ornamentum ſub corona f. Tab. CCCCXLIV. quæ infima eſt Coronicis pars, quod non videri poterat niſi ab imo ſurſum, ab eo qui ſtetit ad baſin columnæ. Poteſt conſpici forma hujus retiaculi in ambitu coronæ, in Ichnographia Capituli Fig. D. ſeparatum verò cum ſuis ſeptem faſciis transuerſis ſiue catenis Fig. E. Tab. CCCCXLVI.

Aliam iterum, &, meo judicio, optimam de hoc opere ſententiam fouet *Goldmann Anweiſ. zur Ciuil-Bau-Kunſt* p. 35. quòd *cancelli opere reticulato ſepteni* commodius verti poſſint per ſeptem partes vel membra, quæ Coronicem conſtituunt & ambiunt, *ſieben umber reichende Glieder des Crantzes;* & fuerint 1. *Sima* b. Tab. CCCCXLIV. 2. *Cymatium Lesbium* d. 3. *Corona* f. 4. *Mutuli* h. 5. *Echinus* k. 6. *Tænia* n. 7. *Cymatium Lesbium* inferius p.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 18-22.
Capitulum ex Villalpando.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 18-22.
Capital nach Villalpand.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VI.
Reticulum cum malis punicis.

I. Buch der Kön. Cap. VI.
Kettenwerck mit Granat-Aepfeln.

C. Rembshart sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII.
Columnæ Iachin et Boas in Veſtib. Sancti.

I. Buch der Kön. Cap. VII.
Säulen Iachin und Boas im Vorhof.

I. A. Pfeffel Iunior sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII.
Columnæ Iachin et Boas ante Sanctiſsimum.

I. Buch der Kön. Cap. VII.
Säulen vor dem Allerheiligſten.

I. A. Fridrich sculps.

TAB. CCCCXLV. CCCCXLVI.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 18. 19. 20. 22.

18. Quumque feciſſet columnas, addidit operi reticulato alterius (columnæ) duos ordines malorum punicorum, quæ ambirent & tegerent Epiſtylia, quæ erant in ſummo (columnarum) ſimili ratione fecit Epiſtylio alterius (columnæ).

19. Epiſtylia, quæ erant in cono columnarum, opus habebant (a) florulamentum, quale fuit in porticu, quatuor cubitis.

(a) Opus Lilii legunt alii.

20. Habuerunt & Epiſtylia, quæ erant ſupra duas columnas deſuper è regione ventris citra opus reticulatum ordines ducentorum malorum punicorum, idque per ambitum utriusque Epiſtylii.

22. In faſtigio columnarum erat opus florulentum. —

18. Et perfecit columnas, & duos ordines (per circuitum retiaculorum ſingulorum, ut tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem) malogranatorum: eodem modo fecit & capitello ſecundo.

19. Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilii fabricata erant, in porticu, quatuor cubitorum.

20. Et rurſum alia Capitella in ſummitate columnarum deſuper juxta menſuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu Capitelli ſecundi.

22. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilii poſuit. —

LOca parallela ſunt: 2. Paralip. III. 16. *Fecit inſuper catenas juxta rationem, & poſuit in conum columnarum: fecitque mala punica centum, & poſuit in catenis. (Nec non & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit.)* 2. Paral. IV. 13. *Mala punica quadringenta in duobus retibus, duos nempe ordines malorum punicorum unicuique reti, ut tegerent duo Epiſtylia, & coronamenta, quæ erant in ſummitate columnarum. (Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum ſingulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epiſtylia, & capita columnarum.)* Jer. LII. 22. 23. *Et Epiſtylium æreum fuit ſuper ipſam, & altitudo Epiſtylii unius erat quinque cubitorum: ſuper Epiſtylium erat opus reticulatum, & mala punica per circuitum omnia ex ære, & hujusmodi erant in altera columna unà cum malis punicis. Fuerunt autem malorum punicorum nonaginta ſex ad (omnem) ventum, omnium autem malorum punicorum in reticulato opere per circuitum erant centum. (Et capitella ſuper utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiacula & malogranata ſupra coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ ſecundæ, & malogranata. Et fuerunt malogranata nonaginta ſex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.)* 1. Reg. VII. 42. *Mala quoque punica quadringenta ſuper duo retia, duos ſcilicet ordines malorum punicorum in quolibet reti, ut tegerent globos duos coronatos in ſummo columnarum. (Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos verſus malogranatorum in retiaculis ſingulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant ſuper capita columnarum.)*

Ex ipſo hoc parallelismo judicare facile licet, minus parallelas fore Interpretum opiniones, & diuerſum malorum punicorum numerum diſtinctos pariturum eſſe conceptus. Nunc quippe ponuntur 96. mox 100. heic 200. alibi 400. Non heic ſufficit qualiscunque & ſuperficiaria conciliatio, qua glaucoma dubitantium oculis objiciatur. Solidum deſideratur, Architecturæ Regulis & Symmetriæ conforme, ratiocinium. Audi querulum *Goldmannum*, vel ejus Commentatorem *Sturmium*, occaſione malorum punicorum & Capituli totius, quod alii, & hos inter Tigurini, conuerterunt in figuras ſphæricas, *runde Knöpfe. An-*

weiſ. zur Ciuil-Bau-Kunſt p. 35. *Ich trage billig Mitleiden mit denjenigen, welche der Bau-Kunſt ſo gar unkündig ſeyn, daß ſie aus den Gebälcken runde Knöpfe gedichtet, deren Fläche mit Stricken gleichſam umbunden, und viereckigte Felder eingetheilet haben, da ſie in jedem Viereck einen Granat-Apfel dichteten. Dieſe haben die Figur des Fliegen-Auges, welches der ſubtile Italiäniſche Anatomiſt in Druck gegeben, nachgedichtet, aber der Sach damit wenig geholffen, viel weniger dieſelbe getroffen. Alſo hat Lyra an ſtatt eines herrlichen Tempels Bauren-Häuſer abgebildet. Niemand, der der Bau-Kunſt unerfahren iſt, erkühne ſich, dieſes wilde Meer zu ſchiffen. Auch die Rabbiniſchen Wort-Grübler haben hier die Wahrheit im geringſten nicht getroffen. Es wird hier etwas mehr als eine gemeine Wiſſenſchaft der Bau-Kunſt erforderet; ja ich bekenne frey, daß niemand ohne vorleuchtendes Göttliches Licht hierinnen etwas vollkommenes zu verrichten vermöge.* Quis proin eſt, qui non condonaturus ſit, & facile, Interpretibus Matheſeos ignaris, ſi hujusmodi Textus ſicco prætereant pede, ſiquidem & hi, qui in hisce ſcientiis profundè ſunt verſati, haud diffiteantur difficultatum, quibus ſe inuolutos vident, nodos? Audiamus inprimis *Villalpandum* ex Tom. II. p. 452. & 454. & *Goldmannum* l. c.

Villalpandus ſub corona in quauis retiaculi area (Fig. E.) inuenit mala punica 24. per conſequens in quatuor hujusmodi retiaculis 96. quem numerum habet Jeremias. Qui numerus inuenitur duntaxat in dimidio coronæ ambitu. Præterea locat is flores inter & retiacula 4. mala, ſingula areæ quadratæ incluſa, quæ prioribus addita dant 100. quem numerum inuenias in citato Jeremia & 2. Paral. Habebit proin ambitus integer coronæ 200. qui numerus extat 1. Reg. in ambabus proin columnis 400. quem numerum legas 1. Reg. VII. 42. & 2. Paral. IV. 13. Vide Tab. CCCCXLVI. Fig. E. F. In Tabula verò præcedenti CCCCXLV. ſiſtere volui integrum *Villalpandi* Capitulum.

Utut haud contemnenda ſint, quæ de malorum punicorum poſitu & locorum ἐναντιοφανέων conciliatione habet *Villalpandus*, prærogatiuam tamen meretur *Goldmanni* ſententia. Exhibet is duplicis generis ſiue ordinis mala, Scripturæ explicationi aptiora præ illis, ſuperiora & inferiora. Superiora ſub mento coronæ, ut *Villalpandus*. Vide Ichnographiam Zophori & Coronicis Tabulæ CCCCXLIV. ſubjectam: inferiora in Zophoro. Superioris ordinis mala propendebant ſub corona, inferioris verò exprimebantur ad Zophori latera in Encarpis. Illorum fuere 96. (nempe non in dimidio, ut *Villalpandus*, ſed in toto coronæ ambitu) in retiaculo diſpoſita, & 4. inſuper mediis in roſis tanquam mali punici floribus in angulis. Addita hæc dant 100. de quibus 1. Reg. VII. 20. quod fuerint *deſuper*, viſunda in Ichnographia. Retiaculorum nempe in a. a. angulorum verò in b. b. Alia 100. de quibus iterum textus, fuere *infra*, *unten*, in quatuor Encarpis ad Zophori angulos, ita ut cuilibet Encarpo tribuantur 25. nempe 12. in uno Zophori latere diſtributa in tres ſeries (i. k. in Zophoro Tab. CCCCXLIV.) quarum ſuprema habet 3. media 4. ima 5. Adde 12. quæ reſpondebant ex altero latere, habebis 24. His accedit malum punicum angulare in media roſa, quod illis additum dabit pro integro Encarpo 25. mala. Sed quater 25. iterum dant 100. Ut proin obtineamus 200. *deſuper & infra*. Conſtat hinc, uni trabeationi tribuenda eſſe 200. & utrique, ſiue ambabus, 400. mala punica. Omnia proin in allegatis textibus eſſe liquida & conſentanea.

Reſtant nonnulla dicenda de *opere florulamento*, ſiue *opere lilii*, מַעֲשֵׂה שׁוֹשַׁן *maaſeh ſchuſchan*, ἔργον κρίνε LXX. cujus v. 19. & 22. mentio fit. Heic tantò citius & facilius ſubſcribemus *Villalpando* & *Goldmanno*, quia conſentientes habemus prorſus celebres hosce Architectos. Fuit namque hoc Ornamentum Capitulo, eique κατ' ἐξοχὴν ita dicto, proprium, Liliorum folia ſiue petala erecta & ſupernè reflexa. Habet, quod vidimus, originalis textus שׁוֹשַׁן *ſchuſchan*, ſiue *ſuſan*, quod Lexicographi deriuant à שֵׁשׁ *ſcheſch*, *ſex*, quia ἑξαπέταλος eſt hic lilii flos: Transiit hæc vox à Judæis ad Arabes, qui lilium vocant *Suſen*, *Aſuſen*: imò ad Hiſpanos, qui lilii florem nuncupant *Azuzena*, *Açucena*. Fuere autem hæc ipſa lilii petala adeò artificioſè inuicem ſuper impoſita, & reuoluta, ut cum Palmæ foliis comparari commodè poſſint. Exhibemus in hac ipſa Tab. CCCCXLVI. vetus, quod Romæ in Collegio Romano extat, Capitulum, lilii quoque vel palmarum foliis ſuperbiens Tab. cit. G. de quo quidem non eſt vero ſimile, fuiſſe Hieroſolymis Romam delatum, quia ſculptura eſt rudis, & *Joſepho* teſte *Ant.* L. XV. c. 14. Herodes Capitula fieri juſſit ordine Corinthiaco. Id equidem negare non auſim, ſed facilis ſubſcriberem ita ſentientibus, mutuatos fuiſſe Corinthios Capituli ſui ornatum ab ordine hoc noſtro ſacro, ſed, ne deſtituerentur inuentionis gloriâ, *Lilii* petala commutaſſe in *Acanthi* folia. De quo ipſo Ordine Corinthiaco notari meretur, antiquiſſima ejus, forſan *Callimachi* inuentoris monumenta repræſentare potius *Oleæ* vel etiam *Palmarum*, quàm *Acanthi* folia. Haud rejicit *Goldmannus* comparationem labiorum in Capitulis ænearum templi columnarum reflexorum cum petalis Roſarum, Liliorum & foliis Palmarum, vultque is, bina quæuis folia cum Dactylorum ramo interjecto unicum repræſentaſſe Corinthiaci Capituli folium. Quatuor cubitos altitudinis in noſtro textu expreſſos ita inuenit *Goldmannus*, ut Capitulo tribuat 3. Epiſtylio 1. cubitos, vel & Capitulo 1080. Epiſtylio 432.

TAB.

TAB. CCCCXLVI. a. & b.

NOn poſſum non Lectori communicare ἀποσπασμάτιον laboris egregii, quem elaborando & explicando Templo Salomoneo inſumſit laudatus ſupra *Johannes Specht*, V.D.M. Isnenſis, quodue mecum pro ſuo erga *Phyſicam* meam *Sacram* affectu beneuolè communicauit, optans, ut luci daret publicæ plenam Templi, cujus Exemplar parat, deſcriptionem. Ex Tab. CCCCXLVI. a. videre licet, concipere illum opus catenatum, ſiue *catenas*, tanquam Encarpos, eosque binos ex utriusque columnæ coronice pendulos, ſicque inter binas columnas pendentes: & loco *operis* liliati, ſeu *florulenti* adeſſe lilia ipſa flore albo in ſumma quauis columna, quapropter Coronici ſummo imponit parallelepipedum oblongum, ſuis, ut baſis columnæ conſtans partibus. *Punica mala* tandem videtur innectere ipſis Encarpis. Et ex Tab. CCCCXLVI. b. quæ frontiſpicium repræſentat Sanctiſſimi, conſtat, pendere rurſus Encarpum catenæ loco inter binas columnas parietinas ad Zophorum usque, opus autem reticulare, per quod lumini aditus conceditur intra Sanctiſſimum, poni ad columnarum latera forma Parallelogrammi $1\frac{1}{2}$. cubitum lati & 10. cubitos longi, ſeu alti.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 23.

Porrò (a) mare fecit fuſum decem cubitorum à labio ejus ad labium ejus, rotundum per ambitum, altitudo ejus erat quinque cubitorum, & linea triginta cubitorum cingebat ipſum per ambitum.

(a) Mare ſignificat hic lacum, nempe vas quoddam magnum & capaciſſimum.

Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum à labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.

EST *Mare* ita dictum *Æneum*, quod præſenti huic noſtræ & aliorum conſiderationi ſubjicimus, unum ex præcipuis Templi Solomonei ornamentis, Artis & Myſterii plenum, μεγαλοτέχνημα, ſiue magnitudinem reſpicias Coloſſeam, ſiue formæ elegantiam, ſiue materiæ quantitatem & pretium, ſumma noſtra attentione digniſſimum, paſſim in Sacro Codice & memoratum & deſcriptum, 2. Reg. XVI. 17. XXV. 13. 1. Paral. XVIII. 8. 2. Paralip. IV. 2. Jer. XXVII. 19. LII. 20. Ut omnino maximas & publicas mereantur laudes, qui in totam ſtructuræ hujus Hiſtoriam fuere commentati, illi inprimis, qui integris Tractatibus eam illuſtrarunt. Noti autem mihi ſunt ſequentes:

Epiſtola N. F. D. de Mari æneo Salomonis adnexa Ed. Bernardi de Menſuris & Ponderibus antiquis libris. Oxon. 1688. 8.

Albertus Frid. Freyeri Diſſ. duæ de Mari æneo Templi Salomonæi. Jen. 1715. 4.

Conr. Mel Diſſ. de Mari æneo. Regiom. 1702.

Paul. Henr. Nicolai de Symmetria Maris ænei Salomonis &c. Wittemberg. 1717.

Leonhard. Chriſtoph. Sturm de Mari æneo. Norimb. 1710. 8.

Thymi Diſſ. de Labro æneo.

Quorum Titulos aliàs dabimus in extenſo, contenta verò exſcribere omnia, ne in molem nimiam excreſcat labor, haud vacat; ea tamen non omittere eſt animus, quæ ad rem faciunt noſtram, & explicandis Textibus ſunt neceſſaria. Ubi iterum, quod alibi, conſtabit, recurrendum eſſe ἑρμηνεύτῃ ad Matheſin, imò diuerſas Matheſeos partes, ſiquidem is diſtinctum velit & ſibi formare conceptum, & dubia non una ſoluere. Tantò quidem magis, quia Scriptores Sacri uti in tota Templi Solomonæi fabricâ, ita & heic conciſâ utuntur breuitate, ſed venerandâ eâ, & extendendâ juxta artis regulas, uti in columnarum ſtructurâ ad ſingulas ab imo ſtylobata ad ſummam Coronicem partes, ita & heic ad boum altitudinem, maris ipſius interiorem diametrum, & alia ſollicitè eruenda tum ex textuum collatione, tum ex aliorum vaſorum ſymmetria, & naturæ artisque regulis.

E re autem erit, ante diuerſas maris hujus ænei icones ſiſtere, quàm ad ſpecialem textuum Analyſin pergo.

TAB. CCCCXLVII.

MAre æneum ex mente Angli anonymi apud Ed. Bernardum, unà cum ejus Ichnographia; & Baſi, cui circumfluam addidi aquam lauandis Sacerdotibus commodam.

TAB. CCCCXLVIII.

Juxta Leonh. Chriſtoph. Sturmium.

TAB. CCCCXLIX.

Ejusdem Ichnographia.

TAB. CCCCL.

Ejusdem orthographica ſectio.

TAB. CCCCLI.

Mare æneum Villalpandi.

TAB. CCCCLII.

Ex mente Lamy, & Freyeri, quibus & accedit Lundius.

TAB. CCCCLIII.

Juxta Reyherum A. & Mel B.

Locus Textui noſtro parallelus & conformis prorſus occurrit 2. Paral. IV. 2. *Fecit quoque mare fuſum habens decem cubitos à labio ſuo ad labium ſuum, rotundum circunquaque, altitudo ejus quinque cubitorum, & linea triginta cubitorum cingebat ipſum per ambitum. (Mare etiam fuſile decem cubitis à labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.)*

Rem agerem actam, ſi iteratò ad examen reuocarem menſuram, *cubitum*, ſcilicet Hebraicum, pro quo aſſumſimus hactenus 2384. Pedis Pariſini in 1440. particulas diuiſi, ſiue 1. ped. 7. poll. & $10\frac{2}{5}$. lin. Pariſ. Hanc menſuram denuò ſub incudem reuocans *Sturmius* rectificare contendit ex *Herodoti Euterpe* L. II. ubi Pyramidis Memphiticæ maximæ latus ſtatuitur 750. pedum, id eſt, veterum Babylonicorum, quos eosdem vult fuiſſe cum Hebraicis; quod idem latus inuenit *Theuenot* 682. Pedum Regiorum Gallicorum, qui quia ad Rhenolandicum ſe habent ut 1050. ad 1000. memorati ante 750. Pedes antiqui Babylonici reduci queunt ad $716\frac{1}{10}$. Rhenolandicos. Qui Gallici Pedis proportionem ad Rhenolandicum faciunt ut 1440. ad $1391\frac{3}{10}$. iis prodibit Pyramidis latus $712\frac{504}{13933}$. ped. Sed idem *Sturmius* ex Ezech. XLI. 8. XL. 5. XLIII. 13. cubitum ſacrum palmo longiorem ſtatuit communi, ut 750. pedes ſacri reſponderent $796\frac{7}{8}$. communibus ſiue $760\frac{17}{20}$. Rhenolandicis. Sic juxta ipſum prodit diameter maris ænei 10. cubitorum 20. pedd. Rhenol.



I. REG. Cap. VII. v. 23.
Mare æneum Eduardi Bernardi.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 23.
Das eherne Meer nach Ed. Bernard.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 23.
Mare æneum juxta Sturmium.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 23.
Das eherne Meer nach Sturm.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 23.
Ichnographia Maris ex mente Sturmii.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 23.
Deſſen Grundriß nach Sturm.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 23.
Maris Sectio orthograph. juxta eundem.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 23.
Deſſen Durchſchnitt nach Sturm.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. VII. v. 24.
Mare æneum Villalpandi.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 24.
Das eherne Meer nach Villalpand.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 24.
Mare æneum Lamii et Freyheri.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 24.
Das eherne Meer nach Lami und Freyher.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB



Mare æneum Reyheri. Eherne Meer nach Reÿhern.



I. REG. Cap. VII. v. 24.
Mare æneum Melii.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 24.
Eherne Meer nach Mel.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

Rhenol. 3. poll. $4\frac{18}{25}$. ſcrup. & altitudo, quæ fuit 5. cubitorum 10. pedd. 1. poll. $7\frac{19}{25}$. ſcrup. & cubitus unus ſacer 2. ped. $3\frac{19}{25}$. ſcrup.

Quodſi cum *Bernardo* ſtatuamus proportionem Hebraici pedis ad Rhenolandicum 6000. ad 6198. ſiue cubiti ſacri ad eundem 13500. ad 6198. prodibit diameter maris 21. pedes Rhenolandicos 9. poll. 3. ſcrup. altitudo 10. ped. 7. poll. 4. ſcrup.

Eiſenſchmidii ſupra memorata menſura eſt 2384. partium pedis Pariſini, quæ dant 1. pedem Rhenolandicum $\frac{714}{1000}$. particulas: item 1. Pedem Pariſinum $\frac{944}{1440}$: erit proin maris diameter 17. ped. 1. poll. 4. lin. Pariſ. Altitudo 8. ped. 3. poll. 2. lin. Pariſ.

Contractas ita habe Dimenſiones:

Diameter in menſuris Rhenoland.

	ped.	poll.	ſcrup.
Juxta Eiſenſchmid.	17.	1.	4.
Sturmium	20.	3.	$4\frac{18}{25}$.
Bernardum	21.	9.	3.
Altitudo	ped.	poll.	ſcrup.
Juxta Eiſenſchmid.	8.	3.	2.
Sturmium	10.	1.	$7\frac{9}{25}$.
Bernardum	10.	7.	4.

Peripheria 30. cubitorum

	ped.	poll.	ſcrup.
Juxta Eiſenſchmid.	51.	4.	2.
Sturmium	61.	0.	$4\frac{4}{5}$.
Bernardum	67.	7.	9.

In Menſuris Pariſinis, quibus hactenus ad Eiſenſchmidii præſcriptum uſus fui, erit

	ped.	poll.	lin.
Diameter	16.	6.	8.
Altitudo	8.	3.	4.
Peripheria	49.	11.	0.

Occaſionem præbet Textus noſter vexatiſſimæ quæſtioni, agitatæ hinc inde & à defenſoribus Scripturæ Sacræ, & ab ejusdem oſoribus. Juxta Archimedeam proportionem ſe habet Diameter ad peripheriam, non uti in Textu noſtro, ut 1. ad 3. ſed ut 7. ad 22. ſiue 100. ad 314. ſiue ut 1. ad $3\frac{1}{7}$. fere: proinde maris ænei peripheria non foret 30. cubitorum, ſed $31\frac{3}{7}$. id eſt,

	ped.	poll.	ſcrup.
Juxta Eiſenſchmid.	53.	8.	$1\frac{96}{100}$.
Sturmium	63.	8.	9. fere.
Bernardum	68.	8.	$6\frac{2}{100}$.

Scilicet in menſuris Rhenolandicis decimalibus: in menſuris verò Pariſinis ex Eiſenſchmidii mente

ped.	poll.	lin.
51.	11.	$9\frac{76}{100}$.

Heic mirè ſe torquent Interpretes, & omnium facillimè nodum non tam ſoluunt, quàm ſecant *Lyra*, *Piſcator*, *Oſiander*, *Corn. à Lapide*, *Mariana*, *Toſſanus*, *Sanctius*, & alii fortè ἀγεωμέτρητοι, qui veram volunt eſſe circularis peripheriæ rationem ad diametrum ut 3. ad 1. quicquid contradicat Matheſis. Ita & Doctores Ebræi in Tract. *Erubhin* fol. 14. *Quicquid in ambitu ſuo habet tres palmos, illius latitudo eſt (unius) palmi.* Verùm hac ratione riſui exponitur Sacri Codicis αὐθεντία, qui quidem ratione eſt ſuperior, ſed non ei contrarius.

Perfrictæ frontis eos dixeris, qui Sacram Scripturam erroris accuſant. Quos inter *Spinoza Tr. Theol. Polit.* c. 2. *Quia non tenemur credere, Solomonem Mathematicum fuiſſe, licet nobis adfirmare, eum rationem inter peripheriam & circuli diametrum ignorauiſſe, & cum vulgo operariorum putauiſſe, eam eſſe ut 3. ad 1.* Impium, hæc cogitare, nedum effutire. Eſt hæc veritas, proportio Diametri ad Peripheriam, non ſolùm demonſtrata à Geometris, ſed & teſtimonio ſenſuum comprobata, præſertim in Coloſſeis machinis, qualis fuit æneum mare, ut præſumi nequeat, erraſſe menſorem in uno vel aliquot pedibus.

Mitius tractandi ſunt juxta *Menochium* illi, qui Scripturam volunt numerum poſuiſſe rotundum, neglectis minutiis & fractionibus. Quanquam nec ii ſatis dubio faciant. Ubi agitur de Templi dimenſione, & vaſis ejus, obſeruamus, non quid pro quo ponere Scripturam, ſed numerum exactum, ut etiam occurrant fractiones. Ita Exod. XXV. 17. *Duorum cubitorum erit longitudo (propitiatorii) & cubiti ac dimidii latitudo ejus (duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum ac ſemiſſem latitudo.)* Et Nehem. VII. 30. 37. exprimitur unitas ſuper numerum viceſimum, ut hîc poni potuiſſet ſuper trigeſimum. Et attendendum probè, eſſe hanc, de qua nunc, 1. ad 3. unam ex præciſis & egregiis proportionibus in apparatu Templi adhibitis, nempe ſubtriplam: ut duplum dat latitudinis ipſius maris ad altitudinem 5. ad 10. ſiue 1. ad 2. ſextuplam perimetri ad altitudinem, 30. ad 5. ſiue 6. ad 1. Ut omnino dubitari nequeat, reuera ita ſe habuiſſe, prouti exprimuntur, proportiones.

Neque metam attingunt, ingenii licet alis recti, qui Ellipticam figuram mari æneo adſcribunt, Diametro longiori tribuentes 10. cubitos. Cui ſententiæ obſtat, quòd duæ ſint Ellipticæ figuræ diametri, quarum alteram haud omiſiſſet Scriptura. In uniuerſo Templi apparatu regulares occurrunt figuræ, quadratæ, biquadratæ, ſeſquiquadratæ, rotundæ ſiue circulares, nullibi Ellipticæ, irregularesue aliæ. Et ſunt circulares fuſioni aptiores longè præ aliis.

Ingenio haud caret Angli Anonymi apud *Bernardum* conciliatio. In Tab. CCCCXLVII. eſt

a b. diameter ſiue diſtantia à labio ad labium 10. cubitorum.

c p. altitudo ſiue profunditas 5. cubitorum.

e e. vel d d. linea eſt 9, 549. cubitorum, reſpondens peripheriæ 30. cubitorum.

n n. n n. ſunt duo ordines nodorum ſiue capitum bouinorum, quorum 10. in unoquoque cubito continentur, & 300. in tota colli circumferentia.

f g. notat partem maris ſuperiorem cylindricam ad altitudinem I. cubiti.

g h. partem ejusdem maris hemiſphæroidicam.

h i p. repræſentat fundum maris planum & horizonti parallelum.

f f. Diameter eſt interior partis cylindricæ, 9, 216. cubitorum, quæ prodit ſubductis 0, 333. ſiue bis craſſitudine palmari, f a. f b. ab e e. 9, 549.

h i p. circuli ſiue fundi ſemidiameter 9, 355. cubitorum, proinde

p l. ſemidiameter, addito palmo, ſiue craſſitudine maris, 9, 522. cubitorum.

h m. l m. baſeos altitudo $\frac{2}{3}$. cubiti, ſiue 0, 667.

o o. diameter baſis 19, 844. cubitorum, qui numerus proximè accedit ad latitudinem 20. cubitorum, quam mari dat *Eupolemus* apud *Euſebium Præp. Euang.* L. IX. in hunc ipſum facile conuertendus, aliquantulum augendo baſis altitudinem, nimirum ad $\frac{4}{5}$. cubiti.

Fingendæ huic ſtructuræ anſam dedit, quam ſibi propoſuerat inuentor, tentata Scripturæ Sacræ cum Eupolemo & Joſepho conciliatio, ſed non, quantum ſcio, inuenit aſſeclas. Et eſt ſanè rationi veroſimile, quod Scriptura expreſſiſſet potius diametrum inferiorem & latiorem, quàm ſuperiorem minorem: ita ut tota inferior figura hemiſphæroidica efficta ſit ad Eupolemi mentem, de cujus authoritate parum conſtat, præſertim ſi conjectura *Villalpandi* valet, pro I. poſitum eſſe k. id eſt, pro 10. 20. adeoque corrigendum eſſe Eupolemi textum ad Scripturæ Sacræ conformitatem.

Villalpando placet quoque hæmiſphærica figura Tab. CCCCLI. uti & *Theodoreto*, *Abulenſi*, *Hugoni Cardinali*, ut עָגוֹל סָבִיב *agol ſabib* in Textu ſignificet figuram *undiquaque rotundam*, id eſt, ſphæricam, non cylindricam. Proportionem quod attinet diametri ad circumferentiam, iis ſubſcribit, qui volunt, *numeros non eſſe mathematica ratione exactos, ſed populari & communi*, de quibus ſupra. Verùm enim verò ad argumentum, quo utitur, regerere licet, עָגוֹל סָבִיב, quod Interpretes LXX. reddunt ϛϱογγύλον κύκλῳ τὸ αὐτὸ, æquiuocum admittere ſenſum, qui etiam cylindricæ figuræ quadrare poſſit, quod conſtat ex I. Reg. VII. 35. ubi *machina* deſcribitur *ſeſquicubiti altitudine rotunda circumquaque*, id eſt, cylindrica. Accedit, quòd conuexitas maris hemiſphærici non quadret bobus 12. ei ſubſternendis, cui quidem incommodo obuiam venire poſſet fulcrum bobus inſtratum, cujus tamen nulla fit in Scriptura mentio. Ut omittam aliam rationem ex 2000. Batorum calculo deſumptam, quam urget *Freyer Diſſ. II. Th. 7.*

Reyberus Math. Moſ. p. 714. omnem ſcrupulum ſolui vult figurâ, quam mari dat hexagona, ad quam ducere poterat quemuis alium v. 26. occurrens vox שׁוֹשַׁן *Lilii*, ubi memoratur *labium crateris germinante Lilio*. Eſt enim, quod vel tyronibus Botanices notum, Lilii flos hexapetalos; ut &, quæ ipſi *Reybero* ex poſt magis arriſiſſe videtur (*Diſſ. de crucifixi Jeſu titulis Proœm.*) *Lilii conuallium*, utpote globoſæ magis & capacioris figuræ. Et ſanè ad hexagonam figuram quemuis Matheſeos fundamentis initiatum manu veluti ducere debebat proportio in Sacris expreſſa diametri ad circumferentiam 10. ad 30. quæ nulli alii figuræ quadrat, quàm hexagonæ. Nec obſtare videtur vox עָגוֹל circularis, quia & ſexangularis figura ſuo ſenſu rotunda dici poteſt, angulis quippe 6. in circuli peripheria terminatis, ut tandem biſectione continuata ipſum hexagonum abeat in circulum, qui aliud nihil eſt quàm Polygonum infinitorum laterum & infinitorum angulorum. Placet hoc ipſum *Reyberi* mare, quod ſiſtit Tab. CCCCLIII. Lit. A. *Sturmio* quoque, hac ſola diſtinctione, quòd ille totum corpus maris fecerit hexagonum, hic circumferentiam labii tantum, concham verò rotundam, uti videre eſt Tab. CCCCXLVIII. Regerit & his *Reyberi Sturmiique* cogitatis *Freyer* Th. 8. potius forſan, ut cylindricam mari figuram ſeruet, quàm ut hemiſphæricam deſtruat, urgens עָגוֹל סָבִיב, ϛϱογγύλον κύκλῳ τὸ αὐτὸ, vel ϛϱογγύλον κυκλώθεν, referens τὸ αὐτὸ ad τὸ χεῖλος, marginem: Labium Lilii referens non tam ad figuram hexagonam, quàm ad repandam ſiue recuruam, ſiue talem gibboſitatem, quæ & poculo & labio Lilii competit; aſſerens tandem, ideò & diametrum fuiſſe expreſſam numeris & peripheriam, quia hæc cum diametro non conuenit.

Sequitur ingenioſa eruditi *Mel* de mari æneo hypotheſis. Statuit hic Tab. CCCCLIII. B. in pauimento atrii cupam, in qua Sacerdotes pedes manusque lauarent, & è medio ejus mare depingit erectum. Et eſt ei קָו *kau* non *linea* vel *filum*, ſed *cupa*. Verſio ejus ita ſonat: *Et cupa triginta cubitorum circumdabat illud undique.* Hoc *undique* non de Peripheria intelligit, ſed de Diagonali a b, exiſtimans latera a c. b c. cupæ quadratæ fore 20. cubitorum. *Mare* ipſum ita format, *ut in diametro habeat 10. cubitos, undique rotundum in ambitu, profundum quinque cubitos, ſuperius aliquantulum incuruatum in forma cyathi: adeò ut perfecta ejus peripheria indagari non poſſit: quia mare non erat ſegmentum globi regulare, nec eandem ubique cylindri* retinebat æqualitatem — Et *labium* hic non ſolùm facit *ſuperius ad exteriores partes incuruatum inſtar Calicis, ſed adjungit ornatus gratia figuram repandi Lilii, id eſt, per interualla deficientis ac excreſcentis.* Fuit autem mare hoc ex *Melii* mente fons perpetim ſcaturiens, cujus aqua ope machinæ ex fonte Etham per aquæductus ad pedes boum æneorum eleuata per horum caua adſcendit in ipſum mare, idque impleuit juſta proportione, effluens inde per epiſtomia in cupam inferiorem, & ex hac iterum

iterum per canales in Torrentem Kidron educta. Melianæ huic Hypotheſi laus hæc denegari nequit, quòd *Sturmio* occaſionem dederit excogitandæ tali ſtructuræ, quæ Scripturæ explicandæ mihi ſaltem videtur omnium accommodatiſſima; Sunt tamen in illa, quæ criſin admittunt. קָו vel קָוה non cupam ſignificare, ſed in omnibus aliis locis filum, lineam, regulam, amuſſim, euincunt Lexicographi. *Sturmio* p. 71. *videtur planè inſoliti quid, quadratum diagonali ſola indicari, cum eadem pluribus figuris communis eſſe queat: notum etiam eſt, quadrati diagonalem* 30. *cubitorum latera non* 20. *ſed* $22\frac{13}{100}$. *cubitorum conficere, imo lateribus planè incommenſurabilem eſſe, ceu ex radicum extractione conſtat.* Inuenio ergo pro latere non 22. ſed $21\frac{2}{10}$. Quicquid ſit, numeri prodeunt ſurdi ſiue irrationales, ſtructuræ templi incongrui; & ſaltus ex mari in cupam cum textu vix conciliandus.

Sunt porrò, qui mare æneum inferius quadratum ſtatuunt, ſuperius rotundum. Sed & hi ab inuicem differunt, aliis inferiorem 3, ſuperiorem 2. cubitorum altas ſtatuentibus partes, aliis contra. Hanc ſententiam excogitarunt inprimis Rabbini, ut Batorum inprimis conciliarent differentiam, potius quàm diametrum & perimetrum. Ita R. *Iſacides*, *Kimchi*, *Leo Juda* L. III. *de Templo* c. 8. *Lundius Jüd. Heiligth.* L. I. c. 14. qui pro cauſa figuræ inferius quadratæ inprimis urget commodam boum ſubſtrationem. In eo autem conueniunt hi omnes, quòd quadrati inferioris latus fuerit 10. adeoque perimeter ſiue ambitus 40. cubitorum. Huic autem ſententiæ obſtat ſilentium Scripturæ; τὸ עָגֹל סָבִיב rotundum circumcirca, rotundum ubique, quod non ita facile vertere licet in quadratum, ut non miſcentur facile, juxta Prouerbium, quadrata rotundis: irregularis boum ſubſtratio. De Batorum computo, quæ regeri poſſunt, ſuo ſequentur loco. vid. Tab. CCCCLIV. utrumque ſyſtematum allegatorum.

Freyerus cylindricam ſtatuit figuram à ſummo ad imum. Tab. CCCCLII. Ita clarè explicari vult עָגוֹל סָבִיב rotundum circumcirca, rotundum ubique, & commodè boues ſubſternit conchæ. Altitudo maris i k. eſt 5. cubitorum, ſupra b. facit prominentiam labiorum 6. digitorum hinc, & 6. illinc: Diametro inferiori c c. ſiue e e. dat $9\frac{6}{11}$. cubitos, ſicque additis 6. digitis labiorum hinc, & 6. illinc, ſiue $\frac{5}{11}$. cubiti obtinet diametrum a a. 10. cubitorum, & peripheriam labiorum 31. cub. 2. palm. $3\frac{1}{5}$. digg. ipſius conchæ verò in c. vel e. 30. cubitorum. Omnia adæquatè ad Textum Sacrum, qui utramque menſuram exprimit, uti ſumi vel menſurari poterat, diametrum in ſupremo labio, peripheriam in concha. Cum Freyeriano mari conciliari facile poteſt, quod proponit *Lamy*, viſundum in eadem tabula, licet hoc non ſit abſolutè cylindricum, ſed in baſi ad interiora boum dorſa recuruum, id quod haud parum confert ad ſtructuræ concinnitatem & elegantiam.

Sed omnibus anteferendum mihi videtur, quod ſub forma fontis ſalientis ſiſtit *Sturmius* mare. Ita enim conſpirant omnia, Architectura cum Scriptura, partium diſpoſitio, ſymmetria, ſtructuræ totius pulchritudo & uſus, ut vix quidpiam ſuperaddi poſſit. Scenographiam exhibet Tab. CCCCXLVIII. Ichnographiam Tab. CCCCXLIX. Orthographicam Sectionem Tab. CCCCL.

f e. F I. Tab. CCCCXLVIII. & CCCCL. Diameter à labio ad labium eſt 10. cubitorum.

a b. altitudo 5. cubit.

f m. linea à folio labii prominentis ad folium 5. cubit. proin totus ambitus 30. cubitorum.

g g. h h. i i. k k. Tab. CCCCL. Diametri $9\frac{6}{11}$. cubit. ut capitula boum n. ad p. Tab. CCCCXLVIII. o. ad q. &c. 10. cubitos ab inuicem diſtent, & corollæ colocyntharum n p. o q. eandem conſequantur longitudinem.

D O. altitudo baſis, cui inſiſtunt boues Tabb. CCCCXLVIII. CCCCL. $2\frac{1}{3}$. cubit.

p q. Tabb. citt. altitudo periboli $1\frac{1}{3}$. cubit.

a r. Tab. CCCCL. $3\frac{2}{3}$. cubit. altitudo boum.

b o. Tab. CCCCL. tota maris altitudo 10. cubit.

f. Aquæductus ex triplici fonte aquas mari inferens.

A B. Tubus medius, quem pro inſigni decore & myſtico ſenſu triplicem facit Inuentor, ut fons hic ſaliens uno ramo per 1. 2. ejaculetur aquas fontis Etham, altero per 3. 4. aquam fontis Siloah, per tertium B. aquam fontis Gihon.

D C. Columna eſt marmorea, concham inter & ſtereobatam boum, intra quam delituit tubus.

Reſtat addendum aliquid de LXX. virali, quæ maris circumferentiæ dat 33. cubitos, τρεῖς καὶ τριάκοντα ἐν πήχει. Hanc cum Textu Hebræo ita conciliat *Theodoretus*, quòd diametro interiori 10. cubitorum addi debeat pro craſſitie palmus hinc, & palmus illinc, ſic prodeant 11. cubiti, qui triplicati (ſuppoſita diametri ad perimetrum ratione 1. ad 3.) dent 33. Cui conciliationi obſtat, quòd 2. palmi craſſitiei æquentur uni cubito, quem conficiunt 6. vel in menſura ſacra 7. palmi: falſa præterea ſit diametri ad peripheriam proportio. *Villalpandus* autem prætendit, obſeruaſſe LXX. exactam diametri ad perimetrum proportionem; redactis quippe 33. cubitis ad palmos per ſextuplicationem prodire 198. quæ circumferentia ex nota proportione 22. ad 7. det diametrum 63. palmorum, i. e. 10. cubitos ſuperantibus 3. palmis, quorum unus cedat craſſitiei hinc, unus illinc, tertiique duo digiti labio prominenti hinc, duo illinc. Cui opinioni re-

fragari

fragari videtur Textus tribuens diametro à labio ad labium 10. cubitos. Sed obſeruandum Codices alios legere non τρεῖς καὶ τριάκοντα, ſed τριάκοντα, ſicque omnem nodum ſoluere.

I. Reg. Cap. VII. verſ. 24.

Sub labio ejus erant nodi per ambitum, qui cingebant ipſum mare, decem uno cubito, duo ſcilicet ordines nodorum, qui erant fuſi cum ipſo mari.

Et ſculptura ſubter labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare: duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles.

Effigies quoque boum erat ſubter ipſum, per ambitum, qui ambiebant ipſum, decem cubitis circumibant mare per ambitum. Duo ordines erant boum fuſi in fuſura ejus. (Similitudo quoque boum erat ſubter illud, & decem cubitis quædam extrinſecus cælaturæ, quaſi duobus verſibus aluum maris circuibant: boues autem erant fuſiles.) 2. Paralip. IV. 3. De his maris ænei ornamentis externis variant iterum interpretes, ut tot ferè ſint ſententiæ, quot capita. Et contrariari videntur ſibi ipſa loca parallela. Heic habemus *nodos*, *Knöpfe*, ut nos Tigurini vertimus פְּקָעִים *pekaim*, LXX. ὑποστηρίγματα, alii *Cucurbitas ſylueſtres*, & horum quidem ornamentorum *duos ordines*: alibi *duos ordines boum*, *zwey Reygen Rinder-Bilder*, בְּקָרִים *bekarim*, μόσχους. Aliud dubium mouet numerus, עֶשֶׂר בָּאַמָּה *eſer baamah, decem in cubito*, δέκα ἐν πήχει, LXX. nos forſan per errorem Typographi, *decem uno cubito, zehen Ellen weit*, ut ſenſus ſit, diſtantiam horum nodorum ſiue capitum bouinorum ab inuicem fuiſſe 10. cubitorum; aliis ècontra ſpatio unius cubiti 10. nodos ſtatuentibus. Ea eſt, in pronuntiatione ſaltem, vocum פְּקָעִים & בְּקָרִים affinitas, quæ ſuſpicionem mouit *Schindlero Lex. Pentagl.* de corruptione Textus. *Lutherus*, *Oſiander*, *Ioſſanus*, alii quærunt ornamenta hæc bouina inter ipſos boues mari ſubſtratos. *Vatablus* & *Friedlieb* inſculpunt boum capita ipſis cucurbitis ſylueſtribus. Decem cubitos *Lutherus* & alii repetitum volunt maris ipſius diametrum. *Cornelius à Lapide*, & *Sanctius*, quod Ornamenta hæc $\frac{1}{3}$. duntaxat occuparint peripheriæ. Et ibi locat ea *Menochius*, ubi mare hemiſphæricum non plures habuit, quàm 10. cubitos in peripheria. *Münſterus*, *Junius*, *Tremellius*, *Piſcator*, *Caſtellio*, *Maluenda*, *Mariana*, *Friedlieb* ſpatio unius cubiti locant 10. nodos ſiue capita, & *Mariana* quidem, ne arcta nimis ſit diſtantia, 10. in binis ordinibus, id eſt, in quouis 5. Nos eâdem, qua ſupra, methodo materiam hanc proſecuturi palmarias recenſebimus, Iconibusque ſimul ſiſtemus opiniones, ſubnexâ modeſtâ ἐπικρίσει.

Lundius & R. *Jehuda Leo*, qui mari dant ſuperne formam cylindricam, infernè Parallelepipedi (Tab. CCCCLVI.) duos ordines capitum bouinorum collocant in Hedris quatuor parallelogrammis Parallelepipedi, & *Lundius* quidem in quauis hedra laterali 8. nempe 4. infra Cymatium ſuperius & 4. ſupra Cymatium inferius, ſummam adeò capitum 32. *Leo* verò habet 44. nodos ſiue capita aquiflua.

Villalpandus, Tab. CCCCLI. haud ineleganter nodos noſtros vel colocynthidas commutat in encarpos, 10. cubitos longos, per inuicem tranſeuntes, & mare cingentes.

Reyherus Tab. CCCCLIII. A. duos facit ordines capitum bouinorum, numero ad 600. usque, mare ambientium.

Mel Tab. CCCCLIII. B. concipit *pekaim* ut cucurbitiformes prominentias oblongo-rotundas, & prominula ex iisdem bouina capita, iis conſimilia Leoninis ut plurimùm capitibus, ex ære cuſis, vel orichalco, ad quæ pulſare ſolemus ædes, quæ aquam ore fundunt. Numerum quod attinet, ſtatuit *in cubito decem hujusmodi tubercula, ita ut in circumferentia 30. cubitorum fuerint 300. epiſtomia, & quia duplex numeratur ſeries 600. quibus ſuperaddi debent*, juxta veram peripheriæ ad diametrum rationem, *adhuc 4. cubitorum epiſtomia, ita ut in uniuerſum præterpropter fuerint 640. tubercula* cucurbitiformia. *An autem per tantum tuberculorum numerum defluxerit aqua; an verò per nonnulla, ita ut reliqua ſine tubis, ſaltem ornatus gratia, fuerint addita*, incertum relinquit.

Freyer Tab. CCCCLII. quantum quidem ex hac Icone conjicere licet, (non enim vidi niſi binas de mari æneo Diſſertationes, neſcius, an prodierit, quam promiſerat, tertia) ſeparat ab inuicem colocynthidas à capitibus bouinis, illa in binis ordinibus collocans infra labium, hæc in binis pariter ordinibus ſiue ſeriebus in inferiori cylindri parte, & tam cucurbitas, quam capita bouina connectit in toto circuitu per encarpos.

Ἐπίκρισις modeſta in recenſitas hactenus opiniones, prælucente *Sturmio*, hæc eſto. In Scripturam, quod corrupta fuerit, mutatis פְּקָעִים in בְּקָרִים vel his in illa, non cadit ſuſpicio, quia prior vox I. Reg. VII. bis occurrit, uti & poſterior 2. Paral. IV. & heic quidem in Plurali

&

& Singulari. Nec locum habere poteſt *Lutheri* applicatio Textus noſtri ad boues illos 12. mari ſubſtratos: eſt ſaltus ex mari ad boues nimius, & in utroque allegatorum locorum mentio fit expreſſa duorum ordinum, & præterea foret, ſi opinio illa valeret, repetitio tædioſa ac inutilis, uti quoque talis foret, ſi, quod alii volunt, denarius numerus non pertineret ad extantes ſculpturas vel boum, vel colocynthidum, ſed exprimeret maris ipſius diametrum. Porrò uti in defectu peccant, qui ab uno nodo ſeu capite ad aliud diſtantiam ponunt 10. cubitorum, adeoque tria duntaxat in 30. cubitorum peripheria locant capita, vel in duobus ordinibus 6. ita in exceſſu, qui ſpatio unius cubiti habent 5. vel 10: ſic enim in priori caſu conceduntur uni capiti duntaxat 5. digiti, in poſteriori duntaxat $2\frac{1}{2}$. ſicque Icunculæ prodeunt ſtupendæ adeò machinæ, qualis fuit mare hoc æneum, minus proportionatæ, & ut formationi in prototypo, ita & fuſioni minus aptæ, fuſas enim unà cum mari ſacer declarat Codex. Si quos fortè in auia ſeduxit vox בָּאַמָּה *baamah, in cubito*, ii conſiderent abſurdam hanc conſequentiam, quòd & Ezech. XL. 5. *calamus* ille menſorius ſexies contineri debuiſſet *in* uno *capite & palmo* בָּאַמָּה וָטֹפַח *baamah vatophach*, quæ expoſitio utique foret ridicula. Sed nec ii ſcopum tangunt, qui eò usque extantes imagines deprimunt, ubi hemiſphærici maris peripheria non plures habet quàm 10. cubitos, quia ſic haud abfuiſſent longè à dorſo ſuppoſitorum mari boum. Ἀσύμμετροι tandem ſunt prorſus, qui nodos ſeu capita collocant duntaxat in tertia peripheriæ parte, quum contra expreſſe dicat Textus, *cinxiſſe ipſum mare.*

Palmam aliis præripit iterum *Sturmius*, qui infra labium, imo & ventrem conchæ, ubi diameter eſt $9\frac{6}{11}$. cubitorum, in 10. cubitorum diſtantia *encarpos* collocat (Tab. CCCCXLVIII.) ſe inuicem decuſſantes, uti eos quoque ſiſtit *Villalpandus*. Qui ipſi *Encarpi, Feſtons, Frucht-Schnüre*, ſunt פְּקָעִים in Textu pendentes ex prominentibus, forſan cucurbitiformibus tuberculis, è quibus ipſa capita bouina, ſiue בְּקָרִים 2. Paralip. prominent, diſtantia ab inuicem 5. cubitis; ſed ipſi encarpi ab uno capite bouino ſeſe non protendunt ad ſequens proximè, ſed ad ſecundum: ut proin hæc ipſa capita, licet in eadem ſint peripheria, duos quaſi conſtituant ordines; quæ hypotheſis conciliatrix fere omnium præcedentium ſimul omnem locorum ἐναντιοφανείαν diluit. Non equidem ex ore horum capitum profluit aqua, ſed annulos ore claudunt, quod ad fores ædium noſtrarum conſpicere datur, pro commoditate funium injiciendorum, ſi fortè mare transferri debuiſſet ab uno loco in alium. Sed aquam reddunt boues 12. mari ſubſtrati.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 25.

Stabat ſuper duodecim boues, tres reſpiciebant ad Aquilonem, tres reſpiciebant verſus Mare, tres item verterunt facies ad Meridiem, & tres reſpiciebant ad Orientem: ſuper his ſtabat mare deſuper, poſteriora autem eorum omnia erant introrſus.

Et ſtabant ſuper duodecim boues, è quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem: & mare ſuper eos deſuper erat: quorum poſteriora uniuerſa intrinſecus latitabant.

EST Textus ita clarus, ut nulla videatur indigere explicatione. Suſtinent in omni hypotheſi *boues* veluti atlantes mare ſibi incumbens. Attamen de ſitu quærere licet, an circulus, in quo ſtabant boues, fuerit in partes æquales 12. diuiſus, & in ſingulis partitionis punctis bos locatus: vel ad Cardinalium punctorum latera ſteterint boues duo in æquali diſtantia, & in medio horum unus in ipſis punctis cardinalibus. Ita in Tab. CCCCXLIX. *reſpiciebant ad aquilonem* boues H e I, nimirum in plagis N N W. N. & N N O. *ad mare*, ſiue verſus Occaſum, boues h G g. in plagis W N W. W. W S W. *ad Meridiem*, boues F f M. in plagis S S W. S. S O O. *ad Orientem* boues i m L l, in plagis O S O. O. O N O. Ita quæuis alia partitio habuiſſet locum.

Altitudinem quod attinet, judicat *Villalpandus* ex *Eupolemo* fuiſſe illam viri. *Reyherus* à capite ad caudam iis dat 5. cubitos. Omnes autem ex modernis eos faciunt cauos, & *Mel* quidem ſingulos fuiſſe feorſim fuſos, & epiſtomia ex mari ſingulis bobus applicata: *Sturmius*, omnium ſimul ſumptorum capacitatem fuiſſe 1000. Bathorum, de qua re mox plura.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 26.

Craſſities ejus palmum habebat, & labium ejus erat fabrefactum ut labium crateris germinante Lilio, capiebatque duo millia Batorum.

Groſſitudo autem lutéris trium unciarum erat: labiumque ejus, quaſi labium calicis, & folium repandi Lilii: duo millia batos capiebat, & tria millia metretas.

Craſſities ejus palmum habebat, & labium ejus erat fabrefactum ut labium crateris germinante Lilio, capiebatque Batorum tria millia. (Porro vaſtitas ejus habebat menſuram palmi, & labium ejus erat quaſi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria millia metretas.) 2. Paralip. IV. 5. Locus parallelus ſimul & ἐναντιοφανής. Habet quippe hic 3000. ille noſter Textus 2000. Batos. Quæ diuerſitas crucem fixit hactenus Interpretibus.

Sed quoque בַּת *Bath, Bathus, Batus, Badus*, βάδος, menſura pro fluidis maxima. De qua parum nobis conſtat certi, variantes proin opiniones, quas difficiliores adhuc reddit reductio ad Europæas noſtras, vel cuiuis Regioni, Urbi, oppido uſitatas. Ipſi LXX. hærebant dubii in reductione ad menſuras Græcas, nunc enim reddunt χοεῦς, *Congium*, ut in quibusdam Codicibus 1. Reg. VII. 26. nunc μετρητὴ, 2. Paral. II. 5. nunc per κεράμιον. Clarior *Joſephus Ant.* L. VIII. c. 2. Bathum æquiparans *ſeptuaginta duobus ſextariis*, ὁ δὲ βάδος δύναται χωρῆσαι ξεστὰς ἑβδομήκοντα καὶ δύο. Ut proin par fuerit *Metretæ Attico*. Sed quid capit *Metretes*, quid *Sextarius*? Hebræi communiter Batho dant 432. oua, ſed eſt & hæc menſura propter ouorum diuerſitatem vaga. Augent difficultates *Lyra, Abulenſis, Hugo Cardinalis, Dionyſius Carthuſianus, Villalpandus*, diſtinctione ſua inter *Bathum ſacrum* majorem, & *communem* minorem, de qua mox plura; Ebræi item diſtinguendo *Bathum aridorum*, majorem ob accumulationem, & *liquidorum Bathum* minorem, ad quas diſtinctiones amplexandas nulla nos cogit neceſſitas. Citius omnino ex ipſo noſtro æneo mari eliceremus veram Bathi capacitatem, ſi hujus figura nobis eſſet plenè cognita. Interim è re erit, omiſſo tædioſo calculo ſiſtere veluti in Synopſi diuerſos diuerſorum de Batho conceptus, & quidem in menſuris Rhenolandicis ex *Sturmio Æn. Mar.* p. 21.

	poll. cub.
Juxta Rabbinos - - -	1312.
Waltonum - - -	1567.
Bernardum - - -	2210.
Tanchumum - - -	3110.
Sturmium - - -	1504.

Eiſenſchmidius, quem hactenus ut plurimum ſum ſecutus, Batho tribuit 2022. pollices Cubicos Pariſinos, quos reduxi ad 12. menſuras 1. dimidiam & $\frac{1}{3}$. dimidiæ Tigurinas rurales, ſiue 15. menſuras $1\frac{1}{2}$. quartas urbicas: juxta quem computum inuenio pro 2000. Bathis 25333. menſuras $\frac{2}{3}$. dimidiæ, pro 3000. verò $48000\frac{1}{4}$. rurales: pro 2000. Bathis 30550. pro 3000. vero 45925. menſuras urbicas: linquens aliis reductionem ad menſuras alias aliarum Regionum: ut *Freyerus* habet 48000. cantharos Jenenſes, & 72000. pro 3000. Bathis.

Sed poſito, certos nos eſſe, ut non ſumus, de Batho, nondum tamen ſolutus eſt, quem 2000. heic, 3000. ibi mouent, ſcrupulus: Quod ipſum dubium conſiderationi noſtræ ſubmittendum reſtat.

Nodum mox ſoluunt *Tirinus, Joh. Palmer*, & alii, quos ſupra recenſui, diſtinctione inter *Bathum ſacrum* & *communem*, quorum hic ſuperetur ab illo in ratione ſeſqui altera, ſiue $1\frac{1}{2}$. ad 1. Sic enim 2000. Bati unius loci faciunt 3000. alterius. Nituntur autem illi authoritate Vulgatæ, quæ 2. Paral. IV. pro 3000. Batis habet 3000. *metretas*, & 1. Reg. VII. bis mille batos Gloſſarum formâ explicat per *ter mille metretas*: *Joſephi* item, qui batum æquiparat Sextariis 72. id eſt, totidem Logis, quod nimium judicat *Villalpandus* pro mari æneo, niſi ſtatuamus Logum 6. ouis minorem. Verum enim verò minus firmo ſtant hæc omnia talo. Ex ſacris ſi quod elici poteſt diſcrimen, elicitur Siclorum & Cubitorum, non verò Batorum, quod ſi fuiſſet, haud præteriiſſet Ezech. XLV. 11. ubi Bathum cum Epha æquiparat, & cum aliis minoribus menſuris confert. Silentio prætereo, quæ adferri poſſent contra deductionem bathi, id eſt, ſemicubiti cubici, quàm *Villalpandus* facit ex ipſo mari æneo; ea quoque, quæ produci poſſent contra Hebræorum diſtinctionem inter *Batum aridorum* majorem & *liquidorum* minorem, nec authoritate Scripturæ, nec ulla ratione fundatam.

Sunt *Piſcator, Ribera in Menochium, Junius, Grotius, Toſſanus, Friedlieb, Thymus, Reyherus*, perſuaſi, potuiſſe equidem mare, ſi ad marginem plenum, capere 3000. batos, ſed habuiſſe communiter 2000. Tolerari poſſet hæc conciliandi ratio, ni accederent ſomnia, conſcendiſſe Sacerdotes lotionis ergò hoc mare, quod repleri non potuerit ad ſummum, nè ſubmerſi in eo vitæ incurrerent periculum. Emendatur hæc hypotheſis, ſi dixeris, cepiſſe mare

mare integrum 3000. batos, & reuera per noctis decurſum fuiſſe adimpletum, ſed continuiſſe cupam mari ſubjectam batos 1000. ut in ea lauare potuerint manè Sacerdotes manus ſuas ac pedes, ſic cupâ repletâ remanſiſſe in mari ipſo 2000. batos, ſacrificiis lauandis aliisque ſacris uſibus deſtinatos. Cui opinioni firmandæ inſeruire id poſſet, quod 2. Paral. voci יָכִיל *jacil*, *complebat*, quæ etiam occurrit 1. Reg. adjuncta ſit alia vocula מַחֲזִיק *machazik*, *comprehendens*, ut ſenſus ſit, repletum fuiſſe ordinariè ad 2000. batos, ſed integrum capax fuiſſe 3000. batorum.

Prukner in vindiciis, *Schindler* in *Lexico Pentagl. Hafenreffer de Templo Ezech.* quærunt 1000. reſiduos ſupra 2000. batos ſupernè, ut alii infra, pertendentes, aquæ fluidæ in mari fuiſſe & ad marginem usque duntaxat 2000. ſed frumenti in conum accumulati 3000. batos. Sed hæc opinio exquiſitam vix ſuſtinet δοκιμασίαν. Fuit, quod notum, bathus menſura fluidorum, non aridorum: Mare æneum ὑδροφυλάκιον, non σιτοφυλάκιον. Et ex Geometriæ principiis conſtat, Conum ſiue Pyramidem eſſe $\frac{1}{3}$. Cylindri vel Priſmatis ejusdem altitudinis & baſeos, & proin vas 5. cubitos profundum & 10. latum, in conum licet accumulatum, non plus capere quàm 2666. batos, qui longè abſunt à 3000. Fiant experimenta cum vaſe cylindrico, cujus altitudo ſit ſubdupla diametri; patebit, conum accumulatarum frugum vix $\frac{1}{3}$. fore vaſis; ſal cohærens magis & madidum $\frac{1}{2}$.

Vatablum ſi audias, ſunt Paralipomena reuerà παραλειπόμενα, omiſſa in Libris Regum: quod parum quadrare videtur cum ἀκριβείᾳ & αὐθεντίᾳ Sacri Codicis: pone, extare heic ibi circumſtantias alibi omiſſas, ſed caue hoc applices menſuris vel numeris, qui ſi in uno loco falſi ſint, correctionem poſtulant, non ſupplementum.

Rabbinos ſi conſulas, *Salomonem Iſaacidem*, *Kimchium*, *Jehudam Leonem*, & ex iis *Lundium*, videbis occaſionem dediſſe illis hanc, de qua nunc, Locorum Scripturæ ἐναντιοφανείαν mari æneo aſſignandi formam duplicem, ſupernè cylindricam, infernè parallelepipedicam, ut uni harum dent 1000. bathos, alteri 2000. toti mari 3000. Quæ ſententia adeò abſurda haud eſt, modò demonſtrari poſſet ſtructura hæc duplicis formæ, & ratio dari, cur Scriptura in uno loco expreſſerit capacitatem duntaxat ex parte, alio in loco totam, quum tamen ex hypotheſi tam Cylindrus quàm Parallelepipedum pertinuerint ad ipſum mare. Ut taceam, ex propria illorum hypotheſi calculum 2000. & 3000. bathorum non congruere dictis partibus vel toti, ſiue Cylindrum ſtatuas 2. cubitorum, & Parallelepipedum 3. in altitudine, ſiue huic 2. tribuas illi 3. ſiue cubitum ſtatuas 6. ſiue 7. palmorum; quod conuincit *Freyer Diſſ.* II. p. 19.

Pergimus ad *Melium*, cui maris ænei nomine venit non ſolùm vas illud coloſſeum ſeu concha bobus impoſita, ſed & cupa inferior, in quam aqua defluxit: illi autem tribuit 1000. batos, huic 2000. toti proin mari 3000. ut Locus I. Reg. intelligendus ſit de cupa inferiori, Paralip. verò de concha & cupa. Hanc ſententiam ad examen & calculum reuocat *Sturmius* ſequentem in modum. Supponit cum Autore Hypotheſeos, bathum continere 432. oua, ouum 3. pollices cubicos, cubitum 5. palmos, ſacrum 10. ſiue 30. poll. Mare ſuperius computaturus tanquam hemiſphæricum (eſt autem juxta Melium amplius) inuenit, ſubtracta metalli craſſitie, diametrum poll. 294. hujus cubum 25412184. per conſequens (ex Archimedea Proportione 42. ad 22.) ſphæram 13311144. hemiſphærium, quod ipſam dat concham 6655572. poll. cub. Poſita bathi capacitate 432. ouorum ſiue 1296. pollicum dabunt 1000. bathi 1296000. quo numero ſi diuidatur inuenta conchæ capacitas prodibunt 5. & quod excurrit, id eſt, ſupra 5000. bati pro illa conchæ capacitate. Et cupam inferiorem 2000. batorum ſiue poll. cub. 2592000. ſi diuidas cum ſuperficie 360000. poll. quadratorum, prodit altitudo cupæ, in qua Sacerdotes lauari debebant haud ultra 7$\frac{1}{2}$. poll. profunda. Sed corrigit *Melii* Hypotheſin *Sturmius* ponendo cum *Bernardo* pro bato 2210. poll. cub. pro cubito 18. poll. ſicque inuenit pro conchæ capacitate incirca 1000. batos & pro cupæ profunditate ferme 3. pedes. Haud tamen extricat nos ipſa hæc melioratio ab omni difficultate. Nondum quippe conſtat ratio, cur 2000. bati non æquè pertineant ad concham ſeu mare ipſum æneum, utpote cujus margo in Textu noſtro adeò præciſè deſcribitur, qui ipſe Textus ex *Melii* Hypotheſi conchæ, id eſt, maris propriè & verè ita dicti nullam prorſus faceret mentionem, ſed hanc παραλειπομένοις relinqueret.

Feliciſſimè omnium ut hactenus doctrinam de mari æneo explicauit Clar. *Sturmius*, ita & omne heîc locorum dubium remouet. Videamus, quomodo. Seligit is cum *Bernardo* bathum omnium ferme maximum 2210. pollicum cubicorum, quoniam notum, unico ſæpe die 1000na. aliquot Sacrificia fuiſſe mactata, quorum lotioni non minorem aquæ copiam dare poſſumus, quàm 2000. batorum. Totidem autem bathorum capax fuit mare æneum κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum, bobus impoſitum. Hi igitur 2000. bathi multiplicati cum 2210. pollicibus cubicis dant 4420000. pollices cubicos pro tota maris capacitate: Mare autem hoc facilioris calculi ergo concipit ſub forma Cylindri ex circumuolutione parallelogrammi oblongi a b s t. Tab. CCCCL. geniti circa axin a b. Ab altitudine hujus Cylindri ſubtrahit fundi craſſitiem u t. 3. poll. ut maneat altitudo Cylindri b c. 122. poll. his diuidit totam capacita-

 tem,

tem, & hac ratione inuenit pro area fundi 36229. pollices quadratos. Poſtea ex Archimedea ratione circuli ad quadratum diametri 77. ad 98. pro quadrato diametri maris æneì obtinet 46100. Unde extracta radix 214. poll. dabunt Cylindri hujus diametrum, ſiue 107. ſemidiametrum b s. Ita ſi Parallelogrammum r s t u. fuerit delineatum nîl referet, qualemcunque demus mari figuram, dummodo extremus margo e. 5. cubitis diſtet à centro, & quod ventri maris datur ultra lineam s t. auferatur infra S. de Cylindri cauitate. Boues 12. quibus mare inſiſtit excauat ille noſter Interpres, omnibusque junctim ſumtis dat 1000. batos. In horum boum diſtinctam magnitudinem ita inquiſiuit. Unius cujusque bouis cauum ſiue capacitatem reducit iterum ad Cylindrum, cujus ſectio parallelogrammica u x y z. in longitudine ſua ſe habet ad latitudinem ſiue altitudinem ut $3\frac{1}{2}$. ad 1. Diuidit per conſequens 1000. batos ſiue 2210000. pollices cubicos per 12. obtinetque ſic capacitatem unius cylindri 184166. Hic numerus diuiſus per 7. dat quotum, qui bis ſumtus cylindrum dat, cujus altitudo æqualis diametro fundi circularis, cubo inſcriptibilis $52618\frac{6}{7}$. Infert porro juxta Archimedis regulam, ut 33. ad 42. cylindrus ad cubum, ita cylindrus inuentus ad cubum, è quo extracta radix dat latitudinem z y. 40. ut longitudo x y. ſit 140. poll. Delineato ita Parallelogrammo u x y z. haud difficile erit figurare bouem, qui contineat $1\frac{1}{2}$. de mille batis. Poterat enim Plaſtes formis ex Gypſo paratis, & pinguedine intus oblitis, infundere batos tot, quot opus erant, iterumque effundere, & vel exceſſui vel defectui mederi abradendo Gypſum, vel addendo; applicatis prius Epiſtomiis neceſſariis.

Panduntur ita à *Sturmio* duæ ἐναντιοφανείας inter 2000. & 3000. batos tollendi viæ. Nam 1. maris concha ſola bobus impoſita capiebat 2000. batos 1. Reg. VII. memoratos, & ipſum hoc mare unà cum bobus ſubſtratis per Epiſtomia mari connexis 3000. juxta 2. Paral. IV. ubi ſimul prolucet ἔμφασις vocis מַחֲזִיק *comprehendens*. 2. Ponit idem, per ora boum duplo plus aquarum fluxiſſe, quàm per Canales occultos mari fuerat illatum eodem tempore: dum interea ora boum fuere clauſa, donec mare totum fuerit reimpletum. Clauſis poſtmodùm aquæductibus ad mare euntibus, ut aquæ non patuiſſet aditus, & ècontra apertis boum epiſtomiis pro defluxu aquæ in 10. labra ænea, 40. batorum capacia ſingula juxta 1. Reg. VII. 38. fuiſſent hæc quinquies repetita aquatione repleta, quo ſenſu capacitas maris fuiſſet 2000. batorum. Si verò aquæductus aperti manſiſſent, ſepties repetenda fuiſſet aquatio, & octaua vice ſaltem quinque labris danda fuiſſet aqua pro maris exhauſtione. Ita adfuiſſent bati 3000. Et vox מַחֲזִיק *comprehendens* idem ſignificaret quod *affundens, ſiue fortificare faciens Batos, ter mille comprehendebat*, ſiue *complebat*. Vix autem vero eſt ſimile, affluxiſſe ſimul & effluxiſſe indeſinenter dice noctuque aquas, ſed probabilius longè, clauſa fuiſſe nunc boum epiſtomia, nunc aquæductus.

In Calculo *Sturmii* ſupra expoſito inueniet fortean curioſus Lector, quod vel deſideret vel emendet. Inuenio ego, reuiſo computo, ex propria Authoris Hypotheſi, & batho 2210. poll. cubicorum capacitatem maris 4420000. poll. profunditatem, ſubtractis pro fundo 3. digg. ped. 9. poll. 8. ſcrup. $7\frac{9}{25}$. pro area circulari fundi 4476584. pro quadrato diametri 5697470. è quo radix extracta dat diametrum 2387. ſcrup. ſemidiametrum $1193\frac{1}{2}$.

Quodſi cum *Eiſenſchmidio* ponam pro batho 2022 pollices Pariſinos, ſiue 3494016. lineas cubicas: prodit capacitas maris 6988032000. lin. profunditas ſubtractis 3. pollicibus 8. ped. 0. poll. 4. lin. ſiue 1056. lin. area circularis fundi $6617454\frac{1}{2}$. lin. quad. Diametri quadratum $8422214\frac{63}{77}$. radix inde extracta, ſiue diameter 2902. lin. ſiue 20. ped. 1. poll. 10. lin.

Multa dici poſſent de pondere maris ænei, transportatione ejus in Templum, deriuatione aquæ ex fontibus, loco in Templo, uſu tum naturali, tum myſtico & fatis, quæ, quia limites intentionis & Textus transeunt, lubentes omittimus.

RPJCB



I. REG. Cap. VII. v. 27-37.
Labra ænea Villalpandi.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 27-37.
Eherne Keſſel nach Villalpand.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. VII. v. 27-37.
Labra ænea Lundii.

I. Buch der Kön. Cap. VII. v. 27-37.
Eherne Keſſel nach Lund.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCCLIV. CCCCLV.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 27 - 37.

27. Et fecit decem machinas æneas, cujusque machinæ longitudo quatuor fuit cubitorum, latitudo quatuor cubitorum, & altitudo ejus trium cubitorum.

28. (a) Abacos habuerunt intra limbos concluſos.

(a) Abacos voco ſpatia aut campos latos inter limbos laterales, qui quoniam limbis clauduntur & circumſepti ſunt, Ebraice clauſuræ vocantur.

29. Atque in abacis illis intra limbos incluſis Leones erant, Boues & Cherubim, ſupra limbos pes erat ſupernè, ad cujus infimam partem item Leones erant & Boues, tum etiam additamenta quædam opere bracteato.

30. Singulæ Machinæ habebant rotas æneas quatuor & tabulas æneas: deinde erant in quatuor angulis ejus humeri ſub labro ipſo ad latera uniuscujusque, qui humeri fuſi erant, quisque è regione alterius pone additamentum.

31. Os ejus intra coronamentum & ſupra cubitum habebat, osque ejus rotundum erat ut opus pedis, habens ſesqui cubitum. Et ſupra os ejus erant extantes noduli, quorum abaci quadrati erant, non rotundi.

32. Quatuor rotæ erant ſub abacis, axesque rotarum in machina ipſa, altitudo rotæ erat ſesquicubiti.

33. Erat autem factura rotarum ut factura currus, (b) axes earum, moduli earum, radii earum, & canthi earum, omnia hæc fuſa erant.

(b) Alii gab pro cantis legunt, & hiſchuk pro modiolis, vel huſchuk pro annulis ferreis, quæ continent modiolos.

27. Et fecit decem baſes æneas, quatuor cubitorum longitudinis baſes ſingulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.

28. Et ipſum opus baſium interraſile erat: & ſculpturæ inter juncturas.

29. Et inter coronulas & plectas, leones & boues & Cherubim: & in juncturis ſimiliter deſuper: & ſubter leones & boues, quaſi lora ex ære dependentia.

30. Et quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei: & per quatuor partes quaſi humeruli ſubter luterem fuſiles, contra ſe inuicem reſpectantes.

31. Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate: & quod foriſecus apparebat, unius cubiti erat, totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata, non rotunda.

32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos baſis erant, cohærebant ſibi ſubter baſim: una rota habebat altitudinis cubitum & ſemis.

33. Tales autem rotæ erant, quales ſolent in curru fieri: & axes earum, & radii, & canthi, & modioli, omnia fuſilia.

34. Quatuor inſuper humeri ad quatuor angulos machinæ cujuslibet, atque hi humeri ejus ex machina procedebant.

35. Et ſupra machinam altitudo erat ſesqui cubiti rotunda circunquaque, & in ſummo machinæ limbi ejus, & abaci ejus ex ipſa.

36. Exſculpſerat enim ſupra tabulas limbos, & ſuper abacos ejus Cherubim, Leones & Palmas, quemadmodum in abaco quolibet, & additamento circunquaque.

37. Ad hunc modum fecerat decem machinas eodem modo fuſas, eadem menſura, eademque formatura omnibus.

34. Nam & humeruli illi quatuor per ſingulos angulos baſis unius ex ipſa baſi fuſiles & conjuncti erant.

35. In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas unius & dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter deſuper poſſet imponi, habens cælaturas ſuas variasque ſculpturas ex ſemetipſa.

36. Sculpſit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas, quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis, ut non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur.

37. In hunc modum fecit decem baſes, fuſura una, & menſura ſculpturaque conſimili.

Vidimus *æneum mare*, ejusque ſtructuram ſatis, ut quidem enucleauimus, naturali nunc ordine, ὁδηγῷ ſacro Codice pergimus ad *labra ænea*, &, quibus incumbebant, *machinas*: Ex *mari* translata fuit aqua in *labra*: In *mari*, cupa nempe ejus inferiori lauabant Sacerdotes muneribus ſuis functuri manus ac pedes, in *labris* victimas offerendas DEO. Clarum id ex 2. Paralip. IV. 6. *Fecit inſuper decem labra, & poſuit quinque à dextra, & quinque à ſiniſtra, ut lauarent & abluerent in eis opus holocauſti, mare autem, ut in eo lauarent Sacerdotes.* Omnia nempe, quæ DEO offerri debebant, oportuit eſſe ſacra, omnia ſacra munda, ſordes abſtergi aquâ. Dictabat & gentibus vel natura, obſcurus licet de DEO ſanctiſſimo nonniſi mundis oblationibus placando conceptus, vel ab ipſis Judæis deriuata traditio lotiones. Habuere & illæ aquas ſuas luſtrales, quibus luſtrabantur Sacerdotes, hoſtiarum oblatores, hoſtiæ ipſæ, veſtimenta; ut etiam molam ſalſam præceſſerit manuum ablutio; quod fuſè probat *Scacchi Sacr. Elæochriſm. Myroth.* II. c. 49. p. 542. Quod mare fuit & labra in Templo Solomonæo, id fuere χέρνιβες, χερνίβια, χειρόνιπτρα, *Aquiminalia, Polluci, Homero*, aliis frequentiſſimè memorata. Quale *vas, futile Feſto* dictum, antiquitatis inſigne monumentum in Sacris veſtæ adhibitum depingit *du Choul de Rom. Relig.* (vid. Tab. CCCCLVI. Fig. A.) & ex Sacris his Ethnicorum uſum aquarum luſtralium modernum deducit, quo jure, videant alii.

Vas modò dictum *futile*, quo utebantur in Sacris Veſtæ Romani, *in terra non ponebatur*, teſte *Feſto*, ſed à Sacris Veſtalibus ferebatur. Simile quid obſeruandum in *labris* noſtris *æneis*, quæ terram non attingebant, ſed *machinis*, מְכוֹנוֹת *mecconoth* fuere impoſita, quæ Parallelepipedi formam habebant, 4. cubitos longæ latæque, tres altæ.

Seruarunt LXX. in Textu noſtro vocem originalem μεχωνὼθ, complut. μεχωνὰ, ſed in Paralipomenis habent Λετῆρα, *luterem*, *Lauacrum*. *Joſephus* baſes dixit eſſe μεχωνὼθ, ſed τὲς τρογαύλες, luteres, impoſitos baſibus. Legas & apud *Theodoretum* χυτρογαύλες, in Editione *Joſephi* Colonienſi κυθρογαύλες pro *labris*, quorum altitudinem facit *quatuor cubitorum. Ant.* L. VIII. c. 2.

Habuerunt hæ machinæ ſiue baſes æneæ מִסְגְּרוֹת בֵּין הַשְּׁלַבִּים *misgroth ben haſchlabbim*, *abacos intra limbos*, ut nos vertimus, LXX. συγκλειςὸν ἀνὰ μέσον τῶν ἐξεχομένων, *concluſum inter juncturas*, potius clauſuras inter partes extantes, id eſt, areas inter partes extantes, Tab. CCCCLV. ubi hæ areæ ſculpturis variis ornatæ ſunt 1. & extantes partes 2. unde nos ſatis benè *Seiten*, Seiten-Flächen, *zwiſchen den Leiſten. Villalpandus* T. II. p. 493. per τὰ ἐξεχόμενα, *juncturas*, intelligit *columellas, quibus æneæ baſium tabulæ invicem connectebantur.* A. Tab. CCCCLIV.

Erant autem areæ hæ ſeu quadratæ, ſeu rectangulæ, ſculpturis pulcherrimis exornatæ. *In abacis illis intra limbos incluſis Leones erant, Boues & Cherubim.* v. 29. De his nihil eſt dubii. vid. Tab. CCCCLIV. CCCCLV. niſi quòd ibi leones & boues ponantur ſtatim infra luteres, & Cherubini in areis lateralibus, heic omnes hæ figuræ in areis. De his ita *Joſephus* l. c. ἦν δε ταῦτα (πλευρὰ τῆς βάσεως) τριχῆ διῃρημένα, ἑκάςην

δὲ

δὲ χώραν ὅρος ἐπεῖχεν, εἰς ὑπόβασιν κατεσκευασμένον, ἐφ᾽ οἷς ἐτετόρευτο, πῆ μὲν λέων, πῆ δὲ ταῦρος, καὶ ἀετός. *Erant autem hæc* (latera baſium) *tripartita, & inter juncturas cælaturis diſtincta, alibi Leonis effigie, Tauri alibi, aut Aquilæ.* Et mox: οἷς (γωνίαις) ἐπεκάθητο σπεῖρα κατὰ κλοιὸν ἐπικειμένη τὸν λουτῆρα ταῖς χερσὶν ἐπαναπαυόμενον, ἀετοῦ καὶ λέοντος αὐταῖς ἐφηρμοσμένων, ὡς σύμφυτα ταῦτ᾽ εἶναι δοκεῖν τοῖς ὁρῶσι. μεταξὺ δὲ τούτων φοίνικες ἦσαν τετορευμένοι. *His* (angulis) *impoſita erat ſpira, cui labrum inſerebatur, ita ut manibus ſuſtineri videretur: qua parte effigies Leonum & Aquilarum ſic erant adaptatæ, ut connatas putares, interuenientibus inter eas Palmarum arbuſculis.* Quæ *Joſephi* deſcriptio quadrat *Villalpandinæ* Delineationi Tab. CCCCLIV. Memorantur porrò v. 29. לְיוֹת מַעֲשֵׂה מוֹרָד *lioth maaſeh morad*, infra leones & boues, LXX. ἔργον καταβάσεως, *opus deſcenſionis*, nobis, obſcurè, *additamenta quædam opere bracteato*, melius in vernacula, *allerley Laubwerck*, quo nomine intelligit *Villalpandus* Tab. CCCCLIV. B. *ornamentum* illud, quod encarpi inſtar *in ima baſi luterum inter rotas pendet, ex Leonum, aut Boum, Aquilarum, aut humanis capitibus dependentia. Lundius* cælaturas quoque habet pendulas, *Zierathen von getriebener Arbeit*. Tab. CCCCLV. E.

Verſ. 30. *Singulæ machinæ habebant rotas æneas quatuor, & tabulas æneas.* Hæc nihil inuoluunt dubii. Rotas videſis Tab. CCCCLIV. C. CCCCLV. A. Videntur autem Rotis impoſitæ machinæ, ut facilè ab uno loco in alium moueri poſſent, fortè & ipſi mari admoueri, & ex hoc fonte impleri. Memorantur & *humeruli in quatuor angulis*, כְּתֵפוֹת *cethepboth*, LXX. ὠμίαι ὑποκάτω τῶν λουτήρων, *humeruli ſubter luteres*; *Joſephus*, τέσσαρες κιονίσκοι κατὰ γωνίαν ἑστῶτες τετράγωνοι, *quatuor columellæ per totidem angulos diſpoſitæ quadrangulæ.* Intelliguntur nempe columnæ ſiue columellæ angulares Tab. CCCCLIV. D. CCCCLV. F. Sed altius rurſum aſcendit *Villalpandus*, prætendens, fuiſſe concham ſiue luterem ſuſtentatum veluti humeris quatuor animalium alas conjungentium. Tab. CCCCLIV. E.

Sequitur v. 31. *Os intra coronamentum* פִּיהוּ מִבֵּית לַכֹּתֶרֶת *pibu mibbeth laccothereth. Joſephus* loco ſupra citato explicat per σπεῖραν, *ſpiram.* Intelligit *Villalpandus* ipſum pedem conchæ Tab. CCCCLIV. G. Tabulæ ſupremæ conjunctum, ſiue inſertum, qui fuerit *rotundus* ſeſqui cubitum, in ſummo cubitum, contractus nempe, ut ſolent vaſorum pedes. Aliter ſentit *Lundius* conchæ ſubdens Parallelepipedum, cubitum altum, cælaturis quoque exornatum, quod *collum, den Hals* vocat, præeunte *Luthero* & vernacula noſtra. Tab. CCCCLV. G. In hujus area ſuprema os ſiue foramen ſeſqui cubitale collocat H. cui concha fuerit baſi ſua inſerta.

His hactenus explanatis reliqua, quæ ſequuntur, nihil inuoluunt difficultatis.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 38. 39.

Fecit præterea decem labra ærea, ſingula labra capiebant quadraginta Batos, ſingulaque labra quatuor erant cubitorum, ſingulisque machinis ſingula labra impoſuit.

Et collocauit quinque machinas ad latus ædis dextrum, & quinque ad latus ædis ſiniſtrum: Lacum verò poſuit à latere ædis dextro ad Orientem, Meridiem verſus.

Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: ſingulos quoque luteres per ſingulas, id eſt decem baſes, poſuit.

Et conſtituit decem baſes, quinque ad dexteram partem Templi, & quinque ad ſiniſtram, mare autem poſuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem.

F*Ecit* vel fieri juſſit Salomon *decem labra ærea* כִּיּוֹרוֹת נְחֹשֶׁת *cioroth nechoſcheth*, LXX. χυθροκαύλους χαλκοῦς, Nos & Vulgata *labra*, alii minus rectè *labia.* Erat veteribus *labrum* vas in balneis ad lauandum aptum. *Labrum in balneo fac ut ſit. Cicero.* Baſes, quibus impoſita fuere hæc labra, deſcriptæ in verſiculis præcedentibus. Horum labrorum *quinque* fuere ad *latus ædis dextrum*, in angulo nempe Auſtr-occidentali, & *quinque ad latus ædis ſiniſtrum*, in angulo inter parietem occidentalem & ſeptentrionalem, Tab. CCCCXXXI. W. CCCCXXIII. S. Atrii nempe Sacerdotum. An autem eodem ſemper loco ſteterint hæc labra fixa, aqua ad ea per tubos ſubterraneos ex fonte Etham deductâ, quod *Lundio* placet, vel, quoties impleri debebant, mari ipſi rotarum beneficio, quibus incumbebant, adducta, quod *Sturmius* vult, definire nolo. Certum id eſt, inſeruiiſſe hæc labra lauan-

 dis

dis victimis. Clarum id ex 2. Paral. IV. 6. & *Joſepho Ant.* L. VIII. c. 2. τὰς δὲ λετῆρας, εἰς τὸ καθαίρειν τὰ ἐντὸς τῶν ὁλοκαυτωμένων ζώων, καὶ τὰς πόδας αὐτῶν. *Labra, ut eorum aqua purgarentur inteſtina ac pedes animantium ad holocautoma deſtinatorum.* Adde R. *Jehudam Leonem de Templo.* L. II. c. 15. 16.

Figuras horum labrorum videre licet in Tabb. CCCCXLIV. CCCCLV. Præſentis conſiderationis eſt capacitas. *Singula labra capiebant quadraginta Bathos, ſingulaque labra quatuor erant cubitorum.* Variabit hæc capacitas pro diverſa batorum hypotheſi. Imo inſerviunt hæc labra *Eiſenſchmidio Pond. & Menſ.* p. 117. ad determinandam cubiti longitudinem 2384. partium Pedis Pariſini. En quomodo? Invenerat alibi bathi magnitudinem 2022. pollicum cubicorum Pariſienſium. Poſito, fuiſſe labra illa 40. batis ad marginem ſummum repleta, prodirent ex Geometriæ principiis pro cubito 2028. particulæ. Sed vero eſt ei ſimilius, nunquam fuiſſe ad ſummum usque marginem repleta hæc labra; deſcendens proin ad dimidium infra marginem cubitum invenit pro cubito 2362. & tandem deſcenſu continuato ad $\frac{1}{2}$. pollicem 2384. partes. Vel: poſitis 2384. partibus pro cubito, altitudo aquæ maxima proveniet 2. ped. Pariſ. 5. poll. $3\frac{4}{5}$. lin. & erit diſtantia aquæ à labio ſupremo 10. poll. 5. lin. cum ſemidiameter ſit 3. ped. Pariſ. 3. poll. $8\frac{4}{5}$. lin. conchâ præſuppoſitâ hemiſphæricâ. Ex noſtra reductione dabunt 40. bathi 507. menſuras Tigurinas rurales & $\frac{1}{3}$. dimidiæ: item 610. menſuras urbicas.

Ponderoſas fuiſſe, quas deſcripſimus, machinas, haud eſt dubium, ſed pondus præciſum determinare, ſilente Scripturâ, perdifficile, ſi non impoſſibile. Laudandum nihilominus, quod ſuſcepit *Villalpandus*, tentamen. Invenit is pro concha talenta 621. lib. 52. uncias 6. pro concha unà cum pede talenta 640. lib. 48. unc. 11. concham cum pede, rotis, ſculpturis & aliis ornamentis talenta 2000. ut proin luteres 10. aſcendant ad talenta 20000. Modum, quo proceſſit in ſuo calculo, videſis p. 495.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 41. 42.

Vid. v. 16. 17. 18. 20.

1. Reg. Cap. VII. verſ. 45.

— Et omnia vaſa hujusmodi, quæ fecit Hiram Regi Solomoni pro Æde DOMINI, ex ære polito.

— Et omnia vaſa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo DOMINI, de aurichalco erant.

Injurius tantùm non forem in Mineralogiam, quæ notabilis eſt Hiſtoriæ Naturalis pars, ſi omitterem, quæ dicenda ſunt de nobili illa materia, ex qua columnæ illæ binæ coloſſeæ, Jachin & Boaz, mare, decem labra cum ſuis baſibus, fuſcinulæ, lebetes, aliaque Templi vaſa fuere fabricata. Vocatur hæc heîc & 2. Reg. XX. 13. נְחֹשֶׁת מְמֹרָט *nechoſchetb memorat, æs politum, ein gläntzendes Ertz*, politurâ nempe ſua reſplendens. 2. Paral. IV. 16. מָרוּק *maruk*, LXX. χαλκὸς καθαρὸς, terſum, læuigatum. Vulgata *Aurichalchum*, pro *Aurichalcum. Clericus* reddit *æs purgatum*, quia vox originalis Ezech. XXI. 9. 10. 11. adhibetur de enſe læuigato, terſo, reſplendente. *Sturm. de Mar. Æn.* p. 13. ἔμφασιν vocis eò usque urget, ut intelligatur æs puriſſimum, quod *politionem admitteret, ac Sacerdotibus ex holocauſtorum præparatione ſordibus perquam expoſitis, ex adverſo autem divino juſſu munditiei ſtudioſiſſimis ſpeculi uſum undique exhiberet.* Quæ cogitatio haud abſona mihi videtur.

Redditur vox נחשת à nonnullis, ut *Junio & Tremellio, chalybs*, quæ equidem egregiam admittit polituram, ſed hîc locum vix invenit, quia ſub dio, in aere libero, & ex aſperſione aquæ mox rubiginem contrahit, & v. 46. expreſſa fit mentio *fuſionis* factæ ad Jordanem, quæ circumſtantia rurſus in chalybem haud quadrat. Quapropter plerisque Interpretibus placet *Æs, Ertz.* De qua voce Germanica tamen notandum, eſſe πολύσημον. Hoc quippe nomine venit generatim *minera* vel *vena* omnis, ex qua metalla prodeunt, undè vena auri, argenti, plumbi, æris, *Gold-Ertz, Silber-Ertz, Bley-Ertz, Kupfer-Ertz*, & ſic porrò. Hoc ſenſu lato heîc ſumi nequit, quia in ipſa Templi Hiſtoria diſtinguitur aurum & argentum à *nechoſchetb*, ab *ære*. Et auditoribus ſuis metallifoſſoribus injungit *Matheſius Sarept.* p. 176. ut ubicunque in Sacro Codice offendant vocem *Ertz*, eâ intelligant æs, cuprum aliàs dictum, *roth Kupfer.* Cui ſententiæ fauent Interpretes alii. Et ſanè affinis eſt נחשת Arabico

RPJCB



I. REG. Cap. VI. v. 36.
Ichnographia Atrii Sacerdotum.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 36.
Grundriß des Prieſter - Vorhofs.

C. Rembshart sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. VI. v. 36.
Scenographia Atrii Sacerdotum.

I. Buch der Kön. Cap. VI. v. 36.
Der Prieſter-Vorhof im Perſpectiv.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. IX. v. 11. 14. 28.
Claſsis Ophirea aurifera.

I. Büch der Kön. Cap. IX. v. 11. 14. 28.
Die Ophiriſche Gold-Flotte.

I. A. Fridrich sculps.

bico *Nubas*, *Nebas*, *Nybas*, *Cuprum* apud *Meninzk. Lex.* p. 5145. Ipſa verò Germanica vox *Kupfer*, &, à qua originem trahit, Latina, *Cuprum* ortum debet *Cypro* Inſulæ, quia olim *Æs Cyprium* omni alio palmam præripuit, de quo videſis plura apud *Salm. in Solin.* p. 659. 770. 776. *Agricolam vet. & nov. metall.* L. I. p. 391. Sed volunt multi, haud traxiſſe Solomonem Regem in uſum æs ſeu cuprum vulgare, verùm aliud longè pretioſius: & placet quidem R. *Jebudæ Leoni Æs Corinthium*, *Joſepho Ant.* L. VII. c. 6. Æs, quod auro pretioſius eſt habitum, τȣ̃ χρυσȣ̃ κρέιττον: ex quo facta fuerint vaſa auri fulgorem referentia, ἐκ χαλκȣ̃ τὴν αὐγὴν ὁμοίȣ χρυσῷ, καὶ τὸ κάλλος. L. VIII. c. 2. De hoc, ſi tale fuit, de quo heic, Corinthiaco ære fama eſt, ortum eſſe ex confluxu variorum metallorum auri, argenti, æris, Corintho igne conſumta A. V. C. 608. Verùm oſtendit *Bochart. Hieroz.* P. II. p. 879. fuiſſe æs illud diu cognitum ante deletam igne hanc urbem, & potuiſſe omni tempore aurifabros cupro addere aurum. Uti & hodie ex admiſta cadmia conflatur aurichalcum, ὀρείχαλκον, *Meſſing*, ex adjuncto ſtanno æs illud, quod campanis fundendis adhibetur, *Glockenſpeiſs*, ex miſtura aliorum Principis illud Roberti nempe Inuentoris metallum, *Printzen-Metall.* Ex omnibus his ſeu ſententiis, ſeu opinionibus, placet mihi ea, quæ *aurichalco* ſuffragium dat, metallo antiquiſſimo, quod polituram admittit egregiam, grato ſe commendat aſpectu, injurias aeris & pluuiæ eludit, & omnibus illis operibus fundendis poterat eſſe aptiſſimum.

TAB. CCCCLVI.

Exhibet Ichnographiam atrii Sacerdotum ad 1. Regg. VI. 36. una cum figuris maris ænei quadratis ſec. Sententias ſupra adductas.

TAB. CCCCLVII.

Siſtit atrii Sacerdotum Scenographiam ad mentem Sturmii expreſſam.

Eſt hic locus hujus maris ænei clarè expreſſus 2. Paral. IV. 10. *Mare poſuit à latere dextro ad Orientem, ex aduerſo Meridiei:* (*Mare poſuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem.*) Nempe angulus, quem format atrii latus orientale cum meridionali, ut exeuntibus Templo fuerit à dextris.

TAB. CCCCLVIII.

1. Reg. Cap. IX. verſ. 11. 14. 28.

— Hiramque, Rex Tyri, attuliſſet Salomoni ligna cedrina, ligna picea, aurum —

14. Miſitque Rex Hiram Regi centum & viginti Talenta auri.

28. Qui proficiſcentes in Ophir tulerant illinc auri Talenta quadringenta & viginti, aduexeruntque ad Regem Salomonem.

— Hiram, rege Tyri, præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurum —

14. Miſit quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti Talenta auri.

28. Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum quadringentorum viginti Talentorum detulerunt ad regem Salomonem.

Fuit θεῖον τι, & myſterio haud carens Hirami donatio & dotatio, omnium penè materialium, quibus pro Templi ſumptuoſiſſima fabrica opus habebat Salomo, lignorum, lapidum, quibus acceſſit ingens auri ſumma, librarum medicarum 14306. unciarum 4. drachmarum trium, ſcrupulorum 2. granorum 6, 80. ſiue 1466400. ducatorum aureorum, Talento nempe ſumto pro libris 119. unciis 2. drachmis 4. ſcrupulis 2. granis 9, 89. ſiue 12220. ducatis aureis.

De *cedrino ligno* egimus aliàs, pauca nunc tangemus de *abiegno*. Vox ברוש *Beroſch*, quæ & occurrit 1. Reg. V. 8. & aliis mox citandis non eodem ſumitur ſenſu apud Interpretes. Sunt qui *Buxum* volunt, ſunt qui *Fraxinum*, *Laricem* alii. Mirus inprimis diſſenſus LXX. horum authoritati parum fauens. Hi quippe reddunt

Κυπάρισσον Jeſ. XXXVII. 24. LV. 13. LX. 13.
Πίτυν Ezech. XXXI. 8. Zach. II. 2.
Πεύκην 1. Reg. V. 8. 10. IX. 11. VI. 15.
Μυρσίνην, Myrtum. Jeſ. XLI. 19.
Ἄρκευθον, Juniperum. Hoſ. XII. 9. 2. Chron. II. 18.

Vulgata quatuordecim locis habet *abietem*. 2. Sam. VI. 5. *fabrefacta*. 2. Chron. II. 7. *arceuthina*. Nah. II. 4. *agitatores*. Chaldæus ſibi conſtans ubique *abietes*. Et ſic Interpretes optimi plerique. Et affine eſt *Beroſch* Hebræorum *Abero* Hiſpanorum, Anglorum *Fir-Tree*, fortè & Germanorum *Forren*, qua quidem voce *Pinum* indigitamus. Certum id eſt, vel quia jungitur *cedro*, & loca pleraque, ſi non omnia, in *abietem* quadrant, & arbor hæc variis operibus perficiundis fuit apta reperta, eſſe ex coniferarum & reſiniferarum claſſe, poſſeque intuitu perpetui viroris, ſtaturæ proceræ, ligni leuis pariter atque durabilis, caudicis recti anteferri aliis, certè Myrto, Buxo, Fraxino, Junipero, Pinui, quæ huc prorſus non quadrant. Accedit natale ſolum, Libanus mons, qui teſte *Hieronymo* ad *Ezech.* XXVII. abietibus abundat. Qualisnam autem heic & alibi intelligenda ſit abietis ſpecies, num *alba* vel *rubra*, *mas* vel *fœmina*, vel utraque, indeciſum linquo; & vel ea propter deſcriptione arboris nemini non cognitæ ſuperſedeo.

De *Tyro* Emporio celebratiſſimo, quod ſummam ſupra expoſitam auri vel ſolum Hiramo Regi ſuo dare poterat, ut hodie *Londinum* vel *Amſtelodamum*, nec non de *Ophir*, unde Solomonæa claſſis aduexit 5132400. ducatos aureos, ſiue 53071. libras, 5. uncias, 5. drachmas, 13, 80. grana, differendi fuſius dabitur alibi commodior occaſio.

TAB. CCCCLIX.

1. Reg. Cap. X. verſ. 2.

Venit autem Hieroſolyma cum exercitu maximo, cum Camelis portantibus odores, & magnam vim auri, lapides quoque pretioſos —

Et ingreſſa Jeruſalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas precioſas —

Extra controuerſiam ponitur ab Eruditis, dominium Reginæ Sabæ fuiſſe in Arabia Felici, & hujus quidem Prouinciis meridionalioribus. Qui vel dubius hæret, vel ſpecialius ea de re informari cupit, eum ablego ad eruditiſſimum *Bocharti* opus *Phaleg* dictum L. I. c. 25. Fuiſſe Arabiam illam, à Deſerta aliam, aromatibus fragrantiſſimis diuitem, auro atque gemmis, non ex ſacro hoc Textu duntaxat, ſed quoque ex profanis Scriptoribus conſtat, eſſeque adhuc, Itineraria docent. Intelligi autem debere per בְּשָׂמִים *beſamim*, LXX. ἡδύσφατα, al. ἡδύσματα, *odores*, *fragrantia*, *aromata*, haud dubitare licet. Habet & ἀρώματα Complutenſis, & *Joſephus* L. VIII. c. 2. *Ant.* De *Thuris* & *Myrrhæ* prouentu *Plinius* L. XII. c. 14. 16. *Principalia in Arabia Felice, Tus & Myrrha: hæc & cum Troglodytis communis: Tura præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem uniuerſæ.* Et de ipſis *Sabæis*, Reginæ ſubditis, *Virgilius Georg.* L. I.

India mittit Ebur, molles ſua Tura Sabæi.

Unde & Arabes *turilegi* cluent *Ouidio*. Poſcis teſtimonia ſacra? En Jer. VI. 20. *Ad quid hoc mihi, quod affers Thus de Saba & calamum electum de terra longinqua? (Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaue olentem de terra longinqua?)* Jeſ. LX. 6. *Abundantia Camelorum obruet te, & Dromedarii Madian & Epha. Omnes de Saba venient, Aurum & Thus ferentes, & laudes DOMINO annuntiantes. (Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem DOMINO annunciantes.)* Locus denique parallelus noſtro Textui occurrit 2. Paral. IX. 1. *Regina quoque Saba, audita fama Solomonis, venit Hieroſolyma, ut tentaret Solomonem acutis quæſtionibus: (venit inquam) exercitu valde magno cum Camelis portantibus odores, & aurum in copia, lapideſque pretioſos. (Regina quoque Saba, cum audiſſet famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus, in Jeruſalem,*

I. REG. Cap. X. v. 2.
Reginæ Sabæorum Introitus.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 2.
Einzug der Königin von Saba.

I. A. Fridrich sculp.



I. REG. Cap. X. v. 11. 12.
Iter ad Ophir.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 11. 12.
Reyſe nach Ophir.

I. C. Steinberger sculp.

RPJCB

I. REG. Cap. X. v. 11. 12.
Elephas, ejusque dentes.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 11. 12.
Elephant und deſſen Zähne.

I. G. Thelot sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. X. v. 11. 12. 22.
Simia, Cercopithecus, Pavo.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 11. 12. 22.
Affen, Meerkatzen und Pfauen.

I. A. Fridrich sculps.

JCB

I. REG. Cap. X. v. 11. 12. 22.
Pſittacus, Cedrique ſpecies.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 11. 12. 22.
Papagey und Cedern=Art.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. X. v. 11. 12.
Pſeudoſantalum, Ebenus, Rhod. Lignum.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 11. 12.
Sandel = Heben = Roſenholtz.

I. G. Pintz ſculps.

ruſalem, cum magnis opibus & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque precioſas.) De *Auro* Sabæo-Arabico locus extat apud *Plinium* L. VI. c. 28. ex *Ælii Galli* narratione, *Sabæos ditiſſimos eſſe ſyluarum fertilitate odoriferâ, auri metallis. Agatharchides* Cnidius apud *Photium Cod.* 250. Ὀυδὲν ἐυπορώτερον Σαβαίων καὶ Γερραίων ἐῖναι δοκεῖν γένος, ἔντε ταμιευομένων πᾶν τὸ πίπτον εἰς διαφορᾶς λόγον ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Ἐυρώπης. Non eſſe ditiores gentes Sabæis atque Gerrhæis, ubi confluant ex Aſia atque Europa pretioſiſſima quæque. Et ex ipſa hac Arabiæ Felicis parte venere Magi illi, qui Regi Judæorum nato homagium præſtituri aſportarunt aurum, thus & myrrham.

I. Reg. Cap. X. verſ. 10.

Adhæc dedit Regina illa Regi centum & viginti Talenta Auri, & odoramentorum magnam vim, lapides quoque pretioſos; hujusmodi odores tantaque copia, quales dedit Regina Saba Regi Salomoni, ultra nunquam venerunt.

Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas precioſas: non ſunt allata ultrà aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba regi Salomoni.

INuitat nos hic Textus ad definiendam auri Solomoni Regi ab exteris oris aduecti ſummam.

	Talenta.	Ducat.
IX. 14. contulit Hiram -	120.	1466400.
IX. 28. Aurum Ophireum -	420.	5132400.
X. 10. Reginæ Sabæ donarium	120.	1466400.
Summa	660.	8065200.

In Pondere Medicinali.

Tal.	℔.	unc.	drachm.	ſcrup.	gran.
120.	14306.	4.	3.	2.	6,80.
420.	53071.	5.	5.	0.	13,80.
120.	14306.	4.	3.	2.	6,80.
660.	81684.	2.	4.	2.	7,40.

TAB. CCCCLX — CCCCLXIII. a.

I. Reg. Cap. X. verſ. 11. 12.

Porrò claſſis Hiram, quæ portabat Aurum de Ophir, aduehebat & ligna (a) Almugim valde multa ex Ophir, ſimulque lapides pretioſos.

(a) Quidam volunt eſſe Thina Ligna.

Rex autem fecit ex Lignis Almugim fulcra pro Æde DOMINI, proque Ædibus regiis, Citharas quoque & (b) Nabla Cantoribus: non venerunt unquam hujusmodi Ligna Almugim, nec viſa ſunt usque in hunc diem.

(b) Laurentius Nablia vult: Inſtrumenta ſunt Muſica: Nablum quidam Chelim volunt eſſe aut Barbiton.

Sed & claſſis Hiram, quæ portabat Aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas precioſas.

Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus DOMINI, & domus regiæ, & citharas lyrasque cantoribus: non ſunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque viſa usque in præſentem diem.

LOca parallela, quæ ingrediuntur explicationem Textus, ſunt: 2. Paralip. IX. 11. *Adhæc ſerui Hiram & ſerui Solomonis, qui adferebant Aurum ex Ophir, aduexerunt quoque Ligna Algumim, & lapides pretioſos. (Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina, & gemmas precioſiſſimas.)* v. 21. *Claſſis Regis ibat in mari cum ſeruis Hiram: ternis annis ſemel veniebat claſſis marina adferens Aurum, Argentum, Ebur, Simias, atque Pauones. (Naues regis ibant in Tharſis cum*

 ſeruis

ſeruis Hiram, ſemel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & ſimias, & pauos.) Eadem legas 1. Reg. X. 22. Adde *Joſephum Ant.* L. VIII. c. 2. Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν κομιθέντων ἀπὸ τῆς χρυσῆς καλουμένης γῆς λίθου πολυτελοῦς τῷ βασιλεῖ, καὶ ξύλων πευκίνων, τοῖς ξύλοις εἰς ὑποστηρίγματα τοῦ ναοῦ καὶ τῶν βασιλείων κατεχρήσατο, καὶ πρὸς τὴν τῶν μουσικῶν ὀργάνων κατασκευὴν, κιννύρας τε καὶ ναύλας, ὅπως ὑμνῶσιν οἱ Λευῖται τὸν θεόν. *Per idem tempus allatis ex aurea, ſicut vocant, terra gemmis & lignis pineis, ex hac materie Rex fulcra Templi ac Regiæ fecit, ejusque parte uſus eſt ad Inſtrumenta muſica, cinnyras & nabla, quibus Levitæ diuinos hymnos ſolent accinere.*

Duo inprimis heîc attentionem noſtram merentur, intra propoſiti noſtri ſphæram ſita, Regio illa aurifera *Ophir* dicta, & ligna *Almugim* inde allata.

Ophiriticam quod attinet Regionem, quæſituris eam idem prope contingit, quod iis, qui terram incognitam auſtralem quærunt, vel viam per Oceanum Borealem ex Europa in ultimam Aſiam: repelli dicuntur illi ab aquis à Polo Auſtrali refluis, & ventis contrariis, hi in media via conglaciari. Milleni aliquot effluxere anni, ex quo φιλόχρυσος orbis quæſiuit utopiam hancce (ſit venia verbo) & tamen vix littora detexit Regionis, ad quam claſſis Hiramo-Solomonea triennii ſpatio iuit rediuitque. Certum id, quærendam eſſe, quæ dat aurum, argentum, lapides pretioſos, ſimias, pauones, atque ligna Almugim, & omnia hæc in copia, ut tanto labore impendendo digna quoque eſſet merces. Sed & id extra controuerſiam fere eſt poſitum, eò eſſe vel cogitationibus noſtris, vel nauibus tendendum, quò nauigatio facilior ex portu aliquo Arabici Sinus, quam ex alio maris Mediterranei, quoniam claſſis illa ſoluebatur non ex Japho alioue maris Mediterranei portu, ſed ex Ezeongeber. In virum ſapientem non quadrat, ire per ambages.

Qui hæc attendit criteria, Ophir non quæret in *Zofala* Africæ, ubi nec pauones ſunt, nec pſittaci; non in *Hiſpaniola*, aliisue Americæ Inſulis, ad quas breuior fuiſſet via per mare Mediterraneum, & longa non minus ac periculoſa circumnauigatio Africæ. Neque fuit Tyriis iter inſuetum ad usque fretum Gaditanum, & fortè plus ultra ad littora Luſitaniæ Oceano expoſita: non in *Carthaginenſi* Regione, ad quam ex Ezeongeber non patuit via, niſi circumnauigatâ Africâ penè integrâ. Et notandum probè, illo tempore non auſos fuiſſe Nauarchos claſſem exponere altis Oceani fluctibus, utpote qui interdiu Solem habuere pro Duce itineris, noctu ſtellas, deſtituti Nauticâ Pyxide, quæ hodie Europæas Nationes ad Indos & Garamantas rectâ via ducit per medios Oceanos fluctiuagos: quæ etiam cauſa fuit, quòd Græci & Romani, illi κοσμόφαγοι, in ipſo freto Herculeo recognouerint τὸ Non plus ultra, non ulterius cum claſſibus ſuis progredi auſi. Excluditur proin, & veluti interjecto ampliſſimo abſcinditur non ſola Hiſpaniola, de qua ſupra, ſed omnis *America*, ſpeciatim ditiſſima auro *Peruana* Regio: Nouus enim hic orbis ante 200. demum annos, & quod excurrit, detectus, *Columbo* δαδούχῳ. Neque excurrere licet ad *Sumatram* usque, Indiæ Orientalis Inſulam, quæ in media jacet Torrida Zona, & *interjecta utrique hominum generi commercium ad ſe denegabat commeandi*, pro inhabitabili habita olim. *Macrob. Somn. Sc.* c. 5. Sed neque triennale iter votum dabit *Sapharæ* ad Arabicum Sinum, quò peruenire poterant breui temporis ſpatio, indeque remeare. Quamuis ὡς ἐν παρόδῳ notandum, eſſe triennium illud intelligendum de illorum priſcorum temporum nautica, non de hodierna, quæ ne anno quidem opus habet ad circumnauigandum circulum terræ maximum.

Excluſis veluti præliminariter *Americæ* & *Africæ* iis præſertim locis, quæ cum *Ophir* noſtro aliqua ſaltem nominis affinitate ſunt juncta, nauigatio reſtat inſtituenda in *Indiam Orientalem*, ſed vaſtiſſimam Regionem, & πολύνησον, ubi quærendus erit portus. Tentemus excurſionem, & tantò lubentius quidem, quia naufragii ſaltem non adeſt ullum periculum, ſi hoc ſolum excipias redeundi vacuum auro.

Copticâ linguâ tota India cluet σόφιρ, ſpeciatim Peninſula illa *Malacca*, *Cheroneſus aurea* olim dicta. Quærit Nauarchus noſter *Relandus Diſſ. de Ophir* πολύχρυσον hanc Regionem, ubi eſt Οὐπάρα, vel Σουπάρα, *Sophara* urbs nota ex veteribus Geographis & Hiſtoricis, *Ptolemæo*, *Ammiano Marcellino*, *Arriani Periplo*, ſita in littore occidentali Cherſoneſi Indiæ intra Gangem, ibi incirca, ubi eſt Luſitanorum celebre Emporium *Goa*. Obſeruauit jam ante *Salmaſius Exercit. Plin.* p. 786. nomen huic loco aliquando eſſe Οὐπάρα, aliquando Σουπάρα, *Suphara*, Σουφαρὰ, litera Σ nunc præſente, nunc eliſâ, uti & ipſum Ophir apud *Joſephum* & *Origenem* ſcribitur Σωφεὶρ: & ipſi LXX. pro Ophir habent Σωφεὶρ, Σωφὶρ Job XXII. 24. εἰς Σωφειρὰ 1. Reg. IX. 28. ἐκ Σωφεὶρ, 1. Reg. X. 11. ἐκ Σουφεὶρ, 1. Chron. XXIX. 4. Σωφιρὰ, 2. Chron. VIII. 18. Σουφὶρ, 2. Chron. IX. 10. Unde apud *Heſychium* Σουφεὶρ χώρα, ἐν ῇ οἱ πολύτιμοι λίθοι καὶ ὁ χρυσὸς ἐν Ἰνδίᾳ. *Sophir Regio, in qua lapides pretioſi, & aurum, in India.* Et notandum probè, *Joſepho* teſte Ophir ſiue Σωφεὶρ κατ᾽ ἐξοχὴν nuncupatum fuiſſe χρυσικὴν γῆν, *auream terram.* Geographos ſi conſulamus antiquiſſimos, *Ptolemæum*, *Plinium*, *Procopium*, *Melam*, Auctorem *Peripli Rubri maris*, diſtingui videbimus χρυσὴν χώραν, vel χρυσικὴν γῆν à χρυσικῇ νήσῳ, *aurea Cherſoneſo*, illam propiorem quidem ab hac remotiore, illam à multis pro Inſula habitam ibi incirca fuiſſe, ubi eſt *Goa*. Sed mirabitur nemo, obſcuris illis temporibus obſcuriores tantò fore Regionum deſcriptiones, quo propiores hæ ſunt Æquatori,

quatori, propiores Zonæ Torridæ illi incognitæ. Et videtur *Ophir* non tam fuiſſe Emporium, ut nunc celebre eſt Goa, Portu commodo pro commercio cum Indis, Perſis, Chinenſibus, aliis Orientalibus populis, quàm Regionem ſiue Prouinciam integram.

Videndum nunc, num, quæ de *Ophir* in Hiſtoria Sacra memorantur, conueniant Ουπάρα, Σουπάρα, ſiue Peninſulæ Indiæ intra Gangem. *Auro Argentoue* diuitem eſſe *Indiam* ſatis ſuperque conſtat ex Scriptoribus profanis. *Diodor. Sicul.* L. II. c. 16. Ἔχει δὲ, (ἡ Ἰνδικὴ χώρα) καὶ τῶν ἐλεφάντων ἄπιςον πλῆθος, οἱ ταῖς δὲ Ἀλκαῖς καὶ ταῖς τοῦ σώματος ῥώμαις πολὺ προέχουσι τῶν ἐν τῇ Λιβύῃ γινομένων. Ὁμοίως δὲ χρυσὸν, ἄργυρον, σίδηρον, χαλκόν. προς δὲ τούτοις Λίθων παντοίων καὶ πολυτελῶν ἐν αὐτῇ ἐςι πλῆθος. *Habet autem* (India) *Elephantum incredibilem multitudinem, qui & viribus & corporis robore multùm præſtant Libycis, ſimiliter & aurum, argentum, ferrum & æs, & lapidum variorum & pretioſorum copiam.* Et Indiam deſcribit *Dionyſius Periegetes* v. 114. ut Sacer Codex Ophir.

Τῶν δ' οἱ μὲν χρυσοῖο μεταλλεύουσι γενέθλην.
Ψάμμον εὐγνάμπτῃσι λαχαίνοντες μακέλῃσιν
Οἱ δ' ἱςοὺς ὑφόωσι λινεργέας. Οἱ δ' ἐλεφάντων
Ἀγρυφέους πριαθέντας ὑποξύουσιν ὀδόντας,
Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων
Ἤπου βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ Ἀδάμαντα
Μαρμαίροντ' ἢ χλωρὰ διαυγάζουσαν ἴασπιν,
Ἢ καὶ γλαυκιόωντα λίθον καθαροῖο τοπάζου,
Καὶ γλυκερὴν Ἀμέθυςον ὑπήρεμα πορφυρέουσαν.
Παντοῖον γὰρ γαῖα μετ' ἄνδρασιν ὄλβον ἀέξει.

Senſus huc redit, in India reperiri Aurum, Ebur, Beryllos, Adamantes, Jaſpides, Topaſios, diuitias alias. Meminit & *Horatius diuitis Indiæ.* Et *Propertius:*

Arma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere Claſſe Maris.

Ubi *mare gemmiferum* non tam eſſe videtur Oceanus Indicus, quam Mare Littora Perſiæ, Caramaniæ, & Goæ alluens. Aliud teſtimonium, quod merces Solomoni allatas tantùm non omnes memorat, nobis ſuppeditat *Curtius* L. VIII. c. 9. *Aues ad imitandum humanæ vocis ſonum dociles ſunt* (Pſittaci). *Animalia inuſitata cæteris gentibus niſi inuecta. Eadem terra & Rhinocerotes alit, non generat. Elephantorum major eſt vis, quàm quos in Africa domitant, & viribus magnitudo reſpondet.* (Dant hi Ebur.) Aurum *flumina vehunt, quæ leni modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt.* Gemmas Margaritasque *Mare littoribus infundit . . . . . Regia auratas columnas habet, totas eas vitis auro cælata percurrit: auiumque, quarum viſu maximè gaudent, argenteæ effigies opera diſtinguunt.* Ubi notandum, Veteribus non tam notam fuiſſe auream Cherſoneſum, ſiue Malaccana littora, quàm proximiores terras cis Gangem, Indiæ nomine, & *Strabone* teſte L. XV. pauci fuerint, qui ad Gangem usque penetrauerint. Memorant & Veteres ſpecialia loca auri argentique feracia. *Plin.* L. VI. c. 20. *Nareæ deinde, quos claudit mons altiſſimus, Indicorum capitalia. Hujus incolæ alio latere auri & argenti metalla fodiunt.* Et c. 19. *Fertiliſſimæ ſunt auri Dardæ, Setæ verò argenti. Sed omnium in India prope non modò in hoc tractu potentiam claritatemque antecedunt Praſii ampliſſima urbe ditiſſimaque Palibotra.* Quæ urbs Gangi adſita haud adeò longè abeſt ab Oupara, quin eò omnes Indi merces ſuas adferre potuerint. Meminit idem *Elephantum*, quorum 9000. Regi ſint à ſeruitiis, unde *conjectatio ingens opum.* Et L. XXXIII. *Gangem* ipſum ponit in numero fluminum auriferorum, *nec ullum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo tritoque perpolitum. Dionyſius* quoque *Periegetes* v. 1144. mentionem facit copioſi auri in Gandaridarum Regione, quam collocant quidam ad Gangem, ad Hypanis & Megarſi confluentiam alii.

Γανδαρίδαι ναίουσιν, ὅθι χρυσοῖο γενέθλην
Δαιδαλέην Ὕπανίς τε φέρει, θεῖος τε Μέγαρσος.

Gandaridæ habitant, ubi auri originem
Pulchrum Hypanis vehit, & vaſtus Megarſus.

Strabo L. XV. non quidem nominat fluuios hosce, ſed tamen auriuehos prædicat, ut illos Hiſpaniæ, ψῆγμα χρυσοῦ καταφέρειν τοὺς Ποταμοὺς, ὥσπερ τοὺς Ἰβηρικούς. Et *Scholiaſtes Sophoclis* in *Antigone* v. 1050. locum in India eſſe, ait, ubi formicæ metallifoſſorum officio fungantur, auri ramenta in dias producentes auras, τόπον τινα ἐν τῇ Ἰνδίᾳ χρυσοῦ ψήγματα ἔχοντα, ὃν ἀνορύττουσι Θηρία τινα, μύρμηκες καλούμενα, πτεροῖς χρώμενα. Id equidem præteriri non debet, neque *Tagum* Hiſpaniæ, neque Indiæ *Gangem* inter aurifera flumina numerari. Fœcunda olim fuerunt fortè, quæ nunc ſunt effœta, venis exhauſtis, ut ab his, quæ viuimus, temporibus ad antiqua illa non procedat argumentatio. Neque neceſſe eſt, ut ibi præciſè fuerint auri argentiue venæ diuites, ubi appulit claſſis, poterant pretioſa hæc metalla aliunde illuc vehi: ut hodie auro, argento, frumento, vino abundat Belgium, ubi nihil horum natura producit. Huc tamen facit, quòd in Magni Mogolis Prouinciis Ouparæ vicinis auri argentiue dentur venæ.

Pergimus examinaturi alias merces. שֶׁנְהַבִּים *Schenhabim*, *Dentes* exerti *Elephantum*, ſiue Ebur, vel *Elephantes* ipſi, qui heic loci *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 23. placent magis quàm Dentes, quia proximè ſequuntur alia animantia, Simiæ & Pauones; alibi Ebur κατ' ἐξοχὴν vocatur שֵׁן *Schen*, & Ebur in ſingulari pronuntiaretur, non in plurali. Quæ tamen rationes non adeò ſunt prægnantes, ut non intelligere potius poſſimus Dentes Elephantorum, qui

juxta ipſius *Bocharti* deriuationem ſint שנהבים i. e. ▭שנקהבים *Schenkababim*, nam ▭קהבים *Kababim* priſcis Hebræis dicti fuere Elephantes. Hodienum Ebur Turcis vocatur *hæzæn. Meninzk. Lex.* p. 1722. Et Arabibus Elephas *zendebil.* id. p. 3567. Eſt namque verum Elephantis nomen פיל *pil, phil*, toto Oriente receptum. Eſſe autem Ebur ex Indicis mercibus, nemini non conſtat. *India mittit Ebur.* Virgil. Gignit quidem & Africa Elephantes, ſed *maximos fert India. Plin.* L. VIII. c. 11. *Indicum Afri pauent, major Indicis magnitudo eſt.* c. 9. Idem teſtatur *Polybius* L. V. eſſe καταπεπληγμένυς τὸ μέγεθος καὶ τὴν δύναμιν. Vocant Indi Elephantem Barro, an ab Hebræo בעיר *beir*, quod *Bochartus* vult, an à Perſico *barou*, caſtellum, turris, ut *Relandus* conjectat, quia ſunt Elephantes in bello turres animatæ, πύργοι ἔμψυχοι, ut *Baſilio* cluent, vel an originis Indicæ ſit hæc vox, dijudicandum aliis linquo.

▭קופים *Kophim* veteres pariter & recentiores explicant per *Simias*, animalia πλατυώνυχα & Ἀνθρωπόμορφα, pede unguiculato multifido; & hodienum Perſis vocantur *Kebi, Kippi, Kubbi. Meninzk. Lex.* p. 3866. Et eſt *Koph* ipſe Æthiopum *Cephus*, de quo *Plin.* L. VIII. c. 19. *Iidem* (Pompeji Magni Ludi primùm oſtenderunt) *ex Æthiopia, quos vocant, Cephos, quorum pedes poſteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuere ſimiles.* Et *Solinus*, ubi de Æthiopia: *Iisdem ferme temporibus*, (quibus Circenſes exhibuit Cæſar Dictator) *illinc exhibita monſtra ſunt. Cephos* (al. *cefos*) *appellant, quorum poſteriores pedes crure & veſtigio humanos artus mentiuntur, priores hominum manus referunt. Græci* κῆβον, κῆπον, κεῖπον vocant. Quamuis deſcriptiones *Agatharchidis* c. 38. *Diodori* L. III. *Strabonis* L. XVI. XVII. *Heſychii, Æliani*, L. XVII. c. 8. *Ariſtotelis Hiſt.* L. II. c. 8. 9. inter ſe differant, ut variant ipſæ *Simiarum* ſpecies, *Cercopitheci, Cynocephali*, id tamen ex omnibus conſtat, eſſe κῆβον Simiam. v. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 31.

Sequuntur ▭תוכיים *thuccijim*, quam vocem omiſere Interpretes Græci, ſed per *Pauones* interpretantur Chaldæus, Syrus, Arabs, Hebræi Doctores præcipui R. *Selomo, Leui, Kimchius, Pomarius, Aquinas, Bochartus Hieroz.* P. II. L. I. c. 20. & Interpretes plerique alii. De origine vocis non eſt, quod vel feram, vel proponam lites. Non ſunt hæ originum piſcationes mei fori. ▭תוכיים dici vult *Bochartus* quaſi ▭כותיים *cuthijim, cuthæos*, ſeu *Perſicos*, ut ipſa hæc auis vocatur *Medica* aut *Perſica Auis*, Περσικὸς ὄρνις *Ariſtophani* in *Auibus. Suidæ* Μηδικὸς ὄρνις, ὁ ταὼς, *Medica Auis, Pauo*, quod cognomen meruit auis παντοίαις χρόαις ἐπηνθισμένη, *omnigenis coloribus diſtincta*, quia ex India, loco natali, primò in Perſidem & Mediam aduecta, atque inde in Judæam, Ægyptum, Græciam, Latium paulatim diſperſa. Et potuit hæc ipſa auis, quam Salomonea Claſſis Judææ intulit, è Perſide fuiſſe aduecta, quia claſſis illa ſeu Taprobanam petitura, ſeu Malaccam, Perſiæ littora ſalutauit. Et poſt illa nauigationis triennalis tempora poterat terreſtri itinere ex Perſide & Babylonia Judæis adferri. Et debebat, ſi quod animal, Pauo certè aduenas ex Judæa allicere, ut ſociam ſe redderent auri & argenti gazis, auis, cui natura pulchræ formæ dedit prærogatiuam. Audi *Tertulliani* de ea elogium *de Pallio* c. 3. *Quanquam & Pauo pluma veſtis, & quidem de cataclitis: imo omni Conchylio preſſior, quâ colla florent: & omni patagio inauratior, qua terga fulgent: & omni ſyrmate ſolutior, qua caudæ jacent. Multicolor & diſcolor & verſicolor. Nunquam ipſa, ſemper alia; etſi ſemper ipſa, quando alia. Toties denique mutanda, quoties mouenda.* Omitto, ne in re omnibus nota nimius ſim, Panegyrica alia. Id unicum in Pauonis gratiam addo, fortè ab Hebræo ▭תוכיים originem ſumſiſſe Græcorum ταὼς, cui affinia ſunt Turcarum & Arabum hodiernorum vocabula, quibus Pauonem deſignant, *taus, tawus*, plur. *tæwas, tæwawis*. Pauunculus *tuweis. Meninzk. Lex.* 3079. 3158. imo fortè & Hottentottorum *Kchou. Kolb Cap. Bon. Spei* p. 362. His omnibus non obſtantibus *Pſittaci* placent *Relando* præ *Pauonibus*. Nec contemnendæ ſunt rationes pro Indica hac & ſpecioſiſſima aue, magni olim habita. *Ouidius.*

Pſittacus Eois ales mihi miſſus ab Indis.

Indicæ videtur originis ipſa vox *Pſittacus*, Indis *Tedac*, nam ex τέδακος mutatio facilis in Τίδδακος, Σίττακος, Ψίττακος, & teſte *Plinio* L. X. c. 42. Indi ipſi auem hanc *Sittacen* nominant. *Ælianus* habet βίττακον, uti & *Arrianus*. Et propius adhuc ad noſtrum ▭תוכיים accedere videtur Perſarum *tutæk, tutyk*, Turcarum *tutygik*, Pſittaculus. *Meninzk. Lex.* 3145. fortè & Pſittacus ille albus criſtatus, *Cacadu* nomine hodie cognitus. Judicet & ſeligat quisque quod volet. De hac voce ▭תוכיים plura infra.

Agmen mercium pretioſarum claudunt ligna *Almyggim* ▭אלמגים, & 2. Chron. II. 8. ▭אלגומים *algummim*, petenda quoque ex India, ſed quæ, qualia, unde, ubi? Heic, ut alibi in re Botanica, variant admodùm Interpretes, ut vix in medium proferre poſſimus præter doctas opiniones. *Caſtellus* deriuat vocem à מוג *mug, tabeſcere*, & אל *el, ne*, ut notet lignum ἄσηπτον, inclinat hinc ad *Cedros*. Sed eſt hæc ex Etymologia decidendi ratio debili nixa fulcro, & Cedros præſtantiſſimas quasque habere poterant ex vicinia Judæi. LXX. perſæpe inconſtantes habent πελεκητὰ, ἀπελέκητα, ſed 2. Paral. IX. 10. ξύλα πεύκινα, uti & *Joſephus, pinea ligna*, ſed, ne quis vulgarem Pinum huc accerſat, candidiora, & fulgentiora, λευκότερα καὶ ςίλβοντα πλέον. In horum fauorem, qui Pinum volunt, allegari poteſt *Pinus ſilueſtris, Mugho ſiue*

Crein

Crein dictus I. B. ſiue *Pinus ſilueſtris montana altera* C B. ſed eſt humilis arbor, quæ fruticis altitudinem non multùm excedit. Vulgata habet *ligna thyina*, ut & Latina noſtra in Gloſſis *Thina*, ſed in Textu *Almugim*. Si *Thuya* eſt *Theophraſti* C. B. *Thuja & Cedrus Atlantis montis* I B. de qua *Homerus Odyſſ.* 5.

Τηλόθι δ' ὀδμὴ
Κέδρȣ τ' εὐκεάτοιο θύȣ τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

De longinquo autem odor
Cedrique ſiccæ Thyique per Inſulam ſpirabant ardentium.

Vel *Cedrus baccifera major folio Cupreſſi fructu flaueſcente* CB. erit hæc arbor in Africa quærenda potius, quàm in Aſia. Quæ ſanè potius admitti poſſet, quàm, quod *Kimchius* voluit, *Lignum Braſilianum*, ſiue *Santalum ſpurium ſeu Pſeudo-Santalum rubrum, ſiue Arbor Braſilica* C B. Excludi autem prorſus merentur, utpote ædificiis Inſtrumentisue Muſicis inepta, *Curalia* ſeu *Corallia*. Vernacula noſtra Verſio habet *Hebenholtz*, i. e. *Ebenum; Ebenus in Theueto Inſula Indiæ Palmobotere præſtantiſſima & nigra* C B. *Ebenus* I. B. Fauet huic arbori *Lipenius Nauigat. Solom. Ophirit.* p. 709. Affinitatem nominis habet arbor *Magath*, de qua *Salmaſ. Hyl. Jatr.* p. 20. Sed inepta rurſus, ſi *Granati* ſilueſtris eſt arbor, vel *Aſpalathus*, humilis frutex, quam utramque ex Syria vicina habere poterant. Quadraret magis *Aſpalathus colore Buxi* vel *albicans torulo citreo* C B. I B. aliàs *Agallochum*, *Lignum Rhodium* dictum. In tanta opinionum diuerſitate, ne cui forſitan ex omnibus recenſitis arboribus præjudicio ſit, *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 104. vocem *algummim* communem vult *arboribus gummiferis vel reſiniferis, cujus generis in Libano cædi, & ex India Orientali transportari poterant. In Libano ſcilicet Cedrus, Cypreſſus, Pinus, Picea, Abies, Prunus, Terebinthus, Ceraſus, Larix, Lentiſcus. In India arbor camphorifera ab Indis Cusnoky vocata. Benzoini Arbor. Gummi Luccæ Arbor. Bdellium. Arbor, unde manat Gummi Guttæ. Arbor, ex qua profluit Sanguis Draconis. Santalum Citrinum.* Hanc ſuam ſententiam fundat ipſa vocum conſtructione. *Quid enim*, inquit, *aliud* אלגומים quàm אגל גמים *gutta gummium, &, niſi trajectas litteras credideris, quid* אלמוגים *aliud, quàm* אגל *vel* אגלי מוגים, *liquidorum vel liquorum guttæ?* Et ſanè ſeligi debent, ſpeciatim pro citharis, nabliis Cantorum, aliisue Muſicis Inſtrumentis ligna gummifera, reſinoſa, leuia, polituram admittentia, ſed & exotica, quæ in Judæa, vel vicinis Prouinciis haberi non poterant.

Gemmæ ſiue *lapides pretioſi* nullum mouent dubium; nemo enim non nouit, optimarum, duriſſimarum, pretioſiſſimarum, quales ſunt Adamantes, Rubini, Smaragdi, Sapphiri, aliæ, eſſe Indiam Orientalem, Prouincias inprimis Gangi adſitas feraces.

Addendum reſtat aliquid de itinere claſſis noſtræ χρυσο-ἀργυρο-θηριο-ξυλο-λιθοφόρȣ triennali, quod hodie, ubicunque poſueris Ophir, vix dimidium poſcit anni unius. Dubium hoc ſoluit haud difficulter priſcarum illarum nauigationum comparatio cum hodiernis. Non audebant ſeſe exponere olim alto Oceano, neque à littoribus diſcedere: circumnauiganda proin fuit, quod ex mappis videre licet, Arabia tota, Perſia, & magna Mogolicarum Prouinciarum pars, & quidem per plurimos flexus ſinuoſos, imò verò exorta vel leui tempeſtate commorandum fuit, aliquando diu, in ſecuris portubus, regnantibus inprimis *Motionibus*, *Mouſſons*, in Indico Mari frequentibus, quæ ut hodie nauigationi & commercio maximo ſunt adjumento, ita olim fuere obſtaculo. Lege priſca Hiſtoricorum monumenta, videbis querelas hac de re motas apud *Arrianum L. VIII. Expedit. Alexand.* ἐτήσια πνεύματα (ἃ δὴ τȣ̃ θέρεος τὴν ὥρην πᾶσαν κατέχει ἐκ τȣ̃ πελάγεος ἐπιπνέοντα ἐπὶ τὴν γῆν) καὶ ταύτῃ ἄπορον τὸν πλȣ̃ν ποιέοντα. De *Eteſiis, quæ per totam æſtatem ex mari in terram flant, & nauigationem impediunt.* Hodie vocant hujusmodi ventos *viraconos, windt uyt de zee*, ut contrarios, qui à littoribus ſpirant, *terrenos*, *Terreinbos*, *Landtwinde*. Alia inſuper memorat impedimenta *Plinius* L. IX. c. 3. *In mari* (circa Indi oſtia) *belluæ circa ſolſtitia maximè viſuntur: tunc illic ruunt turbines, tunc dejectæ montium jugis procellæ ab imo vertunt maria, pulſataſque ex profundo belluas cum fluctibus voluunt, & alias tanta Thynnorum multitudine, ut magni Alexandri claſſis haud alio modo quàm hoſtium acie obuia contrarium agmen aduerſa fronte direxerit: aliter ſparſis non erat euadere.* Præterea neminem latet, tempore opus eſſe ad coemendas, commutandas, & nauibus inferendas merces, ipſasque naues redintegrandas: tempore, ſi Miſſionarii Solomonis aurum vel fodierunt, vel ex fluminibus piſcati ſunt ipſi, Elephantes, Simias, Pauones ſeu Pſittacos conquiſiuerunt, & venationibus profecuti ſunt ipſi.

Quæ hactenus commentati ſumus, quadrant *Malaccæ* potius, quàm ulli ex Orientalis Indiæ Regionibus. Sed prætendit *Bochartus Phaleg.* L. II. c. 17. ſubſcribente *Clerico*, duplex fuiſſe *Ophir*, unum in *Arabia* apud *Caſſanitas*, & *Sabæos*, unde aurum Solomoni attulerat Regina, alterum ipſam Inſulam *Taprobanam*, quæ modernorum eſt *Ceylon*, mercibus ſupra recenſitis diues. Inter alia argumenta ſuppetias dat ipſa vox *Paruajim*, auri optimi in Hiſtoria noſtra ἐπίθετον, affinis voci *Taprobana*, nam טף פרון *taph paruan* in Syriaca Lingua eſt *Littus Paruanis*. *Taprobana* ſi *Ophir* eſt, poſſet lignis *Almugim* jure optimo accenſeri pretioſum illud *Cinamomi* lignum, utpote reſiniferum.

 Scili-

Scilicet quærunt ſinguli ſeu Interpretes ſeu exploratores merces, ubi exiſtimant eſſe & Ophir, ubi expoſitas offendunt merces, circa quas ipſas, ut vidimus, non una eſt omnibus mens. Et de felici illa terra aurifera certant omnes quatuor mundi partes. Aſiam & in Aſia Indiam ſeligunt plerique, volunt pauci Africam, pauciores fauent Americæ. Venit & in cenſum Europa. Sanè Clar. *Joh. Oldermann Diſſ. de Ophir & Tarſis*, ut hanc ſolidiſſimis argumentis probat eſſe *Tarteſſum* Luſitaniæ, ita illam *Iberiam* ſeu *Hiſpaniam*, in quas Regiones Tyriis fuerit frequens commercium, merces autem illuc delatas ex Africa vicina; quàm ſententiam complacere video Celeb. *Jacobo Haſæo*, qui in *Bibl. Brem. Claſſ.* II. *Faſc.* III. p. 468. nouam dat voci תוכיים explicationem, eam ex Regno auium transferens ad quadrupedum familiam, pertendens, תכיים idem eſſe quod סכיים *ſuccijm*, proprio ſignificatu, *habitatores ſpeluncarum, & cauernarum*, quales fuere *Troglodytæ*, ſecundario verò *Simias*. Rationes producit ſequentes 1. Alexandrini Interpretes utramque vocem קופים *kuphim* & תוכיים *thuccijm* uno tantùm πιθήκων *Simiarum* vocabulo expreſſere 2. Chron. IX. 21. licet Complutenſis Editio addiderit voci πιθήκων illam κιθεκείμ. Licet autem ſub uno animalium ἀνθρωπομόρφων ſtent genere *kuphim* & *thuccijm*, differre nihilominus, ut *Cepi*, ſeu *Cercopitheci*, *Meer-Katzen* à *Simiis*, *Affen*, caudati à non caudatis. 2. Accedit authoritas *Kimchii* in *Lexico*, aſſerentis, veteres Judæorum Doctores explicuiſſe *thuccijm* per גאטו מימון *gato maimon*, quod alii per *Cercopithecum* interpretantur, alii per *felem*, quæ caudam habet ut ille: ut & hodie Turci Simiam vocant *maimon (Meimun, maimun.* Turc. Ar. *Meninzk. Lex.* p. 921. 3665. 5079. Itali *Gatto Maimone)* Hungari *Majom.* 3. Vero eſt ſimillimum, ipſum Græcorum πίθηκος deſcendere à voce תוכיים Afra, Græca poſt ciuitate donata. Deſcendit enim πίθηκος vel πίθηξ ex πι articulo præpoſitiuo & θήκος aut θηξ, quæ ultima vox orta ex תוכיים, ut ex קופים ortum κῆβος. 4. Simias reuera inhabitare ſpeluncas, notum eſt ex Itinerariis; 5. Ingentem Simiarum copiam in Africa dari Ægyptum inter & Herculis columnas conſtat ex *Solino Polyh.* c. 27. *Strabone* L. XVII. *Iſidoro* L. XIV. *Orig.* c. 5. *Dapper Afric.* p. 172. Plura hanc in rem videantur apud *Haſæum* l. c.

Ophiriticæ, de qua hactenus, nauigationi illuſtrandæ inſeruiunt Icones, quæ ſequuntur, ſuis ſingulæ literis notatæ.

Tab. CCCCLX. Aſiæ exhibet fragmentum inde à Malacca ad Ægyptum usque protenſum, ubi non equidem omnia loca ſuis, uti in mappis ſiſtuntur, nominibus deſignare volui, ſed duntaxat Prouincias, & ea inprimis loca, quæ pro vero habentur Ophir. Iberiam ſolam omiſi, quia hæc poſceret Maris Mediterranei Mappam.

Sequentibus proxime quatuor Tabulis CCCCLXI. CCCCLXII. CCCCLXIII. CCCCLXIII. a. præter merces ſupra expoſitas in conſpectum venit Solomonea Claſſis nauibus conſtans Phœniciis, vel Tyriis, uti eas ex antiquitate eruit Ill. *Witſius* Conſul Amſtelodamenſis in exaſciato ſuo de *Architectura Nauali* opere.

Tab. CCCCLXI.

A. Turrigerum animal. *Elephas.*

B. *Elephantis* ſeu *Dens*, ſeu Cornu, ex quo *Ebur.*

Tab. CCCCLXII.

C. *Simia*, κῆβος, *Cephus*, ἄκερκος.

D. *Cercopithecus*, Simia caudata.

d. Ejusdem Sceleton.

E. *Pauo.*

Tab. CCCCLXIII.

F. *Pſittacus* maximus cyano croceus *Aldrouandi Ornithol.* L. II. p. 663. *Ararauna Braſilienſibus. Marcgr.* p. 206. *The great Maccaw.* Angl.

G. Cedrus Cupreſſi folio baccifera major fructu flaueſcente. Thuya.

Atque in Tab. CCCCLXIII. a. comparent.

H. *Pſeudoſantalum* croceum. Ill. *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. Tab. 231. fig. 3. 4. *Raji Hiſt. Vol.* III. *Dendr.* p. 132. *Breſilet des Antilles. Pommet.* p. 119. *Braſiletto Wood.* Angl.

I. *Aſpalathus* arboreus, ſeu Pſeudo-Ebenus Buxi folio, flore luteo patulo, ſiliqua lata, breui chartacea, ſemen exiguum reniforme complectente. Ill. *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. Tab. 175. fig. 1. *Ebene verte. Pommet.* p. 123. *Spartium* Portulacæ foliis aculeatum Ebeni materie. *Plum. Plant. Americ.* p. 19. *Ebony.* Angl.

K. *Lauro affinis*, Terebinthi folio alato, ligno odorato candido, flore albo. Ill. *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. p. 24. Tab. 168. fig. 4. *Raji Hiſt. Plant. Vol.* 3. *Dendr.* p. 88. *Lignum Rhodium.*

Expoſitæ hactenus Nauigationi Ophiriticæ obſtaculo eſſe videtur, quod legimus 2. Paral. VIII. 17. 18. *miſiſſe* Solomoni *Hiramum per manum ſeruorum ſuorum naues & famulos, qui gnari erant maris*, & 1. Reg. IX. 26. 27. *miſiſſe Hiramum ſeruos ſuos nautas, & gnaros maris, cum ſeruis Solomonis.* Difficultatem nempe ſuggerit Geographia. Parabatur claſſis aurifera in *Ezeongeber*, qui Portus eſt Maris Rubri ſiue Arabici, ad quem venire haud poterant naues Tyro emiſſæ propter Iſthmum inter Maria, Mediterraneum & Rubrum, interjectum. Aut enim circumnauigari debebat Africa tota, aut debuere in Ægypti portubus naues diſſolui, & plauſtris per partes transuehi per medium Iſthmum. Premitur utrumque hoc effugium nouis ſuis difficultatibus, uti quoque tertium, ſi adderes, nauium integrarum vectura. Soluere

uere tentat hunc nodum *Huetius* conjectura haud indocta, in *Diſſ.* ſua *de Nauigationibus Solomoneis.* Auxilio ei venit Canalis inter Mediterraneum & Rubrum Maria communicatiuus, per quem ex uno in alterum data fuerit transnauigatio, ut hujusmodi Canales magnis & laboribus & ſumptibus effoſſos oſtendit Gallia, quibus ex Oceano Germanico in Mediterraneum Mare nauigare licet. Credere fas eſt, & vel ex Pyramidum ſtructura magnifica notum, fuiſſe Ægyptios φιλοπόνες, ut præſumere liceat omnino, haud neglexiſſe illos maximi uſus nauigationem ex Mediterraneo Mari & Nilo ad Arabicum Sinum. De hac re nulli dubitant Arabes, & canalis hujus Epocham ad Abrahami usque tempora protendunt. Sed traditionibus hujusmodi parca eſt fides, niſi ſolidioribus ſuffulciantur fulcris. Foſſæ talis mentio fit apud *Strabonem* L. I. p. 35. Edit. Baſil. occaſione nauigationis Menelai ad Æthiopas, & *Seſoſtris* qui *conatus fuerit Iſthmum perfodere, ſed deſtiterit ab incepto, cum maris ſuperficiem eſſe ſublimiorem ſuſpicaretur.* Τὸν δὲ ἐπιχειρήσαντα ποιῆσαι, Σέσωστριν ἀποστῆναί φασι μετεωροτέραν ὑπολαβόντα τὴν τῆς θαλάττης ἐπιφάνειαν. Refutans dehinc *Eratoſthenis* errorem, qui vult, coiuiſſe Maria duo, Mediterraneum & Rubrum ante freti Gaditani rupturam, Ægyptumque intexiſſe, ſed poſtmodo cum apud Gades mare erupiſſet, ſubſediſſe id, ac terram juxta Caſium, Peluſium, usque ad Rubrum mare detexiſſe. Menelaus ſi per Iſthmum foſſâ peruium nauigaſſet, ſpecie haud careret argumentatio, Trojanum enim Bellum centum annis præceſſiſſe Dauidis tempora pertendunt Eruditi. Fueritque adeò hic canalis à *Seſoſtri*, qui in Sacris *Seſac* cluet, & Roboami temporibus vixit, duntaxat renouatus, & nauigationi promptior ac commodior redditus. Lucem majorem fœneratur *Herodotus* L. II. fuiſſe foſſam ex Nilo in Mare Rubrum, cœptam primùm à *Neco*, *Pſammetici* filio, ſed operâ hominum 120000. imò & jacturâ, nihil effectum; confectum tandem opus à *Dario Hyſtaſpis* filio, & breui tempore foſſam nauigabilem redditam. Verùm nec huic operis tanti laudem concedit *Diodorus* L. I. *Bibl.* ſed *Ptolemæo Philadelpho*, à quo canalis iſte nomen obtinuerit *Fluminis Ptolemaici.* Arabicos ſi conſulamus Scriptores, legimus apud *Elmacinum* L. I. c. 3. ſub *Calipha Omar* circa A. 635. poſt CHRISTUM natum foſſam peruiam factam, forte reapertam, ab *Amro*, pro commodiori vectura ex Ægypto in Arabiam. Et anno Hegiræ 150. ſiue 775. à CHRISTO nato eundem hunc canalem fuiſſe deſtructum & obſtructum ab *Abugiafare Almanzore*, ſecundo Abaſſidarum Calipha. Reliquias ſanè canalis exhibet inſignis Gallorum Geographus *De l'Isle* dans *l'Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1702. p. 83. ex ſubſidiis Geographicis in Ægypto juſſu Ill' *de Pont. chartrain* per *Boutierum* collectis, & Galliæ illatis. Ex quibus omnibus inferre id ſaltem licet, fuiſſe olim foſſam ſiue canalem inter duo maria, quæ reaperta maximo uſui foret commercio Europæorum cum Perſis & Indis. Sed incertum prorſus, apertam fuiſſe Solomonis temporibus, & claſſi Hiramicæ peruiam. Quo effugio ne opus quidem habemus. Patet ex 1. Reg. XXII. 50. & 2. Paral. XX. 36. ſub Joſaphato Rege *factas fuiſſe naues in Ezion Gaber.* Quidni ergo potuerit Hiramus huc mittere architectos ſuos & ſeruos, fortè & ligna, aliaue materialia per Ægyptum vehere, claſſem in Ezeongeber parare pro Ophiritica expeditione?

1. Reg. Cap. X. verſ. 14.

Porrò pondus Auri, quod venit Solomoni ſingulis annis, fuit ſexcena & ſexaginta ſex Talenta Auri.

Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri.

VUlt *Clericus*, fuiſſe hanc auri ſummam tributum annuum ſolutum à populo Iſraelitico: quia in proximè ſequenti verſu 15. legitur, hoc numero haud comprehendi id, quod Rex accepit *à mercatoribus, à negotiatoribus, atque aromatariis, ab omnibus Regibus Arabiæ, & Principibus Terrarum.* Ubi per מֵאַנְשֵׁי הַתָּרִים *viros exploratores, ſcrutatores*, quos Tigurinæ vertunt *Mercatores, Kauf-Leuthe*, commodius intelligas horundem exploratores, commiſſarios, telonarios, quorum officium fuit, merces omnes introductas & eductas viſitare, & telonium recipere: & per מִסְחַר הָרֹכְלִים non ſolùm *Aromatarii, Gewürtz-Krämer*, ſed in genere mercatores quiuis, uti & LXX. hos illosue ita deſignant, χωρὶς τῶν φόρων τῶν ὑποτεταγμένων, καὶ τῶν ἐμπόρων, & Vulgata clarius adhuc, *excepto eo, quod adferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiationes, uniuerſique ſcuta vendentes.*

Excedunt 666. talenta hæc auri, quotannis Ærario Regio illata à vectigalibus, talentis 6. id quod contulit Hiram IX. 14. & aduexerat Claſſis Ophirica IX. 28. & Regina Sabæ donauerat X. 10. Nam tres hæ ſummæ in unam contractæ, dant talenta 660. quod vidimus

dimus ſupra ad X. 10. Æquiualent autem 666. talenta Ducatis aureis 5138520. ſiue libris 82399. unciis 6. drachmæ 1. ſcrupulis 2. granis 6, 74. ponderis Veneti.

1. Reg. Cap. X. verſ. 16.

Fecit quoque Solomon Rex ducentas haſtas ex Auro ductili, ſingulæ haſtæ habebant ſexcenas (Minas) Auri.

Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti unius.

HAbent LXX. 300. pro 200. τριακόσια δόρατα χρυσᾶ ἐλατὰ, & quidem non θυρεὺς, vel ἀσπίδας, ſed δόρατα, *haſtas*, quas & aſſumſit Latina noſtra, hac in parte diuerſa à ſua Germanica. In eodem Verſu habet illa *ſexcenas Minas Auri*, vernacula in Idea magis vaga *ſechs hundert Stücke Goldes*, originalis Textus שֵׁשׁ־מֵאוֹת זָהָב *ſexcentos aureos*, quos alii melius fortè vertunt per *Siclos*, quorum 60. æquiualent minæ. Hi Sicli autem 600. dant uncias 286. drachmam 1. ſiue lothones 572. drachmam 1. ſiue libras (36. lothonum) 16. lothones 20. drachmam 1. Ut proin omnium 200. ſcutorum pondus fuerit librarum 3312. lothonum 28. ſaluo errore calculi.

1. Reg. Cap. X. verſ. 17.

Et trecenta Scuta ex Auro ductili, ternas minas Auri ad ſingula ſcuta, quæ repoſuit in domum ſaltus Libani.

Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæque minæ auri unam peltam veſtiebant: poſuitque eas rex in domo ſaltus Libani.

HAud clarum eſt diſcrimen inter illa verſiculi præcedentis *Scuta*, & hæc, ſiue inter צִנָּה *tſinnah* & מָגִנִּים *maginnim*: quorum illa fuere ponderoſiora, forſan & diuerſa quoad figuram. מָנֶה *manah*, *Mina*, ſiue libra Hebraica conſtabat Siclis 60. ſiue unciis 30. Dabit proin Scutum lothones 171. drachmas 2. ſcrupula 2. grana 2, 00. ſiue libras 4. lothones 28. drachmas 2. ſcrupula 2. grana 11, 40. Omnia proin 300. Scuta libras 1205. lothones 22. drachmas 2.

1. Reg. Cap. X. verſ. 18.

Fecit deinde Rex ſolium magnum eburneum, obduxitque illud Auro optimo.

Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis.

AUrum, cujus mentio fit in Textu, *optimum* מוּפָז *muphaz* idem videtur cum פָּז *phaz* Cant. V. 11. & אוּפָז *uphaz* Dan. X. 5. Vero admodùm videtur ſimile, tria hæc vocabula auro fuiſſe data à loco, & ſpeciatim à flumine quodam. Conſtat quippe ex fluminum arenis aurum optimum, ἄπυρον, purum, putum, piſcatione protrahi, quod propterea Græcis dicitur χρύσαμμος, χρυσῖτις ἄμμος apud *Spartianum*, niſi hæc vocabula denotent arenam potius ipſam auriferam. Germanis idem aurum *gewaſchen Gold*, *gewaſchene Gold-Flizſchen*. *Gold-Körner*, *geſeifft Gold*, *Gold-Flammen*, *Waſch-Gold*, *gedigen flemmicht Gold*, *Goldzechen*, de quibus aliisue auri puri puti Synonymis plura habeo in *Lexico* meo *Foſſilium*, ad quod Lectorem relegare non poſſum, quia nondum id opus publici eſt juris. Sed de loco, qui auro huic nomen dederit, diuerſæ ſunt Interpretum ſententiæ. *Bochartus Phaleg*. L. II. c. 27. ut *Ophir* quærit in Inſula Taprobana, vel Ceylon, etiam hîc collocat fluuium *Phaſin*. *Relandus* autem *Diſſ. de Paradiſo*. §. 9. eum inuenit in *Colchide*. Latini *Aurum* hocce puriſſimum vocant *obryzum* à Græco ὄβρυζον. LXX habent χρυσίον δόκιμον, Vulgata *Aurum fuluum nimis*.

1. Reg.

RPJCB

I. REG. Cap. X. v. 27.
Schikmim, Sycomorus.

I. Buch der Kön. Cap. X. v. 27.
Egyptiſche Feigen.

I. G. Pintz sculps.

1. Reg. Cap. X. verſ. 22.

Vid. 1. Reg. Cap. IX. verſ. 28.

TAB. CCCCLXIV.

1. Reg. Cap. X. verſ. 27.

Et aduexit Rex Argentum Hieroſolyma ut lapides, & Cedros aduexit ut Moros, quæ in planis campis abundant.

Fecitque ut tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus.

Conſtat ex ipſo Textu שִׁקְמִים *Schikmim* eſſe arbores in Judæa frequentes, Συκαμίνȣς reddunt Græci Interpretes, *Sycomoros* intelligunt vulgò. Quam ſanè arborem in limine Palæſtinæ vidit *Bellonius* L. II. obſ. 78. in planitie adeò numeroſâ ſerie diſpoſitam, ut ſunt apud nos Juglandes. Frequens eſt & in Ægypto, & incolæ Cayri eam fructus cauſa colunt. Sed propius inſpicienda eſt hæc arbor; dicta *Ficus folio Mori fructum in caudice ferens.* C. B. *Sycomorus* I. B. à qua haud multùm differt *Ficus folio Sycomori fructum non in caudice gerens.* C. B. *Ficus Cypria* I. B. Iconi jungemus deſcriptionem, quam optimam dat *Dioſcorides* L. I. c. 182. Συκόμορον, ἔνιοι δὲ καὶ τȣ͂το Συκάμινον λέγȣσι — δένδρον ἐςὶ μέγα, ὅμοιον τῇ συκῇ, πολύκομον σφόδρα, τοῖς φύλλοις ἐοικὸς μορέᾳ, φέρει δὲ καρπὸν τρὶς καὶ τετράκις τȣ͂ ἔτȣς, ȣ̓κ ἀπὸ τῶν ἀκρεμόνων ὡς ἐπὶ τῆς συκῆς, ἀπὸ δὲ τȣ͂ ςελέχȣς ὅμοιον ἐρινεῷ, γλυκύτερον ὀλύνθων, ȣ̓κ ἔχοντα δὲ κεγχραμίδας. *Sycomorum, aliqui etiam Sycaminum, id eſt, Morum vocant — Arbor eſt magna, Fico ſimilis, frondoſa, multo Lacte abundans: foliis Mori, pomum ter aut quater anno fert, non ramis ut Ficus, ſed caudice ipſo, caprifico non diſſimilis, dulcius groſſis, ſine granis interioribus.* Ex recentioribus optima eſt deſcriptio, quam habet *Veslingius* & *Rauwolfius.* Proceritate craſſitieque Morum album adæquat. Dirimitur fere ab humili, ſed lata ſtirpe, in truncos binos ternoſue peramplos, è quibus deinde ramorum confertim digeſtorum vaſta & robuſta brachia opaci frigoris gratiſſimam ſcenam latè æſtuantibus obtendunt. Folia magnitudine & ſinuoſo illo ambitu, quem Alpini figura exhibet, prædita non ſunt. Mori quidem foliis paria, niſi quod horum denſitas major & aſperitas diſcrimen inueniat & magis ſint rotundata, in ambitu nullis inciſuris crenatis ſerratisue prædita, nec non perennia. Fici ipſi non ſunt, ut noſtrates, laxius ventricoſi, cauitate intus præditi, quæ ſubluteo minutoque retrimento conſperſa non rarò vermiculis ſuccreſcentibus hoſpitium præbet. Arabica nomina, quæ arbori huic competunt, ſunt *Jumeis, Jumeiz*, cum articulo *Aljumeiz, Mumeiz, Giumez, Giumezei, Gieumeiz, Gieumezeiz*, Chriſtianis Ægypti indigenis *Tin el Pharaon*, i. e. *Ficus Pharaonis.* Sed placet *Salmaſio, Walæo, Vulgato, Luthero, Latinæ noſtræ, Hillero Hieroph.* P. I. p. 250. pro Sycamino illa Ægyptia, hodie ſaltem, olim fortè minus. Quodſi inhæreamus voci originali שִׁקְמִים & deriuatæ inde Συκάμινος, dabimus ſuffragium potius *Sycomoro* ſupra deſcriptæ, quàm Moro.

A. eſt Sycomori prima } ſpecies.
B. - - - ſecunda }

TAB. CCCCLXV.

1. Reg. Cap. XII. verſ. 11. 14.

Pater meus preſſit vos onere, & impoſuit vobis graue jugum, ego quiddam adjiciam jugo veſtro: præterea pater meus caſtigauit vos flagellis, ego autem caſtigabo vos flagris aculeatis.

Et nunc pater meus poſuit ſuper vos jugum graue, ego autem addam ſuper jugum veſtrum: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.

A*krabbim* עַקְרַבִּים quia ex optimorum quorumcunque Interpretum conſenſu non ſunt *Scorpiones* verè & propriè ita dicti, ſuperſedere facile poſſem exegeſi hujus neo Tyranni declaratione ad Populum Iſraeliticum, qua Rehabeamus rejecto ſapientum miniſtrorum conſilio non tantùm non dominii ſui fines extendit, ſed receſſui decem Tribuum occaſionem dedit. Opponuntur heic שׁוֹטִים *ſchotim* & עַקְרַבִּים *akrabbim*. Sunt *Schotim* flagella ex loris vel funibus, *akrabbim* verò flagella aculeis vel ſpinis armata, quæ cuti inflicta pungunt & lædunt Scorpionum adinſtar, unde & nomen habent. Habet Chaldæus מרגנין *maragnin*, cujus ſingulare מרגנא *maragna* eſt idem cum Græcorum μάραγνα, *flagellum equeſtre* apud *Platonem* in *Comico*. Conſtat id ex *Polluce* L. X. c. 13. περὶ ἱππικῶν σκευῶν. *Heſychius*, μάραινα, μάςιξ, ῥάβδος, γαυρία. μαράγνα, γῆ ταυρεία. Ubi *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 29. legit, μάραγνα, μάςιξ, ῥάβδος, ταύρεια. μαράγνα, τῇ ταυρεία. Eſt autem μάραγνα non lorum ex tendine Gaſtrocnemiorum Muſculorum vulgare, ſed ſpinis ſiue aculeis armatum, vel & frutex ſpinis horridus. In vetuſtiſſimis Gloſſis *marrugina* vocatur εἶδος παλιέρϐ, ἐςι δὲ ἀκανθῶδες δένδρον. Uſi ſunt & Latini Scriptores in poſterioribus Seculis *Scorpionis* vocabulo pro flagello aculeato. *Iſidor. Orig.* L. V. c. 25. *Si lenis fuerit, virga eſt; ſi nodoſa vel aculeata, Scorpio rectiſſimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.* Hujusmodi autem flagris aculeatis cæſum fuit dulciſſimi Saluatoris corpus, ex mente *Honorii ſerm. de S. Laurentio.* Sed redeo ad μάραγναν, *marruginam*. *Rhamni* extat tertia ſpecies apud *Dioſcoridem* L. I. c. 120. μελάντερα ἔχϐσα τὰ φύλλα καὶ πλατύτερα σὺν τῷ ἠρέμα ἐρυθραίνεσθαι, ῥάβδϐς μακρὰς πηχῶν ὡς πέντε, μᾶλλον ἀκανθώδεις, ἧττον δὲ ςερεὰς καὶ ἐπάκμϐς ἔχει τὰς ἀκάνθας. Καρπὸς δὲ πλατὺς, λευκος, λεπτὸς ὡς θυλακιώδης, ἐοικὼς ἀσφοδέλῳ. *Nigrioribus latioribusque foliis conſtat, & quadantenus rubentibus, cujus rami quinum fere cubitorum longitudinem implent, ſpinoſiores quidem ſed infirmioribus minusque rigentibus aculeis. Fructum edit latum, candidum, tenuem, follicularii ſpecie, verticillo ſimilem.* Sunt qui Rhamnum hunc tertium eundem volunt cum *Paliuro*, de quo idem L. I. c. 122. Παλίϐρος γνώριμός ἐςι θάμνος ἀκανθώδης, ςερεὸς, ϐ τὸ σπέρμα λιπαρὸν καὶ λιγνυῶδες εὑρίσκεται. *Paliurus frutex cognoſcitur aculeatus, durus, cujus ſemen pingue & fuliginoſum* (al. lini ſeminis æmulum) *reperitur.* Eſt hæc *Rhamnus folio ſubrotundo fructu compreſſo.* C. B. *Rhamnus ſiue Paliurus folio Jujubino.* I. B. & *Tournefortio* reformante veluti de poſtliminii jure *Paliuri* nomen genericum recuperauit. Hoc quippe nomine cognita *Bellonio*, *Geſnero*, *Dodonæo*, *Rauwolfio*, *Lobelio*, *Camerario*, aliis, ut *Spinæ Judaicæ* nomine *Creſcentio*, & *Jujubæ ſylueſtris*, *Spinæque Marucæ* (en Μαράγναν!) *Cæſalpino*. Et Italis hodieque Rhamnus omnis nota titulo *Marraca*, *Maruca*. Fuit & veteribus *Paliurus* ratione ſpinoſitatis ſuæ celebris. *Virgil. Eclog.* 5.

Carduus, & ſpinis ſurgit Paliurus acutis.

Columella L. X.

Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus æqua
Terga Rubi, ſpinisque ferat Paliuron acutis.

Delineari juſſi hunc fruticem in Tab. CCCLXXIX. ubi placuit pro אָטָד *atad* Jud. IX. 14. 15. Occurrunt & Paliuri ſpinæ tanquam Emblema hominum, qui monitoribus ſunt aſperi, & Roboami ad inſtar Tyranni proximum quemque lancinant. Ezech. II. 6. *Tu fili hominis ne timeas eos, neque à verbis eorum formides, quia contentioſi & ſpinoſi tecum ſunt, & cum ſcorpionibus* עַקְרַבִּים *tu habitas. (Tu ergo fili hominis ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas: quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.)* Ubi, ut & heic, R. *Salomo* per *akrabbim* intelligit *Cynosbatum*. Ego interim, ne vacua ſit Rhamnis Tabula ſiſto Fig. A. *Rhamnum foliis buxeis minimis confertim naſcentibus ſpinis longis armatam.* Ill. *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. p. 100. Tab. 207. fig. 1. *Raji Hiſt. Vol.* III. *Dendr.* p. 59. & Fig. B. *Rhamni* characteres ex *Tournefortii* Tab. 366 & Fig. C. *Roſam campeſtrem ſpinoſiſſimam flore albo odoro.* C. B.

TAB.

I. REG. Cap. XII. v. 11. 14.
Akrabbim, Rhamnus, Roſa.

I. Buch der Kön. Cap. XII. v. 11. 14.
Stechdorn, Roſe.

P. G. Harder sculpſ.

I. REG. Cap. XIII. v. 4. 5. 6.
Ieroboam Paralyſi correptus et ſanatus.

I. Buch der Kön. Cap. XIII. v. 4. 5. 6.
Jeroboams Straffe und Heilung.

M. Tyroff sculps.

TAB. CCCCLXVI.

1. Reg. Cap. XIII. verſ. 4. 5. 6.

4. Quum ergo Rex audiſſet verbum Viri DEI, qui clamauerat contra Aram in Bethel, exerta manu ſua Jeroboam de Ara dixit, apprehendite eum: & manus ejus, quam contra eum extenderat, areſcebat, ut eam ad ſe trahere non poſſet.

5. Ara inſuper fiſſa eſt, & effuſus cinis ex Ara, juxta portentum, quod dederat Vir DEI ſecundùm Verbum DOMINI.

6. Reſpondens autem Rex dixit ad virum DEI: precare obſecro faciem DOMINI DEI tui, & ſupplica pro me, ut reſtituatur mihi manus mea. Et precatus eſt vir DEI faciem DOMINI, reuerſaque eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ut antea.

4. Cumque audiſſet rex ſermonem hominis DEI, quem inclamauerat contra Altare in Bethel, extendit manum ſuam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad ſe.

5. Altare quoque ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, juxta ſignum, quod prædixerat Vir DEI in ſermone DOMINI.

6. Et ait rex ad virum DEI: Deprecare faciem DOMINI DEI tui, & ora pro me, ut reſtituatur manus mea mihi. Orauitque Vir DEI faciem DOMINI, & reuerſa eſt manus regis ad eum, & facta eſt ſicut prius fuerat.

DEmonſtrauit heic altiſſimus DEUS popello ſeducto per triplex experimentum, ter palpabile, ſe eſſe DEUM, non vitulum, quem adorauerant idololatræ, aureum, & cui Jeroboamus ex Pſeudo-Politicæ principiis aram erexit, ac ſacra fecit incenſa, ipſe Pontificis maximi munere functus. Miraculo fit ſeductor æger: miraculo ſanus: finditur ara miraculo.

Extendit Rex, vir ſanus, cujus ſanguis ordinato fluebat circulo, fluidum nerueum irrigabat omnia totius corporis organa ſenſui motuique deſtinata, fibræque ſuo gaudebant tono, manum ſuam, qua ſacra idolis faciebat, monſtraturus digito Prophetam, inſpiratum, hic eſt: Et en! *manus ejus, quam contra eum extenderat, areſcebat, ut eam ad ſe trahere non poſſet.* Non videtur exareſcentia hæc ita intelligenda, ac ſi brachium reuera fuiſſet factum aridum, omni fluidorum influxu orbum, rigidum, manſeritque in rigore extenſum, ut rigeſcunt Tetano affecti, ſed ita, quod Paralyſi tactum motu voluntario fuerit priuatum. Ampliorem dabunt hac de re diſcurrendi materiem Paralytici Noui Teſtamenti. Quicquid ſit, aruit, ut ita loquar, fons fluidi neruei, amiſſus fibrarum tonus, & pendens inde motus, & derepente quidem. Haud equidem dubitare licet de animi irata commotione, quæ aliquando ex cauſis naturalibus Paralyſes, alioſque triſtes hujus generis effectus parit.

Sed ira fuit Jeroboami furor breuis, non enim, manu tacta à manu Omnipotentis, lingua virulenta laceſſiuit ultra inſpiratum, ſed ſtylo mutato ita fuit adlocutus: *Precare obſecro, Faciem DOMINI DEI tui, & ſupplica pro me, ut reſtituatur mihi manus mea.* Et ecce! Propheta intercedente, *reuerſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt, ut antea.* Fuiſſe curam hanc miraculoſam concedent mecum facile omnes Medici. Non curatur Paralyſis verbis, non ſubitò: Temporis, & longi quidem, decurſu opus eſt ad reſtituendum fluido nerueo influxum, fibris tonum, ſanguini & ſpiritibus æquilibrium. Opus longo neruinorum cephalicorum, diluentium, ſpirituoſorum remediorum uſu; Inunctionibus, lotionibus, frictionibus, fotibus, balneis. Heic nihil tale. Oſtendit apoſtatæ Regi verus Iſraelis DEUS, ſe ſolum eſſe ſupremum ut Regni ei traditi, ita & corporis & vitæ DOMINUM.

Eſt tertium, quod conſiderationi noſtræ ſubjicimus, miraculum, extra omnem dubitationis

tionis aleam poſitum, quia prædictum. *Dedit eodem die portentum, dicens: Hoc eſt portentum, quod loquutus eſt DOMINUS, ecce ara findetur, effundeturque cinis, qui ſuper ea eſt.* v. 3. Debebat ara, ſtructura ex quadratis & ſolidis conſtans ſaxis, inuicem ita coordinatis & coaptatis, ut injuriis ignis, pluuiæ, ventorum reſiſtere poſſet, findi ſponte, derepente, abſque manuum, vectium, aliorumue inſtrumentorum ope, & ſaxa veluti diffluere. Et en! ut vaticinio diuino affulgeret lux, inſpirationi adderetur pondus, *ara fiſſa eſt, & effuſus cinis ex ara, juxta portentum, quod dederat vir DEI ſecundum verbum DOMINI.* Inuerſa ſcilicet prima Naturæ Lex, qua omne corpus in ſtatu ſuo manet, in quo eſt, niſi ab alio corpore inde deturbetur, ſed ſeruatum, & extraordinario prorſus modo exercitum DEI in naturam, in leges motus, dominium.

TAB. CCCCLXVII.

1. Reg. Cap. XIII. verſ. 24. 25. 28.

24. Quumque abiiſſet, inuenit eum Leo in via, & interfecit eum. Contigit ergo, quum eſſet funus ejus ſtratum in via, Aſinusque aſtaret juxta ipſum, aſtaretque & Leo juxta funus.

25. Ut viri tranſirent, viderentque funus ſtratum in via, & Leonem aſtantem juxta funus: qui venientes dixerunt (hæc) in ciuitate, in qua Propheta ſenex habitabat.

28. Ille vero abiens, inuenit funus ejus ſtratum in via, Aſinus autem & Leo aſtabant juxta funus, ut Leo neque funus deuorarit, nec Aſinum diſcerpſerit.

24. Qui cum abiiſſet, inuenit eum leo in via, & occidit, & erat cadauer ejus projectum in itinere; aſinus autem ſtabat juxta illum, & leo ſtabat juxta cadauer.

25. Et ecce, viri tranſeuntes viderunt cadauer projectum in via, & leonem ſtantem juxta cadauer. Et venerunt & diuulgauerunt in ciuitate, in qua Prophetes ille ſenex habitabat.

28. Et ille abiiſſet, inuenit cadauer ejus projectum in via, & aſinum & leonem ſtantes juxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læſit aſinum.

Occurrunt in hac Hiſtoria nonnulla, quæ cum ordinario naturæ curſu conciliari nequeunt, ſed θεῖον τι manifeſtant, nosque in admirationem rapiunt. Occidit *leo*, animal rapax, ſæuum, κρεοφάγον, Prophetam, intacto cadauere, aſino, intactis, qui præteribant fortè: carnifici ſimilis, decollanti prænobilis & familiæ & dignitatis virum, cujus tamen nec corpus, nec veſtes vel extremis tangere audet digitis: Aſinus, meticuloſum, uti deſcribitur, animal neque pedem refert, ut ſe à rabie leonis occultet, nec fugâ quærit vitam, adſtat & occiſo, cui inſeſſum dabat, Domino ſuo, & leoni carnifici. Imo vero Prætorianum militem agit leo, cuſtodiens & cadauer, & aſinum, usque ad Prophetæ illius, & venerandi Collegæ, aduentum, qui tollit funus, terræ id mandaturus. Prophetarum uni vitam adimit leo, alteri reuerentiam præſtat. Haud mirari ſubit continentiam aſini, ſi verum, quod de eo Arabes tradunt, eum non tantùm non fugere in conſpectu leonis, ſed præ metu huic ire obuiam. Sed altius heic prolucet dominium, Altiſſimi, qui leoni mandat, ſi quem trucidare debet, & diſcerpere, & fauces obturat, ubi parcendum eſt. Exequitur infelix Propheta mandatum DEI, diris deuouens aram Jerobeami, immoriger in hoc uno, quòd eadem redierit, quâ venerat, viâ; eadem ſubiens, & miſera, fata, quæ Athenienſes illi Legati, qui in Arcadiam proficiſcentes alia, quàm quidem ipſis injunctum fuerat, via, rebus ſuis licet feliciter tranſactis, vita luebant leuis momenti transgreſſionem. Hiſtoriam lege in *Æliani Var.* L. VI. c. 5. Seuerum quidem hoc eſt, ſed juſtiſſimum DEI judicium, qui & in minimis obedientiam poſcit. Ὅςις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος. Jac. II. 10. Ὃς ἐὰν ἕν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τέτων τῶν ἐλαχίςων

I. REG. Cap. XIII. v. 24. 25. 28.
Leo προφητοκτόνος οὐ κρεόφαγος.

I. Buch der Kön. Cap. XIII. v. 24. 25. 28.
Der Löw ein Propheten-Mörder u. Hüter.

M. Tyroff sculp.

I. REG. Cap. XVII. v. 1-6.
Elias corvorum alumnus.

I. Buch der Kön. Cap. XVII. v. 1-6.
Elias der Raben-Koſtgänger.

I. A. Fridrich sculps.

ςων —— ἐλάχιςος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃. Matth. V. 19. Multa de hoc aſino noſtro ſomniant recutiti, quem volunt ſeruatum in ſeruitiorum, quæ Domino ſuo præſtiterat, gratam memoriam. Elucident hoc Problema, quorum eſt agere de Brutorum præmiis & pœnis.

1. Reg. Cap. XIV. verſ. 4.

— Ahia autem non poterat videre, quoniam obriguerant oculi ejus præ ſenecta ejus.

— Ahia autem non poterat videre, quia caligauerant oculi ejus præ ſenectute.

HUmani corporis ſtructuram quo intuemur propius, conſideramus attentius, eò augetur magis, qua rapimur, admiratio. Ex fluido ortum habent omnes, etiam duriſſimæ partes, oſſa, cartilagines, ſed vergente extrema ætate indureſcunt molliſſimæ membranæ, & fluida ipſa λιθογενέσεως ſeſe ſubjiciunt legibus. Sunt tubuli, per quos fluida tranſeunt, molles in tenera ætate, & flexiles, ſed ſolideſcunt magis ad conſiſtentem usque, in ultima tandem ſenecta rigeſcunt, ſæpeque & paſſim oſſeſcunt. Hinc malorum ſyrma, imo ipſa ſenectus morbus. *Oculi*, camera infiniti artificii obſcura, non ſunt duntaxat pueris, juuenibus, & viris in omnes partes mobiles, ſed ſubtili quodam mechanismo nunc admouetur tunica retina propius humori cryſtallino, nunc remouetur longius, pro variante ſitu objectorum vel propiori nobis vel remotiori; & nobis inſciis prorſus, vel & inuitis id perfectiſſimo modo peragit natura, quod ars linteum chartamue in camera obſcura admouendo lenti, vel ab eadem remouendo. Verùm enim verò decrepitis obliteratur naturalis hæc pictura, *obrigeſcunt oculi*, ut heic *Abiæ*, flexilitate ſua priuantur fibræ, corrugantur oculi, ſunt πρεσβύται Grammatico, fiuntque πρεσβύται Medico ſenſu, objecta eminus ſita diſtinctius vident, quàm quæ ſunt propiora. Sed ſpatio inter retinam & cryſtallinum humorem ita anguſtato, ut radii lucis in ſubtiliſſima illa tunica concentrari nequeant, inducitur tandem ipſa cœcitas. Plura de incommodo hoc, uno ex maximis, & Medici & Optici.

TAB. CCCCLXVIII.

1. Reg. Cap. XVII. verſ. 1 - 6.

1. Dixit autem Elias, Thisbites ex inquilinis Gilead, ad Ahab: Viuit DOMINUS DEUS Iſraelis, coram quo miniſtro, ſi fuerit hiſce annis ros & pluuia, niſi juxta os meum.
2. Factumque eſt Verbum DOMINI ad eum in hanc ſententiam:
3. Vade hinc, & diuerte ad plagam orientalem, & abſcondere in torrente Chrith, qui eſt è regione Jordanis.
4. Eritque, ut bibas de torrente, ego verò coruis mandaui, ut te illic paſcant.
5. Abiit itaque, & fecit juxta verbum DOMINI: abiit, inquam, & ſe-

1. Et dixit Elias, Theſbites de habitatoribus Galaad, ad Achab: Viuit DOMINUS DEUS Iſrael, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi juxta oris mei verba.
2. Et factum eſt verbum DOMINI ad eum, dicens:
3. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem.
4. Et ibi de torrente bibes: coruisque præcepi, ut paſcant te ibi.
5. Abiit ergo, & fecit juxta verbum DOMINI: cumque abiiſſet, ſedit

dit juxta torrentem Chrith, qui eſt è regione Jordanis.

6. Corui verò attulerunt ei panem & carnem manè, ſimiliter panem & carnem veſpere, & bibebat de torrente.

in torrente Carith, qui eſt contra Jordanem.

6. Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi: & bibebat de torrente.

DAntur potiſſimùm duum generum Critici, qui non benè audiunt Orthodoxis. Hi malâ intentione, quantum in ipſis eſt, veritates in Sacro Codice contentas infringere, miracula eneruare, DEI in natura, vel ſupra eam operantis potentiam diminuere tentant, noctuis ſimiles, quæ ſplendidam lucis diurnæ impreſſionem ferre nequeunt. Illi bono veritatem inueniendi animo nouos dant vocibus ſignificatus, nouas rebus explicationes, ſed quia ab interpretatione recepta diſcedunt, cenſuris ſeſe exponunt præter merita rigidis, & ad injurias usque aſperis. Et non ita eſt facile judicare, num, qui fortè occurrunt, ad hanc claſſem illamue pertineant, quia judicibus ipſis, vel qui pro talibus ſeſe efferunt, difficile, ſeſe liberare à præjudiciis, vel rem ipſam, vel perſonam attinentibus. Optima regula eſt, quam præſcribit Apoſtolus, ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ.

Specimen amicæ disquiſitionis dabit, de quo impræſentiarum, *Elias coruorum alumnus* (hoc titulo expoſitus à M. *Joh. Henrico Schulino*, Præſide, & Reſpondente *Joh. Frid. Schmidt.* Altorff. Nor. 1718.) Sunt namque, qui cum R. *Jehuda* per עֹרְבִים *orbhim* intelligunt ciues urbis עֹרְבוֹ *orbo*, in limitibus Bethſeanis, ut perhibent, ſitæ, de qua in veterum Geographorum monumentis nec vola nec veſtigium ſupereſt. Sunt alii, qui coruos metamorphizant in mercatores, eosque Tyrios, nixi Ezech. XXVII. 27. ubi nominantur עֹרְבֵי מַעֲרָבֵךְ *orbhe maarabek* à radice עָרַב *arab*, *commiſcere*, *negotiari.* Huic ſententiæ ſubſcribunt R. *Kimchi*, *Jona*, *Clericus*, non attendentes, vocem עֹרְבִים *orbim* ſingulatim poſitam, ut in noſtro Textu, iterato *coruos* denotare, & cum adjuncto mercatores ſemel tantùm in loco Ezechielis: neque conſiderantes συνάφειαν Textus, inprimis grauem impii Regis adſeueratione m. v. 10. c. XVIII. *Viuit DOMINUS DEUS tuus, ſi Gens ſit aut Regnum, quò non miſerit Dominus meus te quæſitum — Regnum & Gentem juramento obſtrinxit, quod te non inueniſſet. (Viuit DOMINUS DEUS tuus, quia non eſt gens aut regnum, quò non miſerit Dominus meus, te requirens. — adjurauit regna ſingula & gentes, eò quòd minimè repeririris.)* Unde conſtat, haud potuiſſe effugere Eliam Ahabi inquiſitionem, ſi mercatoribus ad eum datus fuiſſet acceſſus. Sunt tandem, qui Arabum turmas cum *Ottenio*, & ipſo *Clerico* feligunt, nihili facientes punctandi rationem, non enim עֹרְבִים *orbhim* appellantur Arabes, ſed עַרְבִים *arbhim*, & de his ipſis non conſtat, habitaſſe ad torrentem Chrith.

Pergimus ad receptiſſimam, antiquiſſimam, optimam, עֹרְבִים *orbhim* per *coruos* explicationem, authoritate plerorumque Doctorum Judæorum, Chaldæi, & LXX. Interpretum, & omnium fortè Europæarum Verſionum fundatam. Et quis eſt, qui dubitare auſit, dummodo ſciat, totam naturam, quanta quanta eſt, ad DEI conditoris nutum eſſe paratam? 2. Paral. VII. 13. *mandat locuſtis, ut abſumant terram.* Amos IX. 3. *ſerpenti, ut mordeat* rebelles. Jon. II. 11. (al. III. 1.) *piſci*, ut *euomeret Jonam in aridam.* Alibi corporibus inanimatis, Jeſ. XLV. 12. *Cœlis*, Job. XXXVIII. 11. Pſal. LXXVIII. 23. Jeſ. V. 6. *Nubibus*, Job. XXXVIII. 12. *Auroræ*, Amos IX. 4. *Gladio.* Et quidni mandandi exequendique facultatem haberet, qui poteſtatem habuit creandi, qui habet conſeruandi? Mandare heic idem eſt, quod creaturis, animantibus, cœlo, grandine, uti ad exequendum judicia ſiue decreta. Et fortè non uni duntaxat mandauit coruo, ſed pluribus. Si verum, quod in *vita Pauli Eremitæ* tradit *Hieronymus*, unicum coruum pientiſſimo huic viro tantæ magnitudinis attuliſſe panem, cui digerendo duo viri vix fuere ſuffeni, excederet hoc Pauli miraculum illud Eliæ. Sed fortè Legendis adnumeranda eſt hæc Hiſtoria. Suffecerat nempe *Paulo* per 60. annorum decurſum dimidius panis, ſed aſcito in conſortium *Antonio*, attulerat coruus alumnis his ſuis integrum.

Afferunt corui Eliæ *panem & carnem.* Vult *Athanaſius* in *Synopſi*, & *Theodoretus in III. Reg. Quæſt.* 52. diſpertitos fuiſſe coruos miſſus ſuos ita, ut ante meridiem attulerint panem, ſub veſperam carnem, πρωΐας μὲν ἄρτους, δείλης δὲ κρέα. Subſcribunt *Auguſtinus ſerm.* 146. & *Eutychius Alexandrin.* p. 197. authoritate ſuffulti τῶν LXX. Sed uno eodemque tempore, in prandio & cœna, panem carnemque miniſtraſſe coruos. indicat Complutenſis Codex, ἄρτους καὶ κρέας τὸ πρωΐ, καὶ ἄρτους καὶ κρέας τὸ δείλης. Ita & Latina noſtra, clarior vernaculâ, & verſiones aliæ. His autem non immorabimur.

Neque nos moratur locus, à quo, menſa, à qua, corui alimenta petierint; an, quod Doctores quidam recutiti volunt, a menſa ipſius Regis Ahabi, vel Joſaphati? num ab uno ex illis 7000. qui Baali genua ſua non flexerunt, conſcio

conſcio forte hujus rei, & Eliæ amico, à quo aues illæ aliàs rapaces, heic miniſteriales, vitæ ſubſidia ſtatis horis petere poterant? Quæſtio eſt curioſa magis, quàm vel utilis, vel neceſſaria.

Majoris videtur momenti quæſtio, an Vir DEI ſalua Lege Diuina cibum accipere potuerit ab aue immunda? Sed eſt & hæc haud difficilis ſolutu. Fuit coruus immunda auis cibo, non tactu; Et poſito, immundum ex lege ceremoniali fuiſſe, quem forte coruus tetigerit, cibum, poterat, qui legem dederat, diſpenſare ab ea. Valetque heic illud Act. X. 15. Ἃ ὁ ΘΕΟΣ ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου. Imo verò licuit in caſu neceſſitatis Judæis ipſis ſeſe diſpenſare à legum ceremonialium ſummo rigore: Simſoni mel guſtare ex alueari, quod offenderat in ſceleto mortui leonis: Dauidi, comedere panes propoſitionis, quorum eſus non erat permiſſus niſi Sacerdotibus. Luc. VI. 4.

Silentio haud prætereunda interminatio illa grauis Ahabo facta v. 1. *Viuit DOMINUS DEUS Iſraelis, coram quo miniſtro, ſi fuerit hiſce annis ros & pluuia, niſi juxta os meum.* Et en vaticinium breui poſt datum effectui v. 7. *Poſt aliquot dies exiccato torrente (nam nihil pluebat ſuper terram)* reuelari debebat calamitas, & ſimul promiſſio fieri viduæ Sareptanæ v. 14. *Farina cadi non deficiet, & oleum lecythi non minuetur usque ad eum diem, quo DOMINUS pluuiam dederit ſuper faciem terræ. (Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua DOMINUS daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.)* Et c. XVIII. 1. legimus: *Multis diebus elapſis, tertio demum anno factum eſt verbum DOMINI ad Eliam in hanc ſententiam. Vade & te ipſi Ahab trade conſpiciendum, dabo enim pluuiam ſuper terram. (Poſt dies multos factum eſt verbum DOMINI ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade & oſtende te Achab, ut dem pluuiam ſuper faciem terræ.)* Unde conſtat, fuiſſe calamitatem hanc extraordinariæ ſiccitatis triennalem; imo ex Luc. IV. 25. & Jac. V. 17. trium annorum, & ſex menſium. *Joſepho* ſi fides L. VIII. c. 11. *Menander*, Tyrius Hiſtoricus, calamitatis hujus meminit in Hiſtoria Ithobali, Tyriorum Regis, quòd durauerit per integrum anni decurſum, à menſe Hyperberetæo ad eundem ſequentis anni. Μέμνηται δὲ τῆς ἀνομβρίας ταύτης καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Ἰθοβάλου τοῦ Τυρίων βασιλέως πράξεσι, λέγων οὕτως. ἀβροχία δ᾽ ἐπ᾽ αὐτοῦ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ Ὑπερβερεταίου μηνὸς ἕως τοῦ ἐρχομένου ἔτους Ὑπερβερεταίου. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ notandum, Sareptam mediam fuiſſe inter Tyrum & Sidonem, adeoque omnem illum diſtrictum ἀνομβρίαν illam ſenſiſſe, de cujus triſtibus effectibus, fame inprimis, & annonæ omnis defectu judicare licet vel ex ipſa viduæ Sareptanæ Hiſtoria. In Europæ noſtræ frigidioribus climatibus uti ingens agris & vineis accidit malum ex frigore & grandine, ita habent, quod metuant, illa Aſiæ calidiora ex æſtu, ubi terrâ marique ſurgentes vapores non eidem terræ, unde aſcenderant, ſeſe reddunt, ſed juſto DEI judicio in alias, nubium vehiculo, deportantur Prouincias remotiores: Et memorabile cumprimis, ablatas fuiſſe ipſas illas aqueas & balſamicas partes, quæ per διαπνοὴν euaporabant ex plantis, quia defecerat non ſolùm pluuia, ſed & *ros.* Quo rerum afflicto ſtatu non poterant non exareſcere vegetabilia, homines & bruta ſiti torreri & æſtu, ſiccari flumina, riui, fontes, & variorum morborum grauiſſimorum ſyrma ſequi. Si quis noſſe cupit modum, quo hæc calamitas fuerit inducta, ei reſponſi loco ſint verba illa meteorica ſimul & interminatoria Lev. XXVI. 19. Deut. XXVIII. 23. *Faciam cœlum veſtrum veluti ferrum, & terram veſtram veluti æs.*

Siſtitur in præſenti Tabula *Coruus Indicus Bontii*, qui quidem non cadauerum eſt auidus, ſed nuce myriſtica delectatur.

TAB. CCCCLXIX.

1. Reg. Cap. XVII. verſ. 14. 16.

14. Quoniam ſic dicit DOMINUS Iſraelis: Farina cadi non deficiet, & oleum lecythi non minuetur, usque ad eum diem, quo DOMINUS pluuiam dederit ſuper faciem terræ.
16. Neque ceſſauit farina cadi, nec oleum lecythi defecit juxta verbum DOMINI, quod loquutus fuerat per Eliam.

14. Hæc autem dicit DOMINUS Deus Iſrael: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua DOMINUS daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.
16. Et ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, juxta verbum DOMINI, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

Heic ſta ad momentum, Philoſophe, admiraturus DEI ſupra ordinarias naturæ leges operantis vias. Oleum oliuarum, butyrum illud terræ abſque olea, farinam abſque frumento, filios abſque parentibus! Qui menſium poſcunt decurſum pro ſui euolutione & maturatione fructus, tandemque debent legi, tundi, moli, deſunt prorſus; & tamen ex nihilo exprimitur oleum, paratur farina. Petit Propheta θαυμάσιος & θαυματοποιός à vidua paupercula *paululum aquæ in vaſe, & buccellam panis.* Hæc autem ad extremas olei guttulas, paucas farinæ atomos, ad incitas redacta ita ad virum DEI v. 12. *Viuit* DOMINUS DEUS *tuus, ſi eſt mihi panis coctus, duntaxat pugillum plenum farinæ habeo in cado, & parum olei in lecytho, & en colligo ligna duo, ut ingrediar & apparem ipſum mihi atque filio meo, comedamusque ipſum, deinde moriamur. (Viuit* DOMINUS DEUS *tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.)* Sed urgente maxima neceſſitate promptum eſt DEI auxilium. Naturæ mediis deficientibus ſuccurrit ipſius naturæ Author, potentiſſima id efficiens manu, quod & naturæ vires & omnem rationis captum ſuperat, nedum Alchymiſtarum illa ſomnia, qui tot & tanta de metallorum imaginaria multiplicatione jactant. Sed attentione dignus quoque eſt terminus, ad quem protenditur miraculoſa ſuſtentatio, *usque ad eum diem, quo DOMINUS pluuiam dederit ſuper faciem terræ:* notum quippe, non ſtatim à pluuia lapſa vel creſcere vel matureſcere in ſolo per triennium exuſto fruges, & menſibus opus eſſe à ſementi ad meſſem. Sed non adeò difficile ſolutu hoc Problema: Poterant Phœniciæ naues commercio cum Aſia minore, Græcia, Africa, Ægyto, ſupplere defectum annonæ in Palæſtina, Mercatorum Tyriorum atque Sidoniorum granaria repleri peregrino frumento, & qui facultates habebant, ab illis redimere, pauperibus interim languentibus, & cum inopia certantibus. Quamdiu terra manſit arida, cœlumque ferreum, pretium frumenti manſit exorbitans, imo auctum magis & magis, diminutum vel à prima pluuia lapſa, quæ nouam dabat meſſi fœcundæ ſpem, reaperta & euacuata granaria. Ut omnino potuerit unica pluuia lapſa procurare ubertatem annonæ, & frumentum ad vile redigere pretium.

I. Reg. Cap. XVII. v. 14-16.
Oleum et Farina Sareptanæ.

I. Buch der Kön. Cap. XVII. v. 14-16.
Wunder-Oel und Wunder-Mehl.

M. Tyroff sculps.



I. REG. Cap. XVII. v. 21. 22.
Elias puerum reſuſcitans.

I. Buch der Kön. Cap. XVII. v. 21. 22.
Elias erwecket das todte Kind.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. XVIII. v. 18.
Ignis Ουρανοπετής.

I. Buch der Kön. Cap. XVIII. v. 18.
Eliä Opfer vom Himel entzündet.

B. S. Sedletzky sculp

TAB. CCCCLXX.

1. Reg. Cap. XVII. verſ. 21. 22.

Et admenſus eſt ſeſe ad puerum ter, clamauitque ad DOMINUM, & dixit: DOMINE, DEUS meus, redeat quæſo anima pueri hujus intra viſcera ejus.

Et exaudiuit DOMINUS vocem Eliæ, reuerſaque eſt anima pueri in eum, reuixitque.

Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad DOMINUM, & ait: DOMINE, DEUS meus, reuertatur obſecro anima pueri hujus in viſcera ejus.

Et exaudiuit DOMINUS vocem Eliæ: & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit.

VErbis & geſtibus nullas eſſe vires, perſuaſi ſumus, & tamen legimus, Veteris Teſtamenti Prophetas uſos eſſe miris geſticulationibus, quas derideremus hodie, & ſuperſtitioſis adſcriberemus ritibus. Heic, in reſuſcitatione filii unici Sareptani, *admenſus eſt ſeſe* Elias *ad puerum ter.* Ita & maximi Prophetæ magnus diſcipulus Eliſæus reſuſcitans Sunamitidis filium ex mortuis. 2. Reg. IV. 34. *jacuit ſuper puerum, ponens os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, manusque ſuas ſuper manus ejus. Cumque ſic proſtratus incumberet ei, calefacta eſt caro pueri.* Nemo, quod quidem ſpero, cogitauerit, fuiſſe duntaxat filios hosce vel frigore ſemienectos, vel lipothymia obrutos, incubatu Prophetarum calefaciendos, id eſt, ſanandos: mortui fuere, vel ſucceſſu teſte, *reuerſa eſt anima pueri in eum, reuixitque.* Et quî, quæſo, mereretur ex lipothymia reuocatio, vel à frigore ad calorem reductio, commemorationem expreſſam in Sacro Codice, locum inter geſta Prophetarum? Ubi autem emigrauit anima, vana eſt omnis *admenſio*, vanus corporis viui incubatus, irrita omnis manuum impoſitio, nullius efficaciæ omnes naturæ vires, quia ſuperanda eſt ipſa naturæ lex, quæ ſpectat unionem corporis cum anima rationali, ſuperanda ab EO ſolo, qui illam dedit. Et ex voce נֶפֶשׁ *nephesch*, ſi quidem *animam* ſignificet immaterialem, immortalem, inferre quis poſſet ex hac ipſa hiſtoria animæ immortalitatem, veritatem maximi ſanè momenti, ſed infirmo admodum argumento, quia hæc ipſa vox paſſim in Sacris, fortè & heic, denotat *vitam.*

TAB. CCCCLXX. A.

1. Reg. Cap. XVIII. verſ. 38.

Tum decidit Ignis DOMINI, & deuorat holocauſtum, ligna, lapides & puluerem, ſed & aquas, quæ erant in elicibus, lambit.

Cecidit autem ignis DOMINI, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens.

ESt, de qua impræſentiarum, hiſtoria una ex maximè memorabilibus, quæ quidem in Eccleſiæ ac Politiæ Judaicæ contigere theatro, digniſſima omni attentione, quia religionum docimaſtica. Triennium jam elapſum, ex quo nulla lapſa pluuia: *vehemens erat,* ſpeciatim Samariæ, *fames* v. 2. Vix præ ſiccitate ſpiritum trahunt animantia: Rex ipſe aquilegem agit v. 5. Et tamen impius hic Tyrannus manet, & idololatra. Vitam fugâ ſaluant Prophetæ DEI, atque in cryptis montium ſeſe occultant, Baalitis interim Sacerdotibus & Aulam Regiam & Regnum pro lubitu ſuo guber-

nanti-

nantibus. Stant ex una parte ſacrificuli 450. ex altera ſolus Elias, de religionis veritate dimicaturi. Et conjectare eſt facile, in hoc rerum ſtatu ex qua parte futura ſit victoria; ſi ne Hercules quidem contra tres, nec Elias valebit quippiam contra ingentem illum Baalitarum numerum. Sed pro Elia ſtans fortiſſimus DEUS illuſtri miraculo glaucoma tollit ſeducto populo, ut apertis oculis videre poſſet corruptionem in Politia atque Eccleſia prædominantem. Decidi debebat in Concilio generali, habito in monte Carmel, an DOMINUS DEUS ſit vel Baal; Aurum à ſcoriis ſecerni ignis ope οὐρανοπετοῦς, quo ſacrificia parata forent conſumenda. *DEUS ſit ille, qui per ignem reſponderit. (& DEUS qui exaudierit per ignem, ipſe ſit DEUS.)* v. 24. Placuit populo δοκιμασία. *Reſpondit uniuerſus populus, dicens: Recte habet res. (Reſpondens omnis populus ait: Optima propoſitio.* Subſcribunt nolentes volentes Baalitæ Sacrificuli, volentes, quia protectioni Regis & Magnatum confiſi, nolentes, quia præuidere poterant facile ſiniſtrum δοκιμασίας euentum. Concedit Propheta prærogatiuæ jus viris populo reuerendis, in officio ſtantibus, authoritate grauibus. *Eligite vobis, inquit Elias, bouem unum, & facite primum, veſtrûm enim plures ſunt, & inuocate nomen Deorum veſtrorum, ſed ignem ne ſupponatis.* v. 25. Rem aggrediuntur maſculè, & fuere fortè inter eos perſuaſi nonnulli, adſtiturum ſibi *Principem Aeris* Eph. II. 2. qui ipſe fortè *igne* cœlitus miſſo *combuſſit oues atque pueros*, Jobi I. 16. *Inuocarunt nomen Baal à ſumma luce ad meridiem usque, dicentes: O Baal, exaudi nos — Ad aram, quam fecerant, ſaltitabant.* v. 26. *Incidebant ſeſe cultris & lanceolis ſuo more, donec ſanginem effunderent ſuper ſe.* v. 28. Similia legas de Iſidis & Bellonæ Sacerdotibus apud *Senecam Lib. de ſuperſtitione. Auguſtinum de Civ. Dei* L. VI. c. 10. *Apulejum* L. VIII. *Lactantium Inſt. Diuin.* L. I. c. 21. Ad hæc omnia, ad tot conatus, vota, preces, ſuſpiria, Baal ſurdus ac mutus. Ut poſtica ſanna illuſerit illis Elias v. 27. *Clamate ſublata voce, quandoquidem Deus eſt, fortaſſis colloquium habet, aut negotium aliquod, aut eſt in profectione, aut dormit, & expergefiet. (Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.)* Et fuere fortè ex Simpliciſſimi Genealogia nonnulli, qui ſerio præuerterunt, quod dictum fuit pio ſarcaſmo, adeò craſſis ideis de DEI eſſentia præoccupati, ac ſi non foret omnipræſens: ſanè in conſequentiam alloquii *clamauerunt ingenti voce, & inciderunt ſe.* Ita legimus apud *Homerum Iliad.* A. 422. profecto in Æthiopiam Joue diſtuliſſe Thetidem alloquium; & ſub finem ejusdem libri, neminem admiſiſſe in ſui conſpectum, quia indulſerit ſomno. Poſtquam autem ex parte Baalis *non erat vox, neque reſpondens, neque auſcultans.* v. 29. in theatrum prodit vir Veri DEI Elias. *Acceptis duodecim lapidibus juxta numerum Tribuum filiorum Jacob extruxit ex lapidibus aram in nomine DOMINI.* v. 31. *Fecit inſuper elices circum aram, qui capiebant duo ſata ſeminis. (Fecitque aquæductum quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris.* v. 32. *ſtruxit ligna, in fruſta concidit bouem, impoſuitque lignis. (Et compoſuit ligna, diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna.)* v. 33. De סְאָה *Sati* capacitate 674. pollicum cubicorum Pariſinorum egimus ad Gen. XVIII. 6. Quæ heic locum vix obtinet, ſed potius Epha ſiue Metretes, cujus capacitas eſt 2022. pollicum cubicorum: ſanè δύο Μετρητὰς σπέρματος, i. e. capacitatem 4044. habent LXX. Ut autem ignis, quem præſtolatur Propheta, οὐρανοπετὴς Iſraelitarum oculis faſcinatis tantò ſplendidius illuceſceret, ita inquit ad illos. *Implete quatuor cados aqua, & fundite ſuper holocauſtum, atque ſuper ligna, Et dixit: denuò hoc facite. Et denuò fecerunt. Et dixit: facite hoc tertiò; feceruntque tertio. Currebant itaque aquæ circum aram, impleuitque aqua elices. (Implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna, rurſumque dixit: etiam ſecundo hoc facite: qui cum feciſſent ſecundò, ait: Etiam tertiò id ipſum facite: feceruntque tertiò. Et currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt.)* v. 34. 35. Debebat namque triplex hæc aquæ affuſio miraculum in oculis populi reddere illuſtrius, & omnem cauſarum naturalium ſuſpicionem adimere. Mox verò atque Elias ſuum atque Iſraelis DEUM ardentibus inuocauerat precibus, *decidit ignis DOMINI, & deuorat holocauſtum, ligna, lapides, & puluerem, ſed & aquas, quæ erant in elicibus, lambit.* Quas operationes fruſtra expectaueris ab igne ordinario, ne quidem à Solari per Lentes Tſchirnhuſianas concentrato, imò nec à fulminari. Ne micula quidem adeſt ignis, madent aqua ligna, Sacrificium iis impoſitum, ara, imo circumfluit deflua ex altari aqua in fouea, θαλάσσῃ, elice ſatis amplo aram: Et en! non accenditur duntaxat cœlitus lignum, non ſolum conſumitur ὁλοκαύτωμα, ſed calcinantur lapides, è quibus conſtructum fuerat altare, ac ſi per aliquot dies expoſiti fuiſſent vehementiſſimo fornacis calcarii igni, rediguntur in puluerem, & exiccatur prorſus fouea. Atque omnino habuit populus, cur in conſpectu tanti miraculi pleno gutture exclamaret. v. 39. *DOMINUS ipſe eſt DEUS, DOMINUS ipſe eſt DEUS.* Dabit Gloriam DEO ſacrato Echo quiuis naturæ ſcrutator, quia in omni rerum natura inuenit nihil, quod tam ſtupendos poſſit edere effectus.

RPJCB

I. REG. Cap. XVIII. v. 42. 44.
Elias Tempeſtatem prænuntians.

I. Buch der Kön. Cap. XVIII. v. 42. 44.
Der Wetter-Prophet Elias.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

I. REG. Cap. XVIII. V. 44. 45.
Capitis Bonæ Spei Promontorium.

I. Büch der Kön. Cap. XVIII. v. 44. 45.
Vorgebürge der güten Hoffnüng.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCCLXXI. CCCCLXXII.

1. Reg. Cap. XVIII. verſ. 42. 44. 45.

42. Aſcendit itaque Ahab, ut comederet & biberet, Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & proſternens ſe in terram, poſuit faciem ſuam inter genua.

44. Factum eſt autem, quum ſeptimo (iret) ut diceret: En parua nubecula, ac ſi eſſet hominis manus, aſcendit de mari; qui dixit: Aſcende, & dic ipſi Ahab, junge equos currui, & deſcende, ne te cohibeat pluuia.

45. Interea Cœli tenebreſcebant nubibus, & vento, factaque eſt pluuia magna. —

42. Aſcendit Ahab, ut comederet & biberet: Elias autem aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua.

44. In ſeptima autem vice, Ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari; qui ait: Aſcende & dic Ahab. Junge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluuia.

45. Cumque ſe verteret huc atque illuc, ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis. —

Conſcendit cacumen Carmeli montis Elias, poſtquam illuſtri miraculo in conſpectu totius populi Iſraelitici demonſtrauit, DOMINUM eſſe DEUM, & ſacrificulos Baalis mactauit, ardenti zelo ut gloriam DEI defendens, ita precibus gratiam benigniſſimi numinis implorans, gratesque ſubmiſſas agens, nempe flexis genubus, & vultu ad genua usque demiſſo. Eſt hic naturaliſſimus v. 24. ſenſus. Et nemini forſan Interpretum in mentem venit modus, quem verſiculus hic exprimit, menſurandi altitudines e. g. arboris, turris, domus, absque ullius Inſtrumenti Geometrici ſubſidio. Stat nempe Menſor, & ſtando ſe incuruat, eousque, donec capite inter genua demiſſo retro conſpiciat apicem turris, ita nempe, ut ſpinæ dorſalis linea cum horizontali faciat angulum 45. graduum. Poſtquam ita progrediendo & remeando apicem viſu attigit, à loco ſtationis ſuæ ad baſin turris menſurans vel pedes vel paſſus altitudinem habet deſideratam. Fieri autem operatio debet in plano horizontali, & eſt hic menſurandi modus in uſu paſſim apud Germanos lignicidas, ſiquidem certi eſſe velint de altitudine arboris. Verùm obſeruationem hanc ſejunctam prorſus volo à ſenſu Textus, & ὡς ἐν παρόδῳ huc appoſitam. Problema, quo me olim tentauerat vir quidam profundæ eruditionis. A.

Siſtunt commata 44. 45. tempeſtatis pluuioſæ præſagos nuntios. Quadrat huc illud *Virgilii Æneid.* IV. 60.

Interea magno miſceri murmure cœlum
Incipit, inſequitur, commiſta grandine, nimbus.

Siccitatem diutinam ſequuntur ordinariè Imbres denſi. Sunt omnia Atmoſphæræ ſpatiola vaporibus aqueis repleta, qui quo propius coeunt ad inuicem alliſi, & ſi bullularum habent formam, fracti, in pluuias largas ſeſe exonerant, ruentes plerumque, ut heic, impete vaſto. Sed tempeſtatem heic prænuntiat *parua nubecula, quaſi eſſet hominis manus*, in parallelismo locanda cum nubecula illa *oculus bouis*, *Olbo de Boy* dicta, quæ ſi in monte Capitis Bonæ Spei, *Tafelberg* dicto, cœlo etiam ſereniſſimo exiſtente, & mari placido, initio vix granum hordei, dein nucem juglandem æquans, mox tamen ſuper totam planitiem montis extendens, Ecnephiam parit tantæ impetuoſitatis, qui naues imparatas, vel velis expanſis volitantes in Tartara præcipitat. Ita, quas hactenus de hoc Phænomeno habuimus relationes, quasue *Geographiæ* ſuæ *generali* inſeruit *Varenius* L. I. c. 21. Prop. 10. p. m. 281. Sed certiora nos edocet, & à præjudiciis liberat Clar. *Petrus Kolb* Neoſtadienſis Rector fideli & longâ ipſe edoctus experientia in *Capite Bonæ Spei hodierno* exquiſitæ attentionis opere

p. 311. &c. Ventum hunc eſſe Auſtr-Orientem, nubeculam etiam initio non tantùm oculo bouino, ſed boue etiam maximo majorem, diuiſam plerunque in partes, ut non ſolùm montem ſupra jam nominatum, Tafelberg, ſed & vicinum Diaboli, *Teufelsberg*, *Windberg* occupet: colligi ſenſim partes, expandi in altum, hærere aliquandiu denſam, tandemque maximo impetu ex ea prorumpere Ecnephiam, eumque vehementem, ſed plerunque exiccantem, licet color liuidus ſeu plumbeus nubis imbres minetur largiſſimos, refractioni radiorum adſcribendus. Plura de hoc vento, ejus prognoſticis, duratione, vehementia, cauſis videat beneuolus Lector apud laudatum *Kolbium*. Phœnomenon hoc, quia ſatis benè quadrat ei, de quo impræſentiarum, conſultum duxi Tab. CCCCLXXII. repræſentare ipſum Promontorium Capitis Bonæ Spei cum ſuis montibus.

TAB. CCCCLXXIII.

1. Reg. Cap. XIX. verſ. 4. 5.

4. Ipſe verò (Elias) ibat in deſertum itinere diei, & veniens ſedit ſubter Juniperum —

Ebr. unam Juniperum.

5. Jacens autem ſubter Juniperum, obdormiuit —

4. Et perrexit in deſertum viam unius diei, cumque veniſſet, & ſederet ſubter unam Juniperum —

5. Projecitque ſe, & obdormiuit in umbra Juniperi: —

Virum DEI, Eliam, en *ſub Junipero!* profugum à facie Ahabi & Iſabelis, feſſum ærumnis! רֹתֶם *rothem* Rabbinis *Kimchio* & *Jarchio* eſt *Juniperus*, ſed *Leui Ben Gerſon* humilis *Geniſta*. Seruant LXX. originalem vocem, v. 4. habent ῥαθμὲν, Complutenſis Codex ῥαθὰμ: & v. 5. ſimpliciter φυτὸν, plantam. Job. XXX. 4. ξύλα, ligna. Pſal. CXX. 4. ἄνθρακες ἐρημικὲς, carbones deſolatorios, al. ἄνθρακες ἀρκευθίνες, carbones juniperinos, quod poſterius Aquilæ tribuit Scholiaſtes, ut omnino ignorare videantur LXX. τὸ רֹתֶם. Plerique Interpretes, Verſiones pleræque, ſtant pro *Junipero*, Vulgata, *Piſcator*, *Schmidius*, *Lutherus*. Solus *Arias Montanus* uno in loco habet *Juniperum*, binis aliis *Geniſtam*; ſubſcribunt ei *Auenarius* in *Lexico* & *Urſinus* in *Arboreto* c. 27. Ex Etymologia parum habebis lucis, ſiue radicem רָתַם *ratham*, *ligauit*, *junxit*, cum *Benjamine Scharffio*, ἀρκευθολογίᾳ celebri, eò interpreteris, quod firmam jungat corpori ſanitatem, pollens vi emplaſtica, & abortum prohibeat; ſiue cum *Joh. Stengelio* reſpicias ad formam externam, qua circumflexis ramis atque foliis aculeatis conjungatur ita, ut extricare ramos vix queat. *Biblioth. Brem. Claſſ.* VII. p. 860. Qui pedem patria haud extulit, ei difficile videtur captu, quomodo ſub umbra Juniperi, fruticis humilis, recubare potuerit Elias. Apud nos ſanè, & in pleriſque Europæ Prouinciis frutex humilis manet. *Juniperus vulgaris baccis paruis purpureis* C. B. dicta hinc *Juniperus vulgaris fruticoſa*. I. B. ſed alibi arboreſcit, eò quidem usque, ut in Hiſpania ſupra Segobiam, qua Madritum itur, ex ea trabes & ædium contignationes fabricentur, *Cluſio* teſte in *Hiſt.* Vis arboreſcentes Juniperos alias! En *Juniperum majorem bacca rufeſcente* C. B. in Hiſpania & Narbonenſi Gallia frequentem, quæ etiam truncum humani corporis craſſitudine æquat. *Juniperum maximam Cupreſſi folio minimo cortice exteriore in tenues philyras ſpirales ductili*. Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* II. p. 2. Tab. 157. *Raji Hiſt. Tom.* III. *Dendr.* p. 12. quæ forſan eſt *Juniperus Barbadenſis Cupreſſi folio arbor præcelſa tetragonophyllos ſiue foliatura quadrangulari*. *Pluk. Mant.* p. 109. quæ Architectonicis adhibetur uſibus. Deſideras Juniperos orientales. En *Juniperum Creticam ligno odoratiſſimo*, quæ Κέδρος eſt recentiorum: *Juniperum latifoliam arboream Ceraſi fructu*: quas inter alia ἀποφορητὰ ex Aſia retulit *Tournefortius Corollar.* p. 41. Viden' igitur ſub Juniperi arboreſcentis umbrâ ſedentem Eliam? ſed caue exiſtimes, ſelegiſſe umbram arboris grauem & noxiam, ut vitæ moleſtæ pertæſus ejus acceleraret finem. Remotus fuit vir DEI à ſuperſtitioſa illa veterum quorundam perſuaſione, de qua *Virgilius Eclog.* X. v. 75. 76.

- - - Solet eſſe grauis cantantibus umbra:
Juniperi grauis umbra.

Eſt autem Juniperus cortice ſcabro & deciduo, rubente, materia firma, nonnihil etiam rubeſcente, odore reſinoſo grato. Ramuli in ſurculos multos diuiduntur, minacibus foliis,

ſemper

I. REG. Cap. XIX. v. 4. 5.
Elias ſub Iunipero.

I. Buch der Kön. Cap. XIX. v. 4. 5.
Elias unter dem Wachholder = Baum.

P. G. Harder sculps.

TAB. CCCCLXXV.

II. REG. Cap. II. v. 8. 14.
Iordanes pallio divisus.

II. Buch der Kön. Cap. II. v. 8. 14.
Der mit dem Mantel zertheilte Jordan.

G. D. Heüman sculps.

II. REG. Cap. II. v. II.
Eliæ currus et Equi ignei.

II. Büch der Kön. Cap. II. v. II.
Eliä feüriger Him̃els-Wagen.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

II. Reg. Cap. II. v. 19. 22.
Aqua ſale ſanata.

II. Buch der Kön. Cap. II. v. 19. 22.
Die durch Saltz verrichtete Waſſer-Cu

B. S. Sedletzky scu

TAB. CCCCLXXVI.

2. Reg. Cap. II. verſ. 11.

Factum itaque eſt, quum ita proficiſcerentur, & confabularentur, ut currus igneus, atque equi ignei utroſque diuellerent, aſcenderetque Elias turbine in cœlum.

Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.

MUlta Gentiles de ſuis Auguſtorum ſpeciatim & Auguſtarum Apotheoſibus, qui conſecrandi poſt funera honos ſub Cæſarum Imperio ſtetit penes Senatum. Sed nil reperimus in Gentilium monumentis, quod comparari queat cum Hiſtoria præſenti. Inter cœlites recipitur Vir DEI, adſtante Propheta ſucceſſore, absque præuia animæ & corporis ſolutione, viuus. Ardentiſſimus Zelo Elias, cujus precibus ignis è cœlo lapſus in Carmelo monte ſacrificium conſumſit aquâ perplutum, & poſt bis 50. emiſſarios milites, igne gratiæ raptus ipſe conſcendit cœlos. *Currus igneus, atque equi ignei* diuellunt Eliam ab Eliſa. *Aſcendit* ille *turbine in cœlum.* An vehicula hæc ignea, currus & equi, Angeli fuerint, vel reſplendens igne nubes, qualis inſeruiit CHRISTO aſcendenti in cœlum, determinare meum non eſt. Certum hoc, eleuationem hanc viui Eliæ non adſcribendam eſſe viribus ullis naturalibus, ſed omnipotenti DEI virtuti. Suſtuliſſet turbo qualis qualis Prophetæ corpus, ſed mox, ut breuis moræ eſt hoc Meteoron, demiſiſſet rurſum: nulla nubes corpori grauiori ſuſtinendo ſuffena. An autem hoc Eliæ corpus duntaxat ſublatum fuerit in ſuperiorem aeris Regionem quandam, quod Rabbini volunt, vel extra terræ, imo Solis & Stellarum Fixarum vortices raptum, difficile eſt dictu. Pertinet hoc Problema ad Philoſophiam tranſcendentalem, quæ omni humanâ ratione ſuperior Diuinâ opus habet reuelatione.

TAB. CCCCLXXVII.

2. Reg. Cap. II. verſ. 19 - 22.

19. Porrò viri ciuitatis dixerunt ad Eliſæum: En habitatio ciuitatis hujus commoda eſt, ut Dominus meus videt, at aquæ malæ ſunt, & terra ſterilis.
20. Tum dixit: Adferte mihi phialam nouam, & ponite in eam ſal: & attulerunt ad eum.
21. Egreſſus autem ad ſcaturiginem aquarum, projecit illuc ſal, & ait: Sic dicit DOMINUS, ſanaui aquas iſtas, ut poſthac ex illis neque mors ſit, neque ſterilitas.
22. Sanatæ itaque ſunt aquæ usque in diem hunc, juxta verbum Eliſæi, quod loquutus eſt.

19. Dixerunt quoque viri ciuitatis ad Eliſeum: Ecce habitatio ciuitatis hujus optima eſt, ſicut tu ipſe, Domine, perſpicis: ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.
20. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent:
21. Egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit DOMINUS: Sanaui aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas.
22. Sanatæ ſunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Eliſei, quod locutus eſt.

De ſitu *Jerichuntis*, quæ à Jordane diſtabat 60. ab Hieroſolyma 150. ſtadiis, ſiue ibi 7. heic 18. à Lacu Aſphaltite verò 9. Milliaribus Romanis, fertiliſſimo, præprimis ab Eliſæi temporibus, &, de qua impræſentiarum, benedictione plura paſſim *Joſephus*, & poſt eum *Relandus Palæſtin.* p. 829. & alibi.

Conſiderationi noſtræ ſeſe offert aquæ Jerichuntinæ vitium, & miraculoſa cura.

Vitium quod attinet aquæ & ſoli, id ita lamentantes exponunt incolæ noſtro Prophetæ, quod *aquæ malæ* ſint, & *terra ſterilis.* τὰ ὕδατα πονηρὰ, καὶ ἡ γῆ ἀτεκνουμένη, i. e. orbans, *aquæ malæ & ſteriles. Ambroſ. ſerm.* 87. imprægnatæ, forſitan partibus ſalinis amaris, bituminoſis, ut tota περίχωρος Aſphaltitis Lacus inde ab excidio Sodomæ & Gomorrhæ: Aquæ minerales Medico uſui magis quàm culinario inſeruientes: orbantes terram frugibus, & fœminas liberis, abortum prouocantes, ut explicat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 30. Ita & *Joſephus*: ταύτην τὴν πηγὴν λόγος ἔχει κατ᾽ ἀρχὰς οὐ μόνον γῆς καὶ δένδρων καρποὺς ἀπαμβλύνειν, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν γονὰς, καθόλου τε καὶ πᾶσαν εἶναι νοσώδη τε καὶ φθαρτικήν. Eſt αἰτιολογία haud obſcura, ſi concipiamus aquas ſalinas ſimul & bituminoſas.

Miraculoſam prorſus fuiſſe hanc aquæ mutationem indicat ſatis ſuperque modus, quo uſus eſt ad dulcificandam illam Eliſæus. Juſſi ſunt indigenæ *adferre patinam nouam*, ut certi eſſe poſſent, nihil antea fuiſſe in patina, cui metamorphoſis tribui poſſet. In hanc patinam debebant *ponere ſal*, ex cujus proin commixtione ſapor aquæ ſalſus debebat augeri potius, quàm minui. Poſito licet, fuiſſe aquam ipſam acidam, ſal injectum alcalicum, ex ſecuta præcipitatione non fuiſſet dulcificata aqua, ſed muriatica reddita, vel ammoniacalis. Hac patina adit Propheta fontem, & injecto ſale minimè perſuaſos vult comites αὐτόπτας de naturali quodam effectu, ſed miram & gratioſam hanc mutationem Ei ſoli adſcribit, qui aquas, imò uniuerſum creauit; *Sic dicit* DOMINUS: *Ego*, non naturæ idolum, non naturalis quædam ſalis injecti proprietas, *ſanaui aquas iſtas, ut poſthac ex illis neque mors ſit, neque ſterilitas.* Dictum factum: *ſanatæ ſunt aquæ usque in diem hunc*, rurſus non naturæ viribus ullis, ſed *juxta verbum Eliſæi, quod loquutus eſt.* Illuſtrat hoc miraculum dulcificatio illa aquarum amararum à Moſe inſtituta Exod. XV. 23. 24. 25. quò Lectorem remitto.

TAB. CCCCLXXVIII.

2. Reg. Cap. II. verſ. 23. 24.

23. Aſcendit deinde in Bethel, quumque per viam aſcenderet, exierunt pueruli ex urbe, illudentes ei, dicentesque ad eum: Adſcende calue, adſcende calue.
24. Et reſpiciens poſt ſe vidit eos, & execratus eſt eos in nomine DOMINI. Egreſſæ ergo ex ſylua duæ urſæ diſcerpſerunt ex eis quadraginta duos pueros.

23. Aſcendit autem inde Eliſeus in Bethel, cumque aſcenderet per viam, pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende calue, aſcende calue.
24. Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine DOMINI: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.

Bethel urbs montana Tribus Benjamin, alto ſatis loco ſita, campus veluti Martius, in quo veri DEI ſeruis dimicandum fuit cum idololatris. Ibi namque fuit ſchola pro *filiis Prophetarum*, qui magna animi contentione vigilabant pro cognitione & cultu DEI. 2. Reg. II. 3. Sed & erexerat ibidem Jeroboam ille ἀρχιαποστάτης vitulum, quem major incolarum numerus adorauerat. 1. Reg. XII. 29. Unde non mirum, Pietiſtis illis infenſos fuiſſe tum Pſeudo-Deorum ſacrificulos, tum populum ab his ſeductum. Exemplo heic eſt pientiſſimus Eliſæus, puerorum opprobrium, quia parentum. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ conſtat, quàm facile transplantetur parentum odium ad liberos, à trunco ad ramos. Sunt qui volunt, ἐμπαίκτας hosce non pueros fuiſſe, ſed adoleſcentes. *Puer* ſanè cluet Iſaacus ea ætatis ſuæ circumſtantia, qua in ſacrificium DEO offerri debebat à patre, licet 28. habuerit annos. Gen. XXII. 5. 12. Joſephus τριακονταετὴς. Gen. XLI. 12. Rehabeam vir quadraginta annorum. 2. Paral. XIII. 7. Hujusmodi pueros offendas paſſim in Agro

Helue-

II. REG. Cap. II. v. 23. 24.
Ursi puerorum carnifices.

II. Büch der Kön. Cap. II. v. 23. 24.
Die von Bären ermordete böſe Büben.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

Heluetico, qui annos habent 40. 50. 60. pueros, *Buben*, qui patres ſunt & aui.

Caluescit plerumque caput in ſenectute, deficiente capillis ſucco nutritio, & poris cutis conſtrictis; aſt hunc pilorum defectum experiuntur aliquando viri conſiſtentis ætatis, imò iuuenes, ſuperatis inprimis grauioribus morbis, vel & occaſione ſubitanei terroris. Undenam autem contraxerit Eliſæus caluitiem, non legitur in Sacris: certum hoc, fuiſſe caluum, & ob naturalem hunc, qui nemini exprobrari debet, defectum riſui fuiſſe pueris petulantibus. Apud Romanos quoque fuere δασύτριχες honori, ἄτριχες probro. *Ouid.*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Petronius in *Satyrico.*

Quod ſummum formæ decus eſt, periere capilli,
Vernantesque comas triſtis abegit hyems.

Pollux L. II. c. 3. Ἄκομος τὴν κεφαλὴν, ἄκοσμος. *Ambroſius in Hexaem.* L. VI. c. 9. *Quàm ſpecioſa cæſaries? quàm reuerenda in ſenibus? quàm veneranda in ſacerdotibus? quàm terribilis in bellatoribus? quàm decora in adoleſcentibus? quam compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris? Tolle arbori comam, tota arbor ingrata eſt. Quanto igitur major humani corporis ornatus eſt? Therſites* ille hominum fœdiſſimus legitur apud *Homerum Iliad.* β.

Φοξὸς ἔην κεφαλὴν, ψεδνὴ δ᾽ ἐπενήνοθε λάχνη.

Acuto erat capite, & rarus illi eflloreſcebat capillus.

Et primus Romanorum Imperator Cæſar caluus obtrectatorum jocos inique ferens ex omnibus Senatus decretis ob hoc ipſum vitium non aliud legitur recepiſſe libentius quàm jus laureæ perpetuo geſtandæ, apud *Sueton.* in *Jul. Cæſ.* c. 45. cui vitio mederi optimè potuiſſet, ſi in uſu fuiſſent, capillamentis modernorum.

Sub Conſulum regimine res non erat ſic: non ſolùm non fuere probro vitia corporis, ſed ab his ipſis nomina arceſſere ſolebant & cognomina integræ familiæ. *Caluos* reperias in familiis *Cœcilia, Cornelia; Claudos, Claudios.* Perplura exempla obuia ſunt in nummis.

Bruta animantia, quæ heic carnificis vices egerunt, ſunt דבים *dybbim, urſi, urſæ.* Hebræis & Chaldæis דב *dob, urſus.* Æthiopibus *Deb. Ludolf. Hiſt. Æth.* L. I. c. 10. Arabibus *Dübb*, fœmina Turcis *dübbet. Meninzk. Lex.* 617. 1881. 2022. Radix videtur Arabica, *dabiba* eſt piloſam habere faciem, *dabbon, dabobon* faciei pilli & villi, *adabbo, azabbo*, villoſus. Eſt namque urſo corpus δασὺ λίαν, villoſum. *Ariſt. de Part. Animal.* L. II. c. 14. λάχνη πυκινὴ δυσπαίπαλος villo denſo & aſpero veſtitus. *Oppian. Cyneget.* L. III. v. 141. λασιαύχην, hirſuta ceruice apud *Homerum.* De urſis his, qui deuorarunt 42. irriſores varia habent Interpretes varii. Sunt ex Rabbinis, qui miraculo tribuunt, quod heic contigit, quia in vicina Betheli ſylua nulli fuerint urſi; imò, qui miraculum ſtatuunt in miraculo, agnoſcentes ne ſyluam quidem, quum tamen Scriptura expreſſis verbis memoret *ſyluam*, ex qua prodierint ἀνθρωπόφαγοι. Et forſitan *quercus* illa, ſub qua Propheta Betheliensis virum DEI offendit. 1. Reg. XIII. 14. *Quercus* item illa *fletus*, ſub qua Debora fuit ſepulta Gen. XXXV. 8. fuere in ipſa hac ſylua: ex qua fortè prodiit & leo ille, qui Prophetam modò memoratum occidit. Quicquid ſit, indubium hoc eſt, prodiiſſe ex latibulis ſuis urſos ſingulari DEI juſſu, ut diſcerperent ſcoptas. Allegoricas, quæ fieri poſſent, explicationes linquo partim Judæis, 42. hosce pueros applicantibus ſacrificiis totidem à Bileamo in Balaki gratiam mactatis Num. XXIII. & XXIV. partim Eccleſiæ Patribus, qui ex Eliſæo faciunt typum CHRISTI, ab Judæis deriſi, & illud *adſcende calue* idem volunt quod *adſcende in crucem in Caluariæ loco erigendam*, & per binos urſos intelligunt Titum ac Veſpaſianum, qui Hieroſolymam anno à CHRISTI morte 42. deuaſtarunt. v. Hieron. in Sophon. Tom. V. Comment. in Pſal. XLV. & LXXXIV. alii.

2. Reg. Cap. III. verſ. 4.

Porrò Meſa, Rex Moabitarum, armentarius erat, pendebatque (vectigal) Regi Iſraelitico, nempe centum millia agnorum, & centum millia arietum cum lana.

Porrò Meſa, Rex Moab, nutriebat pecora multa, & ſoluebat regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus ſuis.

VEtuſtiſſima ſi adeamus tempora, horumque conſulamus mores, haud erit, cur pudeat nos Heluetios negotii noſtri, quod circa jumenta & pecora, horumque producta, lac & lacticinia verſatur, imo nec βεμολγῶν probroſi adeò tituli, ut cauſa olim extiterit belli nos inter & vicinos accenſi. Fuere olim, ut nunc ſunt inter Tartaros, Reges & Principes viri, qui negotia hæc tractarunt, imò Paſtores *Abrahamus*, *Jacobus*, *Moſes*, ex traditione *Trogi* L. XXXVIII. Reges: *Jobus*, *inter ſuos ut Rex inter militum cuſtodiam.* XXIX. 25. *Augias* Elidis Rex: *Adonis*, Cinyræ, Cypri Regis, filius, de quo *Theocritus Idyll.* ά.

Ὡραῖος χ᾽ ὤ'δωνις, ἔπει καὶ μῆλα νομέυει.

Et poſt eum *Virgilius Eclog.* 10.

Et formoſus oues ad flumina pauit Adonis.

In Textu noſtro *Meſa*, Moabitarum Rex, qui ipſe vocatur נוֹקֵד *noked*, *armentarius.* Seruarunt LXX. originale νωκὴδ, alii habent ἀρχιποιμὴν, *Hieronymus* per περίφρασιν, *nutriebat pecora multa:* Pone, non Meſam ipſum pauiſſe pecora, id ſaltem certum fuiſſe pecora potiſſimam diuitiarum, quas poſſederat, partem. Conſtat id ex tributo Regi Iſraelis penſo 100000. *agnorum*, & 100000. *arietum cum lana:* qui numerus multis videtur hyperbolicus, præprimis ſi tributum fuerit annuum, quod volunt Chaldæa & Arabica Verſiones. Quapropter Illuſtris *Ludolfus Comment. ad Hiſt. Æthiop.* L. II. c. 3. p. 84. ſemel duntaxat in vita à quouis Moabitarum Rege tributum hoc penſum fuiſſe, ineunte Regno, veluti in feudi recognitionem. Ubi obſeruandum, tributa olim ſoluta fuiſſe & mulctas non argento, ſed pecoribus, horumque certo numero. Qui mos adhuc obtinet apud Ruſſos & Tartaros. Hinc *pecunia ipſa à pecore appellabatur. Etiam nunc in Tabulis Cenſoriis paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat. Mulctatio quoque nonniſi ouium boumque impendio dicebatur. Plin.* L. XVIII. c. 13. Hinc & apud Hebræos מִקְנֶה *mikneh* notat gregem, & quasuis opes, utpote quæ olim ex pecoribus conſtabant. Et in diplomatibus noſtris, pactisque emptionis ac venditionis vox *Geld* notat cenſum quemuis, ſiue ſoluatur pecunia, ſiue frumento, caſeo, piſcibus.

TAB. CCCCLXXIX.

2. Reg. Cap. III. verſ. 15.

Nunc verò Pſalten mihi adhibete. Quumque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus DOMINI.

Nunc autem adducite mihi Pſalten. Cumque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus DOMINI.

ELiſæum en ad modulamina Muſica vaticinantem! Sed abſint cogitata de facultate quadam homini naturali, quam veluti ſopitam excitauerit Muſica. Abſit hic Naturaliſmus, qui naturæ id donum Prophetiæ tribuit, quod DEO unicè adſcribi debet: diuerſiſſimus longè ab illo altero, & orthodoxo Naturaliſmo, multis licet ſine ratione ſuſpecto, quo eruuntur cauſæ naturales, quouſque erui quidem poſſunt, DEO ſemper, cauſæ ſupremæ & unicè agenti, ſubordinatæ & ſubjectæ, oſtenduntur limites, & in doctrina de miraculis determinantur motus leges vi Diuina ſuperatæ, vel ſuſpenſæ. Diſtinguendæ ſunt diuinationes à diuinationibus, prædictiones à prædictionibus; ſunt, quæ fundantur nexu cauſarum & effectuum naturalium: ita Medici ſuas formant prognoſes, prædicunt Aſtronomi Eclipſes, omniumque Planetarum ſitum ad tempus datum futurum, Phyſici tempeſtates aeris ex Mercurii lapſu in Barometro. Sed ſunt futura contingentia, quæ cum rerum natura nullam habent connexionem, à DEI ſolius nutu dependent & arbitrio. Ad tranſcendentalem hanc futurorum notitiam pertinet & præſens caſus. Cum eo ſanè, quod prædixit Eliſa, nullum habet nexum Muſica, quæ attentum quidem reddere valet hominem, & prudentem, neutiquam Prophetam. Confundit ſpinoſus ille *Spinozæ* nomine notus *Tractatus Theologico-Politici* Author ut DEUM mundo, ita diuinationes naturales diuinis, prophetandi donum imaginationi. Ita is c. 11. adducens in ſententiæ ſuæ patrocinium ipſum hoc Eliſæi exemplum. *Reuelatio variabat in unoquoque Propheta pro diſpoſitione temperamenti corporis & imaginationis. Si enim Propheta erat hilaris, ei reuelabantur victoriæ, pax, & quæ porro homines ad lætitiam mouent. Tales enim ſimilia ſæpius imaginari ſolent. Si contra triſtis erat, bella, ſupplicia, & omnia mala ei reuelabantur: & ſic, prout Propheta*

II. REG. Cap. III. v. 15.
Eliſæus ad Muſicam vates.

II. Buch der Kön. Cap. III. v. 15.
Der durch Muſic begeiſterte Eliſa.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

pheta erat miſericors, blandus, iracundus, &c. eatenus magis aptus erat ad has, quàm ad illas reuelationes. Hoc conſtat ex iſto caſu Eliſæ 2. Reg. III. 15. qui, ut Joramo prophetaret, organum petiit, nec DEI mentem percipere potuit, niſi poſtquam Muſica delectatus fuit, tum demum Joramo cum ſociis læta prædixit, quod antea contingere nequiit, quia Regi iratus erat, & qui in aliquem irati ſunt, apti quidem ſunt ad mala, non verò bona de iisdem imaginandum. Negari id nequit, Muſicæ magnam eſſe vim in flectendis, domandis, mutandis affectibus. *Solebant Pythagorei mentes ſuas à cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem reducere. Cicero Tuſc.* IV. De hac re fuſius egi occaſione Muſicæ Dauidicæ Sauli furioſo applicatæ. 1. Sam. XVI. 6. Et fortè heic animus Prophetæ diſtractus per modulamina Muſica in ordinem fuit redactus, & attentior tantò redditus ad inſpirationem diuinam. Et DEUS ipſe perſæpe corporibus naturalibus, tanquam ſuis creaturis, harumque actionibus, paſſionibus, motibus utitur pro liberrimo ſuo arbitrio ad executionem ſuæ voluntatis. Sic conceſſero facile, animum Eliſæi ob peruerſos Jorami mores turbatum, pone & iratum, modulaminibus harmonicis fuiſſe mitigatum. Sed nondum hæc ſufficiunt ad Prophetiam, non ad prædictionem futurorum, quæ cum cauſis naturalibus nullum prorſus habent nexum. Conſidera, ſi lubet, circumſtantias, quæ leguntur v. 16. 17. 18. *Sic dicit* DOMINUS, non mea ludit imaginatio. *Facite juxta hunc alueum multos elices, quoniam ſic dicit* DOMINUS. *(Hæc dicit* DOMINUS: *Facite alueum torrentis hujus foſſas, & foſſas, hæc enim dicit* DOMINUS.) Indubium quid habeo, quod vobis proponam. *Non videbitis ventum, neque pluuiam videbitis, nihilo tamen minus alueus iſte aquis inundabit, ut & vos bibatis, & pecora veſtra, atque jumenta veſtra, idque leue erit in oculis DOMINI. Dabit inſuper Moabitas in manum veſtram,* &c. *(Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra. Parumque eſt hoc in conſpectu DOMINI: inſuper tradet etiam Moab in manus veſtras,* &c.) Nemo niſi cœcus heîc non videt *manum* DEI. v. 15. Neque hoc poteſt ſubſiſtere ſuppoſitum tenebrionis, Prophetas pro vario corporis temperamento ad has magis quàm alias reuelationes fuiſſe aptos. Nam haud rarò vaticinia ſua triſti ſunt exorſi comminatione, ſed lætiſſimas ſubnexuere rerum vices. Unde abſurdum id ſequeretur, temperamentum mutâſſe eos unica ſæpe hora, & quoad ſpeciem quidem; de gradibus enim, quòd mutari queant, haud eſt dubium. Moſen en! mitiſſimum, grauia intonantem, Jeſaiam læta ſimul & triſtia vaticinantem. Ex hactenus dictis clarum, quàm lubrica & malè fundata ſit ſpinoſizans eorum opinio, qui Prophetiam deducunt ex atomorum confluxu & cum anima communicatione: vel Platonizantium maleſana mens, qui effectum vaticinii mirabilem adſcribunt animæ mundi intelligenti ſeu panſpermiæ, cujus ἀπόσπασμα ſit hominis anima per Muſicam excitata, *ſubtilitate quadam ſua aliquid præuidens, Gregor.* M. L. IV. *Dialog.* 26. nempe, ſi hoc magni viri effatum in meliorem interpretemur partem, vel ex ſenſuum judicio, vel peculiari DEI reuelatione, vel cauſarum naturalium ſolerti attentione. Taceo eorum ridicula ſomnia, qui volunt, animam Muſicæ beneficio cœleſtium corporum harmonia allectam è corpore expatiari, & futurorum cognitione ſaturam redire in corporis carcerem, eumque agitare & quatere. Somnia, inquam, nullis nixa fundamentis, deriſione quam refutatione digniora. Manet ita hoc inconcuſſum, Prophetiam hanc Eliſæi fuiſſe omni Muſica infinities ſuperiorem, quæ adhibita fuerit, Pſalte aduocato, non effectiuè, ſed tantùm diſpoſitiuè, ſeu præparatiuè, eaque non profana, ſed ſacra, laudes & gloriam DEI canens, admixtis ab ipſo Propheta precibus, & piis ſuſpiriis. Qui plura in hanc rem deſiderat, legat Cl. *Joh. Mülleri*, Norimbergenſis, *Eliſæum ad Muſices ſonum Prophetam* defenſum in Academia Julia Præſide D. *Joh. Andrea Schmidio*, S. Theol. D. & P. Helmſtadii, 1715.

TAB. CCCCLXXX.

2. Reg. Cap. III. verſ. 16. 17. 20.

16. Et ait: Sic dicit DOMINUS, facite juxta hunc alueum multos (a) elices.

(a) Eb. Foueas Foueas.

17. Quoniam ſic dicit DOMINUS: Non videbitis ventum, neque pluuiam videbitis, nihilo tamen minus alueus iſte inundabit, ut & vos bibatis, & pecora veſtra, atque jumenta veſtra.

20. Factum autem eſt manè juxta id tempus, quo ſolebat ſacrificari ſacrificium cibarium, ut aquæ venirent per viam Edom, terraque ipſa inundaret aquis.

16. Et ait: Hæc dicit DOMINUS: Facite alueum torrentis hujus foſſas, & foſſas.

17. Hæc enim dicit DOMINUS: Non videbitis ventum, neque pluuiam: & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ veſtræ, & jumenta veſtra.

20. Factum eſt igitur manè, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis.

NOuum heic circa aquæ elementum patratum miraculum. Vidimus ſupra Eliſæum pallio Eliæ diuidentem aquas Jordanis, quas ſicco pede tranſiit: dulcificantem mox aquas ſeu amaras ſeu ſalſas Hierichuntis; mutantem ibi fluiditatem in ſoliditatem, heic vitium in ſalubritatem. Nunc accerſuntur aquæ eminus & veniunt, fluunt, inundant terram natura iis deſtitutam. Expeditionem nempe ſuſceperat triga Regum, Joramus Iſraelis, Joſaphatus Judæ, & Rex Idumææ, ut Moabitarum Regem tributarium antea, nunc refractarium cogerent in gyrum rationis. *Quumque circumiſſent in itinere* (per viam deſerti) *ſeptem diebus, non habuerunt aquam exercitui, & jumentis, quæ eos ſequebantur.* v. 9. Non inſolitum in regionibus Orientalibus Phænomenon, præſertim verò in Arabiæ deſerto, ubi aquæ maxima eſt inopia, & tanta, ut jumenta cum viatoribus haud raro pereant ſiti, & hi vitæ ultimum quærere cogantur ad Camelorum, quod in ventriculo reconditum eſt, refugium. Haud facile autem eſt dictu, an ſibi ipſis Reges & ſuis exercitibus non prouiderint ſatis, uti quidem debebant, vel longius, quàm quidem putauerant, protractum fuerit expeditionis militaris iter. Id certum ex Textu, defeciſſe aquam, & preſſos ita ſiti exercitus, ut vitæ imminuerit & hominibus & jumentis periculum. Hac preſſi calamitate confugiunt ad Eliſæum, ut urgente neceſſitate ſunt piorum preces, & prudentum virorum, aliàs nihili habitorum, urbium & populorum aſyla. Interuenit Propheta, exprobrat Joramo impietatem, præſagit futura, quæ rationis ſuperant captum, & naturæ vires, ut manum DEI ſolam auxiliatricem agnoſcerent deuoti ſimul & admirabundi: mandat & ordinat facienda, ut tam miraculoſum auxilium uſui veniat preſſis, neue citò nimis tranſeat. *Sic dicit* DOMINUS, *facite multos elices* גבים גבים *gebim gebim*, foueas, foueas, id eſt, multas foueas, benè multa aquæ venturæ receptacula: & quidem juxta hunc alueum, נחל *nachal*, quam vocem communiter interpretantur per *torrentem*, ut nos in vernacula, *einen Bach, Clericus Vallem. Quoniam*, ita porrò Propheta, diuinus Aquilex, *ſic dicit* DOMINUS: *Non videbitis ventum, neque pluuiam videbitis, nihilo tamen minus alueus iſte inundabit, ut & vos bibatis, atque pecora veſtra, & jumenta veſtra.* Quæ circumſtantiæ attentione omni ſunt digniſſimæ, miraculi indices certiſſimi. Solent poſt diutinam ſiccitatem, præſertim in calidis climatibus, pluuiam vel comitari, vel præire, venti, cogendæ ſunt & adducendæ nubes, bullulæ aqueæ in aere natantes mutuo alliſu frangendæ. *Cœli tenebreſcunt nubibus & vento*, 1. Reg. XVIII. 41. Nec torrentes exundare ſolent abſque pluuia prælapſa. Heic verò *aquæ veniunt per viam Edom*, & *inundant terram*, neque pluuia prægreſſa, nec ventis: prorumpunt alicubi, DEI juſſu, ex viſceribus terræ, & deriuantur ad confœderatorum caſtra.

ΘΕΟΣ ἀπὸ μηχανῆς.

TAB.

II. REG. Cap. III. v. 16. 17. 20.
Aquæ eminus affluentes.

II. Buch der Kön. Cap. III. v. 16. 17. 20.
Das von ferne zugeleitete Wunder-Waſſer.

I. A. Fridrich sculps.

II. REG. Cap. III. v. 17. 22.
Moabum perdit fallacia visus.

II. Büch der Kön. Cap. III. v. 17. 22.
Die dürch falſchen Schein betrogene Moabiter.

I. G. Pintz sculps.

TAB. CCCCLXXXI.

2. Reg. Cap. III. verſ. 22. 23.

22. Et manè quum Sol oriretur ſuper aquas, viderunt Moabitæ è regione aquas rubras velut ſanguinem.
23. Et dixerunt: Sanguis eſt —

22. Primoque manè ſurgentes, & orto jam ſole ex aduerſo aquarum, viderunt Moabitæ ècontra aquas rubras, quaſi ſanguinem.
23. Dixeruntque: Sanguis gladii eſt —

Experimentum dant Moabitæ fallaciæ ſenſuum & imaginationis. Campus ſeu vallis, ubi caſtra ſua metati fuere confœderati, ἄνυδρος heri, hodie irrigatur *aquis.* Apparent hæ *rubræ velut ſanguis* in Moabitarum oculis, ergò, inferunt hi Aphiloſophi, *ſanguis eſt.* Et ne ſufficeret una falſa conſequentia, formant aliam. Scilicet ut propullulant fungi. *Vaſtando vaſtati ſunt Reges* confœderati, *mutuò ſeſe confecerunt, ad prædam igitur* (errores en cumulatos erroribus!) *ô Moab.* In præmiſſa haud falluntur, ſed fallit præmiſſa, *vident aquas rubras veluti ſanguinem.* Claudicat ſcilicet conſequentia, præceps nimis fertur judicium, ergo *ſanguis eſt.* Error itaque non eſt in ſenſu, ſed in mente judicante; quæ facile ſeſe liberaſſet ab errore, ſi δοκιμασίαν ante inſtituiſſet per experimenta, quàm judicaſſet, ſi aquam vel volâ manus hauſiſſet, ſi guſtâſſet, ſi corpore verſo aſpexiſſet: ſi vel tantillum hæſitaſſet, an ex mutua cæde etiam maximorum exercituum profluere poſſent riui ſanguinis: ſi, quod moris eſt in bello, emiſiſſent exploratores. Sed præjudiciis capti vanâ lactati fuere ſpe. Prædæ inhiantes unicè ceſſere in prædam ipſi, cæſi, & vaſtata tota Regio. En igitur verum miraculum profligans ex naturalibus cauſis exercitum integrum! Notanter dico, ex naturalibus cauſis. Colligere quippe ex circumſtantiis licet, ortum fuiſſe Solem, proluxiſſe Auroram, per crepuſculum hoc tranſeuntes radios Solis rubros, ex ſuperficie aquarum in foſſis ad oculos Moabitarum reflexos rubrum exhibuiſſe, & veluti ſanguineum, colorem: quemadmodum in medio corpore Lunæ totaliter eclipſatæ ruber color veluti prunæ in mediis tenebris candentis conſpicitur, cujus cauſam moderni omnes radiis per Atmoſphæram terræ ad lunam refractis, indeque ad nos reflexis tribuunt. Phænomenon eſt ſatis vulgatum, apparens ruber ex aquis reflexorum radiorum crepuſcularium color, quem non tam deducimus à *combuſtis vaporibus* cum *Toſtato quæſt. in hoc Cap.* quàm ex Newtoniana Philoſophia ex eo, quòd per aquæ bullulas in aere natantes rubri duntaxat Solis radii in angulo certo ſuperficiem terræ feriant. Sed fuere haud dubiè nubes hæ crepuſculinæ denſæ admodùm, quia tenuiores albidum potius vel flauum exhibuiſſent colorem. Et denique ex attenta hiſtoriæ hujus lectione judicare licet, ſitum Caſtrorum Moabiticorum fuiſſe, qualem in Tabula ſiſtimus, occidentalem, confœderatorum orientalem. Commoda ſatis ſeſe heic offerret occaſio, oſtendendi, quàm illi, qui ex Auroræ borealis ludibundis & mirè variantibus ſtriis vel tractibus formant haſtas, enſes, exercitus, pyrobolos, cruces, & innumera hujusmodi alia, ex Cometis virgas futurarum calamitatum prænuntias, eosdem cum Moabitis forment paralogiſmos, ſed filum Ætiologiæ abrumpo, tempori parcens & chartæ.

TAB. CCCCLXXXII.

2. Reg. Cap. IV. verſ. 1-6.

1. Mulier quædam de uxoribus filiorum Prophetarum clamauit ad Eliſæum, dicens: Seruus tuus, vir meus, mortuus eſt, tu verò noſti, quod ſeruus tuus metuens fuit DEI. Jam verò venit creditor, ut tollat duos filios meos ſibi in ſeruos.
2. Ad quam dixit Eliſæus: Quid faciam tibi, indica mihi, quid habes domi? Quæ dixit: Ancilla tua nihil habet domi quàm lecythum olei.
3. Cui ait: Vade & poſce tibi vaſa foris ab omnibus vicinis tuis, vacua vaſa, eaque non pauca.
4. Quumque fueris ingreſſa, claude poſt te, poſtque filios tuos, januam, & funde in omnia vaſa iſta: quodque fuerit repletum, ſepone.
5. Abiit itaque mulier ab eo, & clauſit januam poſt ſe, & poſt filios ſuos, qui adhibebant ei (vaſa,) ipſaque infundebat.
6. Quumque jam vaſa impleta eſſent, dixit ad filium ſuum: Adhibe mihi adhuc (aliud) vas. Is autem ait ad eam: Nullum eſt amplius vas: conſtititque oleum.

1. Mulier autem quædam de uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliſeum dicens: Seruus tuus, vir meus, mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens DEUM: & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi.
2. Cui dixit Eliſeus: Quid vis, ut faciam tibi? dic mihi, quid habes in domo tua? at illa reſpondit: Non habeo, ancilla tua, quicquam in domo mea, niſi parum olei, quo ungar.
3. Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua, non pauca.
4. Et ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu & filii tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint, tolles.
5. Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa, & illa infundebat.
6. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit: Non habeo. Stetitque oleum.

TRanſcendunt miracula omnia naturæ vires, ſed ſunt alia aliis majora & altiora, & fortè in Regno illo miraculorum infiniti ſunt altitudinis gradus, quorum notitia reſeruata eſt mentibus glorificatis, aperta Angelicis. Hoc, de quo impræſentiarum, unum eſt fortè ex eleuatioribus eorum, quæ in Sacro Codice extant, idem fere cum illo, quod Elias patrauit Sareptæ, ubi pauperculæ viduæ *farina cadi non defecit, & oleum lecythi non fuit minutum*, usque ad pluuiæ diu deſideratæ aduentum. 1. Reg. XVII. 16. Eſt oleum, oliuarum & omne vegetabilium, veluti terræ ſanguis, & ſanguis veluti hominum brutorumque oleum. Utriusque, & olei & ſanguinis, eadem fere ratio, productio eadem. Diu circulat defœcatiſſimus Chylus per tubuloſam infiniti artificii compagem hominum & animantium, antequam in ſanguinem tranſiens induat purpuram: ita quoque circulat ante diu terræ ſuccus nutritius per oleæ ſtructuram tubuloſam, quàm excoctus exaltatur ad olei naturam. Aſt heic paucorum minutorum ſpatio multum olei producitur ex pauco, quod reſtiterat in lecytho. Stupendum eſt hoc miraculum, & infi-

nitæ

II. REG. Cap. IV. v. 1-6.
Oleum ex vacuo.

II. Buch der Kön. Cap. IV. v. 1-6.
Oel aus Waſſer und Nichts.

G. D. Heüman sculps.



II. REG. Cap. IV. v. 16-35.
Sunamita miraculo ſanatus et ſuſcitatus.

II. Buch der Kön. Cap. IV. v. 16-35.
Der Sunamitiſche Wunder-Sohn.

I. G. Thelot sculp

nitæ potentiæ immediatum productum, ſeu multiplicatam ſtatuas liquidi guttam in ejusdem molis & naturæ viginti alias, ſeu aerem ipſum circumſtantem, vel vaſa vacua explentem, mutatum in oleum. Miraculum, quod omnem tranſcendit omnis Philoſophi captum.

TAB. CCCCLXXXIII.

2. Reg. Cap. IV. verſ. 16. 17. 18. 19. 20. 32. 33. 34. 35.

16. Dixitque ille (Eliſæus:) Ad tempus hoc conſtitutum juxta tempus animantis tu amplexaberis filium; At illa dixit: Ne illudas famulæ tuæ, mi Domine, Vir DEI.

17. Concepit ergo mulier, & peperit filium ad tempus hoc præſtitutum juxta tempus animantis, quod definierat ei Eliſæus.

18. Cumque puer adoleuiſſet, factum eſt quodam die, ut egrederetur ad patrem ſuum, & ad meſſores.

19. Diceretque ad patrem ſuum: Caput meum (doleo). Et ille ait ad puerum quendam: Fer eum ad matrem ſuam.

20. Qui cum tuliſſet eum, adduxiſſetque eum ad matrem ſuam, ſedit ſuper genua ejus usque ad meridiem, & mortuus eſt.

32. Quumque Eliſæus veniſſet in domum, ecce puer mortuus jacebat poſitus ſuper lectum ejus.

33. Ingreſſus ergo clauſit oſtium poſt utrunque, & precatus eſt DOMINUM.

34. Et aſcendens jacuit ſuper puerum, ponens os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, manusque ſuas ſuper manus ejus; Quumque ſic proſtratus incumberet ei, calefacta eſt caro pueri.

35. Et rediens deambulabat in domo, jam huc, jam illuc, deinde aſcendit, & rurſus incubuit ei, tum puer ſternutauit (a) ſepties, aperuitque oculos ſuos.

(a) Al. oſcitauit.

16. Dixit ille (Eliſeus) ad eam: in tempore iſto, in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa reſpondit: Noli, quæſo, Domine mi, Vir DEI, noli mentiri ancillæ tuæ.

17. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eâdem, qua dixerat Eliſeus.

18. Creuit autem puer. Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus eſſet ad patrem ſuum, ad meſſores.

19. Ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, duc eum ad matrem ſuam.

20. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua usque ad meridiem, & mortuus eſt.

32. Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus.

33. Ingreſſusque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum; & orauit ad DOMINUM.

34. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus: & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.

35. At ille reuerſus, deambulabat in domo, ſemul huc, atque illuc: & aſcendit & incubuit ſuper eum; & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos.

DUplex heic recenſetur miraculum patratum per Eliſæum, unum in ſterili matre *Sunamitide*, alterum in *Sunamita* filio. Prius παράλληλον eſt fere illi Hiſtoriæ *Saræ*, cujus marito, Abrahamo, Dominus ipſe Eliſæ hanc dederat promiſſionem Gen. XVIII. 10. *Certiſſime reuertar ad te circiter tempus viuentis, & ecce Saræ uxori tuæ filius erit. (Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara uxor tua.)* Θαῦμα, de quo ne cogitare quidem poterat decrepitus ille ſenex, decrepita Anus, nec mortalium quisquam. Ut quæ de Sara dici poſſent, etiam Sunamitidi, licet in minori gradu, applicari queant, quæ certè non tot fuit annorum, quot illa.

Hujus nunc miraculoſi partus conſideranda fata, morbus, mors, reſuſcitatio ad vitam. Morbus eſt *dolor capitis* ingens, quem inſecuta eſt *Apoplexia*, eaque, more loquendi noſtro, fortis. *Egreditur* puer æſtiuo ardenti calore in agros ad meſſores, delicatulum corpus exponit Solis feruentibus radiis: rarefaciunt hi & ſanguinem, & aerem in eo contentum, eò quidem usque, ut extenſis Meningum vaſis ortus fuerit dolor acutus, & breui poſt, compreſſo cerebro, ſufflaminatoque fluidi neruei influxu, apoplexia, ſuppreſſæ capitis, imò totius corporis ſecretiones, ſecuta mors, eaque cita. Allatus quippe *adductusque matri ſuæ ſedit ſuper genua ejus usque ad meridiem, & mortuus eſt.* Omnia hæc ex naturalibus, quas expoſui, cauſis. Verùm enim verò ut non cadit pilus de capite noſtro absque DEI voluntate, ita ſunt egreſſus pueri in agros, morbus & mors ſingulares Diuinæ Prouidentiæ effectus: Volebat DEUS potentiam brachii ſui infinitam demonſtrare non piæ duntaxat Sunamitidi, ſed toti Iſraelitico populo, & miraculo per Eliſæum reſuſcitare mortuum ad vitam: idque, ut tantò magis oculis Iſraelitarum illuceſceret miraculoſa actio, non per ſeruum Gehaſi, ſed per Eliſam ipſum Thaumaturgum: Nam ille quidem juſſu Magiſtri præcurrens *poſuerat baculum ſuper faciem pueri, ſed nec vox erat, nec ſenſus.* v. 31. *Quumque Eliſæus veniſſet in domum, ecce puer mortuus jacebat poſitus ſuper lectum ejus.* Sed cura, ut fuit prorſus miraculoſa, ita ſingularis prorſus fuit medendi methodus. Poſcebat hic caſus ex Medicinæ rationalis legibus venæſectionem promptam, de qua heic nîl legimus, ut neque de veſicatoriis, inunctionibus, aliisque remediis ſeu internis, ſeu externis. *Jacuit* θαυματίατρος *ſuper puerum, ponens os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, manusque ſuas ſuper manus ejus. Quumque ſic proſtratus incumberet ei, calefacta eſt caro pueri.* Ritus adhibiti iidem prorſus cum iis, quibus uſus Eliſæi Magiſter & Anteceſſor Elias reuocando ex mortuis Sareptanæ viduæ filium. 1. Reg. XVII. 21. *Admenſus eſt ſeſe ad puerum ter. (Menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.)* Et reunitâ, per Diuinam potentiam corpori animâ, *ſternutauit puer ſepties, aperuitque oculos ſuos.* Naturale fuit, ut vidimus, morbi fatalis initium, naturæ quoque congruus eſt finis, ſed media ſcena miraculoſa prorſus. Non certè, quod *Valleſius* vult in *Philoſ. ſacra*, fuit hic morbus vel Lipothymia, vel Syncope, non reuocatio facta ope caloris, quem puero jacenti communicauerat incumbens Propheta. וַיָּמוֹת *vajamoth*, καὶ ἀπέθανε, *& mortuus eſt.* Præſcindunt hæc verba omnem & philoſophandi & cauillandi anſam. Poterat certè ſternutatio violentâ membranæ pituitariæ contractione liberare caput à collectis in capite viſcidis humoribus. Sed hanc ſternutandi vim non obtinuit puer à ſpontaneo corporis mechanismo, non ab Eliſæi fotu: haud cadit ſternutatio in cadauer, cujus fibræ omnes perdidere ſeſe vel mouendi vel contrahendi vires, omnem & ſenſum & motum. Sed reunitâ animâ, influi de nouo ſpiritus in motus contractorios ciebant membranam pituitariam, hinc ſecuta ex naturalibus cauſis, reducto corpore ad Naturæ Leges, excretio materiæ viſcoſæ, neque duntaxat *aperuit* puer *oculos*, ſed omnes reliquos ſenſus.

RPJCB

II. REG. Cap. IV. v. 39. 40. 41.
Mors in olla.

II. Büch der Kön. Cap. IV. v. 39. 40. 41.
Der Tod in Töpfen.

B. Probst sculps

TAB. CCCCLXXXIV.

2. Reg. Cap. IV. verſ. 39. 40. 41.

39. Egreſſus ergo unus in agrum, ut colligeret herbas virides, inueniensque fruticem agreſtem, collegit ab ea Coloquintidas agreſtes, impleuitque veſtem ſuam, & rediens incidit in ollam pultem, neque enim compertum habebat.

40. Et effudit viris ut comederent, quumque de coctione illa ederent, clamabant, dicentes: Mors eſt in olla, ô Vir DEI; nec potuerunt comedere.

41. At ille ait: Adferte farinam; quam inſperſit in ollam, & ait: Effunde populo, ut comedant; tum nihil mali amplius fuit in olla.

39. Et egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes; inuenitque quaſi vitem ſylueſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium ſuum, & reuerſus conſcidit in ollam pulmenti: neſciebat enim quid eſſet.

40. Infuderunt ergo ſociis, ut comederent; cumque guſtaſſent de coctione, clamauerunt, dicentes: Mors in olla, vir DEI. Et non potuerunt comedere.

41. At ille: Afferte, inquit, farinam: cumque tuliſſent, miſit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant; & non fuit amplius quicquam amaritudinis in olla.

Conſtat exemplo noui hujus miraculi ab Eliſæo patrati, quàm ſæpe incauti pro Roſis colligant ſpinas, pro Ceraſis Belladonnæ fructus, pro Paſtinaca Cicutam, pro cibis venena. *Fuit fames in terra, & filii Prophetarum verſabantur apud eum*, Eliſæum; *Tum dixit ad puerum ſuum, apponito ollam magnam, & coque pultem filiis Prophetarum. (Erat autem fames in terra, & filii Prophetarum habitabant coram eo, dixit uni de pueris ſuis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum.)* v. 38. Apparare volebat igitur Propheta amicis conuiuium, ſed funeſtum id, ingratum ſaltem, conuiuis, & nutriendis iis ineptum, nî interueniſſet Eliſæi, DEI potius, miraculoſa manus. Conuiuium autem parat non lautum, vel opiparum, qualia ineunt moderni Prophetarum filii; parat tale, quale pararent indigentiores Iro, Codroque pauperiores. *Egreſſus unus*, conuiuarum forte, *in agrum, ut colligeret herbas virides*, *oroth*, ὠρὼϑ, ἀριὼϑ, quod aliqui Græcorum interpretati ſunt ἀγριολάχανα. Hinc explicant alii per *olera*, alii per *erucas*, quæ conuenirent magis pigris in Venerem maritis, utpote aphrodiſiacæ, quam Prophetarum filiis, notante *Bruyerino*. Placent *olera*, varii generis herbæ agreſtes, in cibos aptæ, ut hodie ex Gallis pauperculus in agros egrediens colligeret Taraxacum, Urticam, Cichorium, Rapunculum, Valerianellam, & quæ ſunt hujus generis alia, fortè & in condimentum Erucas. Idem vult τοῖς אֹרֹת ſynonyma vox יָרָק *jarak* יֶרֶק *jerek*, quam Thargum ſubſtituit. Sanè טַל אוֹרֹת *tal orotb*, Jeſ. XXVI. 19. non poteſt commodè verti *ros erucarum*, ſed *olerum*: uti Ægyptus Deut. XI. 10. comparatur cum *horto olerum* גַּן הַיָּרָק *gan hajarak*, *ein Köl-Garten*, *Kraut-Garten*; ubi ὡς ἐν παρόδῳ notandum, Tigurinis nobis *Kraut* vocari *Betam*. Interim *inuenit* herboriſator noſter *fruticem agreſtem*, alii *vitem agreſtem*. In originali legas גֶּפֶן שָׂדֶה *gephen ſadeh*. LXX. ἄμπελον, ſcilicet non *vitem ſylueſtrem*, κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictam, ſiue *labruſcam*, ſed fruticem quendam, ex quo collegerat fructus forte tunc maturos, vel ſcandentem quandam herbam, ex qua collegit *coloquinthidas agreſtes, impleuitque veſtem ſuam*. Heic inprimis in diuerſa abeunt Interpretes. Textus Hebræus habet פַּקֻּעֹת שָׂדֶה *pakkyoth ſadæh*, LXX. τολύπην ἀγρίαν, *globum aut glomum agreſtem*. Unde aliud nihil conſtat, quàm rotunditas ſiue globoſitas fructus, quæ proprietas equidem multis plantarum fructibus eſt communis, ſpeciatim cucurbitis, melonibus: Hinc eſt, quòd ex cucurbitis vel ingratas ſelegerint, vel & noxias, Interpretes. Nos *coloquinthidas agreſtes*, *wilde Kürbſen*, quæ ſanè adeò vehementer aluum purgant, ut & ſanguinem eliciant, & inſuper guſtu ſunt amariſſimæ. De hoc fructu plura

occa-

occaſione I. Reg. VI. 18. ubi פְּקָעִים *pekaim* *Arias Montanus*, *Clericus*, & alii vertunt *Colo-quintidas*, *Cucurbitas agreſtes*. Sed *Hiller. Hie-rophyt.* P. II. c. 39. p. 218. multus eſt, ut ibi ex-ſculpi ſiue cælari, heîc procreſcere faciat *fun-gos*, quos inter utique dantur multi noxii imo lethales.

- - - - ἐχθρὰ δ' ἐλαίης,
Ροιῆς τε πρίνε τε δρυός τ' ἀπὸ πήματα κεῖται,
'Οιδαλέα (σύνολα) βάρη πνιγόεντα μυκήτων.

- - - - - - *noxia oleæ,*
Punicæ, Ilicis, Quercus purgamenta jacent,
Tumidi, glutinoſi, malefici ſtrangulantes fungi.

Nicander in *Georgicis*. Accederem potius *Joh. Henrico Urſino*, qui in *Contin. Hiſt. Plantar. Bi-blic.* L. II. c. 4. ſuffragium dat *Bryoniæ albæ ſiue aſperæ baccis rubris*. C. B. *Viti albæ ſiue Bryo-niæ* I. B. cujus radix craſſa, alba, fungoſa, ſa-pore acri, amaro, nauſeoſo, viroſo, ex qua fla-gella exeunt tenera, ſubhirſuta, quæ longè lateque clauicularum beneficio ſe ſpargunt, & proxima quæque ſcandunt: folia hederacea, anguloſa, hirſuta, incana, viridantia, ex folio-rum alis flores aliquot juncti campaniformes in 5. lacinias expanſi prodeunt, colore albido in herbaceum languente, quibus ſuccedunt acini per maturitatem rubri, ſucco croceo, nau-ſeoſo, granulis turgentes. Siſtit hanc plantam Fig. A. & characteres depictos ad marginem inuenias Fig. B. Pondus huic ſententiæ dant rationes diuerſæ: conuenientia cum viti, quæ in ipſo Textu apud LXX. occurrit, & vitis ipſius nomen, unde & Germanis *Hunds-Rebe* q. d. vitis canina: guſtus baccarum amarus, ingra-tus: vires purgantes, ſtomacho moleſtæ: uſus ipſorum Aſparagorum verno tempore germi-nantium in cibis veteribus familiaris, teſtibus *Galeno*, *Columella* L. XII. c. 7. quorum loco for-tè herboriſator noſter ſumſit vel acinos, vel fo-lia in τολύπας, glomos, compacta. Accedit amœ-nus baccarum color, qui collectori facile im-ponere potuit, eumque allicere. Præſertim ſi fuerit *Bryonia* illa *Orientalis folis amplioribus lucidis & glabris ſubtus hirſutis, magno fructu rubro*, quam in Aſiatico ſuo Itinere offendit *Tournef. Coroll.* Conuenientia tandem in mul-tis cum Cucurbita ſiue Cucumere, craſſa ra-dice, fructibus, ſi grandiores ſint, rotundis; unde & Germanis vocatur *Hunds-Kürbſe*, Hun-garis *Fadi tok*, i. e. terræ cucurbita; & *Bryo-nia* illa *Canadenſis folio angulato, fructu nigro Tour.* *Plukenetio* audit *Cucumis parua repens Virginia-na fructu minimo*. Nihilominus in Colocyn-thidis gratiam heic adjungo Fig. C. *Cucurbi-tam aſperam, amaram, fructu paruo, globoſo, vario*, quæ teſte I. B. vomitus prouocat, & Colocyn-thidis eſt ſpecies. Quicquid horum ſit, cer-tum hoc eſt, fuiſſe hanc pultem & amaritudi-ne ſua ingratam, & fortè inſalubrem, imò vi-rulentam, vel exclamatione teſte, *mors eſt in olla, o Vir* DEI. Sed mutat Eliſæus non ſo-lùm amaritudinem nauſeoſam in gratam dul-cedinem, verùm & acrimoniam virulentam in alimentum. Hoc inficiari non auſim, poſſe farinoſa, quibus pro correctorio uſus fuit Pro-pheta, ex naturalibus cauſis dulcificare nau-ſeoſa, amara, mitigare acria, infringere dra-ſtica, mulcere tormina. Hinc eſt, quod intra naturæ limites maneant Interpretes nonnulli. Et ſunt ſanè obuia exempla, quæ nos docent etiam virulentorum commutationem in nutri-tiua. Panem quotidianum parant Americani, *Caſſaui* dictum, ex radice *Manihot Indorum, ſi-ue yuccæ foliis cannabinis*. C. B. *Manihot The-ueti, ſiue Yucca & Caſſaui*. I. B. quæ recens & ſucculenta eſt venenata, ſed ſiccata & cocta in pabulum cedit. Silentio prætereo alias per ignem mutationes in officinis chymicis ſatis frequentes, quibus hæc res illuſtrari poſſet. Tantò quidem magis, quod pultis hujus adeò promptas farinâ ſola mediante mutationes non adſcribam viribus ullis naturalibus, ſed virtu-ti, quam aliis occaſionibus exercuit Propheta, miraculoſæ, præſertim ſi ingens fuerit con-uiuarum numerus, &, quod volunt nonnulli, ad centenarium adſurgens.

TAB.

RPJCB

II. REG. Cap. IV. v. 42. 43. 44.
Pentadi Panis.

II. Buch der Kön. Cap. IV. v. 42. 43. 44.
Ein Brod vor fünff Mann.

B. S. Sedlezky sculp.

TAB. CCCCLXXXV.

2. Reg. Cap. IV. verſ. 42. 43. 44.

42. Porrò vir quidam veniebat de Baal Saliſa, ferens viro DEI panes primitiarum, nempe viginti panes ordeaceos, & frumentum recens in folliculis ſuis, dixitque: Da populo, ut comedat.

43. Et reſpondit miniſter ejus: Quid verò dabo iſtud centum viris? Rurſum ait ille: Da populo, ut comedat; nam ſic ait DOMINUS: Comedent, & ſupererit.

44. Poſuit itaque ante eos, & illi comedentes reliquum fecerunt juxta verbum DOMINI.

42. Vir autem quidam venit de Baal-Saliſa, deferens Viro DEI panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera ſua: at ille dixit: Da populo, ut comedat.

43. Reſponditque ei miniſter ejus: Quantum eſt hoc, ut apponam coram centum viris? Rurſum ille ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit DOMINUS: Comedent, & ſupererit.

44. Poſuit itaque coram eis; qui comederunt, & ſuperfuit, juxta verbum DOMINI.

Conſtare videtur ex miraculi hujus hiſtoria, fuiſſe ex Iſraelitis pios, qui ſpiſſas inter Iſraeliticæ Religionis, & corruptionis in politico ſtatu, tenebras primitias frugum, ut heîc hordei, in ſignum pietatis erga verum Iſraelis DEUM, obtulerint Prophetarum filiis, quæ aliàs juxta tenorem Diuinæ Legis Hieroſolymam deferri debuiſſent ad Sacerdotes. Leuit. XXIII. 10. Num. XV. 20.

Veniebat clancularius hic veri DEI cultor de *Baal-Saliſa*, בַּעַל שָׁלִישָׁה. Vaticanus Codex habet Βαιθαρισὰ, Alexandrinus Βαιθσαρισὰ, Euſebius Βαιθσαρισὰθ, quem locum *Euſebius* & *Hieronymus* locant in finibus Dioſpoleos, *Relandus Palæſtin.* p. 611. in Regione Schaliſcha 1. Sam. IX. 4. *Fert* ille *panes primitiarum, nempe viginti panes ordeaceos*, כַּרְמֶל בְּצִקְלֹנוֹ *carmel betſiklono*, παλάθας, *plenam ſpicam viridem in tunica ſua.* Clericus habet *ſpicas virides in gluma*, & Latina noſtra vernaculæ præferenda, *frumentum recens in folliculis ſuis*, folliculis nempe ſuis nondum excuſſum. Aliter accepiſſe videtur vernacula, *neues Korn in ſeinem Kleid*, ſecuta, ut videtur, Complutenſes, qui habent ἐν τῇ πήρᾳ αὐτοῦ, in pera viri, qui aſportauit donarium. Eſt aliàs παλάθη maſſa ficuum, & pinguium caricarum in parallelepipedi formam compacta. Debebant panes hi 20. cum manipulo frumenti, vel, ſi mauis, ficuum maſſa, apponi viris 100. Pentadi panis. Et præuiderat facile Gehaſi, inſufficientes fore cibandis tot perſonis, ut olim diſcipuli Saluatoris, ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους Joh. VI. 9. Sed jubet Eliſæus, promiſſione & benedictione diuina fretus, apponere, & comedere: *Nam ſic ait* DOMINUS: *Comedent*, nempe ad ſatietatem, *& ſupererit.* Dictum factum. *Comedentes reliquum fecerunt juxta verbum* DOMINI. Miraculum illuſtre, quo vel panis buccellæ extraordinaria data vis nutritiua, vel durante conuiuio panes multiplicati, utrumque nempe vi Diuinâ. Sed miraculum illo CHRISTI longè inferius, ſi vel numerum ſpectes conuiuarum, vel reliquiarum quantitatem, hic namque 5. panibus ſatiauit 5000. perſonas, ita ut ſportæ 12. fuerint reſiduæ.

Lectori ſiſtimus *Hordeum dyſtichon* C. B. *dyſtichum.* I. B. cujus ſpica binis verſibus granorum rigentium, & ariſtis longis conſtat.

TAB. CCCCLXXXVI.

2. Reg. Cap. V. verſ. 14. 27.

14. Deſcendit igitur (Naaman) & tinxit ſe ſepties in Jordane juxta verbum Viri DEI, mutataque eſt caro ejus ſicut caro pueri parui, & mundatus eſt.
27. Adhærebit igitur lepra ipſius Naaman tibi & ſemini tuo ſemper. Et egreſſus eſt à conſpectu ejus leproſus, ſicut nix.

14. Deſcendit (Naaman) & lauit in Jordane ſepties, juxta ſermonem viri DEI: & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.
27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo, usque in ſempiternum, & egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

Est integra totius hujus Capitis Hiſtoria attenta contemplatione digniſſima. Comparent in theatro bini Reges, Imperator ſiue Belli ſupremus Dux, Propheta, hujusque ſeruus, quilibet ſuam eamque diſtinctam ab aliis agens perſonam. Mittit Syriæ Rex, cultu gentilis, copiarum ſuarum ſupremum Ducem ad Regem Iſraelis, cum literis ſingularis prorſus tenoris ſyſtaticis. *Quum peruenerint literæ iſtæ ad te, en ego miſi ad te Naaman ſeruum meum, ut cures eum à lepra ſua.* v. 6. *(Cum acceperis epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſeruum meum, ut cures eum à lepra ſua.) Joramus* Iſraelis Rex, impii Ahabi impius filius, ambidexter, Politicum agit, & pro Gloria DEI Zeloten, perſpicaciſſimis, ſcilicet, oculis videre ſibi viſus occultam quandam in hac Legatione rationem ſtatus, rationi Regni ſui aduerſam, & Hypocrita Gloriam DEI ſaluam vult atque tectam. *Perlecta epiſtola ſcindit veſtimenta ſua, dicitque: Egone DEUS ſum, ut interficiam, & rurſus vitæ reſtituam? Is mittit ad me, ut curem hominem à lepra ſua: enimuero aduertite quæſo, & videte, quam anſam captet contra me.* v. 7. *(Cumque legiſſet rex Iſrael literas, ſcidit veſtimenta ſua, & ait: Nunquid DEUS ego ſum, ut occidere poſſim & viuificare, quia iſte miſit ad me, ut curem hominem à lepra ſua? animaduertite, & videte, quòd occaſiones quærat aduerſum me.)* Diſcutit has Pſeudopolitici nebulas θαυματοῦργος Propheta, curam Naamanis deſideratam ſuſcipit, feliciter nomine & juſſu DEI abſoluit, imprecans Gehaſi adminiſtro ſuo, & domui ejus, totiue poſteritati lepræ abominandum malum. Curatur Naaman à lepra, fitque ex pagano Proſelytus. Gehaſi inexplebili diuitiarum auiditate laborans inſcio Domino munera petit & obtinet, *duo talenta argenti, & duas veſtes mutatorias*: illaqueatus hoc munere *fit*, & ſubitò *leproſus ſicut nix*, nec ſolus ipſe, ſed tota Gehaſina poſteritas. *Adhærebit*, ita Eliſæus ad ſeruum, *lepra ipſius Naaman tibi, & ſemini tuo ſemper.*

Peregrinationi in terram Iſraelis ſanitatis recuperandæ ergò ſuſcipiundæ occaſionem dat Naamani ſequioris ſexus mancipium ex populo DEI. Prouidet ſibi vir magnæ authoritatis de neceſſaria, ut crediderat, pecunia, imò in caſu quo pro donariis Regi ipſi offerendis, nempe *decem talenta argenti*, & *auri ſex millia*, ſiclorum nempe aureorum, quæ conficiunt duo talenta; Aſcendit ſumma hæc auri argentiue ad 15000. Thaleros & 97765 florenos; computato argenti talento pro 1500. Thaleris, auri pro 12220. Ducatis, Ducato uno pro 4. florenis. Decem inſuper ſecum ſumſit *veſtes mutatorias* v. 5. pretioſas nempe, quales hodieque in Aulis Orientalium Principum & Monarcharum dono dari ſolent. Accedit Imperator numeroſa ſtipatus ſeruorum phalange ad fores Eliſæi; præſtolans aliud, quàm quidem expertus fuit, ceremoniale receptionis: ne domo quidem ſua exit Propheta, neque dignatur alloquio aduenam, conſilii jam dati tanquam vile id foret, & nullius ſucceſſus contemptorem. *En, cogitarat apud ſe, omnino exibit, & ſtans inuocabit nomen DOMINI DEI ſui, motabitque manum ſuam ad locum, & curabit lepram: annon præſtant Abana* (Chaldæus *Amanah*, intelligunt aliqui *Orontem*) & *Parpar fluuii Damaſci* (volunt, hunc eſſe *Chryſorrhoam*) *omnibus aquis Iſraelis? annon ſi lauero in eis, mundus ero? (Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen DOMINI DEI ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores ſunt Abana & Pharphar, fluuii Damaſci, omnibus aquis Iſrael, ut lauer in eis, & munder.)* v. 11. 12. Videbatur ſibi ludus factus Prophetæ, *verſus abiit indignabundus;*

II. REG. Cap. V. v. 14-27.
Naaman ſanatus à Lepra.

II. Buch der Kön. Cap. V. v. 14. 27.
Der vom Auſſatz gereinigte Naeman.

I. A. Fridrich sculps.

II. REG. Cap. VI. v. 5. 6.
Securis innatat aquis.

II. Buch der Kön. Cap. VI. v. 5. 6.
Das ſchwimmende Eiſen.

G. D. Heüman sculps.

dus; (Cum ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans.) Et rediiſſet dubio procul in Aula Regis ſui leproſus, nî ad meliorem reduxiſſent Dominum ſuum mentem ſerui, qui majorem Eliſæi conſilio adhibuere fidem, quàm ille. Ad id certè perſuaſerant patronum, ut uteretur ſaltem remedio per ſe innocenti, quod malum, ſi non curet, haud tamen exaſperet. *Deſcendit igitur & tinxit ſe ſepties in Jordane — mutataque eſt caro ejus ſicut caro pueri parui, & mundatus eſt.* Sanatus perfectè, non quidem naturali aquarum Jordanicarum virtute, neque vi ſeptuplæ ablutionis, quæ myſterii nîl habet, niſi fortè creationis ſeptem diebus abſolutæ commemorationem, virtutem certè nullam: ſed ſolâ DEI potentiâ, quam agnouerat ipſe Naaman. *Rediens ad virum DEI ipſe, & omnis comitatus ejus, ingreſſus eſt, & ſtetit ante eum, & dixit: En obſecro, noui quod non ſit DEUS in uniuerſa terra niſi in Iſraele. (Reuerſusque ad virum DEI cum uniuerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio, quòd non ſit alius DEUS in uniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael.)* v. 15. Haud inficiabitur id, qui mecum ex Medicinæ practicæ fundamentis nouit, lepram eſſe corroſionem tubulorum & glandularum cutis, quæ certè ſepties iterata in frigidum Jordanem immerſione curari, imo perfectè, radicitus, curari haud poterat. En igitur Naamanem curatum miraculo! ſed & en auari Gehaſi carnem ſaniſſimam ſubitò ex imprecatione Magiſtri factam miraculo leproſam! & leproſam quidem in ſummo gradu! *Egreſſus eſt à conſpectu ejus leproſus ſicut nix.* λελεπρωμένος ὡσεὶ χιὼν. Notum, ſenſim veluti ſine ſenſu, imò graui moleſtia, aſcendere lepram à ſcabie ad ἀκμὴν. Sed naturæ vires haud ſuperat Gehaſinæ lepræ ad poſteros tranſplantatio, quæ ſimul effectus fuit factæ imprecationis. Comprobat hunc à parentibus ad liberos tranſitum Experientia, & arcentur propterea leproſi legibus à matrimonio, ne inficiantur per hæreditatem familiæ integræ. De qua re plura *Zacchias Quæſt. Med. Leg.* L. VII. Tit. 3. p. 602.

TAB. CCCCLXXXVII.

2. Reg. Cap. VI. verſ. 5. 6.

Contigit autem, quum unus (ex eis) arborem dejiceret, ut ſecuris caderet in aquam, clamaretque, & diceret: Heu, mi Domine, hæc ſecuris mutuò accepta eſt.

Accidit autem, ut cum unus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamauitque ille, & ait: Heu, heu, heu, Domine mi, & hoc ipſum mutuò acceperam.

Vir DEI ait: Quò cecidit? Is oſtendit ei locum, qui præcidens lignum, projecit illuc, & natauit ſecuris.

Dixit autem homo DEI: Ubi cecidit? at ille monſtrauit ei locum, præcidit ergo lignum, & miſit illuc; natauitque ferrum.

IN oculis Philoſophi hoc, quod patrauit Eliſæus, miraculum magnitudine nîl cedit præcedentibus, hactenus expoſitis. Qui ſcire cupit, & explicare aliis τὸ θαῦμα vel θαυμαςὸν ferri, vel ſecuris ferreæ, ex fundo aquæ ſurgentis ſponte, & ſuperficiei innatantis, is conceptum ſibi formare neceſſe habet diſtinctum de grauitate omni, de ſpecifica corporum grauitate inter ſe, quæ in eo inprimis conſiſtit, quòd duo æqualia corpora & ejusdem magnitudinis, eandem habeant materiæ quantitatem: quòd leuius corpus minorem habeat niſum verſus centrum terræ, quàm ejusdem molis grauius, lignum quàm ferrum: quòd hoc in fluido aqueo neceſſariò ſubſidat, illud verò ſupernatet, quia ejusdem magnitudinis maſſa ferrea plus, & lignea minus, æquali mole aquæ: Qui naturæ virium eſt ignarus, ejus oculis objici poteſt facilè glaucoma. Annon enim aquæ impoſita natant ferri centenaria 100. & 1000. cum nauibus transportanda? Ferrum, æs, aliudue metallum in tenuem laminam ductum? globi metallici concaui? Parari jube (Fig. I.) capſulam orichalceam A. cum operculo ſeu embolo B. quod adeò exactè illius compleat cauitatem, ut nihil aquæ inter commiſſuras admittatur, facillimè tamen inuerſâ capſulâ elabatur, filo E. D. per tubulum deſcendente ſuſpenſus. Attracto embolo b. demitte machinam Fig. II. in aquam ad profunditatem e. g. 8. digitorum, videbis, laxato filo non amplius elabi embolum, ſed ſuſtentari, imò profundius ad 20. vel 24. digitos demerſum ſuſtinere grauius aliquod pondus f.

En proin heic metallicum corpus natans in fluido ſpecificè leuiori, aqua! Imo verò natare poterit in fluido longè leuiore, aere; Para duos orbes orichalceos. Fig. III. vel cylindros marmoreos æquales, in baſibus ſuis probè politos. A. B. ſuperficies hasce politas aqua vel oleo madefactas ſibi mutuò impone, excluſo per affrictionem & compreſſionem intermedio aere: videbis inferiorem orbem non ſolùm teneri in aere ſuſpenſum, ſed inſuper ſuſtinere pondus appenſum. Fig. IV. Et haud obſcuræ ſunt rationes omnium horum φαινομένων ei, qui principiis modernæ Philoſophiæ mechanicæ eſt imbutus. Ferri pondera, quotcunque lubuerit, impoſita naui, globi metallici concaui, innatant aquæ, ſi illa unà cum naui, hi una cum aere contento, leuiora ſint æquali maſſæ aquæ. Suſtentatur æneus embolus Fig. II. ab aqua inferiore, & cylindris lateralibus, dum cylindrus ſuperior eum aliàs depreſſurus, arte remouetur: quod idem præſtat in Fig. IV. cylindri ſuperioris aerei artificioſa remotio. Plura in hanc rem vide in *Sturmii Colleg. Exper.* p. 23. Sed heîc, in miraculo Eliſæi nîl tale: Lignum certè in aquam projectum non plus contulit virium naturalium ad ſubleuandam ſecurim ex fundo, vel ejus natationem, quàm pallium Eliæ ad Jordanis diuiſionem; quàm baculus, quo mediante Gehaſi debebat ſuſcitare mortuum: quàm ſal, quo Eliſæus dulcificauit aquas amaras: quàm farina, qua hic ipſe pulti ex Colocynthide, vel Bryonia abſtulit acrimoniam & ingratum ſaporem: vel lutum illud, quo CHRISTUS cœco illi aperuit oculos. Oſtenderunt hi ipſi θαυματεργοὶ applicatione hujusmodi mediorum inſufficientium, fuiſſe, quæ patrarunt, miracula.

TAB. CCCCLXXXVIII.

2. Reg. Cap. VI. verſ. 18. 20.

18. Cumque illi deſcenderent ad eum, orauit Eliſæus ad DOMINUM, & dixit: Feri quæſo gentem iſtam cœcutientia. Et feriit eos cœcutientia juxta verbum Eliſæi.

20. Factumque eſt quum veniſſent in Samariam, ut diceret Eliſæus: DOMINE aperi oculos iſtorum, ut videant: aperuitque DOMINUS oculos eorum, videruntque, & ecce erant in medio Samariæ.

18. Hoſtes vero deſcenderunt ad eum: porro Eliſeus orauit ad DOMINUM, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate: percuſſitque eos DOMINUS, ne viderent, juxta verbum Eliſei.

20. Cumque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus: DOMINE aperi oculos iſtorum, ut videant: aperuitque DOMINUS oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ.

Adeſt iterum miraculorum ab Eliſæo, potius à DEO per Prophetam patratorum dyas. Capiendus erat Eliſa, juſſu Regis Syriæ, manu militum emiſſorum: cingunt hi urbem Dothan, in qua Propheta erat: urbem ingreſſuris obuiam illis venit, quem quærebant, ipſe, fidum ſe offert ὁδηγὸν, hoc quidem alloquio. v. 19. *Hæc non eſt via, neque hæc urbs eſt, ſequimini me, ducamque vos ad virum, quem quæritis. (Non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas: ſequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis.)* Ducit eos, admiſſus in emiſſariorum conſortium, in ipſam Iſraelitici Regis ſedem, Samariam. Sed ante *feriit eos* DOMINUS ſcotomate, *cœcutientia,* בַּסַּנְוֵרִים *baſſanuerim.* Non erat hæc cœcitas propriè ita dicta, ex Cataracta, vel Amauroſi, ſed affectus prorſus ſingularis, quo DEUS ita perſtrinxerat emiſſariorum oculos, & fallebat, ut objecta omnia alio prorſus apparuerint ſchemate, quàm quidem erant, & ipſi illi, qui Prophetam ante nouerant, alium nunc viderint ab illo. Peruerſus fit lineamentorum, colorum, urbium, turrium, viarum ſitus. Et durat hæc objectorum in oculis militum peruerſitas, durat fallax & falſa repræſentatio, durat affectus, usque dum intrauere mediam Samariam, ubi per nouum miraculum diſcuſſo ſcotomate redit viſus ad priſtinum ſtatum, & qui juſto titulo detineri poterant captiui, tractantur atque dimittuntur honorificè. Toto nempe itinere à Dothan, interuallo Milliarium

II. REG. Cap. VI. v. 18. 20.
Syri ſcotomate percuſsi.

II. Buch der Kön. Cap. VI. v. 18. 20.
Die geblendete Syrer.

I. A. Fridrich sculps.

II. REG. Cap. VI. v. 25.
Samaria obſeſsa.

II. Buch der Kön. Cap. VI. v. 25.
Das belagerte Samaria.

I. G. Pintz sculps

liarium Romanorum 10. ſiue horarum $3\frac{1}{4}$. Samariam uſque mutatæ fuere leges unionis animam inter & corpus, inter impreſſiones ſenſuum & mentem videntem ac judicantem, neque id in uno duntaxat milite, ſed omnibus, qui Prophetam captiuum Regi ſuo adducere juſſi erant.

TAB. CCCCLXXXIX.

2. Reg. Cap. VI. verſ. 25.

Fuit verò fames magna in Samaria, & ecce illi obſederunt eam, donec caput aſini veniret octoginta argenteis, & quarta pars Cabi farraginis Columbinæ quinque argenteis.

Factaque eſt fames magna in Samaria: & tamdiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars Cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis.

DUrum telum neceſſitas. Premente fame in cibum tandem veniunt res non ſolùm legibus ceremonialibus, ſed & ipſi naturæ aduerſæ. Sanè in ipſa hac Samariæ arctiſſima obſidione eò res deuenit, ut duæ matres fame coactæ factæ fuerint infanticidæ, & ſibi propoſuerint, proprios mactare liberos, vitæ ſaluandæ ergò, quod nefandum ſcelus in uno jam fuerat executioni datum, dandum & in alio, nî DEUS auxilio veniſſet ὡς ἀπὸ μηχανῆς.

Menſæ noſtræ philoſophicæ inferuntur duo edulia ex rariſſimis, ſimul & ingratiſſimis, *caput aſini*, & *ſtercus columbinum*. Fuit, quod notum, aſinina caro ex prohibitis in lege, quia hoc animal neque ruminat, neque ungulas fiſſas habet. Hinc fuere ex Judæis, qui ראשׁ חָמוֹר *roſch chamor* non interpretati ſunt per *caput aſini*, ſed pro חָמוֹר *chamor* legerunt חוֹמֶר *chomer*, quæ fuit aridorum menſura. Hos abundè refutat R. *Kimchi.* Eſt caput chomeri ἀπροσδιόνυσον quid, neque fuiſſet adeò magna annonæ difficultas, ſi Chomer, ex reductione mea 11. quartalia cum 6. modiolis menſuræ Tigurinæ, non majori veniſſent quàm ſiclorum 80. pretio. Quum Satum, $\frac{1}{30}$. *Chomer*, conualeſcente annona venerit ſiclo, quod ex ſequenti proximè Capite conſtat. Neque ſimpliciter expreſſum fuiſſet pretium Chomer, ſed addidiſſet ſcriptor ſacer ipſam frumenti ſpeciem, Hordeum, Auenam, Triticum. Ita ſanè Eliſæus VII. 1. nomine DEI promittit, *cras ſatum ſimilaginis ſiclo, & duo ſata hordei uno ſiclo emtum iri in porta Samariæ. (cras modius ſimilæ uno ſtatêre erit; & duo modii hordei ſtatêre uno, in porta Samariæ.)* Et Apoc. VI. 6. Χοῖνιξ σίτου, δηναρίου. καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς, δηναρίου. Manet adeò ראשׁ חָמוֹר *caput aſini*, hujuſque pretium 80. ſicli, qui reducti dant florenos 60. Sic *Artaxerxes*, *Plutarcho* teſte in ejus vita, apud Caduſios in ſumma fame τὰ ὑποζύγια μόνον κατέκοπτε, ὥστε ὄνου κεφαλὴν μόλις δραχμῶν ἑξήκοντα ὤνιον εἶναι, *ſola jumenta concidebat, ita ut aſini caput vix drachmis ſexaginta venale eſſet.* Cum alioqui totus *aſinus* alicubi in *Luciano* veneat 30. drachmis, vel 25. Circa diſpenſationem ſcribit *Maimonides Tract. de Regib.* c. 8. *ſect.* 1. licitum fuiſſe militibus, qui in Cuthæorum irruperant Regionem, urgente famis neceſſitate edere carnem porcinam, & cadaueroſam. Sed pergo.

Quarta pars Cabi farraginis columbinæ quinque argenteis. Fuit קַב *Kab* menſura aridorum, continens 4. *Logos*, *Logus* verò 6. *oua*, Kabus proin 24. oua. Dat Kabo *Eiſenſchmid. Pond. & Menſ.* p. 89. 172. pollices cubicos Pariſinos $112\frac{1}{3}$. qui ex mea reductione dant $1\frac{11}{765}$. modioli Tigurini $\frac{5}{4}$. proin Kabi ſiue Log incirca $\frac{1}{4}$. modioli, cujus pretium fuit 5. ſiclorum ſiue florenorum 2. crucigerorum 45. Kabum reducturus in Cubi formam, inuenies pro radice ſeu latere A B. pollices Pariſinos 4. lineas $9\frac{4}{5}$.

Hæc, quæ hactenus, libera ſunt ab omni ſcrupulo, ſed magnis inuolutum difficultatibus *ſtercus columbinum* חִרְיוֹנִים *Chirionim*, id quod vel ex enumeratione ſententiarum, ſed & ἐκλέξει pateſcet.

1. In litera manet *Eutychius*, Patriarcha Alexandrinus, *Annal.* p. 213. Vult is, Samaritanos ciues fame preſſos reuerà in cibum adhibuiſſe ſtercus columbinum. Sed in patrocinium hujus ſententiæ non quadrant Thraſonicæ illæ Rabſacis minæ in Hieroſolymæ ciues effuſæ, *miſeros iſtos, qui in muris excubant, ſtercora ſua edere, & urinam ſuam bibere coactum iri.* 2. Reg. XVIII. 27. Jeſ. XXXVI. 12. Ne in maxima quidem famis neceſſitate in cibum veniunt ſtercora ſeu hominum ſeu brutorum, non ſolùm, quia natura humana ab iis abhorret, ſed quia nutritiua vi deſtituuntur prorſus, optimo alimenti ſucco in chylum verſo, qui vena-

venarum lactearum ductu tranſiit jam ad ſanguinem. Præprimis autem id dici poteſt de ſtercore columbino, utpote quod calidæ & ſiccæ eſt naturæ, & proin præ aliarum auium ſtercore ad agros impinguandos adhibetur, teſtibus *Varrone de Re Ruſt.* L. I. c. 38. *Columella* L. II. c. 15. *Plin.* L. XVII. c. 9. *Pallad.* L. II. c. 33. *Quintilio* L. II. *Geopon.* Eſt proin vero haud ſimile, quòd in Samaria obſeſſa ſtercus columbinum fuerit pro cibo venundatum: ſed neque, ſi cibus foret, ut eſt ruſticolarum ſtercus, quadrat menſura, aridis vel frumentis vel leguminibus, propria. Ponderaſſes id potius, quam menſuraſſes. Quapropter paucos inuenias ex Interpretibus, qui Textum hunc ad literam explicent de cibo & ſtercore columbino.

II. Volunt ex Judæis Doctoribus R. *Jonas* & *David*, defeciſſe inter alia vitæ ſubſidia Samaritanis obſeſſis lignum, ut ei tandem ſubſtituere neceſſe habuerint columbinum ſtercus. Et ſanè apud *Galenum* L. III. *de Temperam.* legitur, in Myſia alicubi ex fimo columbino, à Solis ardore calefacto, & in fermentationem acto, accenſam fuiſſe domum reſinâ oblitam. Pro confirmanda hac ſententia allegari poſſet uſus fimi ouilli in Auerſana valle Rhætiæ, vaccini in Perſiæ nonnullis Prouinciis, ubi ligni defectum ſupplet: ipſe quoque Phosphorus, quem parant hodie ex ſtercore humano. Attamen neque hæc ſententia inuenit applauſum. Haud facilè ſanæ quadrat rationi, tantam fuiſſe in Samaria annonæ caritatem, ut ligni loco adhiberi debuerit ſtercus columbinum. Nullus inter antecedens & conſequens nexus. Cur non potius igni in ſacrificium cedere potuiſſent vaſa quæcunque lignea, decerpi aſſeres parietibus, diffringi & ſcindi ciſtæ, quàm ſtercus columbinum? Cur non in tanta annonæ difficultate mactari columbæ ipſæ, munda Judæis animalia, ſi tanta fuit earum copia, ut fimus lignis ſubſtitui potuerit? Et fortè fuere, ut nunc ſunt Iſpahani, & in tota fere Perſia, aliisque Regionibus Orientis, columbaria extra urbes. Conf. *Chardin Voyage de Perſe.*

III. Riſum potius quàm attentionem meretur eorum opinio, qui volunt, tanto numeratum fuiſſe columbinum ſtercus, ut agri intra urbis muros ſiti eo ſtercorari poſſent, uſui venturi incolis, ſi fortè ad ſequentem proximè annum protraheretur obſidio. Fidem ſane merentur nullam multi intra muros agri, cura pro iis in proximum annum, frumentum in extrema annonæ caritate redundans, quod terrâ recondi poſſet.

IV. Commatis ejusdem fere eſt *Joſephi* opinio, qui vult, inſeruiiſſe ſtercus columbinum ἀντὶ ἁλῶν, pro ſale: Sal equidem ineſt fimo omni, columbino certe. Sed copioſius, melius, corporibus ſuis adæquatum magis obtinere potuiſſent Samaritæ ex decoctione propriæ urinæ. Sali haud denegamus inſignes in menſa & Medicina uſus, eosque multifarios, alia occaſione exponendos. Sed ſciendum, non eſſe cibum, verùm condimentum. Panem fame urgente comederis facilius absque ſale, quàm ſal absque pane.

V. Thalmudiſtæ, ut ordinarie acutius cernunt nudis oculis, quàm alii armatis, Textum Hebraicum loco *ſtercoris columbini* exponunt per id, *quod in columbis eſt*, *vel erat*, & dicunt, fuiſſe hos alites ciuium promos condos, euolaſſe in agros, reportaſſe ingluuiem plenam granis, euomuiſſe hæc ipſa reduces, & fuiſſe hæc ipſa grana frumenti, quæ tanti venerint in extrema fame. Nemo non videt, hyperbolicam eſſe hanc explicationem. Aſſuefieri utique poſſunt columbæ ad euolandum in agros, imò verò in obſidionibus Tabellariorum munere defungi poſſunt, de quo aliàs. Sed fidem omnem ſuperat, tot fuiſſe intra Samariam columbas ad colligendos pro ciuibus cibos adſuefactas. Et ubi, quæſo, in agris ab hoſtibus undique occupatis ſecuræ viuere potuiſſent: ubi in agris deuaſtatis grana legere, quæ quouis modo auxilio venire poſſent fame preſſis? quomodo exonerare, ut apes ſolent ſacculos melle refertos, ingluuiem? Et cur non hi ipſi promi condi veniſſent in cibos? Notum, columbas omnis generis grana, ſalubria hominibus & noxia, deglutire, imò & arenulas, ſiliculos, alia. Quis prius hæc omnia, inutilia noxiaue ab utilibus, ſemicocta à crudis, ſegregaſſet?

VI. Textum noſtrum ita vertit *Junius*: *Extitit fames magna Samariæ &c. ut eſſet quarta pars venter ipſe, qui eſt in cabo columbarum, quinum Siclorum argenti.* Confundit is ſcilicet קַב *Kab*, menſuram aridorum, cum קֵבָה *Kebah*, ventre, *ventriculo*: & vocum affinitatem, quod nemo non videt, extendit nimiùm, & ultra hominum fidem.

VII. Aſſociat *Fullerus* ventriculo ipſa quoque inteſtina, aliaque aliàs rejectanea abdominis viſcera, ſed non majorem, quàm Junius, meretur vel fidem vel applauſum. Licet hanc ſententiam reſuſcitauerit Cl. *Hillerus Hierophyt.* P. II. c. 22. p. 129. Locum noſtrum ita vertens: *Extitit fames magna Samariæ, ita ut — quarta pars Cabi vel Sextarius inteſtinorum viſcerumque columbinorum (vel, fluxus columbarum adhuc viſceribus contentus) venierit quinque ſiclis argenteis.*

VIII. Accedimus tandem ad ſententiam ex allatis optimam *Bocharti Hieroz.* P. II. L. I. c. 7. Pro fundamento ponit vir hic eruditiſſimus, intelligi debere per חִרְיוֹנִים cibum, aliquid, quod in cibum venit, nam alias non foret nexus inter antecedens & conſequens. *Fuit fames magna in Samaria — donec quarta pars Cabi farraginis columbinæ veniret quinque argenteis.* Quærendum proin eſſe diuerſum quid à ſtercore columbino, quod veniat in cibum. Inuenit autem diligentiſſimus ille ruſpator apud Scripto-

Scriptores Arabes, titulo *Uſnen, Aluſnen, Albord uſnen* & *Kali* venire tum *ſtercus columbinum*, tum *Ciceris* quandam ſpeciem, eamque frictam, quæ coquatur cum lacte. Hunc aridum fructum Kabo dimenſos fuiſſe & vendidiſſe Samariæ incolas. *Ŭsnān*, *isnān* Turcis pro *Kali* uſitatum habet *Meninzki Lex.* p. 248. 875. Vulgatiſſimos fuiſſe in Palæſtina *Ciceres*, conſtat ex 2. Sam. XVII. 28. ubi Gileaditæ & Ammonitæ inter alia donaria Dauidi obtulerant קָלִי *Kali*, interprete *Hieronymo, frictum Cicer*, i.e. toſtum, quod Cairi in Ægypto in tabernis copioſè vendatur peregrinantibus Meccam, teſte *Bellonio Singular.* L. II. c. 53. ut & Damaſci, c. 59. *Damaſci*, inquit, *plures ſunt officinæ, in quibus frigendo ciceri omnes vacant. Ereuinthia* (ἐρεβίνθια) *vocant Græco nomine. Illa autem in æreis ſartaginibus fricta, & exiccata iis percommoda ſunt, qui longum iter ſuſcipiunt.* Quadrat menſurando Ciceri Kabus, aridorum menſura. Æquo pretio veneunt, 80. ſiclorum caput aſininum, & 4. Ciceris Kabi, qui uterque cibus ſufficit fere homini pro quatriduo. Inter viliores namque cibos habiti fuere Ciceres etiam apud alias Nationes. In *Ariſtophanis Pace* optat ruſticus ſociis ſuis.

Ἀνθρακίζων τ' ἐρεβίνθους,
Τήν τε φηγὸν ἐμπυρεύων.

Cicer ſuper carbones torrens
Et faginam glandem ad ignem aſſans.

In Alexi Comico apud *Athenæum* L. II. conqueritur vetula, ſe vitam miſeram vix trahere poſſe *Cicere* & *Cicercula*, ἐρεβίνθῳ καὶ λαθύρῳ. *Horatius* L. I. *Sat.* 6. oſtenſurus frugalis vitæ ſuæ rationem, ita canit:

\- - - - - - *inde demum me*
Ad porri & Ciceris refero lachanique catinum.

Et *Lib. de Arte* ἐξ ἐναντίας ponens diuitum pauperumque vitam.

Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res,
Nec ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donantue coronâ.

Martialis L. V. *Epigr.* 79.

Et feruens Cicer, & tepens Lupinus,
Parua eſt cœnula, quis poteſt negare?

Leui mutatione vernacula noſtra pro *Dauben-Koth* adhibuiſſet commodius vocem *Dauben-Speiſe*, cibum columbarum, qui ex Lentibus, Ciceribus, aliisque vilioribus vel leguminibus vel frumenti quisquiliis conſtat. Huc ſanè digitum intendit Latina noſtra *farragine columbina.* Significat quippe farrago, κράσις Græcis, omnem viridem ſegetem, quæ ex variis & multis ſatis, hordeo, vicia & leguminibus pabuli cauſa fit. Vid. *Varro de Re Ruſt.* L. I. c. 31. *Caſp. Bauhin Theatr. Bot.* p. 428. Unde conſtat, *Leonem Judæ*, verſionis noſtræ doctiſſimum Authorem, ejusdem prorſus fuiſſe cum *Bocharto* mentis.

Mentem *Judæ* & *Bocharti* illuſtraturus ſiſto Fig. C. *Cicer nigrum Fuchſii*, ſiue *Cicer ſatiuum ſeu arietinum pluribus eminentibus angulis in ſemine majore albo & rubro. Moris Hiſt. Plant.* p. 76. quod is diſtinguit à *Cicere ſatiuo* C. B. hoc nuncupans *Cicer ſatiuum ſeu arietinum unico eminente angulo in ſemine albo, rubro & nigro*, & Fig. D. *Ciceris* characteres ex *Tournefortio.*

2. Reg. Cap. VII. verſ. 1.

Dixit autem Eliſæus: Audite verbum DOMINI, ſic dicit DOMINUS: Cras juxta hoc tempus ſatum ſimilaginis ſiclo (emetur) & duo ſata hordei uno Siclo in porta Samariæ.

Dixit autem Eliſeus: Audite verbum DOMINI: Hæc dicit DOMINUS: In tempore hoc cras modius ſimilæ uno ſtatêre erit: & duo modii hordei ſtatêre uno, in porta Samariæ.

FUit סְאָה *Seab*, *Satum* $\frac{1}{3}$. Ephah, 674. pollicum cubicorum Pariſinorum, menſura aridorum reducta ad $6\frac{22}{250}$. modiolos (Mäſslein) Tigurinos, occaſione Gen. XVIII. 6. Fuit proin heîc, redeunte ſubitò annonæ copia, Sati farinæ optimæ ſimilagineæ pretium 45. crucigerorum, idemque dupli Sati hordei, id eſt, $12\frac{144}{250}$. modiolorum. Quodſi cum Clerico ſatum æſtimemus pro 10 libris, aſcendiſſet libræ unius pretium ad $4\frac{1}{2}$. crucigeros, nempe farinæ ſimilagineæ, & hordei libra ad 9. denarios. Quæ annonæ vilitas, unius modioli Tigurini ſimilagineæ farinæ pro crucigeris 7. den. 1. obolo $1\frac{101}{761}$. & hordei pro crucigeris 3. denario $1\frac{28}{344}$. in parallelo eſt locanda non tam cum aliis uberrimæ annonæ temporibus, quàm cum prægreſſa immediatè inopia, & dura, quam ſuſtinuere Samaritæ obſeſſi, fame, qua *caput aſini veniebat octoginta argenteis, & quarta pars Cabi farraginis columbinæ quinque argenteis.*

TAB. CCCCXC.

2. Reg. Cap. VII. verſ. 6.

Effecerat DOMINUS, ut in caſtris Syrorum audiretur ſtrepitus curruum, ſonitus equorum, & ſtrepitus ingentis exercitus, ut diceret quisque ad alium: En Rex Iſrael conduxit aduerſum nos Reges Hithæorum & Reges Ægyptiorum, ut veniant contra nos.

Siquidem DOMINUS ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad inuicem: Ecce mercede conduxit aduerſum nos rex Iſrael reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos.

EN ſolo ſtrepitu, ſed θεηλάτῳ, fugatum integrum Syrorum exercitum. An hoc taratantara excitatum fuerit ab Angelo quodam, vel motus tonitrui ſimiles extra modum tremuli immediatè à DEO fuerint Atmoſphæræ inducti, vel, aere tranquillo, neruoſum aurium ſyſtema in hujusmodi motus tremulos actum, qui referrent exercitus irruentis vim, Scriptura Sacra haud determinat. Id quidem ex circumſtantiis hiſtoriæ conſtat, nullos in aere tonantes motus, nullos ſtrepitus in urbe fuiſſe auditos, ut omnino conjectare liceat, fuiſſe terrorem hunc panicum à DEO immediatè ipſis Syrorum mentibus impreſſum, ut relicto omni bellico apparatu, & abjectis armis fuga quæſiuerint ſalutem. *Surgentes fugerunt in crepuſculo, relinquentes tentoria ſua, equos ſuos, aſinos ſuos, & caſtra ipſa ut erant, fugeruntque quò voluntas tulit. (Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos in caſtris, fugeruntque animas tantùm ſuas ſaluare cupientes.)* v. 7. *Et ecce omnes viæ plenæ erant veſtibus & vaſis, quæ Syri abjecerant in feſtinatione ſua. (Ecce autem omnis via plena erat veſtibus & vaſis, quæ projecerant Syri, cum turbarentur.)* v. 15.

TAB. CCCCXCI.

2. Reg. Cap. IX. verſ. 30.

Quumque proficiſceretur Jehu ad Jeſreel, audiuit hoc Iſebel, fucoque pinxit faciem ſuam, & ornauit caput ſuum, proſpiciens è feneſtra.

Venitque Jehu in Jezrahel. Porrò Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram.

EN ΘΕΟΥ ἔκδικον ὄμμα. *Præcipitatur* impia προφητοφόνης Jeſabel juſſu Neo-Regis Jehu, feneſtrationis diro ſupplicio, *ut de ſanguine ejus ſpargeretur ad parietem & ad equos.* v. 33. Breui autem poſt *nihil inuenerunt de* indigna Regio ſepulchro Regina *niſi Caluariam, & pedes, atque volas ambarum manuum (niſi caluariam, & pedes, & ſummas manus.)* v. 35. Reliqua omnia canibus in prædam data. Triſte hoc ſpectaculum, tanquam ſingulare juſtitiæ vindicatricis exemplum, linquemus nos aliis, præſenti conſiderationi ſubjecturi *fucum, quo pinxerat* illa *faciem ſuam*, ſpeciatim oculos.

Fuco pinxit faciem ſuam, potius ex Originali, וַתָּשֶׂם בַּפּוּךְ עֵינֶיהָ, *& pingebat in fuco oculos ſuos:* Vernacula noſtra, *ſie färbete ihr Angeſicht*, rectius, *ſie färbete oder ſchminckete ihre Augen.* Examini præſenti ſubjicitur tum fuci hujus materia, tum fucandi modus. In Hebræo Codice legitur פוך *phuch*, unde fortè Latinorum *fucus*, Græcorum φῦκος. Legitur idem voca-

II. REG. Cap. VII. v. 6.
Syri ſtrepitu θεηλάτῳ percuſsi.

II. Buch der Kön. Cap. VII. v. 6.
Die fliehende Syrer.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB



II. REG. Cap. IX. v. 30.
Iesabel fuco picta.

II. Buch der Kön. Cap. IX. v. 30.
Die geſchminckte Jeſebel.

B. Probst sculps.

RPJCB

vocabulum Jer. IV. 30. ſi pinges fuco (בַּפּוּךְ *baphuch) faciem tuam.* Verùm Ezech. XXIII. 40. occurrit pro פּוּךְ vox כחל *cochal*, *illuſtraſti faciem tuam*, (כָּחַלְתְּ עֵינַיִךְ coloraſti oculos tuos) *& ornaſti te ornamento. (circumliniſti ſtibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri.)* Hebræa vox *phuch* ſicuti adhuc reſidet in Latina & Græca, ita & altera *cochal* ſuperſtes eſt in Æthiopica *Cuchel*, imo & Arabica *Cobol*, *Kabal*, *Köhl*, *Kils*. v. *Meninzk. Lex.* p. 3886. 3998. Alcol in Mauritania, Romanorum Tingitana, quæ hodie eſt Maroccanum Imperium, ubi plurimi degunt Judæi. *Carl Stuart Reiſe nach Mequinetz.* p. 19. Edit. Germ. Quoniam in hunc usque diem eodem oculos ſuos pingunt delicatulæ ſequioris ſexus Arabes, Turcæ, aliæque ex Oriente, quo eos colorauit Jeſabel, haud erit conjectu difficile, qualisnam ſit materia. Eſt hæc *Antimonium*, ſiue *Stibium*, *Stimmi*, quod ob hunc inſignem uſum obtinuit cognomen πλατυόφθαλμον, *quod in calliblepharis mulierum dilatet oculos. Plin.* L. XXXIII. c. 6. Ab antiquiſſimis temporibus Orientis fœminæ inter notas pulchritudinis æſtimabant ampliatos arte oculos, βοώπιδες *Homero* dictæ à ſimilitudine cum oculis bouinis, ut ſunt è contra Nationes, quæ amant potius μικροφθάλμους. Subtrahebant illi ab eo, quod natura faciei dedit, & quod demebant, dedere oculis, hinc eleganter Veteres, προσωπεῖα ἔχειν, καὶ οὐ πρόσωπα, *laruas habere*, *haud facies*, *aut vultus*, *Dalech. in Plin.* l. c. Ampliabant autem oculos fuco nigro, quo tingebant ſupercilia, parato ex antimonio. Modus non eſt omnibus unus. Sunt quæ abraſis ſuperciliis locum illum, eumque ampliorem nigrant fuco: ſunt aliæ, quæ pigmento oblinunt omne inter cilia & ſupercilia palpebrarum ſpatium, idque ſtylo vel ligneo, vel argenteo, vel aureo. Antimonium ipſum pulueriſant ſubtiliter, & alcohol hocce miſcent ſaliuâ, vel aquâ. Artificii hujus exemplum ſingulare extat apud *Galenum* L. VI. ὑγιεινῶν. Non tamen uſui huic Cosmetico adhibent antimonium arte coctum, quale eſt Germanicum, & officinale, ſed natiuum, foſſile, quod antiquitus etiam in Bithynia prope Chalcedonem effodiebatur. Vid. *Jac. Grandius Diſſ. de Stibii uſu, in Ephem. Germ. Dec.* II. *An.* VI. ubi p. 115. communicat compoſitionem ad tingenda ſupercilia Turcis familiarem, & tincturam è ſtibio; ſicut eam accepit ab *Antonio Apollonio*, *Johannis* Capelli ad Turcarum Imperatorem Ablegati Veneti Medico. Pigmentum hoc hodie nuncupant Perſæ *răſchut*, *răſchyt*, *răſticht*: Turcæ *răstyk taſi.* Miſcent nempe mineralis ſiue ſemimetalli fragmenta cum Galla, candenti ferro exprimunt oleum, quod ipſum dehinc ciliis aut ſuperciliis mulierum inungunt, non tantùm ad ea denigranda, ſed etiam ad oculos erugandos, docente *Meninski Lex.* p. 2258. Antimonium autem fuiſſe ipſiſſimam, qua ſe pinxerat Jeſabel, materiam, conſtat euidentiſſimè ex LXX. virali, quæ habet, ἐστιμμίσατο, & ἐστιβίσατο τοὺς ὀφθαλμοὺς, quam optimè imitatur Vulgata, *depinxit oculos ſuos ſtibio*; *Stibium* enim, στίβι, στίμμι, eſt antimonium. Lucem quoque fœnerantur vetuſti Scriptores profani. Græcus Poeta Jon *in Omphale* inter Reginæ Lydiæ omphales adſcititia ornamenta recenſet τὴν μέλαιναν στίμμιν, quam vocant ὀμματογράφον, & *Heſychius* ὑπογράμματα γυναικῶν explicat per τὰ στιμμίσματα τῶν ὀφθαλμῶν. Imo de modo ipſo certos nos reddit *Pollux Onom.* L. V. c. 16. τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει, εἰς γραμμὰς ἡμικυκλίων περιάγει. Hanc fucandi rationem vocat *Tertullianus*, *oculos fuligine porrigere*, *nigro puluere oculorum exordia producere.* Eſt ex recentioribus Itineratoribus *de la Roque*, qui puluere atro ex Tutia compoſito, Arabibus *Kebel* dicto, angulum ad externum oculi canthum duci ſcribit ab Arabibus fœminis, ut oculi non ſolùm ampliores, ſed veluti fiſſi videantur, labia inſuper aciculis pungi ſuperimpoſito puluere pyrio cum felle bouina mixto, quo liuido-cœrulea reddantur. *Voyage dans le Paleſtine* p. 261. Et in *Meninzkii Lexico* ſupra jam citato p. 1338. à voce *cobal* deriuatur Turcarum *tekæ'hbul*, quod ſignificat ſtibio illitos habere oculos, item *tekhyl*, apud *Golium.*

Fieri facile potuit, ut per tot ſeculorum decurſum modus expoſitus ſupra fucandi oculos fuerit immutatus, vel & adhucdum non unus apud omnes Orientis populos fœminasque obtineat mos. Sanè Turcæ modernæ, ſi diligentiſſimo pariter & recentiſſimo Scriptori *de la Motraye voyage* T. I. p. 107. fides, in eo, quo nunc utuntur Alexandrinæ & Tripolitanæ, fuco, antimonium non ingreditur compoſitionem τοῦ *Raſtick*, ſed *æs aduſtum*, *amphacitis* (quod quid ſit neſcio, niſi ſit Omphacites) *Feraro d' Eſpagne* (quod eſt ipſum æs uſtum *Cæſalpino de Met.* L. III. c. 5. *Hæmatites*, *Feret d' Eſpagne*, ſpeciatim *Schiſtos Pomet Hiſt. des Drog.* L. II. c. 18. Sed tamen pro ære uſto plerique militant Scriptores, & ipſæ *Raſtick* affines voces *Ruſaſtech*, *Ruſatagi*, *Ruſatigi*, *Ruſatum*, quæ extant apud *Raſen* in *Syn. Pandect.* & ipſum Germanorum & Suecorum *Roſt*, *Roſtwerk*, *Robeſtein*, Græcorumque modernorum ῥασοὺχθην, σαρoύκτι, apud *du Fresne Gloſs. Græcit.)* & *Gallæ Iſtriæ*, quæ ſubtiliter pulueriſata miſcentur cum felle bouino, & cum tribus quartis aquæ in cochleari vaſeue terreo vel metallico lampadis flammæ exponuntur, ut bulliant, deinde ſtylo vel penicillo cuti applicantur; cui operationi præmittunt depilatorium, *Rasma* dictum, ex viridi æris & calce viua confectum aqua mediante in paſtam redactum, deſuper imponendo Terram Chiam ſiue Lampſacenam.

 TAB.

TAB. CCCCXCII.

2. Reg. Cap. XIII. verſ. 20. 21.

20. Mortuo Eliſa, ſepelierunt eum: eodem ipſo anno graſſatores Moabitæ irruerunt in terram.

21. Contigit autem, quum quidam ſepelirent hominem, viderentque globum graſſatorum, ut projicerent hominem illum in ſepulchrum Eliſæi, qui deuolutus attigit oſſa Eliſæi, & reuixit erectus in pedes ſuos.

20. Mortuus eſt ergo Eliſeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno.

21. Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadauer in ſepulchro Eliſei: quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, reuixit homo & ſtetit ſuper pedes ſuos.

Erat, quod ex hactenus dictis patet, Eliſæi vita concatenata miraculorum ſeries: ſequebatur unum θαῦμα mox aliud: patrabat θαυματȣ̃ργος ille miracula in omni fere naturæ regno, in viuis ac mortuis. Jam patrat is, imo ſceleti oſſa jam fortè exucca, imo potius nec ipſe, nec oſſa, ſed DEUS, qui ſolus miracula facit, miraculum inſigne in mortuo poſt mortem Prophetæ. Abſit à nobis, ut ſtatuamus oſſibus Eliſæi inhærentem quandam vim, qua mortuus hic fuerit reſuſcitatus. Commonſtrare volebat DEUS, quanto habuerit pretio pientiſſimum & χαριέςατον virum, cujus vitam ὡς ἐν συνόψει exhibet Siracides XLVIII. 12-15. *Eliæ ſpiritu repletus eſt Eliſæus. Is temporibus ſuis nihil eſt permotus ob principes, nec imperium cujusquam pertulit. Nulla res ſuperauit eum, corpusque ejus Prophetam egit etiam poſt obitum. (In Eliſæo completus eſt ſpiritus Eliæ; in diebus ſuis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum. Nec ſuperauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus ejus.)* Καὶ ἐν κοιμήσει προφήτευσαι τὸ σῶμα αὐτȣ̃, proin juxta originalem Textum in ſomno, in lecto ſuæ quietis. *Miracula deſignauit in vita ſua, defunctique facta miranda ſunt. (In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.)* Καὶ ἐν ζωῇ αὐτȣ̃ ἐποίησε τέρατα, καὶ ἐν τελευτῇ θαυμάσια τὰ ἔργα αὐτȣ̃. Miraculum hoc eſt, quod nunc memoramus, ſiue fuerit projectum cadauer intra ipſum Eliſæi ſarcophagum, ſiue hunc ſaltem tetigerit, non oſſa Prophetæ ipſius, proinde φαινόμενον omnibus naturæ viribus ſuperius. Demonſtratio aliis occaſionibus data.

2. Reg. Cap. XIV. verſ. 9.

Tum miſit Jehoas, Rex Iſrael, ad Amaſiam, Regem Juda, hujusmodi reſponſionem: Annon Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad Cedrum, quæ eſt in Libano, hujusmodi verbis: Da filiam tuam filio meo uxorem? Et præteriit fera agri, quæ in Libano fuit, & conculcauit Carduum.

Remiſitque Joas, rex Iſrael, ad Amaſiam, regem Juda, dicens: Carduus Libani miſit ad Cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcauerunt carduum.

Habent Apologi, quibus Orientales populi frequenter admodùm utuntur, ἑλκυςικόν τι, & fuit ſanè, quod Amaziæ Regi dedit reſponſum Joas, ſale & argutiis conditum: Indixerat ille, neceſſitate nulla urgente, Joaſo bellum, ſpina Cedro: diſſuadet Joaſus bellum, quod beſtiæ ad inſtar feræ agri conculcaturum ſit ipſam illam ſpinam, Amaziæ potius quàm Joaſo futurum noxium: Thema propoſitionis eſt, nullam eſſe ſalutem bello,

II. REG. Cap. XIII. v. 20. 21.
Eliſa θαυματȣργος post mortem.

II. Buch der Kön. Cap. XIII. v. 20. 21.
Der im Tode wunderthätige Eliſa.

M. Tyroff sculps.

II. REG. Cap. XVII. v. 25.
Leones ἀνθρωποκτόνοι.

II. Buch der Kön. Cap. XVII. v. 25.
Löwen als Menſchen=Mörder.

I. A. Fridrich sculp.

bello, pacem potius poſcendam ab Iſraelitis omnibus, belluam eſſe Bellonam. Obuia eſt vox חוח *choach* alibi quoque in ſacris literis. Job. XXXI. 40. *Proueniat paliurus* חוח *pro frumento.* Prov. XXVI. 9. *Ut ſpina* חוח *creſcens in manu ebrii.* Cant. II. 2. *Ut lilium inter ſpinas* בין בחוחים *ben bachochim.* Et ſunt 1. Sam. XIII. 6. בחוחים *ſpineta*, dumi, in quibus homines latent. Omnia hæc ex Verſione Tigurina, ſibi ipſi diſſimili. Nunc enim generale *ſpinæ* habet vocabulum, nunc *paliurum*, nunc *Carduum*, ut in noſtro Textu, neſcia ipſa, an ad frutices referat חוח, an ad plantas κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictas. ὁ & ἡ ἄκαν ſiſtitur in LXX. virali. Certum hoc, חוח pertinere ad plantas ſpinoſas, ſed incertum, qualisnam ſit vel frutex vel herba. Darem, ſi quis peteret, Carduo potius votum, in fauorem noſtræ verſionis, quàm frutici alicui, qualis eſt *Oxyacantha*, in vernacula noſtra *Hagedorn*; eſt enim ille facilius à feris agri conculcandus quàm hic. Accendetur fortè lux dubiæ quæſtioni ex affinitate linguarum aliarum orientalium.

2. Reg. Cap. XVI. verſ. 17. 18.

Vid. 1. Reg. Cap. VII. verſ. 23.

TAB. CCCCXCIII.

2. Reg. Cap. XVII. verſ. 25.

Factum eſt autem principio, quum illic habitare cœpiſſent, ut non timerent DOMINUM, mitteretque DOMINUS Leones in eos, qui eos occidebant.

Cumque ibi habitare cœpiſſent, non timebant DOMINUM: & immiſit in eos DOMINUS Leones, qui interficiebant eos.

Subſcribit facile reuelato DEI Verbo ſana quæuis ratio, ad nutum Creatoris parata eſſe omnia totius uniuerſi corpora. Præſtò ſunt illico, ſi jubentur conſeruare hominem, etiam extra & ſupra naturæ leges, coturnices ſeu locuſtæ in deſerto nutrituræ populum DEI, corui Eliam cibaturi, ſed & parata, ut prompti ſint Diuinæ Juſtitiæ executores. Audi interminantem DEUM Leuit. XXVI. 22. *Immittam in vos beſtiam agri, quæ vos orbos reddet, & excindet jumenta veſtra, & imminuet vos, deuaſtabunturque viæ veſtræ. (Immittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ.)* Jer. XV. 3. *Viſitabo ſuper eos quatuor familias, ait DOMINUS, gladium ad occidendum, canes ad dilacerandum, aues cœli & beſtias terræ ad deuorandum & perdendum.* Jeſ. XV. 9. *Ponam — his, qui euaſerunt Moabitis, & reliquiis regionis Leonem.* Et heic occiſos en à Leonibus Babylonios & Cuthæos, à Salmanaſſare Rege in terram Iſraeliticam miſſos, ut eam colerent & incolerent. Quapropter Regi datum conſilium, ut *adduci* juberet *aliquem ex Sacerdotibus, quos inde tranſtulerunt, qui veniant & habitent illic, & doceat eos ritum Deorum hujus terræ. (Ducite illuc unum de ſacerdotibus, quos inde captiuos adduxiſtis, & vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima DEI terræ.)* v. 27. Placet *Joſepho Ant.* L. IX. pro *Leonibus Peſtis* λοιμὸς, fortè quod ex Judæis Doctoribus quispiam hoc per leones factum excidium per metaphoram nuncupauerit peſtem, ut *locuſtas Plinius* L. XI. c. 29. *Deorum iræ peſtis ea intelligitur.* Et apud *Homerum Ulyſſes Polyphemum.*

Dii talem terris auertite peſtem.

Et quoties adhuc hunc illumue, Ciceronianâ Phraſi, vocamus funeſtam Reipublicæ peſtem, peſtem ac perniciem ciuitatis, peſtem amicitiæ, & abire jubemus in malam peſtem? Eſt alias inſoliti quid, & ſingulare Iræ Diuinæ argumentum, ſi leones irruant in urbes, oppida, vicos, aliaue loca habitata, ſi Magnates *percutit leo de ſylua, lupus ſolitudinum vaſtat eos, ſi pardus incumbit ſuper ciuitates eorum, & omnem iſthinc exeuntem diſcerpit. (Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum; omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur.)* Jer. V. 6. Tunc demum leones accedunt ad loca habitata, ſi æ-

tate ſint prouecti, edentuli, apprehendendis & diſcerpendis prædis inepti, *Ariſtotele* teſte *Hiſt.* L. IX. c. 4. & *Plinio* L. VIII. c. 16. qui ita: *Polybius Æmiliani comes in ſenecta hominem appeti à leonibus refert, quoniam ad perſequendas feras vires non ſuperant. Tunc obſidere Africæ urbes.*

2. Reg. Cap. XIX. verſ. 29.

Jeſ. Cap. XXXVII. verſ. 30.

Et hoc ſit tibi (ô Ezechia) ſignum; Hoc anno comedes repoſita, proximo anno, quæ ſponte naſcentur, tertio verò anno ſementem facietis & metetis, vineas quoque plantabitis, & fructum earum edetis.

Tibi autem, Ezechia, hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ repereris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur: porro in tertio anno, ſeminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum.

Eſt ſignum hocce, quod pientiſſimo Regi Ezechiæ, anxia ſollicitudine preſſo dederat Jeſaias dignum omni attentione noſtra; ſignum non præſens, ſed futurum, quale fuit & illud pretioſiſſimum Meſſiæ venturi prognoſticon Jeſ. VII. 14. *Ecce virgo illa concipiens & pariens eſt filium, & vocabis nomen ejus Immanu-El.* Stat Hannibal ille Sennacheribus non ſolùm ante portas, ſed fere intra portas, in extremas conjicit anguſtias Judæ Regnum, & Hieroſolymam Metropolin, ut nulla prorſus ſuperſit auxilii ſpes: attamen promittit Propheta θεόπνευςος in nomine DOMINI non duntaxat liberationem ex malo imminentiſſimo, ſed inſuper pacificam & triennalem agrorum poſſeſſionem, imò Calendariographum agit, prænuntians qualis futura ſit ſingulorum ex tribus annorum conſtitutio atque fertilitas. Videamus unum annum poſt alium.

I. *Hoc anno comedes repoſita*, סָפִיחַ *ſaphiach*, LXX. τὰ ἀυτόμαλα, *Ariæmontanus ſerotina*, Vulgata, *quæ repereris*, *Lutherus*, *was zutretten iſt*, Nos, *das von ſich ſelbſt gewachſen iſt*. Quæ verſiones omnes, licet valde videantur diuerſæ, inter ſe conciliari facile poſſunt explicatione dextrâ. Præmonendum tamen, in ſenſu philoſophico neque animalia dari, neque vegetabilia ἀυτόμαλα, ἀυτομάτως ex putredine orta. Omnium prima origo eſt ſemen. Et tamen in Botanicorum ſcriptis diſcrimen reperias inter *plantas ſponte naſcentes* & *cultas*, quarum illæ in agris, ſyluis, pratis, paſcuis creſcunt abſque hominum cura, hæ ex projecto in agros hortosue ſemine progenita curam hominum & admittunt & poſcunt ſollicitam. Deuaſtauerat Aſſyriorum exercitus ſanè ingens (una quippe nocte *percuſſit Angelus DOMINI centena octoginta quinque millia.* v. 35.) totam urbis ſanctæ περίχωρον, conculcauerant equi frumentum omne in agris vel adultum, vel ſuccreſcens, ut ne minima quidem meſſis faciundæ affulſerit ſpes: quam hoc non obſtante, & omni penè ratione repugnante promittit Propheta, atque prænuntiat. Conſiſtit in hoc omne myſterium, quòd frumentum pedibus conculcatum, & apparenter corruptum, regerminare poteſt, & maturas proferre ſpicas, illud nempe & inprimis, quod nondum ſurrexit in calamos: etiam illud, quod jam ſurrexit, ab exercitu non ita corrumpi poteſt, aut vaſtari, quin remaneat aliquid. Alia nempe ratio eſt frumenti, arborum alia: habent hæ flores fructusue reconditos in gemmis, quæ ſi perierint, parum ſupereſt ſpei, & tamen videmus aliquando gemmas protrudi nouas ex latere corruptarum: ſed in frumentaceo genere latet germinationis principium, flores fructusue, in radice; hæc quamdiu remanet, regerminare facile poteſt de nouo. Quin imo uberiores ſæpe dat & meliores fructus frumentum conculcatum: unde ſolent aliquando coloni in agris pinguibus luxuriantes plantas virides reſcindere, vel jumentis & pecoribus reſecandas dare, ne maxima nutrimenti pars concedatur foliis, ſed culmi ſuccreſcant tanto lætius, neque duntaxat una & primaria ſpica ſatis obtineat alimenti, ſed ut & laterales trudantur: vide *Memoir. de l'Acad. Royale* A. 1700. p. 158. In teſtes voco ruſticos Sueuos, qui in præterito bello magno animorum mœrore viderant ab exercitibus tum amicis, tum hoſtilibus, conculcatas ſegetes, attamen, omni licet ſpe meſſis reſciſſâ, haud ſemel tantam collegerant frugum agri copiam, quantam quidem ſperare poterant tranquillo rerum ſuarum ſtatu: & pœnituerit eos laboris, qui conculcatos ſuos a militibus equisue agros inuertebant aratro, & ſulcatos occatosue nouo ſemine opplebant. Proſtant & exempla proſtratorum a grandine culmorum, & in lætam reſurgentium meſſem.

II. *Pro-*

II. *Proximo anno* (comedes) *quæ ſponte naſcentur. Im andern Jahr werdet ihr eſſen, was wiederum von ſich ſelbſt wachſen wird.* In originali legas סָחִישׁ *ſachiſch*, apud Jeſaiam mutatis literis שָׁחִים *ſchachis*. LXX. habent τὰ ἀνατέλλοντα, *Ariæmontanus repullulans*. Excitat ſecundus hic ab obſidione annus tantò majorem ſui admirationem, quia in eo ſementis nulla facta & diues tamen meſſis Judæis obtigit, iis cumprimis in locis, quæ anno nupero perpeſſa ſunt grauem exercitus Sennacheribiani inundationem. Res ita eſt concipienda. Omne illud frumentum, quod milites, horumue equi & jumenta, proculcarunt, conculcarunt, & nulla parſimonia obſeruata perditè projecerunt, regerminauerat non ſolùm hoc anno, ſed uberiores tantò protulerat fructus, quia terra ab urina, excrementisue tum hominum tum pecorum fuit impinguata, ut dubium haud ſit, culmos fuiſſe fortiores, & ſpicas perfectas magis quam aliis vulgaribus annis. Id quoque aſſerere auſim, ſuccreuiſſe media inter frumenta natiua exotica quoque, ab Aſſyriis terræ Judaicæ, ut exercitus prouideri debent, illata; nec uno duntaxat nomine dici poſſunt Aſſyrii pro Judæis terræ condidiſſe nutritia ſemina. Ne quis autem miretur, ſuccreuiſſe denuò frumentum pedibus proculcatum. Proſtant exempla innumera tritici a ventis, aquis, auibus aliorſum transportati, cum excrementis jumentorum projecti, pedibus inſuper conculcati, quod ſuccreuit ibi, ubi alias nulla fieri ſolet ſementis: adde, vix eſſe vel ſemen vel fructum, qui tot aduerſa poſſit ſuſtinere fata, & durare tamdiu, quamdiu triticum, quo nomine nunc omnis generis intelligo frumenta. Confirmandæ huic veritati inſeruit iterum quod A. 1694. experta eſt Sueuia, præſertim in ſeptentrionaliori Ducatus Wirtembergici tractu, ubi anno proximè præcedenti 1693. caſtra ſua ſunt metati integri exercitus, & prodiga fuit frumenti conſumtio & proculcatio facta. Heic nemo vel minimum ſperaſſet frugum agri prouentum: ſed verſus anni modò citati finem ſummo & gaudio & ſtupore videbant ad incitas redacti coloni copioſam ubique progerminantem ſegetem, non in agris duntaxat coli aliàs ſolitis, nunc per belli injurias incultis, ſed & pratis, collibus, ſyluis, hortis, areis, circumuallationum lineis, quæ ſequenti anno 1694. abundam dedit incolis meſſem. Phænomenon hoc deſcripſit in rei mirandæ memoriam amplè Academiæ Naturæ Curioſorum Ephemeridibus *Joh. Matthias Faber*, titulo: *De comedente cibus. Deuaſtatio militaris exitioſa, diuinitus compenſata meſſe ſine ſaturâ miraculoſa.* Et legi omnino in hanc rem meretur Diſp. *Joh. Caſpari Mezger* ſub Cl. D. *Rodolfo Jacobo Camerario de Frumenti Semente & Meſſe*. Tubingæ. 1695. Obſeruat inſuper ad rem præſentem *Clericus* & Commentatores alii, fuiſſe hunc ſecundum Annum Sabbathicum, quo ex præſcripto legis nullum ſemen terra potuerit condi, admirandam proin magis & celebrandam DEI pro populo ſuo prouidentiſſimam curam, qui feriari poterat Anno ſancto, & tamen annonæ gaudere copia.

III. Annus tertius nihil inuoluit difficultatis, quo ad naturæ ordinarium curſum rediere omnia. *Tertio anno ſementem facietis & metetis, vineas quoque plantabitis, & fructum earum edetis.*

2. Reg. Cap. XX. verſ. 7.

Et ait Jeſaias: Accipite maſſam ficuum: quam captam poſuerunt ſuper ulcus, & conualuit.

Dixitque Eſaias: Afferte maſſam ficorum. Quam cum attuliſſent, & poſuiſſent ſuper hulcus ejus, curatus eſt.

Jeſ. Cap. XXXVIII. verſ. 21.

Et ait Jeſaias: Accipiant maſſam ficuum, & conficiant Emplaſtrum ſuper ulcus, & conualeſcet.

Et juſſit Eſaias, ut tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur.

De Ezechiæ Regis morbo & cura non eſt omnibus eadem mens: v. 1. *lethaliter ægrotaſſe* legitur, & Jeſaias nomine DOMINI migrationem promptam ex hac vita Regi annuntiaſſe. *Manda domui tuæ, morieris enim, & non viues.* Sed poſtea prolongationem vitæ ad tria usque luſtra promiſiſſe precum ardentiſſimarum ſuccedaneam & reconualeſcentiam citam. v. 5. 6. *Sic dicit DOMINUS, DEUS David patris tui. Exaudiui precationem tuam, vidi lachrymas tuas, ecce ego te ſanabo, ut tertio die aſcenſurus ſis in ædem*

dem DOMINI. Addam ad dies tuos quindecim annos. Morbus ipſe in Textu vocatur שְׁחִין *ſchebin*, Latina noſtra habet *ulcus*, Vernacula *Drüſen.* Admittit utraque facilem conciliationem, ſi dixeris, ulcus ſiue apoſtema fuiſſe in quadam glandula, ſiue glandulosa parte. *Ulceri* reſpondet τῶν LXX. ἕλκος. *Clericus* heic & Exod. IX. 9. habet *inflammationem. Petrus* Hiſpanus, qui poſtea claruit nomine *Johannis* XXI. in *Theſaur. Pauper.* c. 26. *Pleuritidem. Bartholino* in *Morb. Biblic.* p. 56. placet *angina*, quæ inflammatio eſt faucium & muſculorum vel pharyngis, vel laryngis: aliis *bubo peſtilentialis.* Quicquid horum ſit, ut morbum hunc non quà Medicus deſcribit Scriptor ſacer in omnibus ſuis circumſtantiis, & ne partem quidem affectam, id ex Hiſtoria conſtat, fuiſſe lethalem, & ex acutorum vel peracutorum morborum genere, qui intra triduum enecant, ut ſanè eſt peſtis, vel & angina. Id inſuper conjicere licet, fuiſſe curam miraculoſam: fuiſſe equidem ficus impoſitos morbo remedio, ſed inſufficienti, ni acceſſiſſet auxilium DEI ἀπὸ μηχανῆς, ἐνέργεια τῦ κράτυς τῆς ἰχύος τῦ ΘΕΟΥ Eph. I. 19. Conſiſtunt inflammationes qualeſcunque in extenſione dolorifica fibrarum ex impedito ſanguinis per extremas arteriolas circulo, quæ ſanè mitigari poteſt, & vel diſſipari, vel maturari per emollientia & laxantia quæuis, per conſequens & ficus. Ita *Diemerbroek* in Neomagenſi peſte optimo ſucceſſu bubonibus applicauit ficus tuſos cum butyro & theriaca. *De Peſte* L. III. c. 12. *Dioſcorides* L. I. c. 184. commendat ad diſcutiendas durities, emolliendas parotidas & furunculos, panos ad maturationem perducendos. Καταπλαττόμενα δὲ ἑφθὰ λεῖα διαφορεῖ σκληρίας, παρωτίδας, δοθιῆνας μαλάσσει, φύγεθλα πεπαίνει. *Celſus* L. V. c. 12. & *Lev. Lemnius Herb. Bibl.* c. 19. ad maturandos abſceſſus. *Aetius* Tr. I. *ſerm.* 3. c. 179. Cataplasmata ſuadet ex ficubus coctis cum farina hordeacea vel triticea. Speciale Κριτήριον curæ miraculoſæ dat adeò cita reconualeſcentia, ut *tertio* à lethali decubitu *die aſcendere* licuerit Regi *in Ædem DOMINI.* v. 5. 8. Notum, ex tam graui morbo vires fractas non redire ſtatim, ſed ſenſim veluti ſine ſenſu accreſcere.

TAB. CCCCXCIV.

2. Reg. Cap. XX. verſ. 8 - 11.

8. Dixit autem Ezechias ad Jeſaiam: Quodnam ſignum erit, quod DOMINUS ſanaturus ſit me? & quod ſim tertio die adſcenſurus in Ædem DOMINI?

9. Reſpondit Jeſaias: Hoc erit tibi ſignum à DOMINO, quod facturus ſit rem iſtam DOMINUS, quam promiſit. Visne ut umbra decem gradibus progrediatur, an ut decem gradibus retrogrediatur?

10. Reſpondit Ezechias: Facile ſit, ut declinet umbra decem gradibus, at non ut retrocedat decem gradibus.

11. Clamauit itaque Jeſaias Propheta ad DOMINUM, & retraxit umbram per gradus, quibus deſcenderat in hora Achas retrò decem gradibus.

8. Dixerat autem Ezechias ad Eſaiam: Quod erit ſignum, quia DOMINUS me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum DOMINI?

9. Cui ait Eſaias: Hoc erit ſignum à DOMINO, quod facturus ſit DOMINUS ſermonem, quem locutus eſt: vis, ut aſcendat umbra decem lineis, an ut reuertatur totidem gradibus?

10. Et ait Ezechias: Facile eſt umbram creſcere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, ſed ut reuertatur retrorſum decem gradibus.

11. Inuocauit itaque Eſaias Propheta DOMINUM, & reduxit umbram per lineas, quibus jam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus.

II. REG. Cap. XX. v. 8-11.
Sciatericum Achaz.

II. Buch der Kön. Cap. XX. v. 8-11.
Die Sonnen-Uhr Ahas.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

EST hoc unum ex rariſſimis ſimul & attentione omni digniſſimis naturæ patientis Phœnomenis, illuſtrandum ex θαυματο-φιλοσοφίᾳ, Aſtronomiæ in ſpecie & Gnomonicæ principiis. Præmittam autem ante Loca parallela, quàm ad tractationem me accinxero ſpecialem. Jeſ. XXXVIII. 8. *Ecce ego reducam umbram graduum, quibus deſcendit in hora Achas cum Sole, retrorſum decem gradibus. Reuerſus eſt ergo Sol decem gradibus, quibus gradibus ſcilicet deſcenderat. (Ecce ego reuerti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt Sol decem lineis, per gradus quos deſcenderat.)* Eccleſiaſtic. XLVIII. 26. *Temporibus* (Ezechiæ) *retrò ceſſit Sol, vitamque Regis ampliauit. (In diebus ipſius retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam.)* Ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτȣ͂ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος, καὶ προσέθηκε ζωὴν βασιλεῖ. *Joſephus Ant.* L. X. c. 2. ἐρωτήσαντος δ᾽ αὐτὸν, τὶ βȣ́λεται σημεῖον γενέσθαι, τὸν ἥλιον ἠξίωσεν, ἐπεὶ σκιὰν ἐπὶ δέκα βαθμȣ̀ς ἀποκλίνας ἤδη πεποίηκεν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀναςρέψαι τόπον ποιήσας, αὐτὴν πάλιν παραχεῖν. *Is autem* (Ezechias) *à vate interrogatus, quodnam vellet fieri ſignum, ſolem petiit, quoniam in deſcenſu umbram ad decimum gradum in ædibus jam projici fecerat, poſtquam in eundem locum redire feciſſet, eam iterum exhiberet.* Sunt qui & huc referunt locum, qui extat apud *Herodotum* in *Euterpe* L. II. c. 142. ubi deſcripta Sennacheribi fuga ita. ἐν μυρίοισι τε ἔτεσι καὶ χιλίοισι καὶ τριηκοσίῃσί τε καὶ τεσσαράκοντα τετράκις ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι. ἔνθα τε νῦν καταδύεται, ἐντεῦθεν δὶς δ᾽ ἐπαντεῖλαι, καὶ ἔνθεν νῦν ἀντέλλει, ἐνθαῦτα δὶς καταβῆναι. *Intra decem millia trecentoſque & quadraginta annos quater Solem præter conſuetudinem fuiſſe ortum, bis quidem illinc exortum, ubi nunc occidit: bis autem unde nunc oritur, illic occidiſſe.*

Contemplationi huic noſtræ ſubjiciemus præſertim bina hæc puncta 1. Sciatericum Ahaz, 2. miraculoſam umbræ in hoc ipſo ſolari horologio reductionem.

1. Sciatericum ipſum in Textu nuncupatur מַעֲלוֹת אָחָז *maaloth Achaz, gradus vel aſcenſiones Achaz*, in vernacula noſtra *die Staflen Ahas.* Vulgata habet *lineas, horologium* & *gradus*, LXX. βαθμȣ̀ς & ἀναβαθμȣ̀ς, *Junius* & *Tremellius Solarium, Pagninus cochleam, Vatablus* & *Alph. Toſtatus horologium.* Quibus vocabulis omnibus intelligitur Sciatericum in ſuas lineas, gradus, ſiue horas diuiſum, quod ad parietes palatii ſui Regii fieri curauit Achaz, Ezechiæ genitor. An autem Sciatericum hocce delineatum fuerit in tabula marmorea, quod volunt *Salmaſius Exercit. Plin.* p. 657. & Paraphraſtes Chaldæus: vel ænea lamina, & ex iis quidem, quas Achaz auferri juſſit de altari holocauſtorum, quod placet R. *Chomer* & *Abulenſi*, determinare nolo, neque definire cum *Kirchero Oedip. Ægypt.* T. II. c. 1. p. 227. fuiſſe marmor politum, vel Ebur cum *Mariana* in h. l. ut fuit Thronus ipſe Regius eburneus.

De forma ſiue ſtructura hujus Sciaterici Achaſiani variant admodùm Commentatores. *Jac. Vſſerius Annal. Vet. Teſt.* p. 101. & *Relandus Not. ad Joſephum* in ea ſunt, diuerſa ab aliis plerisque Interpretibus, ſententia, intelligi debere מַעֲלוֹת in ſenſu literali & naturali per *gradus ſcalæ*: probari namque non poſſe, quod Judæi diem diuiſerint in ſuas certas horas ante Captiuitatem Babylonicam: poſteriorem hoc noſtro Ezechiæ tempore eſſe horologiorum ſolarium inuentionem, quæ Anaximandro tribuatur vel Anaximeni. His autem, pro defendendo Sciaterico Achaſiano, regeri poteſt, Hebræorum æquè מַעֲלוֹת atque Græcorum βαθμȣ̀ς, ἀναβαθμȣ̀ς, imo, ſi addere velis, καταβαθμȣ̀ς, emphaticè ſatis exprimere lineas horarias, utpote quas delineat Solis aſcenſus atque deſcenſus, ſtylique umbra: probabile proin, citius habuiſſe Hebræos à Babyloniis & Ægyptiis inuentum & uſum Sciatericorum atque Græcos, qui *Herodoto* teſte horologia hæc acceperint à Babyloniis. Imo verò eſt Sciatericorum inuentum tale, quod ab Hebræis æquè poterat proficiſci atque à Babyloniis, dictaminis naturæ ſequax, ad quod manu veluti ducere poterat ſtylus quiuis in campo erectus, arbor quæuis, domus quæuis. Neque dubium eſt, diſtinxiſſe veteres quoque Judæos diem in certas partes: dodecatemoria ſanè haud ſemel in Danielis Prophetia obuia indicio eſt ſatis euidenti, fuiſſe Judæis familiarem. *Plinius* quidem atque *Laërtius* Sciatericorum inuentum tribuunt Græcis, ſed Babyloniis, quod ſupra jam innui, *Herodotus* Scriptor longè antiquior. Ita enim is L. II. c. 109. πόλον καὶ γνώμονας καὶ τὰ δυόδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. Circa quem locum diſceptant Critici, num per δυόδεκα μέρεα intelligi debeant horæ æquinoctiales ſiue æquales, vel inæquales, quæ controuerſia quidem ad rem præſentem nihil facit. Placet mihi, quia conciliatrix eſt, *Schickardi* & *Marianæ* ſententia, fuiſſe reuera Sciatericum hoc Ahaſi Throni - vel Scalæforme, ut ſex, quibus conſtiterat, gradus totidem denotauerint horas, & umbra per hos gradus aſcenderit deſcenderitque. Fabricam hujus Solarii qui noſſe cupit præciſam, ei adeundi ſunt Rabbini, referuatâ nempe libertate credendi id, quod per traditiones habent à patribus, vel fidem iis derogandi. *Gaffarellus* in *Curioſit. inaudit.* p. 189. ex R. *Chomer* ita rem concipit, fuiſſe *lapidem ſiue æneam laminam in modum Lunæ dimidiatæ flexam, cujus cauitati inſertus fuerit globus ejuſdem metalli cum inſcriptis ei horis. Hunc globum circumdatum fuiſſe circulo duorum digitorum altitudine, 28. locis perforato, ut & ex umbra Lunæ nocturnæ horæ dignoſci potuerint*: Verbo, fuiſſe horologium ſimile hemicyclicis ſeu ſcapheis, quibus & uſi fuere Romani veteres. R. *Abarbanel Comm. in Jeſai.* fingit circulum magnum

in 12. partes inæquales diuiſum, in cujus centro fuerit Gnomon. R. *Selomoni* apud *Schikardum* placet horologium auſtrale verticale. Subſcribunt *Kircherus*, *Brenzius*, *Burgenſis*, *Corn. à Lapide*. Aliis Sciatericum horizontale, quod jam erat ante ipſas Regii cubiculi feneſtras. Variant porrò opiniones circa diuiſionem hujus Sciaterici. An, quod *Menochius Rep. Hebr.* p. 643. vult, gradus illi in Scriptura memorati fuerunt ſemihoræ, vel partes adhuc minores? Nititur hæc ſententia longitudine diei etiam maxima, quæ in illo Climate ultra 16. horas ſe non extendit, ſed ad 20. usque ſeſe extendere deberet, ſi gradus aſcenſus fuerint 10. & deſcenſus totidem, ſingulique deſignauiſſent horas integras. Nam optio data fuit Regi ſeligendi, *an umbra decem gradibus progrediatur, vel ut decem gradibus retrogrediatur?* Quapropter *Menochio* ſubſcribunt Interpretes magno numero, & placet *Piſcatori* diſtributio in 24. partes, quia conſtat ex Joh. II. 9. diuiſiſſe Judæos diem in partes duodecim. Aſt integras horas dimidiatis præferunt *Dionyſius Epiſt.* 7. *ad Polycarpum*, *Beda*, *Eucherius*, *Rob. Baillius Chronol. Hiſt.* p. 84. & aduerſariorum ſcrupulum ita ſoluunt, non equidem eo tempore, quo Regem adloquutus eſt Propheta, & Sol decem jam tranſierat lineas, ſuperſtites fuiſſe 10. alias, quas Sol umbrâ Gnomonis notare potuiſſet in naturali ſuo progreſſu, ſed vel ſignum miraculoſum differri potuiſſe in craſtinum, vel reponi umbram in linearum principium, & ſic lineas decem percurrere breui, vel, habuiſſe horologium hoc non ſolùm horas ſuas 12. diurnas, ſed & alias 12. nocturnas, ut pertranſire potuerit umbra non binas duntaxat reſiduas ex diurnis, ſed 8. inſuper ex nocturnis. Verum hæc omnia meris nituntur conjecturis, quibus inſiſtendum utique tam diu, usque dum clarius quid & euidentius protulerit ſequior ætas.

De uſu hujus Solarii Achaſiani ſingularem fouet ſententiam celebris *Salmaſius*, non inſeruiiſſe illud ad horas diei indicandas, ſed erectum fuiſſe raritatis vel curioſitatis ergo ad Regii Palatii murum: quam ſententiam porrò eo usque extendit *Gregorius Michaelis not. ad Gaffarell.* p. 320. adhibitum fuiſſe hoc à Babyloniis atque Ægyptiis mutuò petitum inuentum ad Genethliacos & Aſtrologicos uſus. Verùm ſunt & hæ conjecturæ infirmo valde fulcro nixæ: Machinas ſuas Aſtrologicas, futurorum prænuntias, non exponere ſolebant Nationes illæ ſuperſtitioſæ in locis publicis, ſed potius inter κειμήλια recondere Aſtrologis lucroſa. Neque vero eſt ſimile, toleraſſe pientiſſimum Regem inſtrumenta idololatricis dicata uſibus; multò minus præſumere licet, quòd DEUS miraculo adeò magnifico, quale hoc fuit, dignatus fuerit machinam ex lege ſua potius abolendam, & damnandam igni. Redit proin recepta hactenus & verior ſententia huc, inſeruiiſſe Sciatericum hoc non meræ curioſitati, multò minus Aſtrologicis prædictionibus lege vetitis, ſed horis indicandis & diſtinguendis, tum Regi, tum aulicis, ad munera varia obeunda.

Ad miraculum ipſum in Achaſi Sciaterico patratum ſi pergimus, offendimus rurſus Scripturæ Interpretes in diuerſa euntes, imo magnas hinc inde Phalanges. Pertendunt R. *Abarbanel*, R. *Leui Ben Gerſon* in h. l. *Burgenſis* apud *Sanctium*, *Arias Montanus*, *Vatablus*, *Grotius*, *Bochartus in Canaan*, *Peirerius in Syſtemate Theologico*, *Guerike nov. Experim. Magdeb.* p. 15. *Clericus Comm. Wilkins*, & perplures alii, miraculum non fuiſſe factum in Sole ipſo, ſed duntaxat in horologii Achaſiani umbra. Audiamus rationes. 1. Fuit ſignum hoc datum ſoli Regi Ezechiæ, non uniuerſo mundo. DOMINUS *ei* (Ezechiæ) *dedit prodigium* 2. Paral. XXXII. 24. 2. Ingens fuiſſet orta confuſio in toto Planetarum Fixarumque cœlo, in Tabularum Aſtronomicarum præjudicium, quæ debuiſſent occaſione hujus Phœnomeni immutari. Quod ſi enim in Ptolemaico Syſtemate Sol retrogreſſus fuit in Ecliptica, & per 10. quidem lineas ſiue horas, regredi is debuit per 150. gradus, ſiue Zodiaci integra 5. ſigna, ſicque transferri terra ex media hyeme in mediam æſtatem, & retracto ipſo primo mobili talis contigiſſet mutatio, quæ neceſſariò obſeruari debuiſſet in toto orbe, & Aſtronomiæ haud leuem intuliſſet mutationem. Tantis equidem difficultatibus haud premuntur Copernicani, qui Solem duntaxat in contrarias partes gyrant, ab ortu nempe ad occaſum, & cum Sole Planeticum Syſtema. Confuſionem quod attinet Ephemeridum & Tabularum Aſtronomicarum, pertinent huc obſeruationes factæ occaſione Solſtitii Joſuæ, quod non duntaxat per 10. durauit horas, ſed integrum diem. 3. Non plura legitur petiiſſe Rex, quàm *ut umbra retrocedat decem gradibus*, ſui proin voti compos fuit factus, patrato in umbra ſola miraculo, imo in umbra ſolius Sciaterici Achaziani: DEUM, dicunt, non multiplicare miracula abſque neceſſitate, & cauſa prægnanti. 4. Contigit hoc miraculum *in terra*, 2. Paralip. XXXII. 31. ſcilicet Judaica, per conſequens non in orbe uniuerſo. Habent, quod regerant ad hactenus allata argumenta, aduerſarii, & ad hoc ultimum, valere idem in Joſuæ ſolſtitio (ut reuera arripiunt, de quibus nunc,) utpote quo Sol ſtetit in Gabaon, & Luna in Valle Ajalon. 5. Expreſſis memorari verbis 2. Paralip. XXXII. 31. *Principes Babylonis miſiſſe ad Ezechiam oratores interrogatum de portento, quod fuerat in terra,* qua Legatione ſuperſedere potuiſſent facile, ſi idem obſeruatum fuiſſet Phænomenon in urbe Babel. Aſt inuertunt hoc ipſum argumentum aduerſarii, & dicunt, ob hoc ipſum, quia Aſtronomi Babylonii prodigium hoc obſeruarint, & percrebuerit

buerit rumor, factum id fuiſſe occaſione lethalis Ezechiæ morbi, oratores fuiſſe miſſos Hieroſolymam, ut inquirerent in ipſius facti veritatem & circumſtantias. 6. Notatu utique eſt dignum, nullam prorſus tanti prodigii fieri mentionem apud Scriptores vetuſtiſſimos, *Heſiodum*, *Archilochum*, *Simonidem*, *Homerum*, *Herodotum*, (nam locus ex eo ſupra allegatus huc non quadrat) nullam in Annalibus Sinenſium, quorum initium ad annos 2700. ante CHRISTUM natum aſcendit, *Martinio* teſte; nullam inter ipſas Babyloniorum Obſeruationes Aſtronomicas, quæ ad annos 1903. ante Alexandri M. expeditionem aſſurgant, *Porphyrio* apud *Simplicium* in L. 2. Ariſtot. de cœlo authore. 7. Vult *Guerike*, ex aduerſariorum ſententia diem hunc triplo fuiſſe longiorem ordinario: decem nempe horis, quas jam decurrerat, addi debere 10. retrogreſſus, & decem noui progreſſus ad priſtinum locum, quod triplum τῶν δέκα det 30. horas, & conciliari vix queat cum Joſ. X. 14. *Nec fuit talis dies ante illum, nec poſt illum.* Verùm oſtenſum, ſi benè memini, diem illum ſolſtitialem Joſuæ longiorem fuiſſe hoc Ezechiæ.

In oppoſita nunc phalange ſtant viri non minus pietate inſignes, quàm eruditione & authoritate graues, *Auguſtinus de mirabil. Script.* L. II. c. 48. *Theodoretus* in Pſ. XXIX. *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Procopius*, *Lyra*, *Uſſerius Annal. V. T. Bailius*, *Polus* & multi alii, quos enumerare nimis longum foret. Volunt hi, retroceſſiſſe Solem ipſum, & cum eo Vorticem Planeticum integrum. Argumenta, quibus hi pugnant, ſunt: 1. In Textu quidem noſtro legitur, DOMINUM *retraxiſſe umbram per gradus, quibus deſcenderat in hora Achas retrò*, ſed Jeſaiæ XXXVIII. 8. *reuerſum eſſe Solem decem gradibus*: à literali autem ſenſu non facile eſſe recedendum. Sed negant aduerſarii conſequentiam. Et miraculum haud diffitentes dicunt, ſenſum literalem eſſe duplicem, uno in loco applicari umbræ, altero Soli: per Solem autem intelligi & ſumi poſſe effectum pro cauſa, umbram, lumen, ut Jonæ IV. 8. *Sol dicitur feriiſſe caput* Jonæ, id eſt, radii Solis: De Sole enim ipſo nemo ſanæ mentis locum hunc intellexerit. 2. Umbra in horologio moueri nequit abſque Sole: quod equidem haud negant aduerſarii, ſed pertendunt, potuiſſe radios ſolares ita in aere refringi, ut umbræ incidentia in certas lineas reſponderit Ezechiæ voto. 3. Dat hæc ipſa inſtantia nouum pro Sole, tanquam cauſa prodigii, argumentum, haud conſentientibus aduerſariis. 4. Auxilio veniunt, quibus ſupra quoque uſi fuere aduerſarii, ipſi Babyloniorum Legati, de cauſa occaſionali tanti prodigii inquiſituri.

Modeſta ſi abs me deſideretur ἐπίκρισις, ut ſunt, qui etiam in re difficillima, imo aliquando inſolubili, affirmatiuam vel negatiuam petunt, urgent, & ſæpe extorquent: dico, id ante omnia placere, quòd neutra digladiantium partium alteram vel odio habeat, vel hæreſeos nota ſignet, ſed una alteram toleret; ſecundò id, quòd utraque haud inficias eat, contigiſſe miraculum. Hoc nunc, quia à DEO omnipotenti innumeris potuit patrari modis, determinare, quo præciſè factum fuerit, à Philoſopho peti haud poſſe ſum perſuaſus. Quodſi tandem nulla partium neutralitas ex condicto locum habeat, ſtarem ego potius pro parte poſteriori.

Superſunt ζητέμενα nonnulla, quæ breuibus expediam, quia vix ſolui poſſunt ob Datorum defectum, vel prorſus ſunt ἀδιάλυτα. De umbræ retrogreſſu ſtatuit R. *Kimchi* apud *Vatablum*, factum fuiſſe momento, ſed nouum Solis progreſſum longiorem popoſciſſe moram. *Hieronymus* è contra, tardum fuiſſe umbræ retrogreſſum, ſed momentaneam reſtitutionem in priſtinum locum. *Bertramus*, *Guerike*, alii ſucceſſiuam, & naturali ſimilem, tum retrogradationem, tum progreſſum. De his, Scriptura ſilente, nîl definiri poteſt, ut nec de horarum, quibus vel Sol vel umbra fuerit retrogreſſa, præciſo numero, quotue hic extraordinarius dies longior fuerit naturali. De quo rurſum diuerſa ſentiunt varii. Quodſi per gradus intelligas horas, dixeris fuiſſe hunc diem horarum 32. Decem namque jam pertranſierat Sol ſiue umbra, decem ſtatues pro retrogreſſu, decem pro reditu ad priſtinum ſitum, quibus addi debent duæ reliquæ. Ita rem explicant *Dionyſius Epiſt. ad Polycarpum*, *Glycas* ex ſententia *Hippolyti* 2. *Part. Annal.* vultque *Maximus*, *Dionyſii Areopagitæ* commentator, Solem à triplicitate hujus ipſius diei Perſis dictum fuiſſe τριπλάσιον, *triplicem*, & cultum. *Dionyſ.* T. II. 417. Quam *Maximi* ſententiam caſtigat *Voſſius de Orig. & Progr. Idololatr.* L. II. c. 9. Quibus cum *Bertramo* placent pro gradibus ſemihoræ, iis dies hic 10. horis duntaxat ſuperat ordinarium. Hanc hypotheſin adoptant *Kircherus*, *Junius* & *Tremellius*, diem proin hunc miraculoſum faciunt 22. horarum. Ita quiuis hypotheſes cudit pro ſuo ingenio.

Noſtri officii ſimul & uſus eſt, ex miraculo hocce agnoſcere & deuotâ mente celebrare DEI Ter Optimi Ter Maximi Potentiam. Miraculum adfuiſſe negauerit nemo, ſiue nunc id factum fuerit in umbra duntaxat horologii Achaziani, ſiue in Sole ipſo. Conſtat umbræ natura & ratio, quod ex primis Opticæ Elementis conſtat, in eo, quòd projiciatur ex oppoſito corporis lucidi, & motum ſequatur ipſius corporis vel lucidi vel opaci. Corpore proin lucido quieſcente, & opaco quoque immoto manente, projectio umbræ manebit eadem, & in eadem ſemper linea: quieſcente utroque, ſi umbra moueatur, dextrorſum, ſiniſtrorſum, antrorſum, retrorſum, Phænomenon continget omnibus naturæ viribus ſuperius, id eſt, miraculum: quod idem, & iisdem τε παντοκρά-

τωρος

τωρος patratur viribus, ſi, ex Ptolemæi Syſtemate, Sol in motu ſuo diurno moueatur verſus Ortum ab Occaſu, vel, ex Copernici mente, terra in gyratione ſua centrali ab Ortu verſus Occaſum. Scire aues modum, quo hujusmodi patrentur miracula, docebit te Diuus *Chryſoſtomus* in *Pſalm.* CXXXVIII. *Annon vidiſti & fornacem ardentem, & rorem ſibilantem, & neque illum extingui, nec hunc exiccari, & grandinem ſimul & flammam? Undenam ergo, dic mihi, hoc factum eſt? quomodo autem factum eſt, volo ſcire. Imo verò nec volo ſcire modum, neque enim poteſt fieri, ſed factum credo. Eum autem, qui fecit, adoro. Plurima enim ejus facta occulta ſunt & arcana — Naturæ rerum ſemper eſt DOMINUS, qui fecit naturam, non ut producat, quæ non ſunt, ſed ut mutet.* Hæc tamen ignorantia docta non impedit, quò minus Philoſopho liceat dicere, potuiſſe hoc miraculum fieri hoc illoue modo, ſuſpenſis his illisue naturæ legibus, ſalua ſemper liberrima DEI voluntate, & ſapientiſſima, quæ infinitis agere poteſt modis, omnipotentia. Id reticendum non eſt, quod *Varenius* docet *Geograph. Gener.* L. II. c. 27. *Prop.* 13. *In locis Zonæ torridæ, dum Sol verſatur in arcu eclipticæ inter tropicum vicinum & loci parallelum intercepto, illis diebus umbram ſtyli erecti bis regredi & relictas lineas repetere, ſemel nempe ante meridiem, ſemel poſt meridiem, ut ipſe Sol hiſce diebus curſum ſuum inflectere videatur.* Imo *poſſe Prop.* 25. *planum eleuari ſupra Horizontem noſtri loci, atque in eo plano Sciatericum conſtrui, in quo umbræ horarum regredi videantur, ſicut in locis Zonæ torridæ*, ſi nimirum planum ita conſtituatur ſupra noſtrum Horizontem, ut polus eleuatus ſit ſupra illud gradibus decem. Videatur quoque *Petrus Nonius* Salacienſis L. II. *de arte ac ratione nauigandi* c. II. *Clauius de Fabrica & Uſu Inſtrumenti ad Horologior. deſcript.* c. 21. *Daniel Schwenter Orat. de opticæ laudibus*, ubi memorat *Georgium Hartmannum*, Mechanicum inſignem Norimbergenſem, qui *Sciatericum* confecerit, *Achazianum* dictum, in quo umbra præciſè 10. gradibus fuerit regreſſa. Abſit tamen, ut hæc cuiquam inſeruiant ad diminuendam vel miraculi, quod tempore Ezechiæ contigit, famam, vel DEI Gloriam; Non fuit horologium Achazi in Zonæ torridæ dictis locis; neque ante nec poſt in ipſo illo contigit, quod hac die: & in ipſis illis Zonæ torridæ locis miraculum foret, ſi fieret in aliis lineis, quàm quas naturæ curſus deſignat; ſi ſtylus non foret perpendicularis, ſed axi mundano parallelus.

Legi interim meretur, præter innumeros Commentatores, *Joh. Andreæ Schmidii Sciatericum Achas & in eo miraculum.* Jen. 1691. *Bernh. Petri Karlii Diatribe de Miraculo Solis vel umbræ decem lineis per gradus, quos jam deſcenderat in Sciaterico Ahaſi, retrogreſſi, quo Ezechiæ lethaliter decumbenti promiſſa ſanitatis reſtitutio, vitæque in annos 15. prorogatio confirmata legitur 2. Reg. XX. 2. 2. Paral XXXII. & Eſ. XXXVIII.* in *Biblioth. Bremenſ. Claſs.* IV. p. 635. quo Scriptor doctiſſimus argumentis ſolidiſſimis refutat Anonymi ſententiam, quæ מעלות gradus, pro Solis vel umbræ progreſſione & retrogreſſione notatos, non explicat per gradus lineasue Solarii Achaſiani, ſed de gradibus è domo Regia Zionis ad vicinum Templum Moriæ ducentibus accipiendos vult, &, prodigium nonniſi prodigioſam Regis intra tam breve tempus reſtitutionem fuiſſe: eò duntaxat redire Prophetæ promiſſionem, quod Rex die ſequenti, redeunte umbra in eundem hunc locum, circa idem hoc diei tempus, futurus ſit adhuc ſuperſtes, & certus exinde reddendus, ſe & tertio die ſaluum ſuperfuturum. Diem proin fuiſſe ordinarium, umbram ordinariam, in his nihil noui, nihil ſingulare. Res miras fuiſſe, præſagium Prophetæ, euentum exactum; ſeruatam ex tam graui morbo, peſtilentiali ulcere, vitam, reſtitutam tertio die valetudinem. Prodigii nihil in Sole, nihil in umbra Solis, nihil in ambulacro aut gradibus. Argumenta, quibus refellitur hæc opinio, & refelli poteſt facile ex filo hiſtoriæ, & Textu ſacro, ſupra jam ſunt expoſita, ut fuſiori eorundem explanatione ſuperſedere facile queam.

Coronidis loco memoro Phænomenon ſatis ſingulare, obſeruatum à *Romualdo*, Cœnobii cujusdam Mediomatricenſis Priore, qui d. 7. Jun. A. 1703. præſentibus *Luciano* & *Alexio* monachis, vidit in ipſa meridie umbram in horologio ſolari verſus ortum declinante à linea meridiana retrogradi usque ad horam $10\frac{1}{2}$. ac deinde rurſum ſenſim ſenſimque progredi ad horam 12. Refert id *Parent* dans ſes *Recherches Math. & Phyſiq.* p. 256. & Cl. *Thümmig. de Phænomeno ſingulari Solis cœlo ſereno palleſcentis* p. 19. tribuens id refractioni ſenſim ſenſimque auctæ, ob Atmoſphæram denſiorem redditam per inſpiſſationem, interſtitiolis ejus moleculis heterogeneis, iisque craſſioribus refertis.

Quod Phænomenon merè naturale miraculoſæ noſtræ retrogradationi nil derogat.

RPJCB



II. REG. Cap. XXIII. v. 5.
Δωδεκατεμοριολατρεια deleta.

II. Buch der Kön. Cap. XXIII. v. 5.
Der zerſtörte Stern- und Zeichen-Dienſt.

I. G. Pintz sculp.

TAB. CCCCXCV.

2. Reg. Cap. XXIII. verſ. 5.

Aboleuit quoque Kamurim, quos fundauerant Reges Juda, ut Thura incenderent in excelſis & ciuitatibus Juda, circumeuntes Jeruſalem: ſimulque eos, qui adolebant ipſi Baal, Soli, Lunæ, Influentiis, & omni militiæ Cœli.

Et deleuit aruſpices, quos poſuerant Reges Juda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Juda, & in circuitu Jeruſalem: & eos, qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cœli.

Scopi mei non eſt, nec temporis foret, integram texere βααλογραφίαν; voluminis res foret, non ſemiplagulæ, quandoquidem *Baal* Phœniciorum, *Bel* Chaldæorum, ζεὺς Græcorum, *Jupiter* Latinorum pro ſynonymis habentur plurimorum Deorum Gentilium in Oriente cultorum, ut ſub generali hoc Baalis titulo collocentur *Meleg*, *Adramelech*, *Moloch*, *Milcom*, *Camos*, *Gad*, *Dagon*, *Adad*, *Aſteroth*, & fortè alii, de quibus legantur Scriptores de origine & progreſſu idololatriæ ac ſuperſtitionum. Terminabit ſe præſens hæc Commentatiuncula mea intra limites *Solis*, *Lunæ*, *Influentiarum*, *& omnis militiæ Cœli.* Corporum horum totalium magnitudo, fulgor, pulchritudo, regulariſſimus motus, & nunquam ſatis deprædicandi uſus ab omni æuo ita illuxere mortalium oculis, ut pro Diis habita fuerint & culta. Veneramur nempe id, quod ſenſus noſtros afficit, qui glaucomate veluti tecti obumbrant ideas, quas formare deberet mens de illorundem corporum opifice ſummo. Extat in Textu noſtro vox מַזָּלוֹת *mazzaloth*, ſed non eodem accipitur ſenſu ab Interpretibus. LXX. habent Μαζουρὼθ, Complutenſis Μαζαλὼθ, planè ut originalis Textus Hebræus: Vulgata *duodecim ſigna*, hinc & noſtra vernacula *Zeichen*, Latina verò cum Aria Montano *influentias*, effectum ponens pro cauſa, vel emanationem quandam pro ipſo corpore radiante. Job. XXXVIII. 32. legitur מַזָּרוֹת *mazzaroth*, ubi *Arias*, *cœleſtia ſigna.* Et ſane videntur heîc indigitari duodecim ita dicta ſigna cœleſtia, quorum cultus eſt antiquiſſimus, & inuentio forſan arceſſenda ab *Ægyptiis*, qui *Artepho* teſte apud *Kircherum Oedip.* T. II. p. 111. *Heliopoli Templum Solis* habebant, *& in eo duodecim columnas, ſignificantes duodecim ſigna Zodiaci*, id eſt, horoſcopos dæmones, Solis veluti conſiliarios, rerum fatorumque arbitros; Arces, domus, manſiones, quibus ſingulis ſua attribuebant animalia hieroglyphica, in obeliſcis adhuc reperiunda, unde & *Zodiaci* nomen & partitio Aſtronomis modernis ad hunc usque diem uſitata. vid. Tab. I. En Δωδεκαδεμόρια cum ſuis geniis, qui domos illas inhabitabant, ex *Hermetis* mente, prouti extant apud citatum *Kircherum* p. 160. vid. Fig. A. ubi ſingulas habebis Zodiaci domos, quales & nominabant & pingebant veteres, additis modernorum nominibus, & ſingulis domibus aſſignatos tres genios; ad marginem verò ipſa veterum Ægyptiorum ſigna hieroglyphica.

I. Domus exhibet *Anubin*, numen κυνύμορφον, Templorum cuſtodem, calidi & humidi conſeruatorem, cujus ſymbolum Hieropiſcis, ἰχθυότραγος, quem Anubis loro adſtrictum tenet. Erat hæc domus veluti porta quædam aſcenſus Deorum, eſt namque hoc *Capricorni* ſignum ex aſcendentibus primum, primum proin in myſtico ſenſu: aliàs in aſtronomico ſenſu primas tenet *Aries*.

II. Domus eſt *Canopi*, qui omnis humidi ſubterranei eſt præſes, idque ad fœcunditatem exerendam excitat. Hujus loco Græci poſuerunt *Aquarium*.

III. Domus tribuebatur *Ichton*, quod numen, *Jamblicho* teſte, primum intelligens & intelligibile ſolo colebatur ſilentio; rerum conceptarum ſemina in lucem ducit, ut *Piſces*, qui tertium hoc exprimunt aſcendentium ſignorum, & copioſam circa hoc anni tempus producunt fœturam.

IV. Domus dabatur *Ammun*, ſiue *Ammoni*, magnæ authoritatis Principi, cujus figura erat ἄνθρωπος κριόμορφος, arietinis cornibus illuſtris; producebat hic ſemina ab Ichthone diſpoſita in variam generabilium ſegetem. Ammoni huic ſubſtitutus fuit *Aries*.

V. Domus deſtinata *Apidi* boui, ſiue *Tauro*: Erat illud numen apud Ægyptios maximum, agriculturæ præſes, & ad maturitatem ducebat ſata.

VI. Domus conſecrabatur *Herculi* & *Apollini*, vel, ut *Plutarchus* vult, *Helitomenio* & *Harpocrati*, aut *Caſtori* & *Polluci*: unde *Geminorum*

rum emerſit ſignum. Indicatur autem hoc hieroglyphico duplicatio roboris ſolaris, quod in hac manſione ad ſummam peruenit ἀκμήν.

VII. Domus dicata erat *Hermanubi*, id eſt, *Mercurio*, quem ſub *Ibidis* ſpecie exhibebant: officium, immenſas vaporum coaceruare congeries, & diſſoluere in imbres, unde maximum ex inundatione Nili emolumentum. *Cancer* Ibidi ſubſtitutus fuit hieroglyphicum conuerſionis Solis.

VIII. Domus pertinebat ad *Momphtam*, humidæ naturæ præſidem, genium incrementi Nili. Pingebatur nunc ſub forma hominis λεοντομόρφȣ, nunc, ut adhuc, ſub ſimplici *Leonis* cubantis figura.

IX. Domus dabatur *Iſi* ſeu *Iſidi*, quod numen fœminei ſexus, finientis inundationis indicium, & fœcundæ meſſis præſes repræſentabatur nunc ſub forma *Virginis* ſpicam tenentis, nunc ſphyngis incumbentis.

X. Domum inhabitat *Omphta*, juſta menſura diſtribuebat humidum à præcedentibus numinibus per inundationem Niloticam motum, unde bilancis ſeu *Libræ* hieroglyphicum. Pingebatur forma humana, quæ in dextra radium menſorium tenet, in capite modium.

XI. Domus erat *Typhonis*, qui malignæ naturæ genius humores exſiccabat, arbores ſuo ſpoliabat ornatu, terram relinquebat aridam, ſiccam, ſqualidam. Unde fabula de Oſiride hoc menſe Athyr in arcam à Typhone concluſo; inſidiis Horo poſitis, lamentis luctibusque Iſiacis. Exhibebant hanc pereuntis fertilitatis cataſtrophen per bouem, cujus teſticulos Scorpius mordet, unde & *Scorpii* ſymbolum manſit.

XII. Domus dicabatur *Nephtys*, ſubterranei caloris præſidi, ne Typhonia vi deſtrueretur totus. Hujus genii curæ Oſiridis, id eſt, Solis arma, ſpiculum, haſta, arcus fuere concredita, unde huic ſtationi *Sagittarii* ſignum manſit.

Duodecim his Dodecatemoriorum Geniis ſingulis adjungebantur tres alii adminiculares. Et ſingulis his *Decanis*, uti eos vocabant, varia in adminiſtranda œconomia humana committebat officia ſupremus totius naturæ genius παντόμορφος ſiue πολύμορφος dictus, & *Uſiarches*.

Qui hanc Deorum Dearumque ſubordinationem, & in Zodiaci manſionibus collocationem attentis intuetur oculis, ei clara redditur origo idololatriæ Ægyptiorum, per conſequens & Iſraelitarum, qui ἰδολομανίας ſemina ſecum exportarunt Ægypto, ſed & non Arithmetica duntaxat, ſed Geometrica abominandæ apoſtaſiæ progreſſio. Quid, quæſo, ſimplicius, quid innocentius, quàm Zodiaci in duodecim partes, imo totius ſtelliferi cœli in conſtellationes certas diuiſio? Dictabat hanc ratio, neceſſitas & uſus. Liberum autem erat mortalibus, eligere animalia, homines, naues, triangula, ut liberum adhuc eſt Aſtronomis, in Zodiaco collocare duodecim Apoſtolos, in reliquo cœlo Regum & Principum inſignia. Quid porrò naturæ conſentaneum magis, quàm Soli pro varia in Ecliptica ſtatione varias aſſignare vires, menſibus ſingulis ſuos fructus, certa caloris, frigoris, humidi & ſicci incrementa ac decrementa? Sed deificare ſydera, conſtellationibus attribuere genios utriusque ſexus, mundi rectores & rectrices, ſupremum ens ſuo deturbare throno, diuidere ſaltem potentiam & regimen mundi, quod ſoli DEO competit, inter Deaſtros & Deaſtras, fingere numina ex cerebro, apoſtaſia eſt ex turpiſſimis. Audi Diuum Gentium Apoſtolum, Rom. I. 23. ἤλλαξαν τὴν δόξαν τȣ͂ ἀφθάρτȣ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτȣ͂ ἀνθρώπȣ, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν. 25. μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τȣ͂ ΘΕΟΥ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.

2. Reg. Cap. XXV. verſ. 17.

Erat columnæ unius altitudo decem & octo cubitorum, eratque Epiſtylium æneum ſuper ipſam, & altitudo Epiſtylii trium erat cubitorum; ſuper Epiſtylio erat reticulatum opus, & mala punica per ambitum; omnia erant ænea. Ad hunc modum erat & altera columna cum reti.

Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una; & capitellum æreum ſuper ſe altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata ſuper capitellum columnæ: omnia ærea. Similem & columna ſecunda habebat ornatum.

Vid. 1. Reg. Cap. VII. verſ. 41. &c.

1. Paralip. Cap. XX. verſ. 2.

Vid. 2. Sam. Cap. XII. verſ. 30.

1. Paralip. Cap. XXI. verſ. 5.

Vid. 2. Sam. Cap. XXIV. verſ. 9.

RPJCB

I. PARAL. Cap. XII. v. 22.
Benaja Heros, Gaditæ λεοντομορφοι.

I. Büch der Chronica Cap. XII. v. 22.
Der Held Benaja und Löwenmäſſige Gaditer.

G. D. Heüman sculps.

LIBER PRIOR PARALIPOMENON.

TAB. CCCCXCVI.

1. Paralip. Cap. XI. verſ. 22.

Benaja, filius Jehojada, filius cujusdam ſtrenui hominis, inclytus rebus geſtis de Kabzeel, is percuſſit duos Leones Moab. Is ipſe deſcendit, & percuſſit Leonem in media fouea, quum eſſet tempus niuis.

Banajas, filius Jojadæ, viri robuſtiſſimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel: ipſe percuſſit duos ariel Moab: & ipſe deſcendit, & interfecit Leonem in media ciſterna, tempore niuis.

1. Paralip. Cap. XII. verſ. 8.

De Gaditis quoque ſegregati ſunt quidam ad Dauidem (cum eſſet) in præſidio deſerti, heroes fortes, & viri militares bello apti, inſtructi lancea, & conto, quorum facies Leonum facies referebant, & celeritate capreas in montibus.

Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus.

BIna illuſtrium λεοντοφόνων exempla ſuppeditant *Simſon* & *Dauid*, nunc inter Heroas Dauidis ſeſe ſiſtit *Benaja, filius Jehojada*, quem Rex conſtituerat *ſuper Chreti & Pleti*. 2. Sam. VIII. 18. XX. 23. totius exercitus factus Imperator ſub Solomone, Joabi ſucceſſor 1. Reg. II. 35. IV. 4. Ut fortes generari ſolent fortibus, ita Benaja noſter natus patre Jehojada, Sacerdote, viro pariter forti. Percuſſit hic Benaja binos Heroas ex Moabitis, *duos Leones Moab*, juxta Latinam noſtram, quæ ſequuta eſt Textum Hebræum, qui habet אֲרִיאֵל מוֹאָב *ariel moab.* Facile autem conciliari poteſt cum Latina ipſa vernacula noſtra, quæ habet *zween ſtarcke Helden*; ſolebant quippe Orientales, more omnibus pene gentibus familiari, viros fortes, robore præ aliis eminentes, leonum nomine inſignire, id quod abundè probari poſſet, præſertim ex Gentis Judaicæ Scriptoribus; Hinc Syriaca Verſio habet *duos Gigantes Moabitas*, uti & Arabica.

Noſtræ inprimis conſiderationi ſubjicienda venit altera Benajæ heroica actio. *Percuſſit leonem in media fouea, quum eſſet tempus niuis.* Obſeruant R. *Kimchi* & *Leui* in majorem facinoris laudem, augeri tempore hyemali & niuoſo leonis robur, diminui contra hominis; rationes haſce authoribus ſuis linquimus, uti quoque *Joſepho*, quas addit, circumſtantias, cecidiſſe leonem fortè in foueam niue repletam, & ita fuiſſe obrutum, ut ſeſe extricare haud potuerit, alta voce rugiens: deſcendiſſe Benajam in ipſam hanc foueam, & interfeciſſe leonem. Quæ actio à temeritate haud procul diſtans vix quadrat in virum ſtrenuum Prætorianæ Cohorti ſub Dauide Præfectum, & totius exercitus ſub Solomone Ducem. Vero eſt ſimilior longe *Bocharti* conjectura *Hieroz.* P. I. L. III. c. 4. recepiſſe ſe leonem in antrum, in quod ex improuiſo incidens Benaja cum leone luctam inierit, eumque interemerit. Simile quid legimus *Antholog.* L. I. c. 33.

Χειμερίην διὰ νύκτα χαλαζήεντά τε συρμὸν,
Καὶ νιφετὸν φεύγων, καὶ κρυόεντα πάγον,
Μουνολέων, καὶ δὴ κεκακωμένος ἀθρόα γυῖα,
Ἦλθε φιλοκρήμνων αὖλιν ἐς αἰγονόμων.

Hyberna nocte grandinis impetum
Et niuem fugiens, & frigidum collem,
Solitarius leo, & omnibus membris malè affectus
Venit in ſtabulum caprariorum locis præruptis gaudentium.

Nam Hebræa vox בור *bor* in genere quidem ſignificat *foueam*, ſed aliquando puteum ſiue ciſternam. Leuit. XI. 36. Deut. VI. 11. 2. Sam. XXIII. 15. foueam ἄνυδρον. Jer. XXXVIII. 6. Zach. IX. 11. Carcerem ſeu cryptam ſubterraneam. Gen. XL. 15. XLI. 14. Sepulchrum Pſ. XXVIII. 1. XXX. 4. imo antrum quoduis, in quo ſe abdant, recipiant, vel occultent homines. Cum Benaja interim noſtro conferri merentur bini Reges, *Alexander M.* & *Lyſimachus*, & ipſi λεοντοφόνοι, quorum hic cicatrices à leoninis unguibus remanentes in corpore geſtauerat, teſte *Plutarcho* in *Demetrio*. Antiqua, quæ huc pertinent monumenta, vide ad Jud. XIV. 5.

Pergendo ad alterum Textum obſeruo, fuiſſe Philoſophos, qui ex lineamentorum in facie diuerſitate judicare ſibi præſumunt de hominum diſpoſitione, natura, indole, vitiis, virtutibus, phyſiognomiam hanc & metopoſcopiam eleuantes eò usque, ut cujusuis hominis faciem conferant cum animali certo, ſeu quadrupede, ſeu volatili, ſeu natatili, imo & mentem cum horummet indole, ſeu miti, ſeu crudeli; Unde forte natum antiquiſſimum illud Pythagoræorum de Metempſychoſi dogma, ſiue animarum ex humanis corporibus transmigratione in brutorum corpora, & ex his in illa, quod per vaſtiſſimas Regiones, quà latè patet Oriens, transiit in fidei articulum, quem adhuc magno ſtudio defendunt in India Orientali *Bramanes*, aliique ſacrorum gentilium myſtæ in haud leue propagandæ Religionis Chriſtianæ detrimentum atque obſtaculum. Non permittit loci hujus & chartæ anguſtia, ut oſtendam fusè dogmatis hujus abſurditatem, & inualiditatem; ſufficiat indicaſſe, eſſe equidem paſſim inter lineamenta, & in proportione partium corporis humani & bruti conformitatem, ſed longam ſæpe inter mores diſparitatem, ut qui vultum præ ſe fert leonis, à leporis timiditate haud abſit longè. Conformitas ſanè aderat in heroibus memoratis in Textu, *referebant* horum *Gaditarum facies Leonum facies*, ſed gaudebant quoque leonino robore, æneo pectore, generoſo animo. Ut in eos quadret omnino, quod *Ouidius* canit de *Hippomene* & *Atalanta*.

Iram vultus habet —

Et *Oppianus Venat.* L. III. v. 38.

Σμερδαλέος δὲ πρόσωπα καὶ αὐχένα.

Terribilis facie & ceruice.

Magnam leonis faciem, ut eam *Statius* appellat *Thebaid.* L. XI. graphicè deſcribit *Philoſophus* in *Phyſiognomicis* c. 5. φαίνεται τῶν ζώων ἁπάντων λέων τελεώτατα μετειληφέναι τῆς τοῦ ἄρρενος ἰδέας. ἔςι γὰρ ἔχων ςόμα εὐμέγεθες τὸ δὲ πρόσωπον τετραγωνότερον, οὐκ ἄγαν ὀςῶδες, τὴν ἄνω τε γένυν οὐ προεξεςηκυῖαν, ἀλλὰ ἰσορροποῦσαν τῇ κάτω· ῥῖνα δὲ παχυτέραν ἢ λεπτοτέραν· χαροποὺς ὀφθαλμοὺς, ἐγκοίλους, οὐ σφόδρα περιφερεῖς, οὔτε ἄγαν προμήκεις, μέγεθος δὲ μέτριον, ὀφρῦν εὐμεγέθη. μέτωπον τετράγωνον, ἐκ μέσου ὑποκοιλότερον· πρὸς δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν ῥῖνα ὑπὸ τοῦ μετώπου ὂιον νέφος ἐπανεςηκὸς, ἄνωθεν δὲ τοῦ μετώπου κατὰ τὴν ῥῖνα ἔχει τρίχας ἐκκλινεῖς, οἷον ἂν ἄσυλον. *Virilem ſpeciem leo videtur omnium animalium perfectiſſimè referre. Habet enim os magnum, faciem quadratam, neque oſſeam nimis, ſuperiorem mandibulam non eminentem, ſed deorſum æqualiter pendentem: Naſum magis craſſum, quàm tenuem, oculos cæſios, concauos, non valde rotundos, neque nimis oblongos, ſed mediocris magnitudinis, ſupercilium magnum, frontem quadratam in medio aliquantum cauam, ad ſupercilia autem & naſum ſub fronte tanquam nube incumbentem; & ſupra frontem ad naſum habet pilos inclinatos tanquam aſylum.* Sed non fuere heroes hi Gaditæ duntaxat fortes uti leones, ſed in rebus agendis prompti, *celeritate referebant capreas in montibus. Aſaeli* ſimiles, qui *velox* erat *pedibus ſuis, quemadmodum caprea in aperto campo.* 2. Sam. II. 18. Sunt namque, *Oppiano* canente:

— ὠκυτάτων δόρκων ἀρίδηλα γένεθλα.

Velociſſimarum caprearum inſignia genera.

Et apud *Ælian Hiſt. Anim.* L. XIV. c. 14. Capreæ ſpecies κεμὰς dicta legitur eſſe δραμεῖν ὠκίςη θυέλλης δίκην, *ad curſum velox inſtar turbinis.*

TAB.

RPJCB

I. PARAL. Cap. XXI. v. 26.
Ignis Davidi Oraculum.

I. Buch der Chron. Cap. XXI. v. 26.
Davids feüriger Gnaden = Beſcheid.

G. D. Heüman sculps.

TAB. CCCCXCVII.

1. Paralip. Cap. XXI. verſ. 26.

Ædificauitque Dauid illic Altare DOMINO, in quo ſacrificauit holocauſta, & ſacrificia ſalutaria, & inuocauit DOMINUM, qui reſpondit ei per ignem de cœlis in ara holocauſti.

Et ædificauit ibi altare DOMINO, obtulitque holocauſta, & pacifica, & inuocauit DOMINUM, & exaudiuit eum in igne de cœlo ſuper altare holocauſti.

Miratur nemo fulmina tempore æſtiuo, ſudo cœlo, tempeſtate graui irruente huc illuc jacta, heic arborem decorticantia, ramos frangentia, illic domum igne & fumo replentia, alibi homines & jumenta ſuffocantia, vel lædentia. Videt nemo non effectus ex cauſis naturalibus ortos, effectus cauſis reſpondentes. Sed tunc percellit admiratio mentes, ſi, Aharone cultum Leuiticum per ſacrificia inaugurante, *egreditur ignis à facie DOMINI, deuoratque in ara holocauſtum & adipes.* Leuit. IX. 24. ſi ardenti pro Gloria DEI zelo motus Elias Iſraeli demonſtraturus δοκιμασίᾳ planè extraordinaria, an DOMINUS ſit DEUS vel Baal, aram ſtruit, aquâ holocauſtum & ligna perfundit, eâ foſſam circa aram implet, & haſce ad DEUM effundit preces: DOMINE DEUS *Abraham, Iſaac & Iſraëlis, fiat hodie manifeſtum, quod Tu ſis DEUS in Iſraele, & quod ego ſim ſeruus tuus, & quod tuo juſſu hæc omnia fecerim.* (DOMINE DEUS *Abraham, & Iſaac, & Iſrael, oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael, & ego ſeruus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.)* Mox verò decidit *ignis DOMINI, & deuorat holocauſtum, ligna, lapides & puluerem, ſed & aquas, quæ erant in elicibus, lambit.* 1. Reg. XVIII. 36. 37. 38. Si Dauid in horreo Arnan *altare ædificat* DOMINO, *in eo ſacrificaturus holocauſta & ſacrificia ſalutaria, & DOMINUS ei reſpondet per ignem de cœlis in ara holocauſti.* Si, eodem, quo Templum extrui debebat, loco, precibus ardentibus à Solomone fuſis, *ignis deſcendit de cœlis & deuorat holocauſtum & victimas.* 2. Paral. VII. 1. In hujuſmodi caſibus, inquam, ignis non eſt naturalis fulmineus, ſed ignis θεήλατος, *ignis* à DOMINO, non mirus, ſed planè miraculoſus, naturæ vires tranſcendens, utpote qui holocauſta conſumit, abſque Sacerdotum adſtantium ulla noxa, ſuffocans aliàs homines & jumenta, & proſternens. Volebat heic Dauidi oſtendere DEUS, placere ſacrificium, & inaugurare locum Templi futuri: in ſacrificio Solomonis, placuiſſe Templum perfectum, quod elegerit pro ſede. Applicant huc nonnulli acclamationem illam votiuam Pſal. XX. 4. *Memor ſit DEUS omnium munerum tuorum, & holocauſtum tuum pingue æſtimet, (Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat,)* teſtimonio nempe ſit ignis de cœlo, placuiſſe, quod offers, ſacrificium. Sacer erat hujuſmodi ignis, & dignus, qui ſacerdotum miniſterio conſeruaretur. Id poſcebat ipſum DEI præceptum Leuit. VI. 12. 13. Debebat hic ipſe ignis ſacer thuribulo exceptus offerri DEO in gratum odorem. Καὶ εἴληφεν ὁ Ἄγγελος τὸν Λιβανωτὸν, καὶ ἐγέμισεν αὐτὸν ἐκ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαστηρίου. Apoc. VIII. 5. Imo alieni ignis crimen luebant Aharonis filii, Nadab & Abihu, igne à facie DOMINI conſumpti. Hunc ignem ſacrum conſeruatum volunt ad captiuitatem usque Babylonicam: imo ſunt, qui durationem extendunt ad ultimum usque & totale Judaicæ Gentis excidium: nixi teſtimonio, quod legitur 2. Maccab. I. 19. *Cum patres noſtri ducerentur in Perſiam, qui tum pii ſacerdotes erant, acceptam ignis ab altari partem in cauerna putei locum ſiccum habente clam abſconderunt, tutoque repoſuerunt, ita ut ignotus omnibus eſſet ille locus. (Nam cum in Perſidem deducerentur patres noſtri, ſacerdotes, qui tunc cultores DEI erant, acceptum ignem de altari occulte abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus & ſiccus: & in eo contutati ſunt eum, ita ut omnibus ignotus eſſet locus.)* Sed hæc ne quidem credit doctus Judæus Apella. Plerique enim Rabbini ſacrum hunc ignem ſecundo Templo haud tribuunt. Erat & in cultu idololatrico gentilium *ignis ſacer*, cujus depoſitariæ apud Romanos erant *veſtales virgines*, virgis à Pontifice Maximo cæſæ, quoties neglexere conſeruationem. Et quemadmodum ignis ſacri jactura Judæis Prognoſticon fuit judiciorum diuinorum, ita & fuit extinctio ignis æterni Romanis triſte indicium ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως. Sic quoque habebant Delphenſes & Athenienſes ἄσβεστον πῦρ, cujus conſeruatio non concredebatur virginibus, ſed mulieribus ratione con-

conjugii abſtemiis, γυναιξὶ πεπαυμέναις γάμων. Hic ignis ſi forte fuit extinctus, reaccenſus fuit ab igne ſolari concentrato *in ſcaphiis, quæ excauantur lateribus æqualibus trigonis, ita ut ex circumferentia in unicum centrum concurrant*, τοῖς σκαφείοις, ἃ κατασκευάζεται μὲν ἀπὸ πλευρᾶς ἰσοσκελοῦς ὀρθογωνίου τριγώνου κοιλαινόμενα, συννεύει δὲ εἰς ἓν ἐκ τῆς περιφερείας κέντρον, *Plutarcho* teſte in *Numa*. Habebant porrò *Perſæ*, ignis inde à vetuſtiſſimis temporibus cultores, ſua *Pyræa*, ſiue πυροφυλάκια, quæ πυραθεῖα nuncupat *Strabo* L. XV. Ignis nempe æterni promptuaria. Imo, ut latè ſerpunt religioſæ conſuetudines, præſertim in abuſus tractæ, tranſiit hic ignem ſacrum conſeruandi mos ad Indorum usque *Brachmanes*, quos *ferunt, ſi juſtum eſt credi, etiam ignem cœlitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodire. Ammian.* L. XXIII. Lege plura apud *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 35.

I. Paralip. Cap. XXII. verſ. 14.

En ego pro paupertate mea paraui pro Æde DOMINI auri centum millia talentorum, argenti mille millia talentorum, porrò æris & ferri non eſt pondus, multum enim eſt: Ligna quoque & lapides præparaui, quibus tu adjicere poteris.

Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus DOMINI, auri talenta centum millia & argenti mille millia talentorum: æris vero & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine; ligna & lapides præparaui ad uniuerſa impendia.

EX nihilo nihil fit. Qui ædem extruere in animo habet, ei inſeruit regula hæc præliminaris & quaſi fundamentalis, ut ſumtuum impendendorum accuratam, quàm fieri poteſt, rationem ineat, & de pecunia nimia potius quam parca nimis ſibi proſpiciat, quia ut plurimum impenſæ excedunt calculum præformatum: adſint præterea ligna, lapides, materialia alia. In exemplum architecti talis prudentis & ſolliciti ſiſtimus Dauidem, qui Solomoni filio pretioſum relinquit, & neceſſarium ſimul auri, argenti, æris, & aliorum requiſitorum pro Templi ædificio apparatum, qualem nec prior vidit hominum, nec poſterior ætas. Accumulauit Rex ipſe Solomo paternorum monitorum memor theſaurum hunc. Diſtinctius exponuntur pretioſa collectanea I. Paralip. XXIX. 3. 4. *Ego quidem*, inquit Dauid, *quàm maximè potui, præparaui pro Domo DEI mei aurum ad ea, quæ aurea eſſe debent, argentum ad ea, quæ argentea, æs ad ea, quæ ærea, ferrum ad ea, quæ ferrea, lignum ad ea, quæ lignea, ſed & Lapides Onychinos, & (alios) qui inſerantur, lapides rubros (variaque) pigmenta: deinde omnis (generis) lapides pretioſos, lapidesque marmoreos abundè multos. Præter hæc verò (quo ſum propenſus animo ad Domum DEI mei) eſt mihi peculiare quoddam aurum & argentum, quod contuli ad Domum DEI mei, ultra omnia, quæ præparaui pro Æde Sanctuarii, nempe tria millia talentorum auri, auri inquam de Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti depurati ad obducendum parietes domorum — Principes* porrò *Patrum, & Principes Tribuum Iſraelis, Tribuni, Centuriones, unà cum Principibus, qui præerant operi Regis, ſua ſponte obtulerunt, dederuntque pro miniſterio Domus DEI auri talenta quinque millia, ſolidorum decem millia, argenti talenta decem millia, æris decem & octo millia talenta, & ferri centum millia talenta. (Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus DEI mei. Aurum ad vaſa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnemque precioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè. Et ſuper hæc, quæ obtuli in domum DEI mei, de peculio meo aurum & argentum do in templum DEI mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem ſanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir: & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi, ad deaurandos parietes templi. — Polliciti ſunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Iſrael, tribuni quoque & centuriones, & principes principum poſſeſſionum Regis. Dederuntque in opera domus DOMINI auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.)* Dignior tantò inquiſitione exactiori, & ad pondera nummosque uſuales reductione, quia de nemine Aſiaticorum Regum hujusmodi quid in hiſtoriis legitur. De *Cyri* theſauris ex deuicta Aſia reportatis audi *Plinium* L. XXXV. c. 3. *Jam Cyrus deuicta Aſia pondo (auri) XXXIV. millia inuenerat, præter vaſa aurea, aurumque factum, & in eo ſolia ac Platanum, vitemque. Qua victoria argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo LXXX. patere Varro tradit. Curtium* L. V. c. 6. de theſauris, quos *Alexander*

RPJCB

I. PARAL. Cap. XXVIII. v. 11. 12. 13.
Exemplar Templi Salomoni traditum.

I. Büch der Chron. Cap. XXVIII. v. 11. 12. 13.
Salomon empfängt das Tempel-Modell.

G. Lichtenſteger ſculpſ.

der collegerat, Perſepolis. *Ingens pecuniæ captiuæ modus traditur, prope ut fidem excedat. Cæterum aut de aliis quoque dubitamus aut credimus, in hujus urbis gaza fuiſſe centum & XX. millia talenta.* Nihil hæc omnia ſunt, ſi conferas cum iis, quæ collegerat Dauid *pro paupertate ſua*, inter tot, quæ aliàs Gazophylacia exhaurire ſolent, bellorum aliasue calamitates. Imo verò adeò exceſſiuus *Clerico* videtur hicce theſaurus, ut pro 100000. auri talentis ponat duntaxat 100. pro 1000000. argenti 1000. reſecando à dextris utrobique tres ciphras ſiue zero, perſuaſus, multiplicaſſe Judæos in ſacrorum librorum apographis numeros, ut litarent Majorum Gloriæ. Sed malumus nos manere in verbis ipſius Textus, qualem pro originali & genuino agnoſcimus. Ex hypotheſi hactenus recepta æquiualet auri talentum 12220. Ducatis aureis, Talentum Argenti Imperialibus 4500. Erunt proin

		Aurei
100000.	Talenta Auri -	1222000000.
3000.	- - - - -	36660000.
5000.	- - - - -	61100000.
	Summa Aureorum	1319760000.
		Imperiales.
1000000.	Talenta Argenti -	4500000000.
7000.	- - - - -	31500000.
10000.	- - - -	450000000.
	Summa Thalerorum	4981500000.

Cumberlandus Anglus Talentum Auri æqualem facit 5076. Libris Sterlingorum, 3. Aſſibus Anglicis, & 10. ſolidis: inuenio proin pro auro Libras ſterlingicas 548208000. & Aſſes 3. ſiquidem Libra una æqualis 20. Aſſibus, Aſſis 12. ſolidis. Talentum argenti eidem facit 353. Libras ſterlingicas, 11. Aſſes, 10½. Solidos: Surgit porrò ſumma 1017000. Talentorum ad 359001349. Libras, 11. Aſſes, 1. Solidum. Totalis verò ſumma auri & argenti ad 907209349. Libras, 14. Aſſes, 1. Sol. ſiue 7257674797. florenos, 38. crucigeros, Librâ ſterlingica ſumpta pro 8. florenis. *Guil. Budæus de Aſſe* L. IV. & *Jac. Cappellus in Hieroſol. Templi Delineat.* duplex ſtatuunt *Talentum*, ut plurimi Scriptores duplicem *Siclum*, majus *Stathmicum*, & minus *Numiſmaticum*, eligit autem *Cappellus*, quia Dauidicum theſaurum in priori ſenſu aſpicit tanquam hyperbolicum, poſterius Talenti genus, & tamen ſummam totalem eleuat ad 126000000. ducatos aureos. *Villalpandus* c. 43. omne aurum collectum reducit ad

1817654024. Scutatos.
Argentum ad 1464480000.
Summam proin 3282134024.

prætendens inſuper, de tanto theſauro neque numeratam fuiſſe pecuniam pro operariis, neque pro inſtrumentorum machinarumue apparatu, ſed omne illud aurum argentumue inſeruiiſſe tum deaurandis internis Templi parietibus, tum fundando ærario.

TAB. CCCCXCVIII.

I. Paralip. Cap. XXVIII. verſ. II. 12. 13.

11. Dedit autem Dauid filio ſuo Solomoni deformationem porticus, & domuncularum ejus, repoſitorium, (lege *repoſitoriorum*) ejus, cœnaculorum ejus, penetralium ejus, atque domus propitiationis.

12. Deformationem quoque omnium, quæ ſecum habebat in animo pro atriis Domus DOMINI, & pro omnibus Gazophylaciis, quæ erant circunquaque pro theſauris Domus DEI, & pro theſauris conſecratorum.

13. Pro ordinibus quoque Sacerdotum & Leuitarum, & pro cuncto opere Miniſterii Domus DOMINI, ſed & pro uniuerſis vaſis cultus Domus DOMINI.

11. Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis.

12. Nec non & omnium, quæ cogitauerat, atriorum & exedrarum per circuitum in theſauros domus DOMINI, & in theſauros ſanctorum.

13. Diuiſionumque Sacerdotalium & Leuiticarum, in omnia opera domus DOMINI, & in uniuerſa vaſa miniſterii templi DOMINI.

DUo heic ſunt & Sacræ Scripturæ Lectori, & Interpreti Architecto obſeruanda, *deformatio*, & ædificii ſacri partes principales.

I. תַּבְנִית *thabnith*, LXX. παράδειγμα, nobis *deformatio*, aliis forſan melius *exemplar*, delineatam ſignificat repræſentationem, eamque exquiſitam, imo modulum, ut vocare ſolemus, totius ædificii, ſingularumque ejus partium & vaſorum: Delineationes ichnographicas, orthographicas, ſcenographicas. Fuit, quod alibi oſtenſum, Solomoneum Templum perfectiſſimum architecturæ ciuilis, ut arca fuit naualis, exemplar, inuentionis diuinæ; perfectionem hancce ſummam exhibet omne, quod præceſſit extructionem, ædificii ipſius ſacri exactiſſimæ dimenſiones, ordinatiſſimæ proportiones, elaboratio. Ex præcedaneis eſt repræſentatio, quæ fieri ſolet Scalæ Geometricæ ſubſidio in charta, vel & ligno, deſiderata quoque in ædificiis priuatis, ut poſſeſſor ante ſtructuram integram ὡς ἐν ἐπιτομῇ contemplari poſſit, & de mutandis his illiſue ſeu partibus ſeu proportionibus dimenſionem diſponere, quàm manus admouent operarii. Requiſitum heic tantò neceſſarium magis, in ædificio regulariſſimo, ampliſſimo, pretioſiſſimo, verbo, perfectiſſimo, quod ſibi ſimile non habuit unquam, nec habebit, cui per ſeptennium operas commodabant 400000. viri; ut dubium haud ſit, quin DEUS, Author & inuentor ſtructuræ, per Prophetas ſuos Gad vel Nathanem, Dauidi dictauerit moduli elaborationem, & hic ipſe pientiſſimus Rex contemplari potuerit gloriam futuri Templi, cujus extructio Solomoni filio fuit reſeruata atque demandata. Conſtat id ex v. 19. *Omnia in deformatione ex manu DOMINI, qui me intelligentem reddidit in omni opere deformato. (Omnia venerunt ſcripta manu DOMINI ad me, ut intelligerem uniuerſa opera exemplaris.)*

II. Veniunt in conſpectum præcipuæ *Templi* ſiue ædificii ſacri partes.

1. אוּלָם *ulam*, ναὸς, potius forſan πρόναος, nobis *porticus*, *der Vorſchopf*, *die Halle*, locus ad introitum Templi tectus, qui deſcribitur 1. Reg. VI. 3. Nota & Romanis *porticus* vox pro loco ad deambulationes apto, umbroſo. *Martialis*:

Claudia diffuſas ubi porticus explicat umbras.

Hujusmodi porticus cingere ſolent areas ſubdiales, quas Turcæ hodienum vocabulis *ulam* noſtro affinibus *awli*, *hæwli* exprimunt, *Meninzkio* teſte *Lex. Turc.* p. 548.

2. בַּיִת *bajith*, οἱ οἶκοι, *Domus* & *Templum* κατ' ἐξοχὴν ita dictum, quod juxta optimos quoque Interpretes *Sanctum* comprehendit & *Sanctiſſimum.* His adde, per me licet, præeunte *Sturmio Sciagr. Templi Hieroſol.* p. 6. veſtibulum magnificum triplici contignatione totuplicique columnarum ſerie aſſurgens, quod ſuperbæ turris præbebat ſpeciem; uti & *Villalpandus* in ſuo templo ejuſcemodi Domum concepit ſupra Domum Templi, ad inſtar Oeci magnifici. Conciliatio cum Interpretibus aliis haud eſt difficilis: οἶκον ſi ſumas in ſingulari, intellige Sanctum unà cum propitiatorio, vel & Sanctiſſimum ſolum, οἴκους in plurali, duplicem ipſius οἴκου jam expoſiti contignationem, unà cum veſtibulo turrito.

3. *Repoſitoria*, *Gemächer*; Hebræa vox גִּנְזַךְ *ganzak*, ut & Græca ζακχὸς, Hebrææ, ut videtur, originis, in Vulgata redduntur per *cellaria.* *Sturmius* l. c. clarius exprimit per *Gazophylacia*, & intelligit *conclauia undique circa Templum, intercepto atrio, jacentia, quæ 30. numero 25. cubitorum ſpatio, & 20. cubitorum altitudine effigiat, theſauris Templi reſeruandis deſtinata.*

4. עֲלִיָּה *alijah*, ὑπερῷον, ab omnibus fere redditur per *cœnaculum*, conclaue ſuperius, על *al*, ſuper alia conclauia ſitum, ſicut & ῷον Græcis ſuperiorem ædium partem deſignat. Fuit & *cœnaculum* Romanorum, ubi *cœnabant*, in ſuperiore ædium parte, imo ſuperioris domus uniuerſa cœnacula dicta, *Marco Varrone* teſte. Hinc apud *Suetonium cœnaculum meritorium*, mercede conductum. *Juuenalis*:

Rarus venit in cœnacula miles.

Percommodè igitur *Sturmius* noſter intelligit *cœnacula vel exedras, ſupra veſtibulum in contignationibus reliquis collocandas.*

5. חֲדָרִים הַפְּנִימִים *chadarim happenimim*, *penetralia interiora*, ἀποθῆκαι αἱ ἐσώτεραι, *die inneren Kammeren, Luth. die Kammeren inwendig.* His verbis exprimitur circuitus ille conclauibus deſtinatus, qui 1. Reg. VI. 5. 6. exponitur. His autem conclauibus, veluti Templi Archiuo, *ſecretiora Templi ſcripta aliaque recondita* fuiſſe exiſtimat *Sturmius.*

6. בֵּית הַכַּפֹּרֶת *beth baccapporeth*, οἶκος τοῦ ἐξιλασμοῦ, *domus propitiationis*, *das Hauſe des Gnaden-Stuls*, eſt *Sanctum Sanctorum*, ubi arca fœderis reponebatur, cui impoſitum fuit propitiatorium, ἱλαστήριον. Exod. XXV. 17.

1. Paralip. Cap. XXIX. verſ. 2.

Ego quidem, quàm maximè potui, præparaui pro domo DEI mei aurum ad ea, quæ aurea eſſe debent, argentum ad ea, quæ argentea, æs ad ea, quæ ærea, ferrum ad ea, quæ ferrea, lignum ad ea, quæ lignea; ſed & lapides onychinos, & (alios) qui inſerantur, lapides rubros, (variaque) pigmenta: deinde omnis (generis) lapides pretioſos, lapidesque marmoreos abundè multos.

Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus DEI mei. Aurum ad vaſa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnemque precioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè.

AD omne opus architectonicum *firmitatis, utilitatis* & *venuſtatis* rationem habendam præcipit *Vitruuius* L. I. c. 3. & *firmitatis* quidem tum fore, ſi *fuerit*, præter alia, *ex quaque materia copiarum diligens electio*, ubi *materiæ* nomine deſignat omne, quod ſtructuræ ſiue ædificii compoſitionem ingreditur, utpote quod totum quantum ex materia conſtet: aliàs L. II. c. 9. *lignum* in ſpecie, ut *materiationis* nomine ſtructuram ligneam, *materiaturæ fabrilis* artem lignatoriam L. IV. c. 2. Neque materiæ duntaxat adeſſe debet copia, antequam ſtructuram aggredimur, ſed quoque ſelectus. Harum regularum obſeruantiſſimi fuere Regum ditiſſimi & ſapientiſſimi, Dauid atque Solomon, teſte, quem explanandum ſumſimus, Textu, qui materialia, ut vulgò nunc vocamus, omnis generis Templi ſtructuræ adhibita fideliter recenſet. Videamus ordine ſingula.

זָהָב *zabab*, χρυσίον, *aurum*, metallorum pretioſiſſimum, ponderoſiſſimum, ductiliſſimum, pulcherrimum, deſiderationem denotat זָהָב à זָהוֹב *zabob*, *fuluus*, ut ſunt, qui *aurum* deriuant ab Aurora, vel Aura, ſiue ſplendore, vel ab Hebræo אוּר *ur*, *flamma*, *ignis*, unde & Solem ab Ægyptiis *Orum* appellari vult *Voſſius Lexic. Etymol.* χρυσίον à χροιᾷ colore inſigni, Germanorum *Gold* à *gehl*, *gähl*, *gelb*. Superſunt adhuc in Oriente vocis זָהָב veſtigia. Arabes vocant *Zebeb*, Plur. *Ezhab*; *Zübub*, & *Zübhan*, Plur. *Ezahib*. *Meninzk. Lex.* 381. 2247. fortè & affine eſt eorundem Arabum *Aesged* & *Aenzur*. Id. 3262. 5198. Z in D mutato legas apud *Auicennam* II. 78. *Debe*, *Deeb*, *Deheb*: apud *Serapionem Simpl.* IV. 15. *Dehech*, *Deheeb*: apud *Syluaticum* corruptius *Aſoſon*, *Deib*, & in *Pandectis Deob*, *Dheeb*. Sic Chaldæis aurum eſt דְּהַב *Dehab*, uti & Syris. Ex Turcarum Synonymis benè multis fortè per μετάθεσιν literarum pertinet huc *Zirbāb*. *Meninzk.* p. 2438. & mutatione Z in S Perſarum *Sawa*, *Sawe*. Id. 2527. Et ſelegerunt quidem Architecti noſtri aurum optimum, זָהָב אוֹפִיר *zahab ophir*, χρυσίον ἐκ Σωφίρ. v. 4. quo nomine intelligere poſſumus non duntaxat Aurum Ophiriticum, ex Ophir allatum, ſed quoque aurum obryzum, ὄβρυζον, obryſum, εὔροιζον & ὄμβρυζον *Theophylo*, *Pſello*, & Neotericis Græcis, id eſt, aurum vel probè excoctum, à βρύειν & βρύζειν, quod idem eſt ac ἐξανθεῖν, ἀναβλύειν, ἀναπηδᾶν, *Salmaſ. in Solin.* 760. vel aurum purum putum, ignem malleumue non expertum, quod Germani vocant *gediegen Gold*, *Jungfern-Gold*, Angli *Virgin-Gold*, *Fair-Gold*; aliæ Nationes aliter. Quibus Synonymis heic inhærere non vacat, ut nec recenſere ſtructuras, candelabra, vaſa, parietes Templi, quæ vel conſtabant ex auro puro, vel fuere deaurata, laminis aureis, iisque craſſis obducta.

כֶּסֶף *Ceſeph*, ἀργύριον, *argentum*, alterum ex nobilioribus illis metallis, quo omnes penè *gentes ardent*, ab ipſo fortè hoc appetitu Hebræis dictum à כָּסַף *caſaph*, *appetere*, *deſiderare*. In Oriente nomen hoc extinctum, niſi huc referre velis Perſarum *Kæjſur*, vel Arabum *Fæzzæt*, *Fyzzæt*, *Fyzzæ*, *Meninzk. Lex.* 3528. 3824. non ſine tortura. Accedit propius Arabum Turcarumue *Chas gumis*, quo vocabulo dicuntur exprimere argentum excoctum, depuratum, quale & in theſauris ſuis habuere Architecti noſtri כֶּסֶף מְזֻקָּק *ceſeph mezykkak*, ἀργύριον δόκιμον, *argentum purgatum*. v. 4.

נְחֹשֶׁת *nechoſcheth*, χαλκὸς, *Aes*, נְחָשָׁא *nechaſcha* Syris, נְחוּשָׁה *nechuſchah* etiam Hebræis, vocabula adhuc viua in Oriente; Huc enim pertinet *Nuhas*, *Nehas*, *Nyhas* Arabum, *Meninzk. Lex.* 5145. Corruptè legas *Hohas* apud *Serap. Simpl.* 404. *Nhas* apud *Auicennam* II. 236. *Noaes*, *Noas*, in *Pandectis*. Intelligi autem debet non *Cuprum* commune, quod æris nomine venit, ſed pretioſius, *Aurichalcum*, de quo alibi plura, adhibitum ad omnis generis vaſa.

בַּרְזֶל *barzel*, σίδηρος, *ferrum*, ad clauos januarum, & juncturas lapidum adhibitum. Congruit Hebræo Chaldæorum בַּרְזֶל *barezel*, fortè à Chaldaico בְּרַז *beraz*, *transfigere*, *perforare*, cui affine Hebræum פּוֹרֵר *phorer*, *disrumpere*, *contundere*, & פָּרַם *pharam*, *ſcindere*, unde forſan deriuatur Germanorum *Boren*, Latinorum *forare*. In Oriente nullum reſtat, quantum ſcio, vocis Hebrææ veſtigium.

Lignorum præſertim *cedrinorum*, cæſorum in Libano monte, uſus fuit ad tabulata, trabeationes, & tectorum forte vel potius fornicum compaginationes; euitandus aliàs, quantum fieri poteſt, in extruendis ædificiis, propter incendii pericula, heic tamen parciora, tum quia flammæ ſacrificia conſumpturæ alebantur ſub dio, tum quia laquearia, parietes & trabeationes obducta fuere laminis aureis.

Structuris ligneis præualent longè lapideæ compoſitiones, (Vitruuiana phraſi utor) utpote quæ injuriis aeris, ignis, pluuiarum, ventorum reſiſtunt magis. Fuere autem hæ triplicis generis apud veteres, ut ſunt adhuc, *latericia*, ἡ ἀπὸ βηβάλε, Belgis familiaris: *ordinaria*, ex lapide duro ſeu ſilice, ἐγχώρηγον vocat *Conſtantinus*: tertia ex *Saxo quadrato*, quam τετραπέδικον λίθον appellat idem. v. *Salmaſ. in Solin.* 870. Ad tertium hoc genus pertinebat Templum Solomoneum. De hoc nullum eſt dubium. Sed dubium, qualianam ſaxa, & ubi hæc illaue fuerint adhibita. Et crucem figit Textus noſter. Haud ſanè conſtat, quid fuerint אַבְנֵי־שֹׁהַם וּמִלּוּאִים אַבְנֵי־פוּךְ וְרִקְמָה *lapides onychis, & impletionum, lapides fuci, & variegationis*, quæ verſio eſt *Ariæ Montani*. אַבְנֵי שֹׁהַם *abne ſchoham*, LXX. vertunt per λίθες σοάμ, in Alexandrino Codice σοόμ, nos lapides *Onychinos*, *Onychel-Steine*, quæ verſio nititur authoritate *Theodoreti*, qui Græcorum σοάμ vertit per ὄνυχα. De lapide *Schoham*, & dubio valde ejus ſenſu vide, quæ propoſui ad Gen. II. 12. Exod. XXV. 7. XXVIII. 20. & heic repetere ſuperuacaneum duco, ſed quidem neceſſe, addere nonnulla, quæ ad rem faciunt præſentem. Eſt *Onyx* lapis duplex, gemma, & marmor, illa fœminei generis, hoc maſculini. Gemma ὀνύχιον dicitur, marmor ὀνυχίτης, & ſi *Plinio* fides L. XXXVII. 6. *nomen onychis in gemmam tranſiit à Lapide Carmaniæ*, vel forſan à gemma tranſiit in lapidem: utrumque à corneo unguis candore denominauit antiquitas. Gemmam intelligi debere in hiſtoria pectoralis, nullum eſt dubium. Sed heic lapidem intelligendum autumo. Ut ſenſus externi interniue mirè delectantur colorum varietate, in mentem venit, non unius generis, neque unius coloris marmora ſtructuræ Templi fuiſſe adhibita, columnis in ſpecie, quarum partes diuerſa admittunt, & diuerſimodè colorata, imo & æs quandoque marmoribus interjectum; Pario marmori candidiſſimo & micanti mox deſcribendo prærogatiuam haud diſputo, ſed tamen alia aliorum colorum marmora à Templi fabrica excludenda haud eſſe, perſuaſus ſum, ſpeciatim *Onychinum*, quod ex cruſtis inuicem onychis in modum ſuperinjectis conſtat, quale titulo *Onychine Marble* refert *Grew. Muſ. Soc. Reg.* p. 315. Quid ſint אַבְנֵי מִלּוּאִים אַבְנֵי פוּךְ וְרִקְמָה πληρώσεως λίθοι πολυτελεῖς καὶ ποικίλοι LXX. nobis *lapides, qui inſerantur, lapides rubri, variaque pigmenta, eingefaſſete Steine, Farb-Steine, und Geſticktes*, ignorare me fateor cum ignariſſimis. Si conjecturæ locus, admitterem ego rurſum marmora variè colorata, ad diſtinctionem Parii albi, quod ſequitur. Sanè *Rucham* vox רִקְמָה affinis Perſis hodieque vocatur *marmor. Meninzk. Lex.* 4583. Frequentiſſimum marmoris uſum fuiſſe in Architectura, teſtantur antiquiſſima Ægypti & Aſiæ monumenta, obeliſci, Romanorum etiam æuiternæ ſtructuræ, Muſiua opera, quæ ſuperbiunt omni marmorum genere, Thebaico ex Ægypto, Pario ex Paro, aliis ex Aſia & Græcia Italiæ illatis, eſſe & hodie teſtantur Marmora Florentina, Lucenſia, Carrarenſia, Iſtria in remotiſſimas Regiones transportari ſolita. Pectorale ſi reſplenduit omni gemmarum coloratarum nitore, cur non & Templum omni marmorum πολυποικίλων, quæ ſanè etiam venire poſſunt nomine אֶבֶן יְקָרָה *eben jekarah*, λίθων τιμίων, *lapidum pretioſorum.*

Prærogatiua nihilominus jure debetur τοῖς אַבְנֵי שַׁיִשׁ *abne ſchaiſch*, πάριος LXX. *Pario Marmori*, quod generali *lapidum marmoreorum*, *Marmel-Steine*, titulo venit in noſtris verſionibus. Synonyma candido huic ſiue lacteo marmori ſunt Λύγδος & *Lychnites*. *Omnes tantùm candido marmore uſi ſunt è Paro Inſula, quem lapidem cœpere Lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut author eſt Varro, multis poſtea candidioribus repertis, nuper etiam in Lunenſium lapicidinis. Plin.* L. XXXVI. c. 5. & L. XXXVI. c. 8. *Paulùm diſtare ab eo in unguentorum fide multi exiſtimant Lygdinos in Tauro repertos, amplitudine qua lances craterasque non excedant, antea ex Arabia tantùm aduehi ſolitos, candoris eximii.* Ubi Gloſſæ quædam habent in *Taro Inſula*, ſed legendum vult, *in Paro*, *Salmaſius in Solin.* 394. Nam Lygdus Lapis Parius. *Heſychius*, Λύγδος λίθος, εἰς ζώδεια, ἢ ὁ Πάριος. Græcum aliàs hoc marmor dicitur, & Turcis modernis *ak ber ak mermer*, Arabibus *Merw*, *Merwe*. *Meninzk. Lex.* 747. 4584. Tranſyluanis *Marvany Kö*, Polonis *Marmur bialy*. Alia in Lexicon Foſſilium meumre ſeruo. Exiſtimo autem, marmor hocce, quod Templo Solomoneo fuit adhibitum, non allatum fuiſſe ex Inſula Paro, ſed exciſum in Phœniciæ montibus, ut æs omnium Regionum hodie vocatur cuprum, non ſolum illud Cypri, & chalybs non ſola olim apud Chalybes effoſſa, ſed quæuis alia. Pari ratione Parium vocabant Marmor Phœnicium, quod ſimile eſſet Pario Inſulæ Pari. *Lapides* ſanè *decemcubitales*, λίθοι δεκαπήχεις *Joſepho* memorati *Ant.* L. VIII. c. 5.

c. 5. vecturam trans mare haud admittunt. Omnium autem Saxorum commodiſſimum fuit marmor pro ſtructura Templi ; in forma quippe parallelepipedorum cæſum, & læuigatum ita cohærebat, ut non opus fuerit mortario ullo interjecto. Teſtem habemus *Joſephum Ant.* L. VIII. c. 3. ἡ δ᾽ ὅλη τȣ̃ ναȣ̃ οἰκοδομία κατὰ πολλὴν τέχνην ἐκ λίθων ἀκροτόμων ἐγένετο, συντεθέντων ἁρμονίως πάνυ καὶ λείως, ὡς μήτε σφύραν μήτε ἄλλȣ τινὸς ἐργαλείȣ τεκτονικȣ̃ τοῖς κατανοȣ̃σιν ἐργασίαν δηλȣ̃σθαι, ἀλλὰ δίχα τῆς τȣ́των χρήσεως πᾶσαν ἡρμόσθαι τὴν ὕλην προσφυῶς. ὡς ἑκȣ́σιον τὴν ἁρμονίαν αὐτῆς δοκεῖν μᾶλλον, ἢ τῆς τῶν ἐργαλείων ἀνάγκης. *Tota verò Templi fabrica multa cum arte exſtructa eſt ex lapidibus politis, apta admodum læuique commiſſura junctis conditisque, ut intuentibus nullum usquam mallei aut cujusque inſtrumenti fabrilis appareret indicium: ſed illis non adhibitis materiam omnem congrue coagmentatam fuiſſe: ita ut ſua ſponte potius cohærere videretur, quam ferramentorum vi.*

1. Paralip. Cap. XXIX. verſ. 4. 7.

4. Nempe tria millia talentorum auri, auri inquam de Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti depurati, ad obducendum parietes domorum.

7. Dederuntque pro miniſterio Domus DEI auri talenta quinque millia, ſolidorum decem millia, argenti talenta decem millia, æris decem & octo millia talenta, & ferri centum millia talenta.

4. Tria millia talenta auri de auro ophir: & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi, ad deaurandos parietes templi.

7. Dederuntque in opera domus DOMINI auri talenta quinque millia, & ſolidos decem millia, argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.

Vid. 1. Paralip. Cap. XXII. verſ. 14,

Occurrit v. 7. vox אֲדַרְכֹן *adarcon*, orta ex Perſica Δάρεικος, originem præbens Græcorum Δράχμη. Ortum δαρείκῳ dedit Darius Medus, Cyro & Dario Hyſtaſpide prior. *Scholiaſtes* in *Ariſtophanis* Ἐκκλησ. p. 741. εἰσὶ μὲν χρυσοὶ ϛατῆρες οἱ Δαρεικοὶ, ȣ̓κ ἀπὸ Δαρείȣ τȣ̃ Ξέρξȣ πατρὸς, ἀλλ᾽ ἀφ᾽ ἑτέρȣ τινος παλαιοτέρȣ βασιλέως ȣ̈τως ὠνομάσθησαν. *Sunt quidem aurei ſtateres Darici. Non à Dario, Xerxis patre, ſed ab alio quodam vetuſtiori Rege ita adpellati ſunt.* Aureus fuit Numus, qui Rabbinis teſtibus æquabat duos Siclos: aureus ſtater. *Pollux* L. IV. ὁ δὲ χρυσȣ̃ς ϛατὴρ δύο εἶχε δράχμας Ἀττικὰς. *Aureus ſtater duas æquabat drachmas Atticas*, ſiue Siclum Auri Hebræorum. Ex *Xenoph.* ἀναβ. κύρ. L. VII. conjectare licet, 3000. Daricorum valuiſſe 10. talenta, ſcilicet Babylonica, quod 62. Minas conficit Atticas, ut Darici pretium ſurgat ad duos Philippeos. Hæc ſi ita ſint, uti oſtendit doctè & ſolidè *J. C. Harenbergius* in *Biblioth. Brem. Claſſ.* VIII. p. 623. & 1. quidem ex vocum דַּרְכוֹן *darcon*, אֲדַרְכֹן *adarcon*, דַּרְכְּמוֹן *dracmon*, quæ in Textu occurrunt, & Esdr. II. 69. Neh. VII. 70. 71. 72. & Δάρεικος, quam *Joſephus* habet, *Daricus*, conuenientia; 2. ex aureo Darici metallo, & rationibus aliis, minus rectè vertetur à nobis vox אֲדַרְכֹן per *Solidos* in Latina, *Gulden*, i. e. florenos in vernacula, niſi addere velis auri adjectiuum, *Gold-Gulden. Eiſenſchmidius Pond. & Menſur.* p. 142. Darici pretium æſtimat ad Ducatos 2½. cum tribus fere granulis.

LIBER

LIBER POSTERIOR PARALIPOMENON.

2. Paralip. Cap. I. verſ. 15.

Aduexit itaque Rex argentum & aurum in Jeruſalem quaſi lapides: ſic quoque Ligna cedrina aduexit veluti Sycomoros, quorum magna copia (creſcit) in campeſtribus.

Præbuitque Rex argentum & aurum in Jeruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna.

Vid. 1. Reg. Cap. X. verſ. 27.

2. Paralip. Cap. II. verſ. 2.

Numerauitque Solomon ſeptuaginta millia virorum, qui bajularent, & octoginta millia virorum cæſorum in monte, & tria millia ac ſexcentos eorum, qui illis inſtarent.

Et numerauit ſeptuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia, qui cæderent lapides in montibus, præpoſitosque eorum tria millia ſexcentos.

Vid. 1. Reg. Cap. V. verſ. 15.

2. Paralip. Cap. II. verſ. 10.

Ecce verò pro ſectoribus & cæſoribus lignorum dedi tritici contuſi ſeruis tuis Cororum viginti millia, vini Batorum viginti millia, & olei Batorum viginti millia.

Præterea operariis, qui cæſuri ſunt ligna, ſeruis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, olei quoque ſata viginti millia.

Vid. 1. Reg. Cap. V. verſ. 11.

2. Paralip. Cap. II. verſ. 17. 18.

17. Et numerauit Solomon omnes viros aduenas, qui erant in terra Iſrael, poſt numerum illorum, quos numerauerat pater ejus, inuentique ſunt centum & quinquaginta millia, tria millia & ſexcenti.

17. Numerauit igitur Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſrael, poſt dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater ejus: & inuenti ſunt centum quinquaginta tria millia & ſexcenti.

RPJCB



II. PARAL. Cap. III. v. 1.
Substructio Templi.

II. Buch der Chronica Cap. III. v. 1.
Berg und Stock-Mauer des Tempels.

I. G. Pintz sculps.

18. Et fecit ex eis ſeptuaginta millia ferendis oneribus, & octoginta millia, qui cæderent in monte, tria deinde millia atque ſexcentos exactores, qui populum ad laborem urgerent.

18. Fecitque ex eis ſeptuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides de montibus cæderent: tria autem millia, & ſexcentos præpoſitos operum populi.

Vid. 1. Reg. Cap. V. verſ. 15. 16.

TAB. CCCCXCIX.

2. Paralip. Cap. III. verſ. 1.

Cœpit itaque Solomon ædificare domum DOMINI Hieroſolymis in monte Moria, ubi apparuerat (DOMINUS) Dauidi patri ejus, in loco, quem parauerat Dauid in horreo Ornan Jebuſæi.

Et cœpit Salomon ædificare domum DOMINI in Jeruſalem, in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauid patri ejus, in loco, quem parauerat Dauid in area Ornan Jebuſæi.

Eſt ſolidum *fundamentum* prima & præcipua ex partibus integrantibus & eſſentialibus ædificii, majoris tantò momenti, quia ejus defectui non ita facile, ut cæterarum, *muri*, & *tecti*, erroribus remedium inueniri poteſt. Et petroſum ſi eſt ſolum, omnium quadrat maximè. Illuſtre dabit fundamentali huic regulæ architectonicæ exemplum Templum noſtrum Hieroſolymitanum. Debebat id inædificari monti *Moria*, ibi, ubi juſſus fuit Dauid erigere DOMINO Altare in horreo Ornan Jebuſæi. Hiſtoriam lege 1. Paralip. XXI. 18. In montis hujus planitie ſtructuræ adeò ſumptuoſæ, magnificæ & ponderoſæ non *fundamento* duntaxat opus fuit, ſed inſuper *ſubſtructione*. Fiſſuris, deuolutionibus, imo ruinæ obnoxia ſunt decliuia montis ſiue collis latera; viam parant præter terræ incumbentis vel ſaxorum molem imbres, venti, injuriæ aliæ: viam non ſolùm ad montis ipſius caſum, ſed & ſtructurarum, quæ inædificantur, ſubſidentiam. Incommodis hisce fatalibus ut iretur obuiam, debebant montis parietes undique ab imo ad ſummum muniri muro præcraſſo & præalto, & ſpatia retro hunc murum vacua expleri terra ſolida & omnis generis ſaxis ſiue lapidibus; *Congeſtionem* id vocat *Vitruuius*, ut murum ipſum nuncupat *ſubſtructionem*. *Congeſtione* hac & *ſubſtructione* finitis, locus deſignandi & extruendi Templi debebat complanari. Subſtructionis hujus, quæ unum eſt ex Architecturæ miraculis, expreſſa non fit mentio in Scriptura, niſi cum *Villalpando* huc referre velis *Millo* illud 1. Reg. XI. 27. item λίθας καὶ οἰκοδομὰς, quas unus diſcipulorum ob magnificas ſtupens ſtructuras oſtenderat Saluatori, reſponſi loco ad ποταποὶ & ποταπαὶ exclamationem illam ferens βροντησικέραυνον vocem. βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομὰς, οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ. Marc. XIII. 1. 2. Sed ſubſtructionem hanc pro dignitate ſua deſcribit *Joſephus de Bell.* L. VI. c. 6. inprimis *Ant.* L. XV. c. 11. ubi ſequentia legas, commentario interpolanda. Λόφος ἦν πετρώδης, ἀνάντης, ἠρέμα πρὸς τοῖς ἑώοις μέρεσι τῆς πόλεως ὑπτιούμενος ἐπὶ τὴν κορυφὴν ἄκραν. Τοῦτον ὁ πρῶτος ἡμῶν βασιλεύσας Σολομῶν, κατ᾽ ἐπιφροσύνην τοῦ ΘΕΟΥ, μεγάλαις ἐργασίαις ἀπετείχιζεν ἄνωθεν τὰ περὶ τὴν ἄκραν, ἀπετείχιζε δὲ κάτωθεν ὑπὸ τῆς ῥίζης ἀρχόμενος, ἣν βαθεῖ περιθεῖα φάραγξ, κατὰ λίβα ταῖς πέτραις μολίβδῳ δεδεμέναις πρὸς ἀλλήλας ἀπολαμβάνων ἀπὸ τῆς ἔσω χώρας, καὶ προβαίνων εἰς βάθος, ὡς ἄπορον εἶναι τό τε μέγεθος τῆς οἰκοδομῆς καὶ τὸ ὕψος τετραγώνου γενομένης, ὡς τὰ μὲν μεγέθη τῶν λίθων ἀπὸ μετώπου κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ὁρᾶσθαι, τὰ δ᾽ ἐντὸς σιδήρῳ διησφαλισμένα συνέχειν τὰς ἁρμογὰς ἀκινήτους τῷ παντὶ χρόνῳ. *Collis erat petroſus, arduus, ad orientale urbis latus ſenſim ac leniter reſupinatus usque ad ſummum ejus faſtigium. Hunc collem Solomon, qui primus in nos regnauit, ſupernè ad verticem muro circumduxit, DEI ipſius inſtinctu: immò & infernè à radicibus ejus incipiens, quibus ad libem circumjecta eſt vallis admodum depreſſa, eundem vallauit ſaxis grandibus plumbo inter ſe vinctis, ſemper aliquid ſpatii intus concludens, & alte progrediens, adeò ut immanis eſſet magnitudo pariter atque profunditas ſtructuræ, forma quadrangulari factæ, ut vaſtitas quidem lapidum à fronte quoad ſuperficiem in conſpectum veniret, interiora verò ferro firmata compagines in omne æuum indiuulſas haberent.* Hactenus de ſubſtructione ex ma-

 ximæ

ximæ molis ſaxis quadratis facta, iisque per ferreas compagines & plumbum interfuſum firmatis. Pergit *Joſephus*. τῆς δ' ἐργασίας οὕτω συναπτούσης εἰς ἄκρον τὸν λόφον, ἀπεργασάμενος αὐτοῦ τὴν κορυφὴν, καὶ τὰ κοῖλα τῶν περὶ τὸ τεῖχος ἐμπλήσας, ἰσόπεδον κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τὴν ἄνω καὶ λεῖον ἐποίησε. *Opere ita continuato, ut ſummitati collis jungeretur, cum verticem illius aliquantum læuigaſſet, & cauitates intra murum comprehenſas repleuiſſet, ſuperficiei partibus, quæ forte eminerent, totum æquauit, & ad planum redegit.* Eſt hæc congeſtio, & verticis montoſi complanatio. τοῦτο δὲ ἦν τὸ πᾶν περίβολος, τεττάρων ςαδίων, τὸν κύκλον ἔχων, ἑκάςης γωνίας ςάδιον μῆκος ἀπολαμβανούσης. *Atque uniuerſum hoc ſeptum erat quatuor ſtadiorum in circuitu, unoquoque angulo in longitudinem ſtadium complectente.* Supplet *Villalpandus in Ezech.* T. II. P. II. c. 18. quæ in *Joſepho* deſunt, collatione facta cum *Vitruuii* præceptionibus L. VI. c. 11. & X. c. 1. Inuenit autem, ut multa in compendio contraham, ſubſtructionis altitudinem ad Orientem 300. cubitorum. Orientalem hanc, cæteris altiorem, faciem inprimis intelligit *Joſephus* l. c. ubi ita Opus verè Regium commendat. ἔργον δ' ἦν ἀξιαφηγητοτάτων τῶν ὑφ' ἡλίῳ. μεγάλου γὰρ ὄντος τοῦ τῆς φάραγγος ἀναλήμματος, καὶ οὐδ' ἀνεκτοῦ κατιδεῖν εἴ τις ἄνωθεν εἰς τὸν βυθὸν εἰσκύπτοι, παμμέγεθες ὕψος ἐν αὐτῷ τῷ τῆς ςοᾶς ἀνέςηκεν, ὡς εἴ τις ἀπ' ἄκρου τοῦ ταύτης τέγους ἄμφω συντιθεὶς τὰ βάθη διοπτεύοι, σκοτιδινιᾷν, οὐκ ἐξικνουμένης τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον τὸν βυθὸν. *Opus erat omnium, quæ unquam Sol vidit, maximè memorabile. Nam cum vallis depreſſa admodum eſſet, ut inde caligarent oculi cujusquam ex alto in fundum deſpicientis, porticum immanis altitudinis ſuper ea exſtruxit, ut ſi quis ex tecti ejus ſummitate altitudinem ſimul utramque viſu penetrare vellet, periculum eſſet, ne vertigine corriperetur, priusquam viſus ad immenſum adeò profundum pertingeret.* Aſcendit hæc ſubſtructionis Orientalis, qua proſpectus patuit in vallem Joſaphat, altitudo ad 499. Pedes Pariſinos, pollices 8. Tigurinos pedes 534. Hujusdem ima longitudo ab angulo extremo ad extremum 1000. dat cubitos, qui æquales ſunt Pedibus Pariſinis 1665. pollicibus 6. lineis 8. pedibus Tigurinis 1780. Craſſities muri ſubſtructionis in ſummo fuit 50. cubitorum, ſiue Pedum Pariſienſium 83. pollicum 3. linearum 4. Pedum Tigurinorum 89. Congeſtio eandem habuit latitudinem, comprehendens Atrium gentium. Ne autem extruderetur inſignis craſſitiei hæc ſubſtructio à mole collis, firmari debebat inſuper *Anteridibus* ſiue *Eriſmis*, *Contraforti* Italis, vel *Speroni*, Hiſpanis *Entiuos* & *Eſtribos*, *vos*, *Contreforts* Gallis, *Strebe-Pfeiler* Germanis, ἐρείσματα Græcis, quorum prominentia ima fuit cubitorum 150. ſumma 50. Contrahi enim juxta Regulas Architecturæ neceſſe eſt. Subſtructioni autem huic ſubjacebant tres *Scamilli*. Altitudo imi 5. calamorum, medii 4. ſummi 3. Diſtantia Anteridum ab inuicem ponitur 100. cubitorum, ſed extremarum 50. Inter Anterides erant fornices, quorum altitudo latitudinis dupla. Ex antiquitatibus gentilium huc inprimis adduci, & cum ſubſtructione Solomonea conferri merentur muri illi Babylonici, miraculis ſeptem mundi hactenus accenſiti. Ex *Diodoro* L. III. *Strabone* L. XVI. *Herodoto* L. II. *Solino* c. 60. & aliis quæ de ſuperba hac ſtructura conſtant, ſi contraxeris, ſequentem facies parallelismum. Muris illis 380. ſtadia longis altitudo tribuitur 200. pedum, ſubſtructioni Solomoneæ 500. illorum latitudo 50. pedum, hujus 50. cubitorum in ſummo: ſtructi erant illi ex lapidibus lateritiis, hæc ex ſaxis marmoreis quadratis, iisque incredibilis penè magnitudinis. Ibi adhibiti per unici anni decurſum 300000. operarii, heic 400000. Hæc de ſola ſubſtructione fundamentali, quæ ſuperat longè Babyloniorum illud miraculum; Quid dixeris de Templo ipſo? Hoc omnibus ſeptem mundi miraculis, ſiue ἐπιφανεςάτοις ἔργοις, Epheſiæ nempe Dianæ Templo, Mauſoli Regis monumento, quod Mauſolæis originem dedit & nomen, Jouis Olympici Simulacro à Phidia formato ex ebore & auro, Cyri Regis Domo à Memnone fabricatæ, Babyloniæ muris à Semiramide ſtructis, Rhodi Solis æneo Coloſſo, Pyramidibus Ægypti, non ſingillatim ſed ſimul ſumptis præualere demonſtrat *Villalpandus in Ezech.* Tom. II. P. II. c. 61. *Sileant*, inquit, *ſeptem decantata toto terrarum orbe miracula, ſileant Urbis Romanæ prodigioſæ moles, Roma ipſa orbis miraculum ſileat, ſi cum auguſtiſſimo DEI Templo, à Salomone ſapientiſſimo ac opulentiſſimo Rege conſtructo conferatur. Quicquid certè jactat antiquitas, cum Hieroſolymitano Templo collatum, tugurium erat, non palatium, breue ſacellum, non Templum, ſylueſtres belluarum caueæ, non amphitheatra, animantium cuniculi, non porticus: uno verbo, tenebricoſum erat, quicquid in monte Moria non extollebatur.*

Subſtructionem hanc integram ſcenographicè repræſentat Tabula CCCCXXIV. una cum ſuperimpoſito Templi ædificio. Nunc illam ſiſto ſolam, ſed non integram, ut partes diſtinctè videri queant. Nimirum

a g. Orientalis ſubſtructionis altitudo integra 300. cubitorum.
a b. Scamillus imus 5. calamorum.
b c. Scamillus medius 4. calam.
c d. Scamillus tertius 3. calam.
a l m. Anteris.
d e. Diſtantia inter Anterides.
f. Fornix Anteridibus interjectus.

2. Paralip. Cap. III. verſ. 2 - 8.

2. Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, in ſecundo (inquam), anno quarto Regni ſui.

3. Hæc autem ſunt, in quibus Solomon edoctus fuit, ut ædificaret Domum DEI, longitudo cubitorum fuit prima menſura, cubitorum, inquam, ſexaginta, latitudo verò cubitorum viginti.

4. Porticus, quæ erat ante faciem longitudinis, ſecundum latitudinem ædis viginti erat cubitorum, altitudo ejus centum & viginti, obduxitque intus auro mundo.

5. Domum verò majorem obduxit lignis abiegnis, quæ texit auro bono, & addidit illis palmas & catenas.

6. Operuit præterea ædem lapidibus pretioſis ad decorem, aurum verò erat aurum de Paruaim.

7. Obduxit, inquam, Domum, trabes, poſtes, parietes ejus & oſtia ejus auro, ſculpſitque Cherubim in parietibus.

8. Fecit & domum Sancti Sanctorum, cujus longitudo erat in facie latitudinis ædis cubitorum viginti, & latitudo ejus erat cubitorum viginti, obduxitque ipſum auro bono, Talentis ſcilicet ſexcentis.

2. Cœpit autem ædificare menſe ſecundo, anno quarto regni ſui.

3. Et hæc ſunt fundamenta, quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum DEI, longitudinis cubitos in menſura prima ſexaginta, latitudinis cubitos viginti.

4. Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta menſuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porro altitudo centum viginti cubitorum erat: & deaurauit eam intrinſecus auro mundiſſimo.

5. Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: ſculpſitque in ea palmas, & quaſi catenulas ſe inuicem complectentes.

6. Strauit quoque pauimentum templi precioſiſſimo marmore, decore multo, porrò aurum erat probatiſſimum.

7. De cujus laminis texit domum, & trabes ejus, & poſtes, & parietes, & oſtia, & cælauit Cherubim in parietibus.

8. Fecit quoque domum Sancti Sanctorum; longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti; & latitudinem ſimiliter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis.

Vid. 1. Reg. Cap. VI. verſ. 1. 2. 3. 20. 21. 22. Cap. X. verſ. 11.

Dant Auri 600. Talenta deaurando Sanctiſſimo adhibita 7332000. Ducatos aureos.

2. Paralip. Cap. III. verſ. 9.

Porrò pondus clauorum habuit quinquaginta Siclos Auri, obduxit & Cœnacula Auro.

Sed & clauos fecit aureos, ita ut ſinguli claui ſiclos quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro.

Novum en in *clauis*, qui inter viliſſimas recenſentur ædificii partes, Magnificentiæ plusquam Regiæ argumentum! cui decedit multùm, ſi cum *Clerico* hos, de quibus Textus, *Siclos* 50. *Auri* ſiue 25. uncias Romanas aſpectes pro ſumma auri omnis clauis impenſi. Sed congruum magis eſt & ſtructuræ Templi totius, & laminarum aurearum clauis affigendarum craſſitiei, clauos ſingulos pependiſſe 50. Siclos. Lucem fœneratur *Eupolemus* apud *Euſebium*. *Templum intrinſecus laterculis quinque cubitorum aureis opere fuſorio deaurauit, atque quaternis argenteis clauis confinxit, talenti pondere, in papillarum ſpeciem ordine diſpoſitis:* quod ultimum ratio facilius admittit, quàm clauos argenteos, quàm pondus horum aſſurgens ad talentum. Clauos æneos florum & foliorum cælaturis aſperos habuere æneæ fores Templi S. Adriano, olim Saturno, ſacri: item Sanctorum Coſmæ & Damiani, olim Caſtoris & Pollucis; fores ipſius Pantheonis. Et haud eſt dubium, fuiſſe hos clauos una cum capitellis ſuis fuſos. De his clauis eorumque uſu, quem iis aſſignamus, extat teſtimonium ſacrum 1. Reg. VI. 21. ſi verba וַיְעַבֵּר בְּרַתִּיקוֹת זָהָב *vajeabber beratthikoth zahab*, benè vertit Vulgata, *& affixit laminas clauis aureis*: Hebræum וַיְעַבֵּר ſignificat propriè, ut id *Arias* vertit, *& vectauit*, quapropter nos referimus ad repagula, peſſulos, *traducens repagula auro*. Sanè de repagulis dubitare non licet, fuiſſe quoque aurea. Illuſtre habemus teſtimonium 1. Reg. VII. 50. ubi recenſitis inſtrumentis ſacris memorantur *cardines januarum ædis interioris, Sancti, ſcilicet Sanctorum, & pro valuis ædis Baſilicæ ex auro. (cardines oſtiorum domus interioris Sancti Sanctorum, & oſtiorum domus templi, ex auro erant.)* Adſtruitur fides dictis, ſi perpendamus incredibilem paterarum, candelabrorum, menſarum, aliorumue inſtrumentorum aureorum argenteorumue numerum, quæ longa ſerie recenſita vide apud *Joſephum Ant.* L. VIII. c. 3. Interim legatur *Villalpand. Explanat. in Ezech.* Tom. II. P. II. c. 42.

2. Paralip. Cap. III. verſ. 10 - 13.

10. Fecit præterea intra Sanctum Sanctorum duos Cherubim opere artificioſo, & obduxit eos auro.	10. Fecit etiam in domo Sancti Sanctorum Cherubim duos, opere ſtatuario: & texit eos auro.
11. Longitudo alarum Cherubim erat viginti cubitorum; una enim ala erat quinque cubitorum, pertingens ad parietem ædis, & altera ala ſimiliter erat quinque cubitorum, pertingens ad alam alterius Cherub.	11. Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius Cherub.
12. Sic ala Cherub alterius quinque erat cubitorum, pertingens ad parietem Domus, & ala altera quinque cubitorum, adhærens alæ alterius Cherub.	12. Similiter Cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem; & ala ejus altera quinque cubitorum, alam Cherub alterius contingebat.
13. Alæ itaque Cherubim iſtorum erant extenſæ cubitis viginti, ipſi autem ſtabant pedibus ſuis, erantque facies eorum intrò verſæ.	13. Igitur alæ utriusque Cherubim expanſæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipſi autem ſtabant erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum.

Vid. 1. Reg. Cap. VI. verſ. 23. &c.

2. Paralip. Cap. III. verſ. 15. 16.

15. Ante Ædem fecit duas columnas longitudine cubitorum triginta	15. Ante fores etiam Templi duas columnas, quæ triginta & quinque quin-

quinque, quod verò obductum fuit capiti ejus, cubitorum quinque.

16. Fecit inſuper catenas juxta rationem, & poſuit in conum columnarum, fecitque mala Punica centum, & poſuit in catenis.

cubitos habebant altitudinis: porro capita earum quinque cubitorum.

16. Nec non & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit.

Vid. 1. Reg. Cap. VII. verſ. 15. 16. 18. 20.

2. Paralip. Cap. IV. verſ. 1.

Et fecit Altare æneum, cujus longitudo erat viginti cubitorum, latitudo ejus viginti cubitorum, altitudo verò ejus cubitorum decem.

Fecit quoque altare æneum, viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.

PAſcere poterat oculos, ſi quid, in area palatiis ſuperbis undique cincta ſub dio erecta *altaris ænei* ſtructura, longa lataque Pedes Pariſinos 33. pollices 4. lineas 4. ſiue Tigurinos 35. pollices 6. alta Pedes Pariſinos 16. poll. 6. lin. 8. Tigurinos 17. poll. 8. Altare intelligo, quod conſtrui & extrui juſſit Solomo Rex loco altaris illius holocauſtorum, quod pertinuit ad tabernaculum, de quo actum ad Exod. XXVII. 1. ſeq. Diſtabat illud 24. cubitis à porta veſtibuli verſus Ortum, ſed magis verſus Meridiem, eo nempe loco, quod nemo facile credet niſi Judæus Apella, quo creatus Adamus, nec ipſe ſolus, ſed quoque Cain & Abel ſacrificia ſua obtulere DEO, imo & Noachus arcam egreſſus, quo & Iſaacus ab Abrahamo patre immolandus erat.

Sunt ex Judæis, qui prætendunt, fuiſſe ſtructuram hanc lapideam, non æream: contra literalem ſenſum Textus noſtri, imò & 1. Reg. VIII. 64. 2. Chron. VII. 7. ubi *altare æneum* cluet. An autem ex ſolida æris conſtiterit maſſa, quod velle videtur *Villalpandus*, qui pondus ei tribuit 20000. centenariorum, vel, quod *Cunæo* placet L. II. *de Rep. Hebr.* c. 5. ligneum ære obductum intus & extus, ſub judice lis eſt. Fundatur poſterior hæc, quam ſeligerem, ſententia analogia Altaris Moſaici, ſed & ratione. Quî enim vel tangi potuiſſet continuo fere ὁλοκαυτωμάτων igne totum perfuſum, haud video. Quod ſi quis cauitatem ligni loco explere malit ſaxis cum *Lyrano*, faciet id me haud refragante.

De cubitis 20. attributis in Textu noſtro tum longitudini tum latitudini judicat R. Joſe in Middoth. c. 3. ſect. 1. intelligendos eſſe de foco ſiue area ſuprema, & 28. cubitorum fuiſſe baſin imam in longitudine & latitudine, & cubitum altam: Huic baſi ſuperimpoſitum fuiſſe parallelepipedum quinque cubitale in altitudine, ſed cubito contractius, 26. proin cubitos latum. Sed non fuiſſe columnam hanc parallelepipediformem retis ad inſtar pertuſam, uti in Altari Moſaico portatili. Columnæ huic ſuperincubuiſſe aliam 3. cubitos altam, rurſus cubito contractiorem, adeoque 24. cubitos latam longamque, & inſeruiiſſe unius cubiti contractionem ambulacri loco Sacerdotibus, quò circum altare ire poſſent. Cornua prodiiſſe ex angulis hujusdem columnæ cubitalia in longitudine & latitudine, ut ſpatium inter cornua medium fuerit 22. cubitorum. Intra cornua adfuiſſe aliud ſpatium cubitale, quod pertigerit ad focum usque, ut vera altaris tum longitudo tum latitudo remanſerit 20. cubitorum. De quibus noſter Textus.

Deeſt in Textu ſpecialior altaris deſcriptio, ut & cliui, quo aſcendebatur ad altare, forte ſaxei, quapropter iconem reſeruamus ad Ezech. XLIII. 13. &c.

Fata altaris hujus Solomonæi haud memorat Scriptura. Certum id, perſtitiſſe ad usque tempora impii Ahas, qui non ſolum æneum mare ſemouit à bobus, & lebetes à baſibus ſuis, ſed nouum prorſus altare fieri curauit ad Damaſceni modulum, idque collocauit inter Templum & vetus altare verſus Septentrionem. An verò nouum hoc altare à filio Hiskia juxta cum aliis aris idololatriæ dicatis 2. Reg. XVIII. 22. fuerit denuò deſtructum, & qualisnam fuerit ejus conſtructio, de eo nîl inuenimus in Sacris. Lapideum fuiſſe præſumere licet ex eo, quòd 2. Reg. XXXV. & Jer. LII. 17. inter alia ænea Templi vaſa à Babyloniis abducta nulla prorſus fiat altaris ænei mentio. Certum id, ſecundi Templi altaris ſtructuram fuiſſe lapideam. v. 1. Maccab. IV. 44. 45. 46. De quo legi meretur eruditione omnimoda refertus Tractatus integer amici quondam mihi conjunctiſſimi, qui νῦν ἐν ἁγίοις, *Johannis Jacobi Crameri.*

2. Paralip. Cap. IV. verſ. 2 - 13.

2. Fecit quoque mare fuſum, habens decem cubitos à labio ſuo ad labium ſuum, rotundum circunquaque, altitudo ejus quinque cubitorum, & linea triginta cubitorum cingebat ipſum per ambitum.

3. Effigies quoque boum erat ſubter ipſum per ambitum, qui ambiebant ipſum, decem cubitis circumibant mare per ambitum. Duo ordines erant boum fuſi in fuſura ejus.

4. Stabat ſuper duodecim boues, tres vertebant faciem ad Septentrionem, tres reſpiciebant ad Occidentem, tres verſi erant ad Meridiem, & tres reſpiciebant ad Orientem, eratque mare illis ſupra impoſitum, poſteriora autem eorum omnia erant introrſus.

5. Craſſities ejus palmum habebat, & labium ejus erat fabrefactum ut labium crateris, germinante Lilio, capiebatque Batorum tria millia.

6. Fecit inſuper decem labra, & poſuit quinque à dextera, & quinque à ſiniſtra, ut lauarent & abluerent in eis opus holocauſti, mare autem, ut in eo lauarent Sacerdotes.

10. Porro mare poſuit à latere dextro ad Orientem, ex aduerſo Meridiei.

12. Columnas duas & Epiſtylia rotunda cum coronamentis ſuper capita columnarum duarum, & reticula duo ad tegendum Epiſtylia duo rotunda, & coronamenta, quæ erant ſuper capita columnarum.

13. Mala Punica quadringenta in duobus retibus, duos nempe ordines malorum Punicorum unicuique

2. Mare etiam fuſile decem cubitis à labio uſque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus.

3. Similitudo quoque boum erat ſubter illud, & decem cubitis quædam extrinſecus cælaturæ, quaſi duobus verſibus aluum maris circuibant: boues autem erant fuſiles.

4. Et ipſum mare ſuper duodecim boues poſitum erat, quorum tres reſpiciebant ad Aquilonem, & alii tres ad Occidentem: porro tres alii Meridiem, & tres, qui reliqui erant, Orientem, habentes mare ſuperpoſitum: poſteriora autem boum erant intrinſecus ſub mari.

5. Porro vaſtitas ejus habebat menſuram palmi, & labium ejus erat quaſi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria millia metretas.

6. Fecit quoque conchas decem, & poſuit quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, ut lauarent in eis omnia, quæ in holocauſtum oblaturi erant: porro in mari ſacerdotes lauabantur.

10. Porro mare poſuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem.

12. Hoc eſt, columnas duas, & epiſtylia, & capita, & quaſi quædam retiacula, quæ capita tegerent ſuper epiſtylia.

13. Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum ſinguli reti,

reti, ut tegerent duo Epiſtylia & coronamenta, quæ erant in ſummitate columnarum.

lis retiaculis jungerentur, quæ protegerent Epiſtylia, & capita columnarum.

Vid. 1. Reg. Cap. VII. verſ. 16. 17. 18. 20. 23. ad 26. 38. 39. 41. 42.

2. Paralip. Cap. VII. verſ. 1.

Cumque Solomon finem feciſſet orandi, ignis deſcendit de cœlis, & deuorauit holocauſtum & victimas, & Gloria DOMINI impleuit domum DOMINI.

Cumque complêſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cœlo, & deuorauit holocauſta & victimas: & majeſtas DOMINI impleuit domum.

2. Paralip. Cap. VIII. verſ. 17. 18.

17. Tunc profectus eſt Solomon in Eziongaber, & in Eloth in littore maris in terra Edom.
18. Miſerat autem ei Hiram per manum ſeruorum ſuorum naues, & famulos, qui gnari erant maris, veneruntque cum ſeruis Solomonis in Ophir, & tulerunt illinc Auri Talenta quadringenta & quinquaginta, & aduexerunt ad Regem Solomonem.

17. Tunc abiit Salomon in Aſion-gaber, & in Ailath ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom.
18. Miſit autem ei Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues, & nautas gnaros maris, & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir: tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.

Vid. 1. Reg. Cap. IX. verſ. 28. X. verſ. 11.

2. Paralip. Cap. IX. verſ. 1.

Regina quoque Saba audita fama Solomonis venit Hieroſolyma, ut tentaret Solomonem acutis quæſtionibus (venit, inquam) exercitu valde magno, cum Camelis portantibus odores, & Aurum in copia, lapidesque pretioſos.

Regina quoque Saba cum audiſſet famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus, in Jeruſalem, cum magnis opibus & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque precioſas.

Vid. 1. Reg. Cap. X. verſ. 2.

2. Paralip. Cap. IX. verſ. 9.

Dedit præterea Regi centum & viginti Talenta Auri, & odoramentorum magnam vim, lapides quoque pretioſos; hujusmodi odores,

Dedit autem Regi centum viginti talenta Auri, & aromata multa nimis, & gemmas precioſiſſimas: non fuerunt aromata talia, ut qua-

quales attulerat Regina Saba Regi Solomoni, non fuerunt.

hæc, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.

Vid. 1. Reg. Cap. X. verſ. 10.

2. Paralip. Cap. IX. verſ. 10. 13. 15. 16. 17. 21.

10. Ad hæc ſerui Hiram, & ſerui Solomonis, qui adferebant Aurum ex Ophir, aduexerunt quoque ligna Algumim, & lapides pretioſos.

13. Jam pondus Auri, quod venit Solomoni ſingulis annis, fuit ſexcenta & ſexagena ſex talenta Auri.

15. Fecit quoque Rex Solomon ducentas haſtas ex Auro ductili, ſingulæ haſtæ habebant ſexcenas (minas) Auri ductilis.

16. Et trecenta ſcuta ex Auro ductili, trecenas (minas) Auri ſingulis ſcutis, repoſuitque ea Rex in domo Saltus Libani.

17. Fecit deinde Rex Solium magnum eburneum, obduxitque illud Auro mundo.

21. Siquidem Claſſis Regis ibat in mari cum ſeruis Hiram: ternis annis ſemel veniebat Claſſis marina adferens Aurum, Argentum, Ebur, Simias atque Pauones.

10. Sed & ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyna, & gemmas precioſiſſimas.

13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos, ſexcenta ſexaginta ſex talenta auri.

15. Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur.

16. Trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta: poſuitque ea Rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.

17. Fecit quoque Rex ſolium eburneum grande: & veſtiuit illud auro mundiſſimo.

21. Siquidem naues regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram, ſemel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur & ſimias, & pauos.

Vid. 1. Reg. Cap. X. verſ. 11. 16. 17. 18. IX. verſ. 28.

2. Paralip. Cap. IX. verſ. 27.

Et aduexit Rex Argentum in Jeruſalem, ut lapides, & Cedros aduexit ut Sycomoros, quæ in planitie abundant.

Tantamque copiam præbuit argenti in Jeruſalem, quaſi lapidum: & cedrorum tantam multitudinem velut ſycomororum, quæ gignuntur in campeſtribus.

Vid. 1. Reg. Cap. X. verſ. 27.

2. Paralip.

2. Paralip. Cap. X. verſ. 11. 14.

— Pater meus caſtigauit vos flagellis, ego autem caſtigabo vos flagris aculeatis.

— Pater meus cecidit vos flagellis, ego verò cædam vos ſcorpionibus.

Vid. 1. Reg. Cap. XII. verſ. 11. 14.

2. Paralip. Cap. XVI. verſ. 12.

Ægrotauit autem Aſa anno Regni ſui trigeſimo nono pedibus ſuis, donec morbus ſuus valde increſceret —

Ægrotauit etiam Aſa anno triceſimo nono regni ſui dolore pedum vehementiſſimo —

EA eſt morborum in Sacro Codice memoratorum conditio, ut conjecturæ potior locus ſit, quàm demonſtrationi. Non eas obſeruant Regulas Scriptores ſacri, quas Medici præſcribunt Medicis. Haud enumerant diſtinctè loca affecta, accidentia, ſymptomata, initium, progreſſum, ἀκμὴν, declinationem, intenſiones, remiſſiones, remediorum adhibitorum vel regiminis obſeruati vires, quæ quidem omnia ad hiſtoriam morbi condendam abſolutè ſunt neceſſaria. Legatur hac de re diuus Hippocrates περὶ Νόσων, cujus Præcepta ſequuntur & venerantur moderni. Interpretibus Sacræ Scripturæ id in hiſtoria plurimorum morborum accidit, quod nobis Medicis, ſi de paucis iisque haud Pathognomonicis ſignis fiat relatio, ex quibus hariolari vix licet, nedum judicare ſolidè. Hæc ferè eſt ratio morbi, quo lethaliter decubuit *Aſa.* Hunc *Podagræ* nomine communiter baptizant Commentatores, qui pedum dirus morbus jam olim eos potius afflixit, qui diuitiis abundant, quàm eos, qui cum pauperie certant. Augurari fortè quid licet ex morbi hujus incremento, qui Regem lecto affixit. Textus habet עַד לְמַעְלָה *ad lemalah.* LXX. ἕως σφόδρα, item ἕως ἄνω, *usque ſupra, usque ad ſupra*, quæ loquendi ratio quadrat Podagræ à pedibus verſus ſuperiora veluti regurgitanti, vel reaſcendenti, Galli aptè vocant *une Goute remontée.* Morbus hic nullum vitæ intentat periculum, quam diu hæret in partibus ignobilioribus, artubus extremis, ſed ægro doloribus aliquandiu fatigato, neruoſo ſyſtemate tot reiteratis vellicationibus dolorificis fatigato & laſſato, ſi malum metaſtaſi fatali remigret ad viſcera nobiliora, abdominis, pectoris & capitis, filum vitæ abrumpitur facile. Tolerari poteſt hæc exegeſis, ſed nec proſcribi alii pedum morbi, (quandoquidem pedum generalis fit mentio,) quos inter mihi quidem haud diſpliceret tumor *pedum œdematoſus*, qui ad viſcera ſenſim ſine ſenſu aſcendens, majoribus ſucceſſiuè incommodis, abdominis tenſione, Dyſpnœa, ægro moleſtus in Aſciten, Pectoris Hydropem, mortemque ipſam deſinit.

TAB. D.

2. Paralip. Cap. XXI. verſ. 18. 19.

18. Poſt hæc omnia feriit eum (Joramum) DOMINUS in viſceribus ejus morbo incurabili.

19. Factum eſt autem poſt dies aliquot, quum tempus eſſet exactum poſt finem annorum duorum, effluxerunt viſcera ejus in ipſo morbo ejus, mortuusque eſt peſſimis morbis, nec fecerunt ei buſtum, quemadmodum buſta fecerunt patribus ſuis.

18. Et ſuper hæc omnia percuſſit eum DOMINUS alui languore inſanabili.

19. Cumque diei ſuccederet dies, & temporum ſpatia voluerentur, duorum annorum expletus eſt circulus; & ſic longa conſumptus tabe, ita ut egereret etiam viſcera ſua, languore pariter, & vita caruit.

PRædixerat ante dirum hoc malum Joramo Elias, ut certus eſſet Rex, eſſe morbum θεήλατον v. 15. *Te percutiet doloribus magnis, morbo viſcerum tuorum, donec effluant viſcera tua præ dolore, qui in dies creſcet. (Tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies.)* De hoc morbo generatim id eſt animaduertendum, quod ſupra diximus de Aſæ morbo. Verba Textus ideas dant vagas, ut omnino liceat Interpretibus ventris huic vel viſcerum morbo, νόσῳ κοιλίας LXX. tale dare ſpecificum nomen, quod cuiuis videtur eſſe conueniens magis. Placet his *Dyſenteria*, doloroſa ſanguinis per inferiora excretio, aliis *Teneſmus*, continuus egerendi conatus, & tantus, qui comitem habet, vel inſequentem, *Procidentiam Ani:* aliis *Fiſtula Ani*, qua nunc ſanguis excernitur, nunc Pus: aliis *Hernia*, ſpeciatim inteſtinalis, & quæ per *inflammationis* viam abit in *Ileum*, tandemque terminatur morte: aliis *Colica*, unus ex doloriſſimis imi ventris affectibus, quo & *Arius crepuiſſe* dicitur *medius viſceribus effuſis* apud *Sozomen. Hiſt. Eccleſ.* c. 29. 30. Sunt voces מֵעִים, מֵעָה *meab, meajim*, κοιλία, *viſcera*, voces omnibus nobilioribus partibus internis, cauis præſertim, κοίλοις, communes: in ſtrictiori paulò ſignificatu habemus τὴν ἄνω κοιλίαν, ventriculum, καὶ τὴν κάτω κοιλίαν Aluum ſeu Anum. Et fortè intelligi poteſt utraque Aluus, ſuperior & inferior, euacuatio lethalis ἄνω καὶ κάτω, inflammatione ſtipata & doloribus intenſiſſimis, qualem habemus in cholera, vel & iliaca paſſione. Sic autem non egeſta fuerint viſcera ipſa, ſed contenta duntaxat, quæ ſumuntur paſſim pro continenti. Qui tum Eliæ prædictionem, tum Textum effectus teſtem attentius conſiderat, is haud obſcurè videbit, conflictatum eſſe diu Joramum cum multis & grauibus morbis, nominatim imi ventris, qui propter multiplices neruorum plexus ſolent eſſe doloriſſimi: cruciatum iteratis torminibus, emaciatum frequentibus dejectionibus, vel & vomitibus, quam malorum Iliadem tandem finire poterat ipſum Iliacum, vel Diarrhœa colliquatiua, abraſis ipſis non ſolùm Inteſtinorum interioribus membranis, ſed totius corporis ſolidioribus partibus. Abundet ſuo ſenſu quilibet.

2. Paralip. Cap. XXV. verſ. 18.

Tum miſit Joas Rex Iſrael ad Amaziam, Regem Juda, hujuſmodi mandata: Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad Cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: Da filiam tu-

At ille remiſit nuncios, dicens: Carduus, qui eſt in Libano, miſit ad Cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: & ecce, beſtiæ, quæ erant in ſylua

TAB. D.

II. PARAL. Cap. XXI. v. 18. 19.
Ioram Colicus.

II. Büch der Chron. Cap. XXI. v. 18. 19.
Jorams ſchmertzhaffte Grimen.

Catharina Sperlingin sculp.

II. PARAL. Cap. XXVII. v. 4. 5.
Castella pro coercendis tributariis.

II. Buch der Chron. Cap. XXVII. v. 4. 5.
Berg- und Defensions-Schlöſſer.

I. G. Pintz sculps.

ESR. Cap. II. v. 64. 65. NEH. Cap. VII. v. 66. 67.
Exitus Iſraelitarum ex Babele.

Buch Eſr. Cap. II. v. 64. 65. B. Neh. C. VII. v. 66
Iſrael ziehet aus Babel.

I. G. Pintz sculp

LIBER ESRÆ.

TAB. DIII.

Eſr. Cap. II. verſ. 64. 65.

64. Uniuerſæ multitudinis ad unum uſque quadraginta duo millia trecenti & ſexaginta.
65. Præter ſeruos eorum & ancillas eorum, quorum erant ſeptem millia, trecenti & triginta ſeptem, erantque eis cantores & cantatrices ducenti.

64. Omnis multitudo, quaſi vir unus, quadraginta duo millia trecenti ſexaginta:
65. Exceptis ſeruis eorum & ancillis, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem: & in ipſis cantores atque cantatrices ducenti.

Nehem. Cap. VII. verſ. 66. 67.

66. Totius igitur multitudinis ad unum uſque quadraginta duo millia trecenti & ſexaginta.
67. Præter ſeruos eorum & ancillas eorum, quorum fuerunt ſeptem millia, trecenti triginta ſeptem. Fuerunt & inter eos cantores & cantatrices, nempe ducenti & quadraginta quinque.

66. Omnis multitudo, quaſi vir unus, quadraginta duo millia trecenti ſexaginta:
67. Abſque ſeruis & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia trecenti triginta ſeptem: & inter eos cantores, & cantatrices, ducenti quadraginta quinque.

SUnt hæc ex vexatiſſimis Scripturæ Sacræ locis, quæ anſam oſoribus veritatis dant Sacri Codicis αὐθεντίαν vel cauillandi vel ſubruendi. Hos inter eminet ſpinoſus ille *Spinoza* Tract. *Theol. Polit.* c. 10. p. 133. Perſtringunt hi cenſoriâ virgulâ ſummam 42360. eorum, qui Cyro Rege jubente, & gratioſè concedente ex Captiuitate Babylonica rediere Hieroſolymam, quod incongrua ſit expoſita ſumma partibus ſingulis additis, contraria primis Arithmeticæ regulis, utpote quæ partium ſumma aſcendat duntaxat ad 29818. Irrepſiſſe proin errorem ſiue in ſummam, ſiue in partes ſingulas, & in his potius quærendum, quam in illa, quod facilius memoria hæſerit ſumma integra, quàm familiarum ſingularum numeri. Accedit, quòd Nehemias eandem cum Esra producat ſummam, ſed in familiarum enumeratione multum diuertat, numeros particulares nunc augens, nunc minuens, qui omnes adſurgerent ad 31089. Audiamus *Spinozam* cauillantem. *Commentatorum*, inquit, *qui has euidentes contradictiones reconciliare conantur, unusquisque pro viribus ſui ingenii quicquid poteſt fingit, & interea, dum ſcilicet literas & verba Scripturæ adorant, nihil aliud faciunt, quam Bibliorum Scriptores contemtui exponere, adeò ut viderentur neſciuiſſe loqui, neque res dicendas ordinare: imo nihil aliud faciunt, quàm Scripturæ perſpicuitatem plane obſcurare. Nam ſi ubique liceret Scripturas ad eorum modum interpretari, nulla eſſet ſanè oratio, de cujus vero ſenſu non poſſemus dubitare. Sed non eſt, cur circa hæc diu detinear, mihi enim perſuadeo, quod ſi aliquis Hiſtoricus ea omnia imitari vellet, quæ ipſi Scriptoribus Bibliorum deuotè concedunt, eum ipſi multis modis irriderent. Et ſi putant, eum blaſphemum eſſe, qui Scripturam alicubi mendoſam eſſe dicit, quæſo quo nomine tum ipſos appellabo, qui Scripturis quicquid lubet affingunt? qui Sacros Scriptores ita proſtituunt, ut balbutire & omnia confundere credantur? qui denique ſenſus Scripturæ perſpicuos & euidentiſſimos negant. — ridicula ſanè pietas, quod loca clara obſcuris, & recta mendoſis accommodent, & ſana putridis corrumpant.* Moderatio-

res hac in parte *Lud. Capellus* & *Clericus* errores confitentur in Eſra & Nehemia, ſed cauſam conjiciunt in Sacri Codicis Copiſtas, qui facile, circa numeros inprimis, committere ſphalmata poterant, qualia irrepſiſſe volunt in *Joſeph. Ant.* L. XI. c. I. Textus ita ſe habet. τῶν δ᾽ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας συνελθόντων εἰς Ἱεροσόλυμα Μυριάδες ἦσαν τέσσαρες καὶ διχίλιοι, τετρακόσιοι καὶ ἑξήκοντα δύο. *Eorum verò, qui è captiuitate conuenerunt Hieroſolyma, Myriades erant quatuor, duo millia & quadringenti ſexaginta duo.* Ubi pro νξβ΄. qui extant in Exemplaribus editis ſcribendum vult *Clericus* τξ. quod Græci aliter hic non habeant ac Hebræi τριακόσιοι ἑξήκοντα. Fatentur mecum Orthodoxi, qui pro Sacri Codicis literis, apicibus & punctis pugnant tanquam pro aris & focis, differre Eſram à Nehemia tum in numeris partialibus familiarum, tum in ſumma totali, ſed negant, quam alii in præjudicium αὐθεντίας formant, conſequentiam. 12542. illos, qui familiis pro complemento ſummæ totalis 42360. inſuper addi debent, quærunt partim apud Iſraelitas, qui ex reliquis decem tribubus ſeſe adſociârunt Judæis, partim apud Leuitas, & alios, qui Genealogias ſuas probare non poterant. Ubi hujusmodi effugia, & probabiles admodùm rationes explicandi ſaluo manente Textu præſtò ſunt, non diſcedendum eſt facile à litera. Conſtat, Eſram & Nehemiam non eodem tempore adgreſſos fuiſſe iter, & contingere facile poterat, ut multi ex Nehemiæ ſociis adjuncti fuerint illis, qui jam ante aſcenderant Eſra Duce Hieroſolymam, unde forſan eſt, quòd plerique ex Nehemiæ numeris, ſicubi ab Eſraicis differunt, ſint majores: Adde, multos potuiſſe ante Nehemiæ aduentum diem ſuum obire, alios in lucem edi, ut proin habuerit Nehemias, quos in enumeratione ſua nunc adderet, nunc ſubtraheret. Patebunt hæc luculentius ex ſubjuncto familiarum parallelismo.

	apud Eſram	Nehemiam
Filii Parhos - -	2172.	2172.
Sephatiæ - -	372.	372.
Arah - - -	775.	652.
Pahat-Moab -	2812.	2818.
Elam - - -	1254.	1254.
Zattu - - -	945.	845.
Filii Saccai - - -	760.	760.
Bani - - -	642.	648.
Bebai - - -	623.	628.
Asgad - -	1222.	2322.
Adonikam - -	666.	667.
Biguai - -	2056.	2067.
Adin - - -	454.	655.
Ather - - -	98.	98.
Bezai - - -	323.	324.
Jorah - - -	112.	112.
Haſum - - -	223.	
Gibbar - - -	95.	95.
Bethlehem - -	123.	188.
Netopha - - -	56.	
Anathoth - -	128.	128.
Asmaueth - -	42.	42.
Ciriath Arim, Cephirah & Beeroth - -	743.	743.
Rama & Gaba -	621.	621.
Michmas - -	122.	122.
Bethel & Ai -	223.	123.
Nebo - - -	52.	52.
Magbis - - -	156.	
Elam ſecundi -	254.	1254.
Harim - - -	320.	320.
Lod, Hadid, Ono	725.	721.
Jericho - - -	345.	345.
Senaa - - -	3630.	3930.
Sacerdotes.		
Filii Jedaja - - -	973.	973.
Immer - -	1052.	1052.
Pashur - -	1247.	1247.
Harim - -	1017.	1017.
Leuitæ ex filiis Jeſua & Kadmiel, filiis Hodauia - -	74.	74.
Cantores, filii Aſſaph	128.	148.
Portarii - -	139.	138.
Nethinim & filii ſeruorum Solomonis -	392.	392.
Delaja, Tobiah, Nekodah	652.	642.
Summa additorum numerorum. -	29918.	31089.
- - expreſſa. -	42360.	42360.
Differentia - -	12442.	11271.

Eſr. Cap. VIII. verſ. 26. 27.

26. Et appendi in manum eorum Argenti Talenta ſexcenta & quinquaginta, vaſorum argenteorum centum Talenta, Auri centum Talenta.

27. Pelues aureas viginti, habentes ſolidos millenos, & vaſa ænea au-

26. Et appendi in manibus eorum ar-
genti talenta ſexcenta quinqua-
ginta, & vaſa argentea centum
Auri centum Talenta.

27. Et cratêres aureos viginti, qui ha-
bebant ſolidos millenos: & va-
ricol

ricoloria elegantia duo, expetibilia ut Aurum.

æris fulgentis optimi duo, pulchra ut Aurum.

SUmmam en Auri Argentiue ingentem, quam captiuus hactenus, omnibus opibus deſtitutus, cum miſeria & omni calamitatum genere conflictans populus, nunc libertati ſuæ reſtitutus, Hieroſolymam reuehit, pro ſeruitio atque ædificio Templi! Perrarum gratioſiſſimæ generoſitatis in Regibus Cyro & Artaxerxe Exemplum, utpote qui non ſolùm reſtituunt ſponte, quæ ex Templo Hieroſolymitano Babelem deducta Gazæ illata fuerunt Regiæ, ſed & tributum permittunt, imo imperant, inter Gentes Paganas pro cultu alieno! Appendit *Eſdras* iis, quibus theſaurus hic concreditus fuerat, *Argenti* 650. *Talenta*, id eſt, 975000. Imperiales; *vaſorum argenteorum* 100. *Talenta*, quæ dant 150000. Imperiales; *Auri* 100. *Talenta*, quæ æquiualent Ducatis aureis 1222000. Porrò *pelues aureas viginti, habentes* 1000. *ſolidos*. Habet heic originalis Textus אֲדַרְכֹנִים *adarconim*, quam vocem interpretantur alii per *Drachmas*, per *Daricos* alii, quæ aurea Perſarum moneta ex mente *Rich. Cumberlandi* æquiualet Libræ Sterlingicæ, juxta *Eiſenſchmidium* Atticis Drachmis 20. ſiue florenis 4. crucigeris 30. unâ Drachmâ poſitâ pro 13½. crucigeris. De qua re plura ad 1. Paralip. XXIX. 7. Seriem donorum ſacrorum claudunt *vaſa ænea auricoloria elegantia duo, expetibilia ut aurum.* Habent LXX. σκεύη χαλκῆ ςίλβοντος, *Vulgata* & *Caſtalio*, *vaſa æris fulgentis*, Arabica verſio, *vaſa æris fulgurantis*, Syriaca, *vaſa æris Corinthii*, *Junius*, *inſtrumenta ex Orichalco præſtante.* Indicant hæ Verſiones omnes *æs* quoddam pretioſum, & forſan *Perſicum* illud vel *Indicum*, quod in *Mirabilibus* ita deſcribit *Ariſtoteles*. Φασὶ δὲ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν ὅτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν καὶ ἀνίωτον, ὡς μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσόν. Ἀλλ᾽ ἐν τοῖς Δαρείȣ ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείȣς, ἅς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ ἄλλως ȣ̓κ ἦν διαγνῶναι πότερον εἰσὶ χαλκαῖ ἢ χρυσαῖ. *Ajunt, æs eſſe in Indis tam lucidum, & purum, & rubiginis expers, ut colore ab auro non dignoſcatur. Sed & inter Darii pocula aliquot eſſe batiacas, de quibus aliter quàm ex olfactu dijudicari non poſſit, utrum æreæ vel aureæ ſint.* Judicat *Bochartus Hieroz.* P. II. L. VI. c. 16. eſſe hoc æs ipſum Ezechielis *Chasmal* I. 27. & χαλκολίβανον Apoc. I. 15. II. 18. ſiue Ἤλεκτρον, *Electrum* veterum. De hoc ære, quod in Orientali India *Suaſſa* vocatur, amplior dabitur fortè differendi locus occaſione *Chasmalis*.

LIBER NEHEMIÆ.

Nehem. Cap. VII. verſ. 70. 71. 72.

70. Pars autem præcipuorum patrum dederunt pro opere; Hathirſatha dedit in theſaurum auri ſolidos mille, pelues quinquaginta, tunicas ſacerdotales quingentas & triginta.

71. Et ex præcipuis patribus dederunt auri ſolidi viginti mille, & argenti minæ bis mille, & tunicæ ſacerdotales ſexaginta ſeptem.

72. Quod autem reliqui ex populo dederunt, auri ſolidi viginti mille, & argenti minæ bis mille, & tunicæ ſacerdotales ſexaginta ſeptem.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt impenſas in opus. Atherſatha dedit in theſaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas ſacerdotales quingentas triginta.

71. Et de principibus familiarum dederunt in theſaurum operis auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti minas duo millia & tunicas ſacerdotales ſexaginta ſeptem.

INſeruiit tributum hocce reædificando Templo, quod conſtat ex Eſdr. II. 68. 69. *Ex præcipuis patribus, quum veniſſent ad Ædem DOMINI, quæ erat Hieroſolymis, liberales ſe exhibuerunt pro Domo DEI, ut collocarent eam ſuper baſi ſua. Pro viribus ſuis dederunt ad theſaurum operis aurearum drachmarum unam & ſexaginta millia, & argenti minas quinquies mille, & veſtes ſacerdotales centum. (Et de principibus patrum, cum ingrederentur templum*

plum DOMINI, quod eſt in Jeruſalem, ſponte obtulerunt in domum DEI ad extruendam eam in loco ſuo. Secundum vires ſuas dederunt impenſas operis, auri ſolidos ſexaginta millia & mille, argenti minas quinque millia, & veſtes ſacerdotales centum.) De Daricis aureis actum ſupra. Horum ſumma 41000. ſi *Cumberlandum* ſequaris, dat totidem Libras Sterlingicas: ſi *Eiſenſchmidium* 184500. florenos: ſi *Ed. Bernardum* 221400. nam is Daricum æqualem facit 16. Solidis Anglicis (Schilling.) Computum præterea intrant 4000. Minæ Argenti. LXX. habent v. 71. μνᾶς διχιλίας τριακοσίας, pro quibus neſcio cur translator poſuerit *bis mille quadringentas,* v. 72. διχιλίας διακοσίας, *bis mille ducentas.* Textus originalis habet מָנִים *manim.* Æquiualet autem Mina Hebraica 60. Siclis. Conſtat id ex Ezech. XLV. 12. *Siclus viginti obolorum erit, & viginti ſicli, viginti quinque ſicli, quindecim ſicli erunt vobis Mina. (Siclus autem viginti obolos habet: porro viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli, minam faciunt.) Joſephus Ant.* L. XIV. c. 12. ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἴχει λίτρας β. καὶ ἥμισυ. *Mina apud nos valet Libras duas ſemis,* i. e. 30. uncias. *Eiſenſchmidius* pretium Minæ reducit ad 30. Imperiales; dabunt proin Minæ 4000. Imperiales 120000.

TAB. DIV.

Nehem. Cap. VIII. verſ. 15.

— Egredimini in montem, & afferte frondes oleæ, & frondes ligni pinguis, frondes hadas, frondes palmarum, & frondes denſæ arboris, ut fiant tentoria, ſicut ſcriptum eſt.

— Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.

OCcurrunt in Hiſtoria *Feſti Tabernaculorum*, quod *omnium ſanctiſſimum & maximum* cluet *Joſepho*, ἑορτὴ τοῖς ἑβραίοις ἁγιοτάτη καὶ μεγίςη, varia, quæ varios occupant, Theologos, Antiquitatum Judaicarum curioſos, Criticos, Hiſtoricos. Nos ea ſeligemus, quæ noſtri ſunt fori, herboriſaturi cum Judæis, decerpturi arborum frondes, easdemque collaturi cum Lev. XXIII. 40. ubi memorantur *fructus ligni ſpecioſi, rami palmarum, & rami arboris denſæ, & ſalices torrentis: (fructus arboris pulcherrimæ, ſpathalasque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente.)* Tabernacula ſub dio ex frondibus elegantis viroris & gratiſſimi odoris conſtructuri, frondes in manibus geſtaturi. Vero equidem eſt ſimile, exprimi in Textu noſtro, & Leuit. loco citato arbores certas, non quod ex iis ſolis, aliis quibuscunque excluſis, conſtruerentur tabernacula; quæ enim, quæſo, Regio ſuffeciſſet millenis tot uno eodemque in loco tabernaculis? Licitum erat & alias quascunque, hederas, pinus, papulos, betulas, accerſere in conſortium, ſed conueniebat inprimis frondes ſeu ramos decerpere ex arboribus multi & glutinoſi, vel & reſinoſi ſucci, ne citò nimis vel virorem amitterent, vel areſcerent. עֲלֵי־זַיִת *ale tſajith*, LXX. φύλλα ἐλαίας, *frondes* folioſæ *oleæ.* Eſt arbor hæc ſucco oleoſo diues, viroris conſtantis, ſymbolum populi DEI. Rom. XI. 17. Hoſ. XIV. 6. Præconum Euangelii. Zach. IV. 3. 13. *Mineruæ* apud Athenienſes cumprimis *ſacra.* Plin. L. XII. c. 1. adeò ſacra, ut *in profanis uſibus pollui fas non fuerit, & ne propitiandis quidem numinibus accendi ex ea altaria aræue debuerint.* Id. L. XV. c. 30. Manſit & nominis זַיִת viror apud Populos Orientales. Turcis olea eſt *zeitun, zeitunet aghagi:* oleum oliuarum *zeitun jaghy, zeit jaghy. Meninzk. Lex.* 2497. Sequuntur עֲלֵי עֵץ שֶׁמֶן *ale ets ſchemen, frondes ligni pinguis*, LXX. φύλλα ξύλων κυπαρισσίνων, *folia lignorum cupreſſinorum;* placet Vernaculæ noſtræ *Balſamum, Balſam-Zweige*, ſcopo apprimè quadrans, ſed pretioſum nimis id, & in Judæa perrarum. Ut *Cupreſſo* potius, vel cuiuis alii ex reſiniferis arboribus dare poſſimus, quam Balſamo, ſuffragia. Sanè *Senw* & *Zebri Zemin.* Turcis adhuc notat Cupreſſum. *Meninzk. Lex.* 2488. 2870. Placeret & *Jaſmini* omne genus, utpote grati & viroris, & odoris, cujus quoque flores ſunt in deliciis. Vox ipſa, *Jaſminum*, Turcarum *jaſemin* alludit ad Hebræorum *Schemen*, imo Perſæ fruticem hunc adhuc nominant *Semen, ſæmſæk, ſimſyk, ſiimſuk*, ut Jaſminum album & oleum *Zæmbæk*, *Meninzk. Lex.* 2672. 2674. 2470. Decerpere licebat porrò עֲלֵי הֲדַס *ale hadas*, LXX. φύλλα μυρσίνης, *frondes hadas*, id eſt, ut Vernacula exprimit, *Myrti, Myrten-Zweige.* Commendabat ſe Myrtus

TAB. DIV.

NEHEM. Cap. VIII. v.15
Feſtum Tabernaculorum.

Büch Nehem. Cap. VIII. v. 15.
Laüberhütten-Feſt.

I. G. Pintz sculps.

ESTH. cap. I. v. 6.
Regia Ahasveri magnificentia.

Buch Eſth. Cap. I. v. 6.
Ahasveri Königlicher Pracht

B. Probst

tus conſtanti foliorum virore, & ſuaueolentia, arbor παραβλαςικὴ, ſoliditate ligni.

Solido Paphia de robore Myrtus.

Virgil. Georg. L. II. Fidelium Symbolum, quæ & triumphantibus olim coronas dedit. Inprimis poterant ſtruendis tabernaculis ſeruire עֲלֵי תְמָרִים *ale themarim*, memorati quoque Lev. XXIII. 40. Tyri, Damaſci, Judææ, Alexandriæ, Phœnicum in Sicilia, Africa, & Hiſpaniæ coloniarum Symbolum, in horum populorum numis frequentiſſimè obuium, victoriæ quoque ſignum. Habent LXX. φύλλα φοινίκων. Agmen claudunt עֲלֵי עֵץ עָבֹת *ale ez aboth, frondes denſæ arboris, Zweige von dicken Bäumen*, quo nomine videntur indicari rami quarumuis arborum, quarum vimina folioſa connectendis tabernaculis, & umbræ gratæ conciliandæ poterant eſſe apta.

Ex recenſitis fruticibus & arboribus ſiſtimus *Jasminum vulgatius flore albo.* C. B. *Jasminum ſiue Gelſeminum flore albo.* I. B. quod in hortorum angulis apricis & ad ornamenta pergularum pedamentis erigitur. Fig. A. cum ſuo charactere. B.

Myrtus ſequitur *Italica* ſiue *Myrtus ſylueſtris foliis acutiſſimis* C. B. *Myrtus vulgaris nigra & alba, ſatiua & ſylueſtris.* I. B. in Italia non ſolùm, ſed & Oriente familiaris, ramis flexilibus, lentis, rubro cortice, foliis longiuſculis perpetuò virentibus, Punicæ æmulis; floribus candidis, odoratis, baccis oblongis, agreſtes oleas quadantenus referentibus. Hanc ſiſtit Fig. C. & Characteres Myrti Fig. D.

LIBER ESTHER.

TAB. DV.

Eſther Cap. I. verſ. 6.

(Erant illic Aulæa) candida, carbaſina & hyacinthina, funibus byſſinis & purpureis ſuſpenſa ſuper (a) arcus argenteos (qui innitebantur) columnis marmoreis. Lectuli erant aurei & argentei ſuper pauimento conſtrato lapide marmoris Pario & varicolore.

(a) Alii gelile annulos intelligunt.

Et pendebant ex omni parte tentoria ærei coloris, & carbaſini ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis atque purpureis: qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino & Pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat.

Monumentum heîc prolucet magnificentiæ Regiæ in Aula Ahasueri, Perſarum Monarchæ, pretioſius forte, quam primo videtur obtutu. Explicandi veniunt varii termini, & formandus ſimul de rebus ipſis conceptus loco & poſſeſſori adæquatus. Qualianam ſint aulæa ex lino albo חוּר כַּרְפַּס *chur carpas*, (hæc enim conjungenda puto, ut *Arias* habet *candidum carpaſi*) καρπάσινα LXX. difficile eſt conjectu. Καρπάσιον λίνον vocat *Pauſanias* in *Atticis*, ab urbe Cypri *Carpaſo* aut *Carpaſia*: an fuerit *Asbeſtinum* ſeu *Amiantinum*, igni illud inuictum ex Asbeſto lapide, qui & λίθος καρύςιος, unde & quidam habent λίνον καρύςιον? Lapidis hujus & lini inde confecti meminit *Dioſcorides* L. V. c. 156. Λίθος ἀμίαντος γεννᾶται μὲν ἐν Κύπρῳ, ςυπτηρίᾳ χιςῇ ἐοικὸς. ὃν ἐργαζόμενοι ὑφάσματα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ, ὄντος ἱμαντώδους πρὸς θέαν, ἃ βληθέντα εἰς πῦρ φλογοῦνται μὲν, λαμπρότερα δὲ ἐξέρχονται μὴ κατακαιόμενα. *Amiantus lapis in Cypro naſcitur, ſciſſo alumini ſimilis, quo utpote flexili telas & vela tantum ſpectaculi gratia texunt, quæ ignibus injecta ardent quidem, ſed flammis inuicta ſplendidiora exeunt.* De hoc Asbeſtino lino audiamus *Plinium* L. XIX. c. 1. *Inuentum eſt etiam, quod ignibus non abſumeretur. Viuum id vocant, ardentesque in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis aduſtisque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras ſerpentes: aſſueſcitque viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu pro-*

pter breuitatem. Rufus de cœtero color, ſplendeſcit igni. Cum inuentum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum. Ita is appoſitè magis ad rem præſentem, appoſitè de asbeſtini lini, ſi carpaſinum illud fuerit, & raritate, & pretio. Ut nunc Gazas ornarent regias aulæa ex hujusmodi linis igni inuictis contexta, ſiquidem eſſent, ut non ſunt, cognita. Pari fere ratione pretii paſſu ambulant *lina hyacinthina*, תְּכֵלֶת *theceleth*, βύσσινα. *Proximus*, ita *Plinius* l. c. *principatus byſſino, mulierum maximè deliciis circa Elim in Achaja genito: quaternis denariis ſcripula ejus permutata quondam, ut auri, reperio.* Fuit autem *Byſſus* Lini genus ex lana arborum, *Goſſipium* hodie vocamus, confectum; *Sericum* vocat *Strabo*, τοιαῦτα δὲ τὰ Σηρικὰ ἐκ τινῶν φλοιῶν ξαινομένης βύσσȣ. Sed de pretioſiſſima hac lana, שֵׁשׁ *ſcheſch, Byſſus*, dicta, aurei potius quàm candidi coloris fuſius actum ad Exod. XXV. 4. quò Lectorem remittimus, ut & de voce תְּכֵלֶת, quæ colorem cœruleo-purpureum indicare videtur. Pro *Byſſo* ipſo occurrit heic vox בוּץ *buz*, Græcæ βύσσος affinis, ut hæc filia, illa mater vocari poſſit. Non morabitur nos, quæ proximè ſequitur, vox אַרְגָּמָן *argaman*, explicata ad locum Exodi citatum, *purpuram* vel *purpureum colorem*, pretioſiſſimum illum veterum animalis originis, certò ſignificans. Fuerunt aulæa hæc & coloribus, & raritate materiæ, & pretio inſignia, *funibus byſſinis & purpureis ſuſpenſa ſuper arcus* (vel annulos) *argenteos, qui innitebantur columnis marmoreis*, LXX. ἐπὶ χοινίοις βυσσίνοις καὶ πορφυροῖς, ἐπὶ κύβοις χρυσοῖς καὶ ἀργυροῖς, ἐπὶ ςύλοις Παρίνοις καὶ λιθίνοις, *ſuper funibus byſſinis & purpureis, ſuper cubos aureos & argenteos, ſuper columnas Parias & lapideas*, quæ παράφρασις indicat, fuiſſe ad parietes erectas columnas ſuper baſibus ſuis, ſeu ſtylobatis, κύβοις, cubiformibus, coronidibus autem affixos annulos, annulis trajectos funes, è funibus ſuſpenſa aulæa, nempe parietina, quæ Tapetum, *des Tapiſſeries, Tapezereyen*, nomine veniunt. Ita conciliandi mihi videntur LXX. cum Textu originali. Pro *marmore* occurrit שֵׁשׁ *ſcheſch*, contracta ex שַׁיִשׁ *ſchajiſch*, 1. Paralip. XXIX. 2. רִצְפַת *ritzphath* eſt *pauimentum*, LXX. λιθόςρωτον, ſtratum ſcilicet lapidibus, iisque pretioſis, ut fuere Romanorum *teſſellata*. Sed crucem figunt lapides ipſi, ex quibus λιθόςρωτα illa facta. בַּהַט *bahat Ariæ* eſt *Cryſtallus*, LXX. σμαραγδίτης λίθος, ita & *Hieronymus Smaragdum*. Pro Cryſtallo parum video, quod militet, niſi ב mutaueris in מ. Arabibus hic lapis vocatur *mehat*, Plur. *meha, mehewat, mehejat*, in *Lexico Meninzk.* p. 5043. *Maha* in verſione Arabica, Ezech. I. 27. & Æthiopibus *mahu* vel *machu* cryſtallus eſt potius quàm ὕελος, vitrum, lapis effodi olim ſolitus in Thebaide & Æthiopia, ubi ὕελος πολλὴ καὶ εὐεργὸς ὀρύσσεται teſtibus *Herodoto* L. III. & *Diodoro* L. III. Propius adhuc ad בַּהַט accedere videtur *Batu Dyng*, i. e. *Dæmonis Lapis* Batappenſibus Indis, qui Cryſtalli eſt ſynonymon apud *Rumph. Amboinſch. Rariteitk.* p. 232. Pro *Smaragdo* militat *Villalpandus Explan. Ezech. Tom.* II. P. II. c. 27. Lucem fœneratur ex *Theophraſto* περὶ λίθων. *Plinius* L. XXXVII. c. 5. *Regi Ægyptiorum à Rege Babylonio miſſum Smaragdum munere IV. cubitorum longitudine, & trium latitudine. Et fuiſſe apud eos in Jouis delubro Obeliſcum è IV. Smaragdis XL. cubitorum longitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum.* Quòd ſi loqui lubeat cum Hiſtoriæ Naturalis peritis, *Smaragdum*, gemmam propriè ita dictam, remouebis à notione vocis בַּהַט & ſuffragium dabis potius *Jaſpidi*, quæ viridi inprimis colore ſuperbit. Occurrit Jaſpis σμαραγδίζων apud *Dioſc.* L. V. c. 160. Ἴασπις σμαραγδίζȣσα apud *Pſellum*, τῷ εἴδει σμαραγδίζων apud *Epiphanium*: *Jaſpis Smaragdo ſimilis* apud *Plinium* L. XXXVII. c. 9. Vel, per me licet, ſelige *Marmor*, &, conſentiente *Villalpando*, illud in ſpecie quod *Ophitæ* nomine veniebat veteribus, *quod ſerpentium maculis ſit ſimile, unde & nomen accepit. Plin.* L. XXXVI. c. 7. *Thebanus Ophites Lucano*, ὀφιήτις πέτρη *Dionyſio*, Italis adhuc *verde ſerpentino, ſerpentino antico.* Variat autem hoc, & variare poterat in ipſis Ahasueri Lithoſtrotis: eſt quippe obſcurè vireſcens maculis dilutioribus quadrangularibus plerumque, nonnunquam partim ex viridi luteſcentibus variegatum: viride maculis atro virentibus ſubnigris & albis variegatum: dilutè vireſcens maculis atro virentibus obſcurè purpureis, nigris niueisque variegatum, ad quod fortè pertinet *pretioſiſſimi generis Lacedæmonium viride, cunctisque hilarius Plinii*: alia, quæ in *Lexico* meo *Foſſilium* enumero, ſilentio nunc prætereo. Ita facile nobiscum conciliatur *Pagninus*, cui pro loci noſtri explanatione placet *Porphyrites*; eſt namque pretioſiſſimum hoc Marmoris Orientalis genus, & duriſſimum, *Porfido* Italis, non duntaxat purpurei coloris vel rubri, ſed & nigri, & viridis. Hæc ſufficiant de *Bahat*. Sequitur שֵׁשׁ *ſcheſch* in Hebraico Textu, ſed in LXX. Græco πίννινος ſcil. λίθος *pinninus lapis*. Conjungunt hæc duo plerique Interpretes, ſicuti, qui mox ſequuntur, lapides דַּר *dar*, cum παρίνῳ λίθῳ, haud obſeruata metheſi, in Græca Verſione ſatis frequenti. Eſt enim שֵׁשׁ πάρινος λίθος, *Parium Marmor*. Conſtat id ex 1. Paral. XXIX. 2. ubi אַבְנֵי שֵׁשׁ *abne ſcheſch* LXX. reddunt πάριον πολὺν, Complutenſes λίθȣς παρίȣς. Et Cant. V. 15. ſunt עַמּוּדֵי שֵׁשׁ *ammude ſcheſch* Aquilæ & Theodotioni ςύλοι πάρινοι, quæ columnæ in ipſo Textu noſtro occurrunt iisdem vocabulis. Supereſt igitur, ut דַּר *dar* jungamus cum πιννίνῳ λίθῳ, *pinnino lapide*. Hunc *Darium Münſterus* interpretatur, de quo nemo vel Lexicographorum vel Lithologiæ peritorum quidpiam nouit. *Pagninus, Mercerus Buxtorfii Parium* volunt, alii *Alabaſtriten*, qu etiam eſt Marmoris ſpecies, ſæpeque, ut Parium, candidi coloris. Talmudicos ſi conſula Doctores, lucis loco heîc ut alibi inuenias te-

nebras

nebras; in *Megilla* c. 1. f. 12. Samuel dicit, *Dara* lapidem pretioſum eſſe ejus indolis, ut *in medio cœnaculo conſtitutus lucem præbeat accumbentibus*, unde ex *Dar Carbunculum* fecit *Fullerus*. Quadraret potius, quàm hoc Non Ens, *Lychnites*, Marmoris genus, de quo *Plinius* tanquam *Parii* ſynonymo L. XXXVI. c. 5. *Omnes tantum candido marmore uſi ſunt è Paro Inſula, quem lapidem cœpere lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut auctor eſt Varro:* Sed aliam, & me judice meliorem dat nominis rationem ab effectu *Lucianus* in *Dea Syria*, quod hic lapis, λυχνὶς, *noctu multo fulgore coruſcet, unde tota ædes tanquam lucernis colluceat — ſpeciem habeat valde igneam.* ἀπὸ τούτου ἐν νυκτὶ σέλας πολλὸν ἀπολάμπεται — ἰδέην ἔχει κάρτα πυρώδεα. Et *Dionyſius Periegetes* v. 329.

— λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη.

— *Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.*

De hoc lapide plura habeo in *Lexico* meo *Foſſilium*, plura quoque videſis in *Bocharti Hieroz.* P. II. L. V. c. 8. qui pro דַּר noſtro agnoſcit *margaritam*, vel *unionem*, ex rationibus haud contemnendis, quibus & nos addemus majus pondus, & calculum. Viam parat Chaldæus interpres, cui דּוּרָא *dura* pro *dar* eſt margarita, uti & Rabbinis in Libro *Midras*. Arabibus *dur*, *dor*, in Plurali *dar* eſt margarita. In *Meninzkii Lexico* p. 817. 820. legas *dürret*, Plur. *dür*, *dürr*, & *dürrat*, & *dürer*. Confer p. 2042. 2048. 2054. 5591. 5428. ubi *bar* ſunt margaritæ filo conſertæ. Perſica ſunt, quæ hactenus attulimus vocabula, Arabicum eſt *dürr*. Id. p. 347. 797. 2042. Eſt & margarita πίννινος λίθος τῶν LXX. in *Pinna* concha genitus. Eſt & recentioribus Græcis πιννικὸν vel πίνικον *margarita*, & πινίκιος κόγχος, vel abſolutè Πίννα *Iſidoro* characeno apud *Athenæum concha margaritifera* v. *du Freſne Gloſſ. Græcit.* voce Πίνα. Sed dubium mouet locus & uſus: de Lithoſtroto ſermo eſt in Ahaſueri Regia, cui incongrua videtur hic exiguus

Lapis Eoa lectus in unda.

Senec. in Herc. Oetæo v. 661. Et ſanè margaritæ ſi colluxere in Regio illo pauimento, indicio ſunt profuſiſſimi Perſarum luxus, quem & deſcribit *Ariſtoteles Lib. de Mundo*, ubi *regia* Suſæ & Ecbatanarum *tecta fulſiſſe* teſtatur, *eboris niue, argenti luce, flammis ex auro, vel electri claritate*, βασίλειον οἶκον καὶ περίβολον χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλέφαντι ἀστράπτοντα. Et in *Æſchyli Perſis Atoſſa* (fortè ipſa noſtra Regina *Eſther* prius *Adaſſa* dicta Eſth. II. 7.) jactitat χρυσεοστίλβους δόμους, auro fulgentia palatia. Sed ea fuit & profuſa margaritarum, non minor quàm auri, apud Perſas, & alios Orientales populos copia, ut paſſim offendas pauimenta margaritis gemmiſue ſtrata. In Templo Solis in India, quod deſcribit *Philoſtrati Apollonius* L. II. c. 11. τὸ ἔδος μαργαρίτιδος ξύγκειται ξυμβολικὸν τρόπον, ᾧ βάρβαροι πάντες εἰς τὰ ἱερὰ χρῶνται, *ipſum pauimentum margaritis eſt ſtratum ſymbolica ratione, qua in Templis utuntur omnes Barbari. Plinio* teſte L. XXXIII. c. 3. *Romæ Pompejus* habuit *Muſeum ex margaritis*; & Lib. XXXVII. c. 2. *Nero cubicula unionibus conſtruebat.* Imo *eò deliciarum peruenerunt* Romani, *ut niſi gemmas calcare noluerint*, quæ vox querula eſt *Senecæ Epiſt.* 86. Exiſtimauerim nihilominus, fulſiſſe inprimis gemmis & margaritis tabulata ſuperiora & parietalia, ut pauimenta marmoribus. Ex quorum genere tandem erit סֹחָרֶת *ſochereth*. LXX. habent στρωμναὶ διαφανεῖς ποικίλως διηνθισμέναι, adduntque, quæ in Textu originali deſunt, κύκλῳ ῥόδα πεπασμένα. Nos *varicolor marmor*. Exhauriet, nî fallor, Textum, & conciliabit ſimul variantes Verſiones, interpretationesque, ſi dixeris, fuiſſe pauimenta illa ex variis marmoribus non teſſellata duntaxat, ſed ita affabrè coordinata, ut coloribus ſuis & figuris repræſentauerint non flores duntaxat, ut nominantur roſæ, ſed aues, & animalia varia, ut hodie in Gazis & Sacellis Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis hujusmodi pauimenta & incruſtationes ex omnis generis marmoribus, gemmiſue, quæ forſan nec pretio cedunt, nec artificio, Ahaſuerianis.

LIBER JOB.

TAB. DVI.

Job. Cap. I. verſ. 3.

Poſſeſſio autem pecoris ipſius fuit ſepties mille oues, & ter mille cameli, & juga boum quingenta, nec non quingentæ aſinæ, & permagnum famulitium, ita ut vir ille cunctos Orientales antecelleret.

Et fuit poſſeſſio ejus ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum; quingenta quoque juga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

Meretur, ſi quis alius Sacri Codicis, hic certè *Jobi* Liber nuncupari Schola Phyſica, imo Theologiæ Naturalis compendium. Oſtendi id per Capita in Præfatione ad *Phyſicam Sacram Jobi*, quam luci publicæ dedi vernaculo idiomate A. 1721. ut ſpecimen eſſet integri, quod nunc in publicum prodit, operis.

Narrat primus hic, qui ſeſe offert Textus, *Jobi diuitias*, nullam, quod mirari forte ſubit, mentionem faciens tonnarum vel millionum auri argentiue, nullam redituum ſiue cenſuum ex conſtanti pretioſiſſimorum metallorum fundo, nullam paratorum ex iisdem vaſorum, clinodiorum & gemmarum, gemmatorumue monilium, palatiorum ſumptuoſorum, Aulæorum Attalicorum ſuperborum, Aulæ, qualis Regum & Principum eſt, ſplendidæ, ſubditorum, quos magno habuit numero, nullam, ſed unicam pecoris. Fuit ſcilicet Jobi vita patriarchalis, & ab Interpretibus communiter media reponitur inter Moſis & Joſephi tempora, aurea illa, quibus pretioſa illa protometalla, nunc orbis Domini, vix fuere ſerui: Nam

Poſterius res inuenta eſt aurumque repertum,
Quod facile & validis & pulchris dempſit honorem.

Ouid. Metam. I. Ex viri hujus pientiſſimi integra Hiſtoria conſtat, non nominetenus duntaxat cognita ipſi fuiſſe aurum, argentum, lapides pretioſos, ſed & poſſeſſa. Et ſuperatis omnibus vitæ ærumnoſæ aduerſitatibus, reſtituto in integrum, imo ditiori adhuc, quàm ante fuerat, reddito donarunt *omnes fratres ejus, & omnes ſorores ejus, & omnes, qui prius eum nouerant,* — *ſinguli numum & inaurem auream.* XLII. 11. Patriarchis haud defuere pretioſa metalla. Majoris tamen ſemper æſtimii fuere apud eos viuæ, quàm mortuæ, opes. Licet nec his, nec illis, fuerint, ſed ſoli DEO nixi. *Si poſui ſpem in auro, & maſſæ aureæ dixi, meum eſſe præſidium. (Si putaui aurum robur meum: & obrizo dixi, fiducia mea.)* Job. XXXI. 24.

Conſiſtebat Hiobi facultas primò in *ſepties mille ouibus*, quæ certè dabant pingues lactis reditus, & copioſæ lanæ prouentum. Prætereundum haud eſt ſilentio, quòd pecorum certum atque definitum exprimat numerum poſſeſſor, quamuis fuerit in ſeptimanas, imo in dies mutabilis: & omnino præſumere licet, noluiſſe optimum virum ultra illum aſcendere, ſed moris fuiſſe, diſpenſare pauperibus ſuperflua. Congruit hæc conjectura cum Job. XXXI. 25. *Si creſcentibus opibus meis, & cum adipiſcerer ingentes diuitias, gauiſus ſum. (Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.)*

Recenſendi ſequuntur 3000. *cameli*, quorum numerus, redeunte proſperitatis circulo aſcendit ad duplum, uti quoque oues 7000 fuere duplatæ, ut poſſederit 14000. XLII. 12 Facultatem, eamque pretioſam & utilem conſtituunt adhuc hodie cameli in Palæſtina, Arabia, Perſia, Turcico Imperio, & aliis Aſiæ atque Africæ prouinciis. Sed inter Principes ſun collocandi, qui 3000. poſſident, ut olim *Ariſtotelis* æuo, κέκτηνται δὲ ἔνιοι τῶν ἀνθρώπων καμήλ καὶ τρισχιλίας. *Hiſt.* L. IX. c. 50. Et Patriarchi fuere pro opibus cameli. Videſis Gen. XII. 16 XXX. 44. XXXII. 7. *Midianitarum* illorum & *Amalekitarum* & aliorum *Orientalium populorum*, qui irruptiones fecerant in terram ſanctam, *cameli erant innumeri, & multi veluti harena, quæ eſt in littore marino.* Jud. VII. 12. E iis namque *Arabes ſuas diuitias ac poſſeſſiones* æ*ſtimant, & ſi quando de diuitiis Principis aut No bilis cujusdam ſermo fiat, poſſidere eum ajunt to camelorum, non aureorum millia. Leo Africa* L. IX. Ut in noſtris Regionibus ζωόφοροις op æſt

IOB. Cap. I. v. 3.
Hiobi Divitiæ.

Buch Hiob Cap. I. v. 3.
Hiobs Reichthum.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

æſtimari ſolent ex pecorum, vel jumentorum numero. Dicere ſolemus, *er hat ſo viel und ſo viel Haupt-Viehe im Stall.* Sic magnis liceat comparare parua. Sunt cameli in Oriente, quod Europæis ſunt plauſtra, equi, aſini, quibus merces ab uno loco in alium transferri ſolent. Legimus & apud *Suetonium in Nerone* c. II. & *Lampridium in Heliogabalo*, quadrigis adhibitos camelos in Circenſibus Ludis. Neque incommodi ſunt bello. Videatur Liber Judicum paſſim, 1. Sam. XXX. 17. *Plin.* L. VIII. c. 18. *Strabo* L. XVI. De præliandi ex camelis modo hæc habet *Diodorus* L. II. p. 96. Αἱ δ᾽ αὐταὶ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους, εἰς τὰς μάχας ἔχουσαι τοξότας, ἄγονται δύο ἀντικαθημένους ἀλλήλοις ἀντινώτους. τούτων δὲ ὁ μὲν τοὺς κατὰ πρόσωπον ἀπαντῶντας, ὁ δὲ τοὺς ἐπιδιώκοντας ἀμύνεται. *Ipſi etiam cameli* (in Arabia) *ad pugnam in bella deducuntur, duos habentes ſagittarios tergis oppoſitis inſidentes, quorum unus obuios, alter inſequentes repellat.* Sunt hæc animalia æſtus, ſitis, laborum patientiſſima, καὶ ταχύτητι οὐ λειπόμεναι ἵππων, *pernicitate equis haud inferiores, Herodot.* L. VII. ubi de Xerxis exercitu. Dant *camelorum pili* veſtes, hinc & panni nomen *Camelot*, quod quidem ſenſum latiorem admittit hodie. Anſam dabunt materiam hanc fuſius tractandi loca Matth. III. 4. Marc. I. 6. *Lac* tandem & *caro* camelorum veniunt in cibos.

Juga boum quingenta in primo, & *mille* in feliciori rerum ſtatu egregiam rurſus dant facultatem. De bouini generis uſibus latè patentibus differendi datur commodior alibi occaſio. De bobus & vaccis id jactare ſolemus nos Heluetii, Belgæ, aliæue Nationes Europææ, quod Arabes, populique alii Orientales de ſuis camelis. Uſui ſunt ingenti animantia hæc, & viua, & mortua. Audi de *boue* elogium ex *Vegetii Prologo* L. III. *Veterin. Cuncta legumina ſiue frumenta bobus meritò, aratrisque debentur. Vinearum ipſarum uſus periret, niſi eorum adminiculis ſubuehendis carpenta ſudarent. Quid de diuerſorum onerum comparatione referamus, dum inter mobilia, & quidquid grauius eſt, absque vehiculis pene reddatur immobile? Reliqua quoque animalia, ipſæque cohortales aues ex eorum capiunt labore ſubſtantiam. Unde enim equis hordeum, unde cibum canibus, unde porcis pabulum dominorum ſolertia miniſtraret, ni pararentur boum labore frumenta? Et, ne longum faciam, bobus debet alimenta, quidquid ali poteſt. Apud alios genus mulorum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum, licet exiguus, uſus eſt. Nulla poteſt natio eſſe ſine bubus.*

Haud neceſſe duco, omnes expandere, quos bouinum genus humano præſtat, uſus. Paucis tantùm tangam, quos præſtat *agriculturæ*, cujus inuentionem nonnulli Græcorum attribuerunt Cereri, alii Buzygi, Baccho alii, vel Oſiridi, aut Triptolemo. Ad altiora nos ducit tempora Moſes, qui ipſe leges agrarias ſimul & boum rectrices præſcripſit. *Non operaberis primogenito bouis tui,* Deut. XV. 19. *Non arabis cum boue & aſino ſimul,* Deut. XXII. 10. *Ciuitatis* (in qua, vel circa quam, commiſſum homicidium victimis expiandum) *ſeniores vitulam ex armento accipiant, cum qua adhuc nihil operis factum eſt, quæque jugum non traxit,* Deut. XXI. 3. Jobi tempora tranſcendunt illa Moſis, dubium proin haud eſt, & clarum ex Job. I. 14. adhibuiſſe eum 500. ſua vel 1000. boum juga agriculturæ. Sed ad primo primam originem adſcendit Jeſaias, inuentionem hanc utiliſſimam DEO tribuens, XXVIII. 26. *Ut hæc ritè peragat,* (agricola nempe, ut *aperiat & proſcindat tellurem ſuam ad ſeminandum, æquet ſuperficiem ejus, viciam ſpargat, ac cyminum diſſipet, & ponat triticum ſerie ſua, & hordeum ſignato loco cum far in ſuo termino) erudit ac dirigit eum DEUS ſuus. (Nunquid tota die arabit arans ut ſecat, proſcindet & ſarriet humum ſuam? Nonne cum adæquauerit faciem ejus, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis? Et erudiet illum in judicio, DEUS ſuus docebit illum.)*

Ultimo tandem loco ſtant inter armenta Jobi *aſinæ* in primo ſtatu 500. in reſtituto 1000. In Sacris alibi locorum & paſſim memoratur aſininum genus inter Patriarcharum opes Regumque diuitias. Magno veniebat honori Jehediæ illi Meronothitæ, quod Dauid eum præfecerit aſinabus. 1. Paralip. XXVII. 30. De hujusmodi præfecturæ ſtabuli aſinini dignitate nîl legas hodie inter dignitatum titulos, ſed quidem equini. Pauperculi illi Judæi, ex Babylonica captiuitate dimiſſi, duxere ſecum 6720. aſinos. Eſr. II. 67. De aſinorum uſu ſpeciatim in Regionibus Orientalibus multa produci poſſent. Ex Sacro Codice conſtat, idonea eſſe hæc animalia oneribus portandis: inequitaſſe iis (forſan melius inaſinaſſe, ſi vocabulum foret latii jure donatum) viros authoritate graues: adhibita fuiſſe tractioni, arationi, molitioni, bello: carnem comeſtam urgente annonæ penuria. Hæc omnia fusè legas in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. II. c. 2. 13. 32. *Pineda in Job.* p. 37.

TAB. DVII.

Job. Cap. I. verſ. 16. 18. 19.

16. Adhuc iſto loquente venit alius nuntians: Ignis DEI cœlo decidit, & comburens oues atque pueros abſumpſit eos: ego autem ſolus euaſi, qui nunciarem tibi.

18. Adhuc illo loquente alius venit nuncians: Tui filii ac filiæ comedebant ac bibebant vinum in domo fratris ſui primogeniti.

19. Et ecce validus ventus à regionibus ultra deſertum poſitis veniens colliſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit juuenes, & mortui ſunt, ſolus autem ego euaſi, qui tibi nuntiarem.

16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis DEI cecidit è cœlo, & tactas oues pueros que conſumſit: & effugi ego ſolus, ut nunciarem tibi.

18. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis & filiabus veſcentibus & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti,

19. Repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus: quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, ut nunciarem tibi.

COelum terramque, & alternis vicibus elementa, hominesque mouet ὁ μυριοτέχνης, ut Jobi fidem & conſtantiam infirmare, & irritas prorſus reddere poſſit. Nos, Sabæis & Chaldæis prædonibus miſſis, conſiderationi præſenti ſubjicimus ignem DEI de cœlo deciduum, & Typhonis præualidi vires, & in una eademque repræſentamus Tabula, perſuaſi, una eademque tempeſtate binas hasce irruiſſe calamitates, ut non haberet tantum ſpatii vir pientiſſimus, quo animum ex priori dolore exacerbatum leniret. *Ignis* DEI, de quo heic, non fuit, ut *Origenes* voluere & *Chryſoſtomus*, ſimulatus, vel Satanas ipſe de cœlo deciduus, ſed realis, οὐρανοπετὴς, fulmineus, accenſus à dæmone, permiſſus à DEO, hoc ipſo nomine alibi in ſacris literis cognitus, immiſſus à DEO nunc irato, nunc propitio. Sed fulmen ex rarioribus, ſiquidem *oues & pueri* non fuere tacti duntaxat, ſed *abſumpti*, *combuſti*, deuorati, κατέκαυσε τὰ πρόβατα, καὶ τοὺς ποιμένας κατέφαγεν, LXX. imo fulmen ex rariſſimis, ſi vel deuoratæ oues omnes, ſi paſtores unà cum grege ſaltem ſuffocati; uno, qui nuntium egit, excepto omnes. Oues omnes, ut perſuaſus eſſet Jobus, diſplicuiſſe hactenus DEO ex ouibus ſacrificia, & ne unicam ſupereſſe, quæ in victimam poſſet ad placandum numen iratum cedere. Fuere & gentilibus fulmine tacta corpora triſte iratorum Deorum indicium, pro ſacris, imo nefaſtis, habita. *Prolibare Diis nefaſtum habetur vina, præter imputatæ vitis, fulmine tactæ. Plin.* L. XIV. c. 19. Fuere & διόβλητοι ſiue κεραυνόβλητες homines triſtis euentus auſpicium. Vid. *Liuius* L. II. *Dec.* 3. *Julius Obſequens prodigior.* c. 71. 83. 87. Eadem hac, & fulminea, tempeſtate ſpirauit *ventus validus*, πνεῦμα μέγα LXX. ἄνεμος μέγας Aquila, Typho ſeu Turbo validiſſimus, qui, correptis *quatuor domus angulis* ea *corruente*, *oppreſſit juuenes* conuiuio lauto exceptos, & mero madentes. Et Typho hic quidem, quem *Ouragan* vocant, veniebat *à regionibus ultra deſertum*, vel *è deſerto*, ἐκ τῆς ἐρήμου LXX. in ſeipſum, obueniente fortè Borea, circumactus, qualis in Indico inprimis Mari aliquando ſæuit, *decumanis fluctibus inſurgens, qui inter ſeſe veluti arietantes atque colliſi omnem ſalutis ſpem nauigantibus adimunt. Varen. Geogr.* p. m. 284. vel forſan *Ecnephias*, *Trauado* Luſitanis, in Mari Æthiopico frequens, quem accuratè deſcribit *Kolbe Cap. Bon. Spei* p. 312.

Iob. Cap. I. v. 16. 18. 19.
Decora et Pecora Iobi proſtrata.

Buch Hiob Cap. I. v. 16. 18. 19.
Hiobs verunglückte Kinder u. Rinder.

I. G. Pintz sculps.

IOB. Cap. II. v. 7. 8.
Hiobus pauper et æger.

Buch Hiob Cap. II. v. 7. 8.
Der arme und krancke Hiob.

G. D. Heüman sculp

TAB. DVIII.

Job. Cap. II. verſ. 7. 8.

7. Et egreſſus eſt Satanas à conſpe-
ctu DOMINI, ac percuſſit Job
(a) ulcere peſſimo à planta pedis
usque ad verticem.

(a) Sehin ſcabiem fœdiſſimam ſignificat, qualis eſt elephantiaſis, & quam Indicam ſcabiem vocant, ſeu morbum gallicum.

8. Et accepit teſtam, qua ſeſe frica-
ret, ſeditque in puluere.

7. Egreſſus igitur Satan à facie DO-
MINI, percuſſit Job ulcere peſſi-
mo, à planta pedis usque ad ver-
ticem ejus.

8. Qui teſta ſaniem radebat, ſedens
in ſterquilinio.

O*Mnis homo*, ſi delicatiſſimam attendas corporis ſtructuram, & animæ corruptionem, *morbus*: quadrat autem *Democriti* illud, ὅλος ἄνθρωπος νȣ͂σός ἐςιν, inprimis in Jobum, Theologum & Philoſophum inſignem, Principem nunc ditiſſimum, nunc pauperiorem Codro, hominem nunc optima ſanitate fruentem, mox ulceribus plenum, & in puluere ſedentem.

De morbo probatiſſimi Jobi multi diſputant multa. Eſt שְׁחִין ulcus inflammatorium, dolorificum. Sat habuiſſet dolorum, de quibus conquereretur vir pientiſſimus, ſi furunculis ſcatuiſſet à pedis planta usque ad verticem. Sed duràſſent hi per breue tempus. Dolorificæ ſenſationi jungi debuit diutina mora, ſi fides *Chryſoſtomo*, extendenti ad aliquot menſes, *Origeni* ad 3½. annos, *Suidæ* ad 7. LXX. ad longum tempus. Interminatur ipſum hoc שְׁחִין *Schechin*, morbus Ægyptiæ Nationi infeſtus, populo DEI in pœnam ſingularem, haud dubiè ſenſitiuam ſatis. Verſio noſtra habet *Drüſen Ægypti*, ulcera dixeris longæ durationis, glandulas præſertim colli occupantia, qualia deſcribit *Aretæus L. I. de cauſ. & ſign. acut. morb.* c. 9. Ægypto & Syriæ familiaria. *Dolor quidem acer & calidus, qualis in Carbunculo, ſpiritus vitiatus. Exhalant enim maximæ putredinis odorem, eundemque vehementer in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeò ſunt, ut neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Pallida his ſeu liuida facies, febres acutæ, ſitis, ut igne accenſi videantur, potum veriti dolores non admittunt. Triſtantur enim, cùm Tonſillæ comprimuntur, aut potus in nares reſilit, quumque decumbunt, ſurgunt ut ſedeant, decubitum non ferentes, quòd ſi ſedeant, quiete carentes, iterum decumbere coguntur: plerumque autem recti ſtantes obambulant; nam quieſcere nequeunt; ſolitudinem fugiunt, dolorem dolore tollere tentantes. Inſpiratio magna eſt, exſpiratio verò parua, nam veluti igne exuſta ulcera cùm ſint, à calido prætereà ſpiritu incenduntur, raucitas adeſt; vox nihil ſignificat. Atque hæc in pejus ruunt, quum ſubitò in terram collapſis anima deficit.* Non aderant hæ ſolæ inflammationes colli, ſed & aliæ plurimæ in toto reliquo corpore; *peſſimæ à planta pedis usque ad verticem.* Dixiſſes ulceri ulcus, inflammationem inflammationi junctam, hominem ex doloribus compoſitum. *Ita me vulnerauit*, querelæ hæ ſunt ipſius patientis XVI. 14. *ut continuum ulcus ſit*; *(conſcidit me vulnere ſuper vulnus;)* curato uno, exoriebatur mox aliud; ſanatâ hâc cutis particulâ, perforabatur mox alia. Erant hæc ulcera inflammatoria, ſubinde ſuppurata. Ardorem indicat radix שָׁחַן, calefacere, accendere. Dolorem, eumque intenſum colligere licet paſſim ex patientiſſimi hominis querelis. II. 13. *Humi adſederunt* (amici) *ei ſeptem dies & ſeptem noctes, ut nullus ei vel verbum loqueretur, videbant enim, dolorem vehementer auctum eſſe.* XVI. 6. *Ego autem ſi loquar, dolor meus non minuitur; ſiue omitto (loqui) & quid decedit mihi? (Si locutus fuero, non quieſcet dolor meus; & ſi tacuero, non recedet à me.)* Fuerunt hi dolores non ſuperficiales, ſed ὀςεοκόποι. Cauſa non ſola circulatio impedita, ortaque inde fibrarum dolorifica tenſio, qualis in inflammatione omni; ſed juncta penetrantiſſima acrimonia, ſeu alcalina fuerit, ſeu acida: forabant ſpicula ſalina diesque noctesque partes non duntaxat cutaneas, ſed profundiùs jacentes membranoſas, neruoſas, fortè etiam oſſeas. XXX. 17. *noctu perforantur oſſa mea à me, nec quieſcunt (vermes) digredientes à me. (Nocte os meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.)* Noſtra Verſio, *meine Nerven ſchlaffen nimmer*, quæ expreſſio ſuâ ἐμφάσει haud caret, וְעֹרְקַי לֹא יִשְׁכָּבוּן, *venæ meæ non conſident, meine Adern fallen nit ein*; arterias ſi intellexeris, dixeris pulſum ex æſtuante ſanguine durum, febrilem, unde noctes egit inſomnes; manabat ex ulceribus, veluti totidem fontibus, pus, mutatus tantum ab il-

lo; omnia hæc defigurabant adeò Jobum, ut amici, *procul ſuos oculos tollentes, non agnouerint eum.* II. 12. Fiſſa cutis, uti Elephantiacis, ut in ipſis fiſſuris pure madentibus nidulari potuerint vermes. VII. 5. *Induit caro mea vermes, & puluerem glebarum ritu cohæreſcentem, cutisque mea rupta eſt, ac mihi diſplicet.* (*Induta eſt caro mea putredine & ſordibus pulueris: cutis mea aruit, & contracta eſt.*) XVI. 8. *rugis quoque arauiſti me, ut teſtimonii vim habeat, & amiſſa priſtina forma, mihi diſſimilis ſum, ita ut palàm arguat me.* (*rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me, & ſuſcitatur falſiloquus aduerſus faciem meam, contradicens mihi.*) Prædominante in maſſa ſanguinis acrimoniâ, & inualeſcentibus diu noctuque doloribus, partes nutritiæ affigi non poterant, imò verò debebant fibræ ipſæ ſolidæ abradi, unde maraſmus. XXX. 28. 30. *Lugubri habitu inceſſi, ut ſolem non ſentiens — Cutis mea in me denigrata eſt, & oſſa mea præ ſiccitate exaruerunt.* (*Mœrens incedebam, ſine furore, conſurgens, in tuba clamabam — Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate.*) Quadrant ſatis benè ſigna hæc peſſimæ ἐλεφαντιάσει. Audi *Celſum* L. III. c. 23. *Totum corpus afficitur, ita ut oſſa quoque vitiari dicantur: ſumma pars corporis crebras maculas crebroſque tumores habet: ruber horum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque, quaſi ſquamis quibusdam exaſperatur, corpus emarceſcit, os, ſuræ, pedes intumeſcunt. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedibusque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominem conſumit.* Morbum hunc alias Ægypto & Palæſtinæ familiarem deſcribit *Lucret.* L. VI.

Eſt Elephas morbus, qui Nili flumina propter
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam
Atthide tentantur greſſus, oculique in Achæis
Finibus - - - -

Corpus tale ulceroſum unguium fricationem haud admittit, nec ſquamæ leproſæ à reliqua cute auelli ſe patiuntur: quapropter *accepit teſtam* miſer, *qua ſeſe fricaret.* A commercio hominum taliſmodi ſpectacula arcet & horridus mali aſpectus, & fœtor continuò exhalans. XIX. 14. *Propinqui mei deſeruerunt me, & neceſſarii mei obliti ſunt me.* (*Dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti ſunt mei.*) 15. *Familiares mei, & ancillæ meæ cenſent me peregrinum, eiſque videor exterus.* (*Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus fui in oculis eorum.*) 17. *Halitus meus offendit uxorem meam.* (*Halitum meum exhorruit uxor mea.*) Colligitur duratio pertinaciſſimi mali ex VII. 3. *Ita mihi eſt injunctum, agere menſes inanes, & moleſtas noctes numerauerunt mihi.* (*Sic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi.*) 19. *Quamdiu non me facies miſſum? & non concedes reſpirandi ſpatium, ut meam ſaliuam glutiam?* (*Usque quò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam ſaliuam meam?*)

Grauitas mali, doloribus aliisque deterrimæ notæ ſymptomatibus ſtipata cognoſcitur ex variis locis. VII. 3. & XXX. 17. memorantur *noctes moleſtæ*, inſomnes. Dyſpnœa ingens, triſtitia ſummæ corporis debilitati ſociata. XVII. 1. *Jam quidem ago animam, & dies mei ritu lucernæ deficiunt, meque ſepulchrum manet.* (*Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.*) 11. *Dies mei præterierunt, & conatus mei intercepti ſunt, quæque animo præſumere poſſem.* (*Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum.*) VII. 11. *Non cohibebo meum os, quin loquar aliquid in animi mei anguſtiis, & querulum quiddam loquar in ægritudine mea.* (*Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei; confabulabor cum amaritudine animæ meæ.*) Exprimebant hi corporis mentisque dolores lacrymas atque ſuſpiria. III. 24. *Quum cibum ſum capturus, ingemiſco, & ejulatus edo lacrymis aquarum ritu manantibus.* (*Antequam comedam, ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.*) XVI. 16. *Facies mea intumuit fletu, & palpebras meas obduxit caligo denſiſſima.* (*Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.*) XXIII. 2. *Etiamnum triſti oratione utor; quanquam mea calamitas ſuperet gemitus meos.* (*Nunc quoque in amaritudine eſt ſermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata eſt ſuper gemitum meum.*) Animo nunquam non obuerſabantur ideæ triſtes. IX. 27. *Si quando apud me dixi, obliuiſcar meditationis meæ, & deponam vultus (triſtes) meque continebo. Timui omnes labores meos.* (*Cum dixero: nequaquam ita loquar: commuto faciem meam, & dolore torqueor. Verebar omnia opera mea.*) Corpus doloribus defatigatum ſi quando obruebat ſomnus, mentem adfligebant horrenda ſeu inſomnia, ſeu phantaſmata. VII. 13. 14. *Quum apud me dico, lectus meus aliquid ſolatii adferet, cubile meum muſſitanti adimet (aliquid moleſtiæ) ſomniis me terres, & viſionibus exagitas me.* (*Si dixero: conſolabitur me lectulus meus, & reuelabor loquens mecum in ſtrato meo: Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.*) Quietem proin nunquam ſenſit animus in quiete triſtibus ſeu vigilans ſeu dormiens agitatus ideis. XXI. 6. *Cogitatione obiens quæ mihi acciderunt, perturbor, & totum corpus meum horrore concutitur.* (*Et ego quando recordatus fuero, pertimeſco, & concutit carnem meam tremor.*) XXIII. 16. *Meum cor molliuit DEUS & Optimus Maximus turbauit me.* (*DEUS molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me.*) Stomachum occupabat anorexia, vel faſtidi[um] continua. VI. 7. *Quæ meus animus renuit contingere, ea ſunt mihi pro cibo fœtido.* (*Quæ priu[s]*
noleb[at]

nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.) Rebus ſic ſtantibus, & ipſo nutrimento ab acrimonia infecto, partibus balſamicis ubique ſuppreſſis, quid mirum, ſi XIX. 20. *cuti & carni adhæſerit os, & euaſit dentium ſuorum cute comite?* (*Pelli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.*) Si cutis vix hæſerit oſſibus? Si Jobus ſceleto ſimilior fuerit, quàm homini viuenti? Si acrimonia etiam infeſtauerit viſcera nobiliora, ut hæc ipſa paſſim fuerint inflammata? XXX. 27. *Inteſtina mea efferbuerunt, & non quieuerunt, meque apprehenderunt calamitoſa tempora.* (*Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, præuenerunt me dies afflictionis.*) Quid mirum, ſi ſpes reconualeſcentiæ omnis euanuit, viribus ubique collapſis? VI. 4. *Nam DEI optimi maximi ſagittæ in me ſunt, quarum feruor ebibit ſpiritum meum, & terrores DEI acie inſtructa me inuaſerunt.* (*Quia ſagittæ DOMINI in me ſunt; quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores DOMINI militant contra me.*) XVI. 12. &c. *Beatus fui, ſed disjecit me, ac mea ceruice comprehenſa minutatim confregit me, ſcopum denique me ſibi conſtituit. Ut me ſagittæ illius undique feriant, & renes meos diſſecet, ac non parcat, & in terram effundat fel meum. Ita me vulnerauit, ut continuum vulnus ſit, & in me fecit impetum, ſicut gigas.* (*Ego ille quondam opulentus, repentè contritus ſum: tenuit ceruicem meam: confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum. Circumdedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, non pepercit: & effudit in terra viſcera mea. Concidit me vulnere ſuper vulnus: irruit in me quaſi gigas.*) Quid denique mirum, ſi tot malorum comes tandem ſit vitæ faſtidium, & mors ipſa exoptatur ut ultimum malorum remedium? VII. 15. *Quapropter anima mea ſuſpendium eligit, & mortem præ oſſibus meis. Recuſo enim perpetuò viuere.* (*Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea, & mortem oſſa mea. Deſperaui, nequaquam ultrà jam viuam.*) 20. *Mihimet oneri ſum.* (*Factus ſum mihimet ipſi grauis.*) IX. 21. *Mihi diſplicet vita mea.* (*Tædebit me vitæ meæ.*) Mors, Hannibal, ante portas. XVII. 1. *Jam quidem ego animam,* &c. (*Spiritus meus attenuabitur,* &c.)

De his vitæ ærumnoſæ ſymptomatibus ſingulis locis plura. Cauſæ dirorum, totque malorum, quot vidimus, adſignari quidem poſſunt naturales, non tamen excludi debet τὸ θεόδεν *Euripidis*, τὸ θεῖον *Hippocratis*. Actores in hac tragœdia fuere DEUS, Satan, corporis maleſana diſpoſitio. Permiſit DEUS Satanæ Jobi affligere corpus & animam, hanc ideis triſtibus, tentationibus tantùm non deſperatis, illud ſagittis ferire ſalinis, vel, ſi mauis, vermiculis infinitè paruis. Agnouit θεῖον hocce ipſe Jobus. XIX. 21. *Diuina manus tetigit me.* Sunt & cauſæ naturales inſtrumenta in manu DEI.

De morbi hujus multiformis nomine cum nemine litigabo, an fuerit ſcorbutus, vel lepra, vel ipſum, quod *Pineda* voluit, malum venereum, vel ſcabies una ex grauioribus, quod *Wedelius de Morbo Hiobi Dec. IV. Exercit. II.* Certum hoc, ſcatuiſſe totum corpus acrimoniâ, fœcundâ plurimorum malorum matre. Acrimoniam hanc indicâſſe videtur ipſe æger. XIX. 27. *Conſummati ſunt renes mei in ſinu meo.* (*Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*) XVI. 13. *Ut in terram effundat fel meum,* (*& effudit in terra viſcera mea.*) Diarrhœis bilioſis & ſeroſis, acri materiâ perforante glandulas inteſtinales, bile, quæ balſamum conſtituit chyli & ſanguinis, per ſedes amandatâ, corpore hinc contabeſcente.

Tò *ſedere* Jobi in *puluere* explicari poteſt tanquam ſignum deuotæ ac humilis ſubjectionis. XLII. 6. (*factum meum*) *improbo, & pœnitentia ductus* (*jaceo*) *in puluere & cinere,* (*idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere,*) ſed & cinis dici poteſt naturale, quod miſer quæſierit, malorum remedium, ulcerum ſiccatiuum & abſterſiuum: conf. *Dioſc.* L. V. c. 135. περὶ τέφρας κληματίνης. *Galen. de ſimpl. Med. ad Paternianum,* ubi inter alia hæc: *Cinis in recentia vulnera in profundum poſitus ſanguinem ſtatuit à curſu. Ideoque omnibus pecoribus caſtratis cinis impoſitus prodeſt, omnibus abſciſſis.*

Vid. *Bartholin. de Morbis Biblic.* p. m. 33.
Pineda Comm. in Job. p. 134. &c.
Coccej. in Job. p. 23.

TAB. DIX.

Job. Cap. IV. verſ. 10. 11.

10. Rugitus leonis, & vox leopardi (comprimitur), & leunculorum dentes excerpuntur.
11. Perit Tigris inopia prædæ, catulique leænæ diſſipantur.

10. Rugitus Leonis & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt.
11. Tigris periit, eò quòd non haberet prædam: & catuli leonis diſſipati ſunt.

Sunt Hebræis quinque diſtincta leonum nomina, quorum quatuor occurrunt in binis verſibus præſenti conſiderationi ſubjectis.

I. אַרְיֵה arjeh leonem ſignificat quemuis, absque diſcrimine ætatis, vid. Gen. XLIX. 9.

II. שַׁחַל *ſchachal*, leo eſt ex rarioribus coloris nigri. Ejus mentionem facit *Oppianus Venat.* L. III.

Σμερδαλέος δὲ πρόσωπα καὶ αὐχένα, πᾶσι δὲ γυίοις
Ἦκα μέλαν κυάνοιο φέρει μεμορυγμένον ἄνθος.

Facie & ceruice terribilis eſt, & omnibus membris
Subnigrum fert fuſco temperatum florem i. e. colorem.

Ita deſcribit quoque, quem ipſe vidit, Æthiopicum Leonem:

Ἐκ δὲ ποτ' Αἰθιόπων Λιβύην ἠμείψατο γαῖαν,
Θαῦμα μέγ' εἰσιδέειν, μελανόχροος ἠυκομός τε.

Aliquando ex Æthiopibus in Lybiam venit terram,
(Mirabile viſu) leo nigricolor, & benè jubatus.

Hujuſmodi leones India quoque gignit, *Æliano* teſte L. XVII. c. 26. Syria, *Plinio* L. VIII. c. 17. *Leonum color tantum in Syria niger.* Talem intellexiſſe videtur Jobus. Ex leonum ſynonymis Orientalibus populis cognitis non inuenio, quæ huc quadrent, niſi per μετάθεσιν literarum admittas Turcarum *ſelkæm*, plur. *ſülakym*, vel & *ſaki*, *ſayk* ex *Lexico Meninzk.* p. 2660. 2752. Sed propius ad שַׁחַל Hebræorum accedit *ſæghal* Arabum, *chakal* ſiue *ſchakal* Perſarum, quibus *Hylacem* & *Hyænam* indigitant. Id. p. 5868. & *Chardin Voyag. de Perſe* T. IV. 83. Unde forſan Textui noſtro propius accedit Tigurina utraque, quæ *leopardum* habet. LXX. habent φωνὴν λεαίνης, *vocem leænæ.*

III. כְּפִיר *Cephir* eſt *leunculus*, λεόντισκος, λεοντίδης, λεοντίδιον, differt à גּוּר אַרְיֵה *gur arjeh*, catulo leonis, ut à vitulo juuencus. Clarum id ex Ezech. XIX. 2. 3. *Cur mater tua leæna inter leones accubuit, & in medio leonum educauit catulos ſuos? Effecit ut unus ex catulis ſuis* מִגֻּרֶיהָ *aſcenderet, leunculusque* כְּפִיר *fieret, qui didicit diripere prædam, comedere homines.* (*Quare mater tua leæna inter leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos? & eduxit unum de leunculis ſuis, leo factus eſt; & didicit capere prædam, hominemque comedere.*) Hujusmodi leunculum deſcribit *Horatius* L. IV. Od. 4.

Qualemue lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab ubere
Jam lacte depulſum leonem
Dente nouo peritura vidit.

Notari heic meretur, *leonis* nomen apud Græcos & Romanos tranſiiſſe ad alia quoque animalia, imo deſcendiſſe ad usque inſecta. *Leonem* habemus *marinum*, λέοντα θαλάττιον inter *Cruſtacorum* genera, terreſtrem leonem, χαμαιλέοντ[a] inter *lacertas*: Leonem varium, λέοντα αἰόλον inter *ſerpentes*. Tale πολύσημον eſt & *cephir*, quod in hoc ipſo loco noſtro ſumitur pro *dracone* à LXX. Interpretibus. Ita enim hi pro וְשִׁנֵּי כְפִירִים נִתָּעוּ & *leunculorum dentes excerpuntur*, vel euelluntur, habent, γαυρίαμα δὲ δρακόντων ἐσβέσθη, & *gaudium draconum extinctum e[ſt]*, an rectè, viderint alii. Interim & hoc obſeruaſſe juuabit, apud Orientales populos inter centena forte leonis ſynonyma non occurrere, quod ad cephir noſtrum accedat.

IV. Sed quidem veſtigia ſuperſunt voc[is] לַיִשׁ *lajiſch*; Turcis leo magnus vocatur *dehla[s]*, *delhas. Meninzk. Lex.* 2203. Arabibus *aijs*, [...] *jus*, *æijas*, 3201. 3358 3367. *lais.* 4127. *læh[...]* *ſet.* 4154. *dilhas*, *dilhæs*, *diilahis*, *dilham.* 606[...] Neque apud eosdem Arabes exulat πολύσημο[ν] *leis*, plur. *liijus*, notat & leonem, & *aranei* ſp[e]ciem, quæ inſultu capit muſcas, & *Leiſii* üſ[...] *ne* & leonem, & animal chamæleonti ſimil[e] quod ſe equiti in via opponit. Id. 4217. [...]
te[...]

IOB. Cap. IV. v. 10. 11.
Leo Rex, et vile inſectum.

Büch Hiob Cap. IV. v. 10. 11.
Der Löw ein König, ünd elendes Ungiefer.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

telligunt communiter per לַיִשׁ Interpretes leonem decrepitum, qui prædam neque inſectatur amplius, nec arripit, nixi hoc ipſo noſtro Textu, ubi *perire* dicitur leo (nobis Tigris) *inopia prædæ*. Sed contrarium potius ex Textu probat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. I. fortem nempe intelligi debere, & ex ſæuiſſimis, leonem; loqui Elipham verſiculis proximè præcedentibus 8. 9. de hominibus imperioſis, auaris, ambitioſis, qui leonum ad inſtar prædas ſemper inſectantur, quicquid poſſunt, ad ſe rapiunt, proximi bona, famam, vitam diſcerpunt; & de hiis enuntiare, quomodo juſto DEI judicio, & prouidente DEO, eorum frangatur ferocia, intercipiantur, & ſubitò ſæpe, frementes niſus. *Quoties vidi arantes vanitatem, & ſeminantes moleſtiam: vidi etiam, quod id ipſum meſſuerunt; Afflatu enim DEI perierunt, & à vento iræ ipſius abſumpti ſunt.* (*Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante DEO periiſſe, & ſpiritu iræ ejus eſſe conſumtos.*) Hujusmodi ferocibus hominibus, qui aliis ſunt lupi, leones, tigrides, comparat Eliphas horundem animalium rapacem ferociam. Et diuus Pſaltes XXXIV. 11. *Leunculi penuria & fame laborant, qui autem* DOMINUM *inquirunt, nullo bono deſtituuntur.* (*Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem* DOMINUM *non minuentur omni bono.*) In decrepitum ſanè & viribus effœtum leonem haud quadrat, quòd eum DEUS afflatu iræ ſuæ perdat, ut inopia prædæ interire cogatur. Poſcunt leges hermeneuticæ ſenſum rei ipſi, de qua agitur, congruum, & DEI perfectionibus adæquatum. Significat igitur לַיִשׁ leonem fortem viribus, magnum, ferocem; *jubatum* — *longo ſimplicique villo, contemptorem vulnerum.* *Plin.* L. VIII. c. 16. ...ένος μακρότερον καὶ εὐθύτριχον, ἀνδρειότερον. *Ariſt. Hiſt.* L. IX. c. 44. *Archoleontem* vel *aeroleontem*, apud *Julium Capitolinum* in *Gordiano jun.* Verſioni utrique Tigurinæ placet pro leone *tigris*, uti & Vulgatæ. LXX. μυρμηκολέων, quæ vox haud leuiter torquet Interpretes. Quoad originationem ſuam notat *leonem formicarium*, cui formicæ veniunt in prædam & cibum. *Gregorius in Jobum* animalculum intelligit, quod formicas, ut leo prædam, inſectatur. Subſcribit *Iſidorus Orig.* L. XII. c. 3. Alii volunt, eſſe id ex parte antica λεοντοειδὲς à poſtica μυρμηκοειδὲς, & generari ex commiſtione diuerſorum generum. Placet hoc monſtrum *Euſtathio* in *Hexaem.* & *Pſeudo-Hieronymo Epiſt. ad Præſidium de Cereo Paſchali.* Alii ne extare quidem volunt hanc beſtiam in rerum natura, ſed per allegoriam intelligi dæmonem, quem leoni & leoni comparant, & formicis. Adi *Eulogium Alexandrinum in Nouatianos Lib. IV, Auguſtinum in Jobum, Bedam in Jobum, Olympiodorum, Theophylactum in Lucam. Buſtamantius*, qui & ipſe Hierozoicon ſcripſit, *Scarabæi* vult ſpeciem, de qua *Plinius* L. XXX. c. 5. *Tauri vocantur Scarabæi terreſtres Ricino ſimiles. Nomen cornicula dedere: alii pediculos terræ vocant.* *Formica-Leonem* hunc ſiue μυρμηκολέοντα exactè deſcribit *Poupart dans les Mem. de l'Acad. Roy.* 1704. p. 235. eſſe coloris griſei, araneæ fere ſimilem, formicis inſidioſum, & ob aſtum, quo has inſectatur, nomen mereri potius *Formica-vulpis* quàm Formica-Leonis. Degere ſub macerie vetuſta, à pluuiæ injuriis ſecurum; cauare nidum ſeu foſſulam inſtar coni inuerſi, ita nempe, ut formato prius circulo ſub arena fodere pergat ſpirali motu, durante autem hoc labore arenam capiti incumbentem retrò projiciat, & ſurſum; Nido hoc coniformi parato indicare arenam in foſſam deciduam præſentiam prædæ; ejicere mox prædonem arenam in altum; tegi formicam, aliudue animalculum, delabi in excipulam, arripi à Formica-Leone, & exugi, projectis extra nidum exuuiis. Venationem hanc perbellè deſcribit Poeta in *Petauiana Bibliotheca* n. 1344.

Eſt formicoleon formicarum leo, qui ſe
Puluere conſepelit, bicque latendo manet.
Formicæ dum prætereunt, pia farra trabentes,
Prodit ab inſidiis, bas ſpoliando necat.

Qui plura deſiderat, adeat *Poupartum*, cujus obſeruationes confirmat diligentiſſimus ἐντομόγραφος *Vallisnieri Nououe Oſſeruaz.* p. 75. Ejusmodi inſectum Tabulæ huic noſtræ incidi curaui Lit. A. Interea vero haud videtur ſimile, intellexiſſe Elipham, vel hujus Interpretes, nomine לַיִשׁ prædonem hunc, qui ſede immobili fixus ſuam captat prædam, & Formica-Leonis nomine venit, ſed potius *leonum* quoddam genus. Extat ſanè apud *Agatharchidem* c. 34. ubi de *Leonibus Arabicis* ſub finem locus περὶ μυρμηκολεόντων. τῶν δὲ καλουμένων μυρμηκολεόντων οἱ μὲν πλεῖστοι κατὰ τὴν ἰδέαν τῶν λοιπῶν οὐδὲν παραλλάττουσι, τὴν δὲ τῶν αἰδοίων φύσιν ἀπεστραμμένην ἔχουσι ἐναντίαν τοῖς ἄλλοις. *Eorum autem leonum, qui vocantur myrmecoleontes, plerique à reliquis ſpecie nibil differunt, genitalia tantùm habent auerſa, contrà quàm alii.* *Strabo* L. XV. hujusmodi leones, qui in Arabia Troglodytica viuunt, ſimpliciter vocat μύρμηκας, *formicas*, qui aurei ſint coloris, nec ita, ut Arabici, villoſi. De hiisdem leonibus intelligendus venit *Ælianus* L. VII. c. 42. 47. & *Herodotus* in *Thalia* L. III. c. 102. μύρμηκες μεγάθεα ἔχοντες κυνῶν μὲν ἐλάσσωνα, ἀλωπέκων δὲ μείζονα. Formicas dari canibus minores, vulpibus majores. Has *Plinius* comparat lupis, *Solinus* vulpibus, qui Textus ſanè non prorſus quadrant in formicas propriè ita dictas, ſed in quadrupeda, quæ formicarum nomen gerunt. Patet ita ὡς ἐν παρόδῳ diuulgatas fuiſſe fabellas de formicis Indicis, quæ canum ſint magnitudine, contra & præter veterum Scriptorum intentionem, qui hoc μυρμήκων nomine aliud quid ſiue ab inſectis diuerſum intellexere.

V. Reſtat quintum leonis nomen לָבִיא *labi*, quod leænam denotat lactantem, τὰς σκυμνὰς θηλάζουσαν. Clarum id ex loco Ezechielis XIX. 2. ſupra allegato, ſed & ex noſtro Textu. Leænæ tanquam beſtiæ fortiſſimæ atque ſæuiſſimæ mentio paſſim fit in Sacris Gen. XLIX. 9. Num. XXIII. 24. XXIV. 9. Deuter. XXXIII. 20. Job. XXXIX. 1. *Herodoto* L. III. c. 108. cluet illa ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον ζῶον, fortiſſimum & audaciſſimum animal. *Ælianus Var.* L. XII. c. 39. ἀλκιμώτατον καὶ δυσμαχώτατον θηρίον. De hoc leone & Arabicis cognominibus לָבִיא noſtro affinibus plura vide ad Gen. XLIX. 9. & in hunc noſtrum Textum *Bochart.* l. c. & P. II. L. VI. c. 4.

Myſticam leonum ad impios DEI & Eccleſiæ hoſtes applicationem linquo aliis. Conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 1. p. 711. 5. p. 775. II. L. VI. c. 4. p. 813. item *Ludolf. Comm. in Hiſt. Æthiop.* p. 193.

TAB. DX.

Job. Cap. IV. verſ. 12-16.

12. Ad hæc res arcana perlata eſt ad me, ex qua modicum quiddam percepit auris mea.

13. Inter cogitationes, (quæ oriebantur) è viſis nocturnis, quum ſopor homines occuparet.

14. Ingruit mihi pauor & tremor, ac terrefecit quantum eſt oſſium meorum.

15. Spiritus namque ante me hinc inde commeabat, & pili per totum corpus meum horruerunt.

16. Quumque conſiſteret, non agnoſcebam ejus faciem (obuerſabaturque) meis oculis imago, & erat ſilentium, ac vocem ejusmodi percepi.

12. Porro ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrii ejus.

13. In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.

14. Pauor tenuit me, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.

15. Et cùm ſpiritus me præſente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16. Stetit quidam, cujus non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui.

INſpiratum ſe jactat Eliphas in Textu: an reuerà talis fuerit, vel ſibi duntaxat viſus, & undenam illa inſpiratio, num à DEO, vel Satana, aliis judicandum linquo, qui dono inſpirationes examinandi pollent, & jure gaudent. Fatetur tamen ille, *modicum* duntaxat *quiddam percepiſſe aurem ſuam*, ψιθυρισμὸν, ſuſurrum, vocem obſcuram, ſubmiſſam, qualis eſt muſſitantium. v. 13. *Inter cogitationes, quæ oriebantur è viſis nocturnis, quum ſopor homines occuparet. (In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.)* Fuit proin, ut paucis omnia dicam, viſio nocturna per inſomnium, primo, eoque profundo, ſomno. De *ſomno* hic ex ſtructura corporis mechanica formandus conceptus, retrahi quaſi fluidum nerueum ab organis ſenſuum externorum ad cerebrum, vel, haud inde influere in externas partes, uti quidem ſolent vigilantibus: dum interim vitalia organa, eodem, & conſtanti, haud interrupto, imò for tiori gaudent ſpirituum influxu, utpote ad vi tæ conſeruationem abſolutè neceſſario. Con fer, ſi lubet, vigilantem Molendino, aliiu Automato, cujus partes omnes, ſaxa, ponde ra, rotæ, vectes, ſunt in perenni motu, ſomn oppreſſum eidem machinæ, ſed quieſcenti. In terea dum Molendinum hocce ad quietem e compoſitum, intra cerebri confinia diſcurſan quos vocamus ita, ſpiritus, & cogitat men conformiter horum motibus: ſiſtuntur ei nun hæc, nunc illa objecta, & videtur ſibi hom hæc illaue videre, audire, tangere; Qu omnia pendent ex unione animæ cum corp re, hujusque unionis legibus & effectis.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægr
Incipit, & dono Diuum gratiſſima ſerpit.
In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hecto
Viſus adeſſe mihi.

Virgil. Æn. II.

Verſ. 1



IOB. Cap. IV. v. 12-16.
Eliphas inſpiratus.

Buch Hiob Cap. IV. v. 12-16.
Der begeiſterte Eliphas.

G. D. Heümann sculp.

IOB. Cap. IV. v. 19.
Tinea miſeriæ Symbolum.

Buch Hiob Cap. IV. v. 19.
Die Schabe ein Bilde menſchlichen Elen

G. D. Heümann sculp

Verſ. 14. *Ingruit mihi pauor & tremor, ac ter-efecit, quantum eſt oſſium meorum. (Pauor tenuit ne, & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt.)* ſunt ita dicti *affectus animi* ſublati inter animam c corpus æquilibrii effectus, imo & æquilibrii nter motum fluidi neruei, & laticis ſanguinei, yſtematis neruoſi & cordis. Fluctus in hocce nimi corporisue Oceano elati, ſpumantes. t in *terrore* quidem, ſiue terrifica objecti re-ræſentatione, prædominium obtinet nerueum uidum, contrahitur cutis, veluti effugitura nalum, redditur ſanguinis circulus per extre-na difficilis, augentur reſiſtentiæ cordi oppo-itæ, graui pondere oppreſſa ſentimus præcor-lia. Quamdiu durat hæc ſpaſmodica veluti artium extremarum contractio, derelinquit aſce calor, liberi aliàs circuli, & attritionis ffectus. Motus muſculorum & fibrarum to-us corporis fit inordinatus, contremiſcit in-egra machina, ſpeciatim *oſſa*.

— *Gelidusque per ima cucurrit*
Oſſa tremor.

irg. Prodromus fuit hic terror viſionis, quam ctat Eliphas, mox inſecutæ. Ita Danielem *eliquit animus, & viſa capitis ſui perturbaue-unt eum. (Horruit ſpiritus meus, ego Daniel ter-tus ſum in his, & viſiones capitis mei contur-uerunt me.)* Dan. VII. 15. Sed non parum rſan contribuit ad terrorem huncce tempo-ris circumſtantia. Nox fuerat, qua terreri ſo-lemus à rebus leuiculis, haud nos diuertunt, ut interdiu, objecta alia; concentratur veluti mens in ſe ipſam, & colliculum quemuis aſpe-ctat ut montem ingentem. Ut rumor quiuis, etiam malè fundatus, diſturbat exercitum, qui ſecurè dormit, excubiis limitaneis deſtitutus, ita & quæuis impreſſio leuicula mentem, ſi cor-pus ſtertat.

Verſ. 15. *Spiritus namque ante me hinc inde commeabat, & pili per totum corpus meum hor-ruerunt. (Et cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.)* Qualenam fue-rit hoc πνεῦμα, bonum malumue, judicent alii: mei ſunt fori arrectæ horrore comæ, quas paſ-ſus obſtupens Eliphas. Symmachus id vocat ὀρθοτριχεῖν, Latini *horripilationem. Sermo cre-bro jurantis horrorem incutit*, ὀρθώσει τρίχας. *(Lo-quela multum jurans, horripilationem capiti ſta-tuet.)* Eccleſiaſtic. XXVII. 14. Qui ſyſtema ſu-pra expoſitum, de affectibus, & capit & aſſu-mit, quod à Clar. *Verdries* didiciſſe me fateor, ei haud difficile eſt formare αἰτιολογίαν hujus ſymptomatis. Contrahitur violenter & velu-ti corrugatur cutis ab impetuoſo fluidi neruei influxu: ita eriguntur, ſtant comæ, ut Echino aculei, unde Galli ipſam hanc *horripilationem* exprimunt per *heriſſer*, ab *heriſſon*, Echino. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 291. *Bochart. Hie-roz.* P. II. L. IV. c. 2. p. 454.

TAB. DXI.

Job. Cap. IV. verſ. 19.

Quanto magis (à perfectione abſunt) qui domos luteas incolunt, & quo-rum fundamentum eſt è puluere, quosque (res multæ) comminu-unt, *(a)* priusquam conficiantur à tineis.

(a) Comminuent eos ante tineam, id eſt, priusquam à vermibus abſumantur in ſepulchro, ut veſtis à tinea.

Quanto magis hi, qui habitant do-mos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur ve-lut à tinea?

PErbella mortalium, quâ Eliphas utitur, περίφρασις, *incolere domos luteas*, בָּתֵּי חֹמֶר *batthe chomer*, οἰκίας πηλίνας LXX. ἐπίγειον οἰκίαν τοῦ σκήνους, 2. Cor. V. 1. Eſt חֹמֶר *chomer*, πηλὸς, lutum, argilla, limus, rra ex abjectiſſimis, quæ facile diſſoluitur in qua. Hoc luti in aqua diſſoluti ſenſu ſumi detur חֹמֶר Habac. III. 15. *Effeciſti, ut incede-nt in mari equitatus, in luto* חֹמֶר *immanium aqua-m. (Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aqua-m multarum.)* Jeſ. LXIV. 8. *Nos lutum* חֹמֶר, *figulus noſter.* Et in Textu noſtro *fundamen-tum* noſtrum *eſt è puluere*, בֶּעָפָר *beaphar*, ubi LXX. iterum adhibent πηλὸν, καὶ αὐτοὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ ἔσμεν. Adeò delicata mehercle & ſubtilis eſt ſtructura artificioſiſſimæ machinæ noſtræ, labilis adeò & diſſolubilis, ut haud opus ſit bellico apparatu, arietibus, balliſtis, tormen-tis, haud magno hoſtium exercitu; *comminui-tur*, diſſoluitur ſponte, rimas vetuſtate agit, imò à leui quauis aeris alteratione, ventorum motu, affectus impetu, rerum quarumcunque ſex non-naturalium exceſſu aut defectu deji-citur, proprio tandem pondere corruit. Ad-

 hibet

hibet Eliphaz argumentationem ex pari, ſtructuram corporis humani, domum luteam, ex vili, diſſolubili materia confectam, comparans cum mentibus illis angelicis puriſſimis, nulli alterationi obnoxiis, imo & domos luteas, quas inhabitant mortales, cum manſionibus illis cœleſtibus. Si illi cœli incolæ diuini judicii ſubeunt ſeueritatem, quid nos manebit terricolas, ex argilla fictos? En pedes luteos, lutoſos aureæ ſtatuæ! proh quàm debile humanæ vitæ, gloriæ, ſplendoris, fundamentum! Qui *conficimur* tandem *à tineis.* עָשׁ *aſch* pro *tinea* occurrit paſſim. Job. XIII. 28. XXVII. 18. Pſal. XXXIX. 12. L. 9. Jeſ. LI. 8. Hoſ. V. 12. Chaldæis עָשָׁא *aſcha.* Eſt & hodie Arabibus *uſſet*, Plur. *uſs*, *uſes*, diminutiuum *uſejſet* tinea lanam erodens, item blatta libros. *Meninzk. Lex.* 3215. Legit *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 25. *atthſa*, *otthſa.* Græcum vocabulum eſt σὴς, quod haud dubiè deſcendit ab Hebræo סָס *ſas*, quod occurrit Jeſ. LI. 8. *Aquilæ* placet Jeſ. L. 9. ἡ βρῶσις. Et Matth. VI. 19 ſunt σὴς καὶ βρῶσις fere ſynonyma; ut *blattæ* & *tineæ* apud Poetas. *Horat.* L. II. *Sat.* 3.

— Cui ſtragula veſtis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putreſcat in arca.

Martialis L. VI. *Epigr.* 60.

Quam multi tineas paſcunt blattasque diſerti.

Tineæ proprium eſt, conſumere lanam, & laneas veſtes, propria ſua habitacula & fortè matrem, ſi vera æquiuoca illa veteribus agnita generatio. *Ariſt. Hiſt.* L. V. c. 32. ubi animalia quædam gigni narrat ἐν ἐρίοις, καὶ ὅσα ἐξ ἐρίων ἐςὶν, οἷον οἱ σῆτες, οἳ ἐμφύονται μᾶλλον, ὅταν κονιορτώδη ἦ τὰ ἔρια, *in lanis & iis, quæ ex lanis conſtant, ut tineæ, quæ tunc maximè oriuntur, cum lanæ ſunt pulverulentæ. Plin.* L. XI. c. 35. *puluis in lanis & veſte tineas creat.* Σητοβρώσεως hujus ſimili utitur haud ſemel ſacer Codex, ſicubi docet, occultis DEI judiciis reprobos tabeſcere, & conſumi, ut tinea cœco morſu abſumit veſtimenta pretioſiſſima. Job. XIII. 28. *Ipſe velut putrida res vetuſtate conficiendus ſum, & ſicut veſtis, quæ comeditur à tinea.* (*Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.*) Jeſ. L. 9. *Omnes iſti ſicut veſtimentum veteraſcent, tinea corrodet eos.* Jeſ. LI. 8. *Veluti veſtimentum, ſic eos corrodet tinea* עָשׁ *& ſicut lanam comedet eos vermiculus* סָס. Et cum ſenſu Textus Jobiani noſtri coincidit Pſal. XXXIX. 12. *Dum tu hominem ob iniquitatem objurgans caſtigas: ilico tabeſcere facis, velut tinea.* (*In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem; & tabeſcere feciſti, ſicut araneam, animam ejus.*) Eſt autem *tinea*, cujus deſcriptionem atque delineationem à me poſcet lector, animalculum exile volatile alis albis, nigris paſſim maculis notatis, quæ alæ ſubjectæ microſcopio ſunt textura artificioſiſſima ex plumis, albis nempe & nigris, iisque reſpectu animalculi ſatis longis. Deponunt hæ tineæ plura oua, ex quibus prodit animalculum *lupus*, *der Wolff*, dictum, granariis infeſtum, grana corrodens. En figuras ex *Leeuwenhœk Experim. & contemplat.* p. 263.

Fig. 1. eſt tinea ipſa. A. A.

Fig. 2. Inuolucrum ſiue membrana, cui vermes incluſi in tineas mutantur, ſicuti conſpicitur nudis oculis.

Fig. 3. Tineæ pars poſtica, quam oua depoſitura ab A ad B extendit, & ex hac parte protendit corporis partem B C D. ex hac partem C D E. pilis in extremo obſitam.

Fig. 4. Idem corpus longiſſimè extenſum, per quod ouum tranſiens ſimul longius redditur, pro commodiori ſitu in granis.

Fig. 5. vermiculus eſt ex ouo prodiens, ſub microſcopio conſpectus.

Fig. 6. ouum diſruptum.

Fig. 7. ſunt tres ex maximis plumis, quibus alæ ſunt obſitæ.

Fig. 8. Plumæ aliæ minores.

Fig. 9. Plumæ aliæ longiores, quæ alæ tegunt oras.

Job. Cap. V. verſ. 2.

Nempe furor ſtultum occidit, ac leuem (*a*) perimit indignatio.

(*a*) Hier. paruulum. Significat autem pethi leuem, qui facile credit, & affectibus cedit.

Virum ſtultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.

COmparent heic, & vel minaci vultu, vel algido aſpectu horrorem incutiunt, duo ex animi affectibus, ſed perniciosiſſimi, *ira* atque *inuidia*, furor breuis & longus. *Ira* formidabilior tantò, quòd pro parentibus agnoſcat deſiderium atque dolorem, ut, ex hypotheſi ſupra expoſita, nunc prædominium obtineat nerueum flui dum, &, ſanguine ab extremis corporis parti bus retropulſo verſus cor, pallorem induat fa cies; nunc dominio potiatur cor, ſanguinem que in extremos corporis tubulos extrema fu vi propellat, ruboremque ſpeculo animi indu cat: miſellum proin corpus cum omnibus ſui part

ɔartibus, fluidis atque ſolidis, inter duo veluti grauitatis reciprocæ puncta jactatum violentos uſtineat ictus. Ita namque, qui omnes irarum effundit habenas, excandeſcens vultu truci ac oruo, nil niſi minas euomit, mox verò lugubri d commiſerationem mouet. Hinc conſtat, ur & quomodo nunc diſtendantur ſanguiue- a vaſa, rubeſcat cutis, oculi ſcintillent, cor- us incaleſcat: nunc palleſcant labia & tremant, lentes ſtrideant, ſtent comæ: cur inſanus ἄλο- ος homo ſpiritum nunc ducat grauem, cita- um, nunc debilem, tardum, meteoricum, omplodat præ dolore manus, pedibus terram quatiat, minacia euomat verba: cur effunda- ur, aggeribus ruptis, bilis, & pulſus adeò eddatur velox, ut ſanguis ore, naribus, auri- us, utero, vulneribus effluat, imo anima ſæ- e è corpore ipſo migret, verbo, *furor ſtultum ccidat*, quæ emphatica eſt Eliphæ phraſis; *ultum*, אויל *euil*, propriè *leuem*, qui res ſuas ſi- e ratione, absque conſilio vel prudentia agit, qui à quouis, etiam leuiſſimo, paſſionum impetu pellitur hac illac, nauiculæ inſtar rectore deſtitutæ. Eſt hujusmodi homo non uno reſpectu amens animi; Ratio non domina, ſed furioſi affectus ſerua: mente captus, conculcans non ſolùm ſe ipſum, &, quo gaudet, honorem, ſed animam violentis motibus perdens. In eodem ſtolidorum catalogo ſtat *inuidus*, פותה *poteh*, *infatuatus*, *ſeductus*, *errans*; errans, quia ſtultus, liuoris maligni mancipium; dominium heic obtinet ſpirituum animalium in extrema corporis fluxus, impeditur ſanguinis circulus, obruitur cor, macerantur & exeduntur oſſa, medullæ, corporis artus: imo archiſtultus, qui ſibi ipſi plus quàm proximo, cui inuidet, infenſus, in propria furens viſcera. Inuidia Siculi non inuenere tyranni majus tormentum. Silentio prætereo enormitatem peccati, quo ira tumentes & inuidia liuentes hi ſtulti iram DEI accendunt, cujus repræſentatio alius eſt fori.

Job. Cap. V. verſ. 9.

Qui edit ingentia opera, eaque inueſtigabilia, & res mirandas, illasque innumeras.

Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia absque numero.

HOc ipſum de DEO teſtimonium legas Jer. X. 6. *Reuera, ô* DOMINE, *nemo eſt ſicut Tu, magnus es Tu, & magnum eſt nomen Tuum cum poten-* *ı.* Pſal. CXXXV. 5. *Scio, quod magnus ſit* DOMINUS, *&* DOMINUS *noſter antecellat omnes* Deos. (*Ego cognoui, quod magnus eſt* DOMINUS, *&* DEUS *noſter præ omnibus Diis.*) Ali- : Ipſe *ſolus miracula facit. Magna*, infinitè agna eſt potentia, magna & ἀνεξιχνίαςος ſapientia, magna & æterna bonitas, magnæ, immenſæ, omnes DEI perfectiones. Magnitunem ſupremi entis demonſtrant non ſolùm rpora mundi maxima, uniuerſum, ſi non initè, ſaltem indefinitè magnum, ſed & corſcula minima, atomi, non duntaxat maxiæ molis balænæ & elephantes, ſed quoque inimi puncti animalcula, quorum 1000. ɔo. ooo. magnitudinem arenulæ haud ſuperant, ſi fides eſt microſcopialibus obſeruationibus lyncei *Leeuwenhœk Arcan. Nat. deteƈt.* p. 26. non ſolæ Libani Cedri, ſed muſcus vel minimus. *Res mirandas*, miracula, præſtat DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, quà Creator & Conſeruator, miracula non eo duntaxat tempore, quo ignis Ejus juſſu pluit de cœlo, vel igni flammanti vis urens, conſumens, adimitur, ſed & quando- & ubicunque mouetur puluiſculus. Miracula in operibus, quæ tranſcendunt Leges Naturæ, & iis, quæ fiunt juxta Leges à DEO latas. Miracula ſemper, miracula ubique. Suo nempe ſenſu propagatio ſeminis cujusuis non minus eſt miraculum, quàm multiplicatio illa quinque panum; *Edit* mirabilis DEUS *res mirandas, illasque innumeras*, in natura, ſupra naturam, in gratia, redemptione hominum, & damnatione, in Vita ac Morte.

Job. Cap. V. verſ. 10.

Qui dat pluuiam ſuperficiei telluris, & aquas immittit vicis.

Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis uniuerſa.

QUi attento conſiderat animo vaporum ſubleuationem, bullularum aquearum in aere libero natationem, & ex colliſu factam mutationem in pluuiam: Pluuiæ hujus ordinatiſſimam per omnes terræ regiones, inde ab Æquatore usque ad Polos, diſpenſationem neceſſitati cujusque adæquatam, plantis, animantibus, homini-

minibus perneceſſariam; & omnia hæc ad normam Legum Philoſophiæ Naturalis modernæ: ei ſtatim illuceſcet hæc veritas, DEUM κατ᾽ ἐξοχὴν mirabilem, magnum, potentem, *dare pluuiam ſuperficiei telluris, & aquas immittere vicis*, non naturam, non caſum: Pluuiam non ſolùm agris frumento conſitis, pratis & paſcuis pinguibus, ſed quoque deſertis, urbibus, pagis, plateis, qua recreentur incolæ, & ciſternas adimplere poſſint: quam DEI bonitatem agnoſcunt atque deprædicant ſpeciatim Belgæ, quibus pro potatorio & culinari uſu ſola fere inſeruit aqua οὐρανοπετής; agnoſcunt & Populi illi Orientales, qui climata æſtu ſæpe ſqualentia, quale Jobi fuit, incolunt. Ipſe noſter Philoſophus pientiſſimus fatetur XXVIII. 26. DEUM *præfigere pluuiæ terminum, & viam fulguri atque tonitruis. (DEUM ponere pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus.)* Regius Pſaltes Pſ. LXV. 10. 11. *Viſitaſti terram, & irrigaſti eam, ditaſti eam ampliter, riuus DEI aquis exuberat: tu paras eis frumentum, quandoquidem ſic illam inſtruis. Irrigas liras ejus, & quieſcere facis ſulcos ejus: facis eam guttis colliqueſcere, & germen ejus feliciter prouenire facis. (Viſitaſti terram & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam. Flumen DEI repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio ejus. Riuos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.)* Pſal. CXLVII. 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat pluuiam terræ, & producit fœnum in montibus.* Gentium Apoſtolus Act. XIV. 17. Καὶ τοίγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, ἀγαθοποιῶν οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Alia hujuſmodi & elogia & teſtimonia ſacra lubens nunc prætereo. Et facit ſapientiſſima hæc pluuialium aquarum diſpenſatio ad id inter alia, ut *humiles in alto loco ponantur, ac mœſti obtineant arcem ſalutis, (qui ponit humiles in ſublime, & mœrentes erigit ſoſpitate,)* quæ Eliphæ noſtri conſequentia eſt V. 11. Ita literali æquè ac myſtico ſenſu intelligendus venit locus Joel. II. 23. *Et vos, o filii Zion, exultate & lætamini in DOMINO DEO veſtro, quoniam — demittet vobis pluuiam temporaneam & ſerotinam, ut ab initio. (Et filii Sion exultate, & lætamini in DOMINO DEO veſtro, quia — deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ſicut in principio.)*

Job. Cap. VI. verſ. 4.

Jam DEI optimi maximi ſagittæ in me ſunt, quorum feruor ebibit ſpiritum meum, & terrores DEI acie inſtructa me inuaſerunt.

Quia ſagittæ DOMINI in me ſunt: quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores DOMINI militant contra me.

JObum en, virum DEI, animi corporisque morbis grauiſſimè afflictum! *Sagittas DEI Optimi Maximi* optimo jure vocare poteſt vulnera ſua, ulcera, vermes rodentes, acrimonias ſanguinis ſui, particulas acres, rodentes, lancinantes, utpote quæ ſagittarum ad inſtar carni infixarum pungunt, ſed ſagittæ DEI, prouidenti ſed ſancta DEI manu miſſæ. De hiſce ſagittis nunc queritur Jobus, earum *feruorem ebibere ſpiritum ſuum:* qua eleganti à telis vulneribusque venenatis deſumptâ metaphorâ exprimere vult urentes dolores, æſtus per omne corpus ignis ad inſtar furentes, intolerabiles, quibus tandem planè conſumitur corpus, & letho traditur. Ita apud *Sophoclem* in *Trachiniis* legas:

— Πνεύμονάς τ᾽ ἀρτηρίας
Ροφεῖ ξυνοικῶν. Ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
Πέπτωκεν ἤδη.

Et *Seneca* in *Hercule Oetæo:*

- - - Sanguinis quondam capax
Tumidi jecur pulmonis arentes fibras
Diſtendit: ardet felle ſiccato jecur:
Totumque lentus ſanguinem auexit vapor.

Et alibi:

Exedit artus penitus & totus malum
Hauſit medullas, oſſibus vacuis ſedet.

Et de lamentatione, quam uniuerſalis ejusmodi dolor extorquere ſolet, Id. Act. 3.

— Hic cœlum horrido
Clamore complet, qualis impreſſa fugax
Taurus bipenne, vulnus & telum ferens,
Delubra vaſto trepida mugitu replet.

Ita etiam *Ouidius Met.* 9. de *Hercule:*

— Perque altam ſaucius Oeten
Haud aliter graditur, quam ſi venabul[a] Taurus
Corpore fixa ferat.

Addunt Textui noſtro LXX. ὅταν ἄρξωμαι λαλεῖ[ν] κεντοῦσί με, pungunt, figunt, transfigunt me, quo[ties] os ad loquendum aperio: quouis nemp[e] & leui motu exacerbante dolorem. Animi ſu[os] morbos emphaticè vocat *terrores* DEI, qui grauiſſimè premunt, tantùm non opprimunt, & triſtem ideam poſt aliam menti afflictiſſimæ ſiſtunt. De quo alibi plura.

TA[B.]

RPJCB

IOB. Cap. VI. v. 5.
Onager.

Büch Hiob Cap. VI. v. 5.
Wald = Eſel.

P. G. Harder sc.

TAB. DXII.

Job. Cap. VI. verſ. 5.

Num rudit onager herba præſente? num bos mugit appoſita farragine?

Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præſepe plenum ſteterit?

COnſideranda heic veniunt animalia, pabulum, vox, applicatio moralis. *Onager*, ἄγριος ὄνος, vocatur in Textu originali פֶּרֶא *pere*, vel *fere*, & hodie adhuc *fera*, *feree*, Plur. *fira*, & efra, item *ferw* Arabibus, *Meninzk. Lex.* 3480. Animal *Ariſtoteli* quoque memoratum *Hiſt.* L. VI. c. 36. domeſtico aſino adeò ſimile, ut ouum fere ouo, ſi *Luitprando*, Cremonenſi Epiſcopo, A. 968. ad Imperatorem Nicephorum Phocam Oratori, fides. *Color idem, forma eadem, auriti itidem, vocales ſimiliter cum rudere incipiunt, magnitudo non diſpar, velocitas una, dulces lupis æquè.* Sed ſunt, qui diſcrimen agnoſcunt non unum, 1. ratione velocitatis, qua domeſticum longè ſuperare dicitur, τὴν ταχύτητα διαφέρων. *Ariſt.* l. c. ſuperare equos. *Xenoph. Cyr. min.* L. I. *bonis cruribus, pernix, pedibus inſtar turbinis, robuſtis ungulis, velociſſimus curſu*, εὔσφυρος, κραιπνὸς, ἀελλοπόδης, κρατερώνυχος, ὀξύτατος θεῖν. *Oppian. Cyneget.* L. III. v. 182. mo νὴ Δία, *per Jouem* jurat *Ælianus* L. XIV. c. 10. Mauritaniæ onagros velocitate æquales eſſe ventis & auibus, mox verò laſſari, & laſſatos adeò miteſcere, ut ligari facile queant, & abduci. Deducunt & ipſam vocem פֶּרֶא à curſu. 2. Eſſe ſpecioſiores forma & majores. *Martialis* L. XIII. *Epigr.* 100.

Pulcher adeſt onager —

Oppianus:

\- - - - αἰπὺν ὄναγρον,
Ὅς τε πέλει φαιδρὸς δέμας, ἄρκιος, εὐρὺς ἰδέσθαι,
Ἀργύρεος χροιήν. —

\- - - - *Procerum aſinum,*
Qui eſt pulcher corpore, amplus, latus aſpectu,
Argenteus colore.

t:

Ταινίη δὲ μέλαινα μέσην ῥάχιν ἀμφιβέβηκε,
Χιονέης ἑκάτερθε περισχομένη στεφάνῃσι.

Linea autem mediam dorſi ſpinam cingit,
Niueis utrimque diſtincta coronis.

Philoſtorgio teſte L. III. c. II. cutis eſt maculis albis & nigris, ſtriiſque pulchris à dorſo ad ventrem pulchrè picta. Sed aliquando color eſt idem, qui communi.

In cibum venit *onagro* דֶּשֶׁא *deſche, gramen*, progerminans herba, tenerum germen, cui affine eſt Arabum *wadſon*, *wedaſon*, *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 4. affinius forte Turcarum *æſis*, *Meninzk. Lex.* 3267. *Boui* בְּלִיל *belil, pabulum.* Jeſ. XXX. 24. *Tauri quoque & pulli, qui terram colunt, farraginem ſapidiſſimam* בְּלִיל *comedent, quæ vento & vanno euentilata eſt. (Tauri tui, & pulli aſinornm, qui operantur terram, commiſtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt.)* Ubi per בְּלִיל intelligunt Interpretes farraginem, migma, pabulum ex fœno & frumento, vel ex hordeo & auena mixtum. Apud LXX. onagro dantur τὰ σῖτα, boui τὰ βρώματα.

De *onagri ruditu* & *bouis balatu* annotari meretur, ὡς ἐν παρόδῳ, famem, quæ vacui eſt incola ventris, animantia ratione deſtituta cogere, pellere ad id, ut ardorem edendi ſignificent voce ſua, vel clamoribus, prouidente ita Creatore optimo, ut hujusmodi viuentia automata, ſed nutrimenti indiga, appetitum certis ſignis promant, & ita ad eum clament, à quo cibos præſtolantur. Joel. I. 20. *Sed & beſtiæ agri vociferabuntur* (ſuſpexerunt, vel ſuſpicient) *ad Te, quod exaruerint torrentes aquarum, & quod ignis abſumpſerit amœniſſima loca deſerti. (Sed & beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.)*

Pari modo, quod Opponenti ſuo regerit Jobus, homo in calamitatem incidens, auxilii ſolatiique indigus clamorem ad ſidera tollit: modeſtâ ſimul exprobratione corrigens Elipham, utpote qui neque patiatur quidquam, neque compatiatur: facile eſſe ei, qui nulla calamitate premitur, ſolatia dare afflicto. Judicare de proximo eum quàm optimè, qui in eodem hæret luto.

Ἐλαφρὸν, ὅσις πημάτων ἔξω πόδα
Ἔχει, διδάσκειν νουθετεῖν τε τοὺς κακῶς
Πράσσοντας.

Miſeros monere & increpare perleue eſt,
Si pes mali nulla ligetur compede. Æſchyl.

Juxta Apoſtoli effatum Hebr. V. 1. 2. debebat ſummus Pontifex eſſe homo, ut poſſet μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοῦσι καὶ πλανωμένοις, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περίκειται ἀσθένειαν. Vid. Bochart. Hieroz. P. I. L. III. c. 16. p. 867. L. II. c. 31. p. 300. c. 41. p. 407.

Job. Cap. VI. verſ. 6.

Poteſtne inſulſum edi, non conditum ſale? Num ſapit cuiquam ſaliua albuminis?

Aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem? Animæ enim eſurienti etiam amara dulcia eſſe videntur.

Manifeſtiſſima eſt DEI Optimi Maximi πρόνοια ut in conſeruatione omnium & ſingulorum totius univerſi corporum, animatorum, inanimatorum, ita ſpeciatim circa media, quibus homo conſeruat corpus: circa appetentiam cibi ac potus, proportionatam ſemper neceſſitati atque uſui. Beneficio hoc gaudent, gradu altiori & perfectiori, bruta, utpote quæ ea duntaxat appetunt, quæ ſibi ſunt proficua, auerſantur, quæ noxia; ſed quoque, licet inferiori gradu, homines, quorum corpora conſtare debebant omnis generis particulis, ſalſis, terreis, aqueis, ſulphureis, oleoſis. Ex multis ſpeciatim appetit is ſal; diſplicet omnis penè cibus inſulſus, utpote qui ſolidum haud præbet alimentum, obſtructiones creat, & ſecretiones impedit magis quàm promouet. De uſu ſalis multiplici plura dicenda forent, ſi chartæ anguſtia id permitteret. Omnibus ſacrificiis adderat ſal, Leuit. II. 13. Marc. IX. 45. Ita & apud Ethnicos *mola ſalſa*. Non eſt conuiuium absque ſale: Imo eſt ſal pauperum ſæpe unicum condimentum. Horum erat & olim πρὸς ἅλα δειπνεῖν καὶ κύμινον, teſte *Plutarcho*. Quapropter maluit *Diogenes* Athenis ἅλα λείχειν, *ſal lambere*, quàm ſumptuoſo *Crateri* intereſſe conuiuio. Apud *Horatium* L. I. *Sat.* 3. contentus viuebat *Tigellius*,

- - modò ſit mihi menſa tripes, & concha
ſalis puri.

Et ſociat εὐσέβειαν αὐταρκείᾳ *Perſius Sat.* V.

Varo reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi viuere cum Joue tendis.

In quotidiano uſu conueniebat homini neque alcalicum ſal, neque acidum, pura, utpote quæ gignerent morbos *acrimoniarum* titulo hodie cognitos: minus periculi imminet à ſale communi, niſi ſumto in exceſſu. Eſt enim ſeu

foſſile illud, ſeu excoctum, ſeu marinum, com-
poſitum, ſeu muriaticæ indolis.
Jobi linguâ vocatur *albumen oui*, pulli non
dum excluſi alimentum, רִיר חַלָּמוּת *rir challa*
muth, *ſaliua vitelli*, notabili emphaſi: quem
admodum enim ſaliua pro dijudicandis varii
ſaporibus inſipida eſt prorſus, cibisque inte
miſcetur, ut in nutrimentum abeat ipſa, ita &
albumen.
De morali Epitheti hujus applicatione mu
ta dicenda forent, ſed breuitati ſtudebo. E
probrat amico Jobus, deeſſe ipſi & ſermonib
ſuis condituram, ſal, ſermones eſſe fatuos, i
ſulſos, quibus v. 25. è diametro opponit נִמְרְצוּ
אִמְרֵי *nimretſu imre*, *eloquia roborata*, ſale cond
ta: quapropter nauſeabat ei conuerſatio. *Q*
meus animus renuit contingere, ea ſunt mihi p
cibo fœtido. (Quæ prius nolebat tangere ani
mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.) v. 7. B
ni paſtoris eſt, cum afflictis ſermones miſce
non tam multos, quàm conditos: & in om
conuerſatione, in omni foro, in cathedra om
ſint, quæ proferimus, utilia, condita ſale,
DEI Gloriam, juſtitiæ patrocinium, prox
ſalutem directa, haud, ut albumen oui, inſ
da, inſulſa. Quam Lectionem Miniſtris V
bi Diuini inculcat probè magnus noſter Ref
mator *Bullingerus Epiſt. ad Col.* IV. 6. *Ho*
admodum incommodant quidam Eccleſiaſticis
bus veritatique Euangelicæ inepta & illibe
quadam libertate & dicendi & ſcribendi. U
nam verò incipiant & hi ſermones ſuos cœleſt
le condire, & ſibi ab illa malorum verborum
pia temperare! Et quî nauſeaſſent pientiſſi
viro conciones indigeſtæ, inſulſæ, phra
quæ riſum mouent, & à vulgo in prouer
trahuntur, aliquando & ſcandaloſæ! His P
do-Paſtoribus ſocios damus Pſeudo-Medi
illos, qui ſolidâ γνώσει deſtituti ad ægrorum
ctos plus ſæpe fantur, quàm intelligunt
& πολυλαλίᾳ ſua aures ægrorum æ-
què ac adſtantium
laſſant.

RPJCB

Iob. Cap. VIII. v. 11. 12.
Impii felices ut plantæ paluſtres.

Buch Hiob Cap. VIII. v. 11. 12.
Glücks = Glantze wie ein Moraſt = Pfl

G. D. Heüman

TAB. DXIII.

Job. Cap. VIII. verſ. 11. 12.

Adoleſcitne ſcirpus abſque palu-
de? Creſcetne carex abſque a-
quis?
,. Dum adhuc in virore ſuo eſt, non
ſuccidetur, & tamen ante omnia
virentia exareſcet.

11. Nunquid virere poteſt ſcirpus abſ-
que humore? aut creſcere care-
ctum ſine aqua?
12. Cum adhuc ſit in flore, nec car-
patur manu, ante omnes herbas
areſcit.

Familiare eſt Syris, & maximè Palæſtinis, (aliis quoque Orientalibus populis) *ad omnem ſermonem ſuum Parabolas jungere, ut quod per ſimplex præceptum teneri ab Auditoribus non poteſt, per ſimi-udines exemplaque teneatur. Hieron. in Matth.* VIII. Exempla proſtant ubique in Sacris, riptis præſertim Dauidis, Solomonis & Jo-. Et ſunt *ter mille Parabolæ* illæ, Solomo-æ ſapientiæ teſtimonia ſingularia, interprete *oſepho Ant.* L. VIII. c. 2. applicationes totidem orales, deſumptæ ex natura plantarum & ani-antium, *prouerbia & ſimilitudines, nam de auis arboris ſpecie Parabolam dixit ab Hyſſopo que ad Cedrum. Similiter autem & de jumen-s, & de cæteris etiam terreſtribus animantibus, t de iis, quæ per aquam pariter ac aerem ferun-ır, parabolas fecit.* Παραβολαὶ καὶ εἰκόνες, καθ' ἕκα-ον γὰρ εἶδος δένδρυ παραβολὴν εἶπεν, ἀπὸ ὑσσώπυ ἕως κέ-ρυ. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ περὶ κτηνῶν καὶ τῶν τ' ἐπι-είων ἁπάντων ζώων, καὶ τῶν νηκτῶν καὶ τῶν ἀερίων. Et uàm frequentes fuere dulciſſimo Saluatori no-tro Parabolæ, quibus myſteria Regni ſui & peruit & occultauit? Qui hujusmodi Parabo-as vel ipſe excogitare ſibi præſumit, vel aliis am factas explicare, & ad myſticum ſenſum pplicare, ei neceſſariò perſpectæ debent eſſe orporum ipſorum naturalium proprietates & ires. Patebit veritas hujus præcepti ut paſ-im in toto Commentario Jobi, ita ſpeciatim xegeſi Textus, in quo Bildad perbellè compa-rat hominum, inprimis impiorum, felicitatem cum plantis paluſtribus, quarum ſtructura ut-plurimùm eſt ſpongioſa, veſiculoſa, multæ aquæ indiga, qua deficiente marceſcunt illicò, ut con-cidunt illi, auolantibus diuitiis, honoribus, bo-nis, quibus antea tumebant, aliis.

Occurrit vox גֹּמֶא *gome* quoque in Hiſtoria Moyſis Nilo expoſiti Exod. II. 3. & in Scriptu-ra alibi. Sed in ejus explicatione non conue-niunt inter ſeipſos LXX. Heic quippe, in Jo-bo, reddunt per πάπυρον, *papyrum*, Jeſ. XVIII. 2. בִּכְלֵי גֹמֶא ἐπιςολὰς βιβλίνας, Jeſ. XXXV. 7. ἕλη, pa-ludes. Nos & alii per *ſcirpum* vel *juncum*. Sed pertinet quoque *Papyrus Nilotica ſiue Ægyptiaca* C. B. I. B. cujus iconem dedi TAB. CXV. ad Scirpos. In Oriente nulla hujus vocis veſtigia ſuperſunt, niſi huc referre velis Turcarum *Kamys, Kæmys, Kamyſcyk*, quibus arundinem, arundinem exiguam, indigitant. *Meninzk. Lex.* p. 3598. 5123. 5294. 5301. Eſt junco flos roſaceus. Scirpo apetalos, in capitulum ſquamoſum collectus, & caules rotundi. *Scirpi* characteres ad marginem pictos ſiſto ex *Tournef. Elem. Bot.* Tab. 300. Fig. A. Junci Fig. B. Qui diſtinctas magis Scirpi Junciue (quem Graminibus adnumerat Tournefortius) notas ſcire cupit, adeat fratris optimi *Johannis Scheuchzeri Agroſtographiam* p. 337. 353. Interea pro ſpecimine ſiſto Fig. C. *Juncum maximum ſiue Scirpum* C. B. *Juncum maximum holoſchoenon.* I. B. qui *Scirpus* eſt *altiſſimus* Tournef. & ad latus caulis fragmentum, prouti id armato oculo exhibet fungoſam ſiue veſiculoſam ſubſtantiam. *Plinius* L. XIII. c. 2. *P. Alpinus de Plantis Ægypt.* c. 36. *C. Baub. Theatr. Plant.* p. 323.

אָחוּ *achu* nobis eſt *carex, Gras am Ufer*: ſed Gen. XLI. 18. *locus paluſtris, Weide im Gras.* Ut LXX. Gen. XLI. 2. 18. habent ἄχος, ὄχθη, plantarium tenue & herboſum, ubi gramina paluſtria creſcunt, & in Jobo βύτομον. Definit autem βύτομον Heſychius φυτὸν βυσὶ διδόμενον τροφὴ, ὅιον χόρτος. Suidas. φυτάριον παραπλήσιον καλάμῳ, ὅπερ ἐσθίυσιν οἱ βόες. Botanicos veteres ſi conſulas, occurrit βυτόμυ vox apud *Theophraſtum Hiſt. Plant.* I. 8. 16. IV. 9. 11. ubi dicitur caulis æqualitatem quandam peculiarem habere cum gladiolo, folia multa ſimilia arundini angularia, fructus niger magnitudine Siclæ proximus, fluuios & loca aquoſa amare. Et in *Conſtantini Geoponicis* L. II. c. 5. folia ſimilia ἀειρίοις, i. e. populneis nigris, herba grata boum pabulo. Recentiores ſi adeas, & nominatim ſubſcribas *Lobelio, Anguillaræ, Ruellio, Dodonæo, Geſnero, Caſp. Baubino*, agnoſces pro butomo veterum *Sparganium ramoſum* C. B. *Sparganium quibusdam* I. B. cujus characteres vide ad marginem Fig. D. ut plantam ipſam Fig. E. De-

ſcribitur autem Σπαργάνιον *Dioſcoridi* L. IV. c. 21. quod *folia* habeat *gladioli*, *ſed arctiora*, & *in terram magis procumbentia: in ſummo caule veluti pilulæ prominent, in quibus ſemen*, φύλλα ἔχει ἐοικότα ξιφιδίῳ, ςενώτερα δὲ καὶ ἐπικλινέςερα. ἐπ' ἄκρȣ δὲ τȣ̃ καυλȣ̃ ὡσεὶ σφαιρία, ἐν οἷς ὁ καρπός. Huic Sparganio ſua quoque ſuffragia dat *Hiller Hieroph.* II. 216. Placet *Cæſalpino* pro *Butomo Juncus floridus major* C. B. *Juncus floridus* I. B. cujus charactères ex *Tournefortio* ſiſtit Fig. F. & plantam ipſam Fig. G. Radice nititur craſſa, candida, inſtar porri ſectilis, nonnihil carinata, quamplurimis fibris capillata, parte quadam tenera guſtui non ingrata: ex qua folia multa Pſeudoacori anguſtiora & Aſphodeli longiora, dorſo acuto, & triquetra, in macronem deſinentia exſurgunt: inter quæ caulis exit medius, virore herbaceus, inſigni læuore atque æqualitate præditus, rotundus, nudus, ſimplex, nullis internodiis interceptus, duos tresue cubitos æquans, in cujus ſummo umbella, in qua multi floſculi ex purpura candore diluti, pediculis ex uno principio prodeuntibus ſingulis ſinguli flores inſident, qui ex ſex foliis, tribus majoribus, totidemque minoribus alternatim poſitis compoſiti, & inodori ſunt: in quibus ſtamina exigua plerumque nouem, in apice croceo puluiſculo tangentium manus inficiente: in florum medio capitulum purpureum ſubrotundum; in ſex partes diuiduum, in cujus ſummo apex, ſemen in capitulis minutum. Ex C. B. *Cluſium* porrò ſi audias *Hiſt. Rarior.* Butomon relegabis ad *iridum* claſſem, & eundem facies cum *Acoro adulterino* C. B. *Iride paluſtri lutea ſiue Acoro adulterino* I. B. Fig. H. His omnibus tandem adſociari poteſt *Tribuloides vulgare aquis innatans*, Tourn. ſiue *Tribulus aquaticus* C. B. I. B. utpote quem pro *Butomo Damocratis* agnoſcit *Anguillara*. Et ſanè, ſi ad veſtigia vocis אחו attendere lubet, eaque in Orientis linguis quærere, ſuffragium dabis huic ipſi *Tribulo*, qui Ægyptiis modernis, ſiue Turcis Ægyptum incolentibus nuncupatur *æchyllet*, teſte *Meninzkio Lex.* p. 5683. Hujus autem tribuli iconem atque deſcriptionem dedi TAB. XXXI. Seligat ex tot plantis paluſtri ſolo natis quisque quam volet. Habet una earum quæque, quo ſeſe commendet. Habet & ἕλος, pratum ipſum paludoſum, ſiquidem id per אחו intelligas ἐλακυςικόν τι, demetendum id eſt deficiente plantis aquâ, vel jumentis cedendum in pabulum: nî id fiat, plantæ paluſtres multi humoris indigæ breui marceſcent, gramina in ſpecie, junci atque ſcirpi; *dum adhuc in virore ſunt, non ſucciduntur, & tamen ante omnia virentia exareſcunt: (cum adhuc ſint in flore, nec carpantur manu, ante omnes herbas areſcunt,)* quum èontra aliæ plantæ, quæ ſolidioris ſunt ſubſtantiæ, ſolo ſicco aſſuetæ, diutius longè durent. Audi Eccleſiaſticum XL. 16. 17. ut breuem impiorum durationem opponit conſtanti piorum felicitati. *Pullus eorum ſuper quamuis aquam aut oram fluuii ante omnem herbam elidetur. Benignitas inſtar horti fortunati eſt, & beneficentia permanet in perpetuum. (Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum euelletur. Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus, & miſericordia in ſeculo permanet.)* Et ipſum Bildadum noſtrum v. 13. de felicitate impiorum. *Ita,* quod uluis illis, *contingit omnibus, qui DEUM obliuiſcuntur, & ſpes hypocritæ intercidit.* Dan[t] plantæ illæ ſeu arundinaceæ, ſeu junceæ, ſcir[pe]peæ, cyperoideæ ſobolis, gramina aquatic[a] ſolo nata pabulum jumentis & pecoribus ma[]crum, aſperum, leue, quod multis in locis pa[]leæ loco vel ſtraminis inſeruit jumentis ſub[]ſternendi, & tamen lætè ſurgentes capita ſu[]ſeu plumoſa, ſeu goſſipina, ſeu ſquamata, v[e]luti criſtas erigunt, ſed attentius conſiderat[a] fungoſam habent & veſiculoſam ſubſtantiam quæ fluido deficiente aqueo mox concidit, [] areſcit. Ita & impii.

Job. Cap. IX. verſ. 5. 6.

5. Qui transponit montes, neque præſenſerunt illi, quos in ira ſua ſubuertit.
6. Qui commouet è loco ſuo terram, ut ejus columnæ quatiantur.

5. Qui transtulit montes, & neſci[e]runt hi, quos ſubuertit in furo[re] ſuo.
6. Qui commouet terram de loco ſu[o] & columnæ ejus concutiuntur.

Eſt hic ex Locis Sacri Codicis Anti-Copernicanis, ſi ita placet Ptolemaicis, qui urgent *commotionem terræ è loco ſuo*, in quo ſcilicet quieſcat, vel quieuerit ante; *columnas*, quibus nitatur immota. Sed ponunt, in zelotarum gratiam, Copernicani, intelligi heic totam terram, totum globum terraqueum, habitaculum noſtrum: loqui Jobum de violenta corporis hujus tota[lis] ex centro ſuo dimotione, nondum tamen agn[o]ſcunt conſequentiam: ſtante quippe terræ m[o]tu tum diurno, tum annuo, vir ſanctus Hi[c] & eleganti quidem dictione, infinitam DEI p[o]tentiam ita deſcribere potuiſſet, quod ea v[o]lente & operante poſſit *terra commoueri è l[oco] ſuo*, ex orbita ſua in fluidiſſimo æthere, &

æmulo, delineata, atque ſic totum muta-
nundi ſyſtema: ſublatione æquilibrii inter
es centripetas & centrifugas terra vel altius
uari verſus Regionem Saturni, vel profun-
ıs demergi verſus Solem, atque ſic vel gelu
nio conſtringi, quæ terræ ſunt, omnia, vel
u ardentiſſimo conſumi. Et non ſunt ſanè
umnæ, de quibus loquitur Jobus, eo ſenſu
nendæ, quo ſumi ſolent in architectura ci-
i pro fulcris illis rotundis, quibus ſuſtinen-
ædificia. Ex ſenſu hoc literali ſequeretur
ɔi XXVI. 11. hujusmodi fulcris inniti totum
lorum & uniuerſi ſyſtema, quandoquidem
*umnæ cœli concutiuntur & ſtupeſiunt à DEI
repatione. (columnæ cœli contremiſcunt, & pa-
t ad nutum ejus.)* Intelligimus nos ſenſu
n adeò craſſo, ſed ſublimiori, immenſæ DEI
ientiæ adæquato magis, *columnarum terræ*
mine partim ſolidiores hujusdem corporis
tes interiores, quibus exterior cortex habi-
ıs inædificatur, partim ætheris aeriſue un-
ue terram prementis vim grauitantem, qua
les hæc ingens compingitur, partim æqui-
rium reciprocæ preſſionis, qua integer ter-
vortex ſeſe ſuſtinet contra vicinos, partim
nique immobilitatem axeos terræ. Ut cla-
n ſit ex dictis, nîl pati prorſus, quod fouent,
terræ motu ſyſtema, licet terræ nomine to-
hic intelligeretur globus.

Sed majori jure meliorique fundamento
ætendimus, loqui heic Jobum neque de quie-
naturali, neque de violenta dimotione terræ
ra locum ſuum, ſed de partium terræ con-
ſione, quaſſatione; verbo, de *terræ motu*:
Jobi Μετέωρον! *Qui transponit montes, neque
æſenſerunt illi, quos in ira ſua ſubuertit. Qui
mmouet è loco ſuo terram, ut ejus columnæ qua-
ntur.* Sint teſtes, iique triſtes, tot urbes,
Sicilia inprimis & Neapolitano Regno, ſub-
nerſæ, corruta palatiorum rudera, & in-
a Helvetiæ limites *Plurium*, vicus oppidi æmu-
lus, caſu montis præcipiti A. 1618. opertus, & intra viſcera terræ abſorptus unà cum 1800. habitatoribus, ut nec vola reliqua fuerit, nec veſtigium, & ſeges nunc ſit, ubi olim Troja fuit. Ut nîl dicam de aliis montium caſibus, quorum exempla offendet beneuolus Lector in Hiſtoria mea Naturali Heluetiæ; nîl de terræ motuum, quos Meteoris adnumerauit antiquitas, cauſis, an ſint hæ ignis ſubterraneus? an aeris compreſſiſſimi violenta rarefactio? an ſaxorum ingentium intra terræ viſcera collapſus? an in imis terræ receſſibus fermentans materies? Alibi enim commodior occurret de hac αἰτιολογίᾳ loquendi occaſio.

Moralem & myſticam Textus noſtri applicationem linquo aliis, & longam latamque ventilationem, an *montium transpoſitio* reducenda veniat ad Eccleſiam & Politiam Judaicam? quæ reuera Tabernaculi inſtar fuit è ſede ſua diuulſa, & per totum terrarum orbem diſperſa, ut complementum inuenerit prædictio illa Jeſ. XXIV. 20. *Nutando nutabit terra ſicut ebrius, & transferetur ſicut tabernaculum nocturnum. (Agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis.)* An montium emblemate repræſentetur hominum elata ſuperbia, vel & angelorum lapſorum? 2. Cor. X. 5. Καθαιροῦντες, inquit Apoſtolus, πᾶν ὕψωμα ἐπαιρόμενον κατὰ τῆς γνώσεως τοῦ ΘΕΟΥ. De qua fidei inuicta potentia Saluator Matth. XXI. 21. Κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε· Ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. An montium μετάθεσις reſpiciat ad fatalem illam diluuianam Cataſtrophen, qua deſtructi fuere montes primæui, & ſurrexere noui? An ultimum judicii diem? quo *montes à conſpectu* DOMINI *tanquam cera colliqueſcent, à facie Dominatoris uniuerſæ terræ*, Pſal. XCVII. 5. Imo οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσεται. 2. Pet. III. 10. Vid. *Zimmermann. Script. Sacr. Copernic.* p. m. 53.

Job. Cap. IX. verſ. 7.

Quo imperante Sol non oritur, & ſtellas velut appoſito ſigillo claudit.

Qui præcipit Soli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.

Haud mirum, diſſentire, ut hic, ita alibi in interpretanda Phyſica Jobi ſacra Commentatores: eſt enim ſtylus pientiſſimi viri Laconicus ſimul & Meteoricus. Sunt ex Interpretibus, qui per *Solem* DEO *imperante non orientem* intelligunt quotidianum ſideri huic & naturalem Ortum atque Occaſum, quo gaudent totius orbis incolæ. Sunt qui Solſtitium Joſuæ miraculoſum: Eclipſes alii: alii obſcuratam nubibus Atmoſphæram, quæ Solis radiis aditum ad terricolas diſputat: alii Eclipſin illam Ægypti triduanam, quæ Jobo & amicis in recenti poterat eſſe memoria. Obſcurationis naturalis Solis per nubes exemplum ſiſtunt Acta XXVII. 20. μήτε ἡλίου μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας. Et Ezech. XXXII. 7. 8. *Obtegam cœlos in extinctione tui, & obfuſcabo ſtellas eorum, Solem obducam nubibus, & Luna non lucebit lumine ſuo. Omnia luminaria lucentia in cœlis obfuſcabo ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit* DOMINUS DEUS. *(Et operiam, cum extinctus*

fueris, cœlos: & nigreſcere faciam ſtellas ejus: Solem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, dicit DOMINUS DEUS.) Qui locus myſtico ſuo haud caret ſenſu. Explicat *Coccejus in Job.* p. 62. *Solem non orientem, & ſtellas velut appoſito ſigillo clauſas* de annuo Solis per Eclipticam motu, qui facit, ut variet punctum orientis occidentiſue Solis, & in cauſa eſt, quòd certæ ſtellæ compareant æſtate, & hyeme veluti ſint *appoſito ſigillo clauſæ*, aliæ è contra videantur hyeme, quæ per æſtatem ſunt inconſpicuæ; à qua annua per Eclipticam reuolutione pendet utiliſſima illa ſimul atque neceſſaria terricolis variatio temporum anni. Eſt Jobi locutio elegans metaphorica, deſumta à Codice, Libro, ſiue Theſauro, qui ſi clauſus neque legi poteſt, neque videri, pretioſis licet contentis refertus. De integro Solis, Cœli, Stellarum ſyſtemate pronuntiari id certò & ſanctè poteſt, eſſe Librum apertum, in quo legere licet Diuinæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis Elogia, ſed & clauſum, & veluti obſignatum, quia intimam & veram eſſentiæ ac proprietatum corporibus competentium naturam haud penetrabimus, quamdiu Spiritus mortales hos noſtros regit artus. Legendus eſt nihilominus hic Liber, & vires intellectus intendendæ omnes. *Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium & robore virtutis.* Jeſ. XL. 26.

Job. Cap. IX. verſ. 8.

Qui ſolus extendit cœlos, perque ſummitates maris incedit.

Qui extendit cœlos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris.

CLuet heic & alibi in Sacris Jobi aliisque Libris *cœlum extenſum.* Nec id ſine emphaſi. Siue intelligas cœli nomine ampliſſima illa ſpatia ætherea corporibus totalibus interjecta, præ extrema ſubtilitate vacui æmula, ſiue Atmoſphæram, quæ terram circumdat, & Gen. I. 8. *expanſio in medio aquarum, (firmamentum in medio aquarum,)* audit. In cœlo illo, ſeu ſidereo, ſeu æthereo, quod immenſæ eſt amplitudinis, & infinitè paruæ reſiſtentiæ, volutant ſe erratica ſidera per Ellipticos ordines adeò præcisè, & conſtanti lege, ut inde à creatione ne vel latum quidem, quem vocant, unguem fuerint euagata. In materia, inquam, ſi materia eſt, infinitè fluida, ſed via regulariſſima, inuariata. *Extendit* DEUS *cœlos ut cortinam*, כדק *caddok*, velut tenue, tenuiſſimum quid, nihilum, vacuum, *& expandit eos inſtar tentorii, quod ad inhabitandum (figitur); (qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum, ad inhabitandum.)* Jeſ. XL. 22. *Cœlos ut cortinam extendit. (extendens cœlum ſicut pellem.)* Pſ. CIV. 2. Nouimus, ratione & experimentis δαδέχοις, aereum fluidum, quò altius ſurgit, eò eſſe tenuius, & denſitatem ejus reſpondere præcisè viribus prementibus, ut juxta ſubtiliſſimi *Newtoni* calculum elementum hocce in diſtantia 210. milliarium à nobis ſubtilius ſit 1000. 000. 000. 000. 000. 000.es quàm in ſuperficie terræ. Eſt gradualis hæc aeris expanſio, ad ſidera ſurgens, terricolis utiliſſima ſimul atque neceſſaria, ſingulare prorſus & admirandum Potentiæ, Sapientiæ atque Bonitatis τεκμήριον. Et concinet Regio Pſalti, qui modernæ Philoſophiæ Naturalis medullam vel extremis guſtat labris, *cœlos enarrare Gloriam* DEI. Pſal. XIX. 1. Superat extenſio hæc omnem intellectus finiti, qualis noſter eſt, captum, quacum ipſe DEUS infinitus τὸ βάθος, καὶ ὕψος, καὶ μῆκος viarum ſuarum, gratiæ ſuæ & miſericordiæ comparat Jeſ. LV. 9. *Quemadmodum cœli terra ſublimiores ſunt, ita excedunt viæ meæ vias veſtras, & cogitationes meæ cogitationes veſtras. (Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.)* Quod ipſum Gratiæ Diuinæ ὑπερβάλλον μέγεθος laudibus ad & ultra cœlum euehit Dauid Pſal. XXXVI. 6. DOMINE, *in cœlis bonitas tua, & veritas tua ad æthera usque.* (DOMINE, *in cœlo miſericordia tua: & veritas tua usque ad nubes.)* Cœlum noſtrum aereum uti tenuatur ſenſim ſurgendo, ita denſatur per gradus deſcendendo: utrumque ad oculum demonſtrant barometra. In terræ ſuperficie æquiponderat annulus aeris 36. hexapodas gallicas altus, ſuperincumbentibus fluidis grauatus annulo Mercurii 3. lineas alto, & calculo demonſtrat *M. Amontons dans les Mem. de l'Acad. Roy.* 1703. p. 101. eſſe imas 6451538. hexapodas verſus terræ centrum ſitas aere repletas, qui grauiſſima quæque corpora pondere ſuperat. Quodſi ex *Bellini* computo *Giorn de' Letterati d'Italia* T. IV. 156. particula aeris noſtri 400000.es minor eſt craſſitie pili, qualemnam, quæſo, formabimus de Cœli Planetis & Fixis interjecti ſubtilitate conceptum? Expanſio hæc, ſiue in particulas infinitè paruas extenſio cœli haud eſt naturæ opus, ſed DEI, *qui ſolus extendit cœlos;* addunt huic Jobianæ confeſſionis articulo Doctores Judæi בלא אמצעי ובלא השרת לשלוחת הסבות: *immediatè*

RPJCB

IOB. Cap. IX. v. 9.
Plejades, Orion, Ursa minor.

Buch Hiob Cap. IX. v. 9.
Siebengeſtirn, Orion, kleine Bär.

I. G. Pintz scu

atè, *ſine concatenatione cauſarum.* Extrui ju-
ent magni Principes & Reges magno labore,
gentibus ſumptibus, ampla Palatia, magnifi-
s ſedes, ſplendida armamentaria. Sed DEO
o ſede, & inſtructiſſimo ſimul armamenta-
o eſt cœlum noſtrum fluidiſſimum. DOMI-
I *via per turbinem & procellam eſt, nebulæ au-*
n puluis pedum ejus. (DOMINUS *in tempeſta-*
& turbine viæ ejus, & nebulæ puluis pedum
us.) Nah. I. 3. *Flectit cœlos, atque deſcendit,*
pedibus ejus caligo. Vehitur ſuper Cherub,
volat, latus ſuper alas venti — Tonat è cœ-
DOMINUS, *& altiſſimus edit vocem ſuam,*
andinem atque carbones ignitos. Pſal. XVIII.
. 11. 14.

Quemadmodum autem DEUS *ſolus exten-*
cœlos, ita & *per ſummitates maris incedit.*
ominium exercens ſupremum in impetuo-
m hoc elementum, quod nunc altiſonis flu-
ibus horret, nunc placidum ſtat ventis, ut fugiant vaſto æthere nimbi. Non eſt heic altitudo ſiue ſummitas maris ſumenda in ſenſu literali, ac ſi ſuperficies maris excederet littora: altius terrâ videtur, & in montem veluti aſſurgere, ſed eſt hæc deceptio optica, cujus rationem ne Tyro quidem Opticæ ignorat. Per altitudinem maris, altum mare intelligimus commodè, *aquæ montes* apud *Virgilium.*

Κύματά τε τροφόεντα πελώρια ἶσα ὄρεσσιν.

Fluctus ingentes æquales montibus altis.

Homerus.

Incedit DEUS per horriſonum hoc elementum majeſtaticis paſſibus, ut Belli Dux fortis heroicis in hac terra. Ut Saluator noſter dominium hocce ſuum ſupereminens exercuit incedens ſuper mare, hujusque turgidas in gratiam diſcipulorum compeſcuit undas.

TAB. DXIV.

Job. Cap. IX. verſ. 9.

ui fecit Arcturum, Cynoſuram, &
Plejades, & (*a*) Auſtri penetralia.

(*a*) Quia ſtellæ circa Polum Auſtrinum non apparent habitantibus in oppoſito hemiſphærio.

Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri.

PAralelus eſt locus Amos V. 8. DOMINUS *facit Cynoſuram & Booten.* Contemplatur magnus noſter Philoſophus naturæ non duntaxat ea miracula, quæ occurrunt in hoc globo terra - aqua-
erio, qui noſtræ habitationis eſt ſedes; Vibrat
ntellectus ſui ſubtilis alas ultra vorticis ſolaris
mites ad ſidera usque fixa, ad cœlum illud æ-
nereum, cujus minimam poſuit diſtantiam Ty-
ho 12000. Keplerus 6000000. ſemidiametros
erræ. Hugenius eo usque progreditur, ut
lobum tormento exploſum, ſi eadem ſemper
ergeret velocitate, 691600. annis ad Sirium
ore peruenturum autumet. De *Sirii*, proxi-
næ forte nobis fixæ, diſtantia vide TAB. I. Fig. V.
Quamuis ſint ex modernis Aſtronomis Lyncei,
ui propter Parallaxeos defectum diſtantiam
ixarum à nobis certò determinari poſſe dubi-
ent, indeciſam linquentes quæſtionem viri ſa-
ientis Eccleſiaſtic. I. 3. *Sublimitatem cœli terræ-*
ue latitudinem aut profundum quis emetiatur?
altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & pro-
undum abyſſi, quis dimenſus eſt?)

Docuit ratio homines, imò coegit neceſſi-
as, diſpeſcere ſidera in certas, uti vocant, con-
tellationes, quas pro arbitrio fingunt Aſtro-
omi moderni, finxere veteres. Ex hiſce nunc nominat Jobus nonnullas, licet incertum ſit, quales. Abeunt enim Interpretes in ſententiarum diuortia.

I. Conſtellatio vocatur עָשׁ *aſch*, & Job. XXXVIII. 32. עַיִשׁ *ajiſch.* LXX. habent Πλειάδας, *Plejades*; delineatæ, repræſentantur hæ, uti armato viſu conſpiciuntur, in TAB. LXXV. Volunt R. *Mardochai* & *Kimchi*, unicam eſſe ſtellam *cauda arietis* dictam: *AbenEſra*, eſſe *urſam minorem*, ſeptem fulgidas ſtellas in vicinia Poli arctici, plerique *Arcturum*, quo nomine intelligi poteſt ſpeciatim ultima illarum, *Stella polaris* κατ᾽ ἐξοχὴν dicta, item *Stella Maris, der Polar-Stern, la Tramontana, Ruccabah*, nota etiam vulgo Aſtronomiæ ignaro, nota neceſſariò Phœniciis aliisue Orientalibus populis, qui ante Pyxidis Nauticæ inuentionem eam ſequi debebant ducem, כּוּנְשְׁרָא *Cynoſura* propterea dictam, & *Umbilicus*, quia in medio cœli, eodem ſemper loco fixa, & circa eam, tanquam Axeos Polaris finem, totum firmamentum volubile; eò omnes per Æquatorem ducti circuli ſeſe concentrant, ut omninò deriuari poſſit à עוש *uſch*, *congregare*, & eleganti dictione canat *Virgilius*, *Polum paſcere ſidera.* De hac Stella Polari obſeruat *Tycho Brahe Progymnaſm.* T. I. p. 362. eam, quotannis 20. mi-

 nutis

nutis propius accedere ad Polum ipſum, & A. 2103. haud fore diſtantiam majorem quam 7. minutorum, ſed ex tunc rurſus ſeſe ab Polo elongaturam. Eſt vero admodùm ſimile, ſelegiſſe Jobum ex ſiderum numeroſiſſima Phalange vel Stellam, vel Aſteriſmum, vel magnitudine vel pulchritudine, vel uſu inſignem præ aliis, quanquam, ſi de uſu ſermo eſt, veteres inprimis Orientales populi conſtellationibus majores in hanc terram noſtram tribuerint influendi vires, quàm quidem faciunt moderni: Ut, quòd *Arcturi Sydus non ferme ſine procelloſa grandine emergat. Plin.* L. II. c. 39. & L. XVIII. c. 28. *Duo genera eſſe cœleſtis injuriæ, meminiſſe debemus. Unum, quod tempeſtates vocamus, in quibus grandines, procellas, cæteraque ſimilia intelligimus, quæ cum acciderint,* vis major *appellatur, hæc ab horridis ſyderibus erunt, ut ſæpius diximus, veluti Arcturo, Orione, Hædis. Plautus* in *Rudent.*

> *Arcturus ſignum ſum omnium quàm acerrimum,*
> *Vehemens ſum exoriens, occidens vehementior.*

Horatius Carm. III. *Od.* I.

> *Deſiderantem, quod ſatis eſt, neque*
> *Tumultuoſum ſolicitat Mare,*
> *Nec ſæuus Arcturi cadentis*
> *Impetus, aut Orientis Hædi.*

Commiſere hac in parte Veteres fallaciam non cauſæ ut cauſæ. Obſeruamus utique, irruere tempeſtates grandinoſas à Septentrione, ſed cauſa minimè quærenda in ſtellis, quæ 6000000. ſemidiametris à nobis diſtant, ſiquidem eam proximè inuenimus in ipſa hac terra, ubi venti à Borea ſpirantes & Euro, nobis aduehendo aerem denſum valde ac frigidum guttas forte cadentes vertunt in glaciem & grandinem. Eſt hoc vitium mortalibus nobis ſatis familiare, ut quæramus eminus, quod nobis adeſt prope. Theam magnis ſumptibus petunt Europæi ex Indiis, Indi Saluiam, Veronicam ex Europa. Nos, qui hoc titulo ſuperbimus, Philoſophi quærimus tempeſtatum cauſas, imo, quod ridiculum, dies commodos ſcarificationi, venæſectioni, piliſecio, agri- & horticulturæ, ἀπονυχίσει, in cœlis, quum tamen potius attendere deberemus ad hanc terram noſtram, aerem, & ipſa corpora noſtra. Sed non feriat digreſſio hæc Jobum noſtrum, utpote ab hujusmodi næniis & ſuperſtitionibus alienum.

II. Sequitur כְּסִיל *ceſil*, ex communi interpretatione *Orion*, LXX. habent ἕσπερον, (quo nomine alias venit *Venus* veſperi poſt occaſum Solis conſpicua) Latina noſtra *Cynoſuram*, quæ vox, ut ſupra vidimus, quadrat Polaribus potius ſtellis. Eſt hæc conſtellatio omnium totius cœli pulcherrima, alias *Arion, Hyriades, Audax, Furioſus, Sublimata, Gigas, Bellator fortiſſimus, Jugula, Elgeuze, Sugia, Alſugia, Elg*bar, *Algebar, Algebra, Geuze*, dicta, infra tauru & geminos ſita, à *Schikardo* in *Joſuam*, à *Schiller* in *Joſephum*, Diuæ Mariæ Maritum, à *Weigel* in *Aquilam Imperii bicipitem* transformata.

III. כִּימָה *Cimah, Plejades, Hyades*, d *Siebengeſtirn*, alias quoque *Gallina, die Gluc Henne*, Romanis *Vergiliæ*, notæ in Tauro ſte læ, ex quibus formauit *Schickardus* Gallinam de qua CHRISTUS Matth. XXIII. 37. *Weig lius* Abacum Pythagoricum, ut mercatoribu daret inſignia. Habent LXX. pro כִּימָה ἀρκτ-ῶρον, quæ vox modernis Aſtronomis deſign primæ magnitudinis ſtellam conſpicuam in fin bria veſtium *Bootis* inter crura, *ſidus horridu Plinio* dictam, Arabibus *Aramech, Alramech Azimech, Alkameluz, Kolanza.*

IV. Tandem nominantur חַדְרֵי תֵמָן *chad theman*, LXX. ταμεῖα νότε, *Olympiodorus*, κὰι πάν-τα τὰ ἄϛρα τὰ κυκλοῦντα νότον. Noſtra Verſio *int riora auſtri, die heimlichen Gemächer des Su Winds*, quibus nominibus intelligi poſſunt com modè Aſtra circa Polum antarcticum ſita, Jo tempore incognita, nullis proin nominibus i ſignita. Videtur namque Jobus, oſtenſurus DEUM *opera ingentia edere, eaque inueſtigab lia, & res mirandas, easque innumeras, (face magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quo rum non eſt numerus,)* verſ. 10. ex omni Aſtr rum exercitu ſelegiſſe præcipua, in præcipu cœli ταμείοις polaribus ſita, quæ intermedius d currit, Eclipticam interſecans, Æquator; ſe quoque æquinoctialibus, ut עָשׁ ſint ſidera ci ca Polum arcticum, חַדְרֵי תֵמָן circa antarcticu ſita, כְּסִיל & כִּימָה (quæ *AbenEſræ* eſt proba bilis admodùm ſententia) ea, quæ ſunt in pun ctis æquinoctialibus, & hodie ſiſterent *Piſces* & *Virginem*, ſed Jobi temporibus *Arietem* & *Libram*. Notandum quippe totum aſtriferun cœlum ſpatio 70. annorum (ex Hypotheſi *Ca ſini)* ab Occaſu verſus Ortum promoueri pe gradum ex 360. unum, proin motum hun proprium abſoluere ſpatio 25200. annorum quem *Annum magnum Platonicum* extenderunt veteres ad annos 36000. Aries, vel prima hujus Aſteriſmi ſtella, quæ temporibus Alexandri M. & Eudoxi (qui Platonem habuit Præceptorem) 330. annis ante CHRISUM natum, fuit in ipſo interſectionis Eclipticæ & Æquatoris puncto, promota fuit ad noſtra usque tempora per integrum fere ſignum, nempe 29. gradus verſus ortum. Quodſi inde à mundo condito usque ad A. 1730. cum Siegesbeckio ſtatuamus annos 5696. inueniemus cœlum promotum 81. gradus, minuta 22. ſiue 2½. ſigna fere. De hoc fixarum omnium motu proprio notandum, eſſe ex Copernicanorum Hypotheſi meram apparentiam, terram in libratione ſua circa proprium axem mutari ita, ut interſectiones Æquatoris & Eclipticæ progrediantur ſenſim, non verò, quod Ptolemaici voluere, regrediantur ſtellæ, neque aliâ re opus ſit, quam

m ut Polus quilibet ſpatio 25200. annorum ellum deſcribat ab ortu verſus occaſum. qua re videantur Aſtronomi. Quod ſi cui eat ſtatuere, haud exprimere voluiſſe Jo- n integras conſtellationes, ſed unam ex ecipuis primæ magnitudinis ſtellis, inueniet *AbenEſra* duce, in uno æquinoctiali puncto *lum Tauri*, in altero *Cor Scorpii*; et vi da- hactenus explicationis digitum intendiſſet pientiſſimus in temporum anni variationes: nempe vernum tempus ingreſſus Solis in etem, & totius terræ incolis dies noctibus uales: Autumnum ſolis ingreſſus in Li- im: Æſtatem ejusdem in Cancrum, & ap- oximatio ad Polum Borealem: Hyemem tandem ingreſſus in Capricornum, & propior ad Polum Auſtralem acceſſus.

Penetralia Auſtri minimè ſunt ταμεῖα ἀνέμων. Ventorum cauſas quærimus atque inuenimus in atmoſphæra terræ περιχώρῳ, vel & in ipſa terra. Non iis viuimus ſeculis, quibus aſtra dominium obtinuere in hæc inferiora. De quibus *Seneca Trag.* in *Hercule furente.* v. 10.

- - - Timendum ratibus ac ponto gregem
Paſſim nauigantes exigunt Atlantides.
Fera coma huic exterret Orion Deos:

Legatur in noſtrum Textum inter alios celeb. νῦν ἐν ἁγίοις *Solom. Hottingeri Specimen Phyſiologiæ Sacræ* Th. 14. ſeqq. vid. *Mey Phyſ. Sacr.* p. 300.

Job. Cap. IX. verſ. 26.

Prætervolarunt æquantes celoces celeritate, utque inuolat aquila in eſcam.

(a) Reciprocarunt cum nauibus hoſtilitatis.

Pertranſierunt quaſi naues poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam.

Aducitatem vitæ noſtræ curſori per- eleganter comparat Jobus v. 25. *Dies mei velocius quàm curſor elapſi ſunt, fugieruntque, ut nihil læti viderint;* *Dies mei velociores fuerunt curſore: fugerunt, non viderunt bonum,*) & in Textu noſtro m *celoci* & *aquila.* Reſpondet ſenſus phyſi- s & moralis. Eſt curſor ſimilis celoci, celox uilæ: omnium horum corporum motus me- anicis fundatur legibus, quarum Author EUS. Et nauis quidem atque aquilæ motus plicari debet ex tertia motus regula, *actioni mper contraria & æqualis eſt reactio.* Retro- ellitur aqua à remis, ſed reagit in remos ea- em vi, atque nauem his alligatam propellit anteriora. Pleno concita velo nauis eadem propellitur à ventis, quâ vela ipſa reſiſtunt ri. Aquila aliaue auis, ſi aërem verberet is, reaget hic, & vel ſuſtollet illam, vel hac lac agitabit. Peraguntur omnes hi motus nediantibus vectibus: quod in naui ſunt re- i, mali atque antennæ, in homine & anima- bus ſunt muſculi oſſibus affixi, & in auibus uidem muſculi pectorales, in curſoribus mu- uli crurum. Sed quidem hæc differentia at- endenda inter mechanicam diuinam, quæ ſe- exerit in ſtructuris corporum viuentium, & umanam, quæ vires ſuas exercet per machi- as, quod ibi magnis viribus parum efficiatur, eic paruis multum, ſed ibi motus fiat cele- ior, tardior heic. Eò usque virium progredi- ur mechanica humana, ut infans 100. vel 1000. entenarios ſuſtollere, vel de loco in locum nouere poſſit. Sed auis ſubſultatura ſaltem nuſculis ſuis impendere debet vires 3000.es majores corpore ſubleuando: volatura 12000es. Qua de re plura dicenda forent, ſi tempus id permitteret & loci anguſtia. A nauibus & aui- bus ſi pergamus ad homines, offendimus & heic automaton diuina arte fabrefactum, iis- dem legibus motum. Sunt omnes corporis noſtri fibræ artificioſi vectes, qui à fluido ner- ueo moti ſanguinem omnesque ſecretiones pro- mouent. Sed quemadmodum in machinis hy- draulicis, mechanicis, rotæ, axes, aliæue par- tes conſumuntur continuo attritu, ita quoque homo. Auolat omni momento incredibilis halituum copia, atteruntur ſolida, vel ſenſim ſine ſenſu, vel breui, ita, ut tandem vita fati- ſcat, & mors irruat.

Circa vocem אֵבֶה *ebheh* haud conſentiunt Interpretes. Volunt R. *Solomon*, *Pagninus*, *Cajetanus*, *Iſidorus*, eſſe אֵבֶם *ebham* vel אֵבֶה *ebheh* rapidum quoddam Arabiæ flumen, cujus curſui vita hominis, ut heic Jobi, percommodè comparari queat: dierum, inprimis felicium, parcus eſt numerus, tranſeunt hi torrentis ad inſtar rapidi, nec reuertuntur unquam. Sed plerique Interpretes per אֵבֶה, & quidam ab אֵבֶה εὐδοκία, *acquieſcentia*, *naues voluntatis, voluntarias*, ἐριοδρομούσας. Habent & LXX. ναυσὶ, Symmachus ναυσὶ σπευσάσαις, *naues feſtinantes*, veloces curſu, ut ſunt prædatrices, *de bons voiliers:* deriuant alii vocem ab אֵב *ebh malum, pomum, fructus*, ac ſi intelligendæ veniant naues pomis, leuiculis rebus, facileque putreſcentibus oneratæ. Haud difficile erit cuique, omnia hæc applicare ad vitam humanam, uti & *aquilam inuolantem in eſcam.* Notum, eſſe has aues ὠκυπετέας. Hinc de Saule & Jonathane legitur 2. Sam. I. 23. *velociores* fuiſſe *aquilis.* Thren. IV. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri*

aquilis cœli, in montibus ipſis perſequuti ſunt nos. Hab. I. 8. *Equites Chaldæi è longinquo venient, aduolant ut aquila feſtina ad vorandum.* (*Equites Chaldæi de longe venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.*) Ita & rapidè fluunt dies fauſti inſtar aquilarum, & Diuitiæ Prouerb. XXIII. 5. *Num intenderes oculos tuos in id, quod mox non eſt? ſumunt enim ſibi alas diuitiæ, & velut aquila in aërem euolant.* (*Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabunt in cœlum.*) Præterea hyperbolicas illas Legendas Arabum qui in *Damire* tradunt, adeò celeris curſus eſſe aquilam, ut uno die omnia loca ab ortu ad occaſum peruolet; *Plauti* in *Truculento:*

Vide ut jam, quaſi vulturii, triduo
Prius prædiuinant, quo die eſuri ſunt.

Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. I. c. 3. p. 15.

Job. Cap. IX. verſ. 30.

Si enim aquis niualibus me lauero, & puritate manus meas emundauero.

Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ.

PAucis: Et ſi innocens forem, & extra culpam, manerent me piorum communia fata, calamitates, *foueæ me immergeres*, (*ſordibus intinges me,*) v. 31. Mundant omnes aquæ corpus, ſordes cuti adhærentes, poriſue infixas abſtergendo; hinc & lotiones externæ ſymbolum ſunt purgationis internæ ſiue ſpiritualis à peccatis per ſanguinem CHRISTI. Sed præ aliis aquis mundat *aqua niualis* & *fontana*, utraque quippe majori frigoris gradu arctiores reddit cutis poros, difficiliorem per extrema corporis circulum, per conſequens & cutim albidiorem. Sunt autem inprimis lotiones corporis neceſſariæ in Regionibus Orientalibus, & ſanitati quàm maximè proficuæ, frequentiſſimæ olim & adhuc Turcis. Introductæ verò intra omnium penè Religionum pomœria. Multifarios habebant Judæi in Veteri Teſtamento ῥαντισμοὺς καὶ βαπτισμοὺς, per ſanguinem & aquam, qui Symbolum fuere internæ animæ depurationi per Spiritum & Sanguinem CHRISTI, & in hoc myſtico ſenſu paſſim ſumuntur in Sacris. Dauid Pſ. LI. 9. *Laua me, & niue ero candidior.* (*lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.*) En DEI magnifica promiſſa. Ezech. XXXVI. 25. *Spargam ſuper vos aquas mundas, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, atque à cunctis idolis veſtris mundabo vos.* Titulus Apoſtoli 1. Petr. I. 1. 2. Ἀπόστολος — κατὰ πρόγνωσιν ΘΕΟΥ Πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ. Sunt inter Chriſtianos, quibus frequentiſſimæ aſperſiones per aquas conſecratas. Et fuere olim gentilibus, qui ſacrificiis præcedaneas habebant lotiones. Audi *Æneam* crimina ſua expiantem apud *Virgilium Æneid.* II.

Tu genitor, cape ſacra manu patrioſque penates,
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Didonem apud *Virgil.* L. IV. Inferis ſacra facturam.

Dic corpus properet fluuiali ſpargere lymphâ.

Precibus, votiſque ſupplicibus præcedebant lotiones. *Perſius Sat.* II.

Hæc ſancte ut poſcas, Tyberino in gurgite mergis.
Manè caput, bis, terque, & noctem in flumine purgas.

Si quis commiſit cædem aliudue crimen, de eo dicere ſolebant, id non eluituram fore ullam aquam. *Ouidius Faſt.* 2.

Ab nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aquâ.

Catullus de ſceleratiſſimo quodam ad Gellium.

Suſcipit, o Gelli, quantum non ultima Thetis
Nec genitor lympharum abluit Oceanus.

Ut nos Germani in ſcenam producimus Rhenum. *Es wird es ihme der Rhein nicht abwaſchen;* Hiſpani Bætin: *No ſe lavara deſta con quanta aqua trae Quadalquivir.*

Redeo ad niualem aquam, & obſeruo, lotas olim ea fuiſſe manus pedeſque. *Petronius* in *Satyr. Tandem diſcubuimus, Alexandrinis pueris aquam niuatam in manus infundentibus, aliiſque inſequentibus ad pedes.* Hæc ſanè aqua non ſolùm dealbat cutim, ſed & roborat membra, contrahendo frigore fibras, & διαπνοὴν inhibendo. Fuit hæc forte cauſa, cur *Diogenes* Cynicus *ſtatuam æneam fuerit amplexus, cum eſſet acre frigus*, περιλαμβάνων ἀνδριάντα χάλκεον, ψύχους ὄντος σφοδροῦ, *Plutarcho* teſte in *Apopht. Lacon.* & *Laërt. de Vit. Philoſ.* L. VI. Hunc uſum ſi reſpiciamus, concedemus faciles pueris noſtris ludibundas

RPJCB



IOB. Cap. X. v. 8-12.
Γνῶθι σεαυτόν.

Buch Hiob Cap. X. v. 8-12.
Lerne dich ſelbſt erkeñen.

B. Probst sculps.

as niuoſarum molium tempore hyemali pro-
olutiones.

Occurrit in Textu vox בֹּר *bor*, quam per
ıritatem vertimus, & nobiscum *Arias*, alii ci-
ernam, fontem, puteum, ſed majorem in hac voce emphaſin, quæ ad *Borith fullonum* Jer. II. 22. accedat, quærit *Olauus Rudbeck* fil. *Ichtyologiæ Biblicæ* P. II. p. 28. & in voce זִכָּה aliquid amplius quàm in præcedenti רָחַץ *lauare*, nempe, *ornare, detergere, polire, ſplendidum reddere.*

TAB. DXV.

Job. Cap. X. verſ. 8 - 12.

8. Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus ſum. —
9. Cogita quæſo, quod me velut argillam finxeris, meque redacturus ſis in puluerem.
10. Annon veluti lac fudiſti me, & velut caſeum me coagulaſti?
11. Cute & carne veſtiuiſti me, oſſibus etiam & neruis me contexiſti.
12. Vita & beneficentia me proſecutus es, tuaque prouidentia ſeruauit meum ſpiritum.

8. Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: —
9. Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.
10. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti?
11. Pelle & carnibus veſtiſti me: oſſibus & neruis compegiſti me.
12. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.

Contemplandam ſiſtit magnus noſter Philoſophus hominis præcellentiam, ſed & caducitatem, nobilitatem ſimul & nullitatem. Quis eſt, cujus oculis haud illucet præſtantia hominis ex prima & immediata Creatione? *Dixit DEUS: faciemus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimulachrum noſtrum, & dominentur in piſcem maris, & in volucrem cœli, & in jumentum, & in omnem terram, & in omne reptile, quod reptat ſuper terram.* (*Ait DEUS: faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, uniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*) Gen. I. 26.

Aperit ſibi & nobis Jobus τὸ γνῶθι σεαυτὸν, quæ ſui ipſius cognitio poſt DEI cognitionem omnium eſt & utiliſſima & præſtantiſſima. Doctos nos reddunt aliæ ſcientiæ, ſed hæc pios: inflant aliæ, deprimit hæc. *Animam* ſuam qui attentè conſiderat, admirari nunquam deſinet intellectus extenſiſſimas vires, incredibilem cogitationum velocitatem, inuentorum ſubtilitatem, memoriæ theſauros, infinitam cupiditatum mutabilitatem, voluntatis inexhauſtam profunditatem. Qui *corpus*, habet quod miretur artificioſiſſimam ex diuerſis partibus compagem, configurationem, multifarios fluidarum & ſolidarum motus, ſtructuræ totius perfectionem, ſed quoque fragilitatem. Qui *corporis* & *animæ*, binarum ſubſtantiarum toto cœlo diuerſarum, unionem, ceſſabit is ante modum unionis excogitare, quàm mirari. Heic eſt rationis non plus ultra, & fatebitur acutiſſimus quisque Philoſophus, recurrendum ſibi eſſe ad liberrimam & unicam Creatoris infinitè perfecti voluntatem.

Haud ignorabat Præceptor noſter, nîl cedere artificio brutorum ſtructuram illi hominum, ſed ipſe ſibi erat proximus, proximum ſibi proprium corpus, die nocteque doloribus acerbiſſimis cruciatum. Perſuaſiſſimum ſe reddit ipſum & nos, *finxiſſe* DEUM *hominem*, Gen. II. 7. poſuiſſe τὰ μέλη, ἓν ἕκαςον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι, καθὼς ἠθέλησεν, 1. Cor. XII. 18. *Tuæ manus*, inquit, *elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus ſum.* (*Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.*) v. 8. *Tuæ manus*, non mali ſpiritus, quod Manichæi volunt, non boni, quod Philo, & alii, ſed ſapientiſſima Tua omnipotentia. *A tergo & à fronte me finxiſti, & mihi admolitus es manum tuam.* (*Ecce DOMINE tu cognouiſti omnia, nouiſſima & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.*) Pſal. CXXXIX. 5. *Cœli ſunt opus manuum tuarum*, Pſ. CII. 26. DEUS ipſe de ſeipſo apud Jeſaiam XLVIII. 13. *Manus mea fundauit terram, & dextera mea palmo menſa eſt cœlos:* *Ego*

Ego quum ea vocarem, protinus conſtiterunt ſimul. Tuæ manus, inquit Jobus, *elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus ſum.* Habet Textus, עִצְּבוּנִי וַיַּעֲשׂוּנִי, ἔπλασάν με καὶ ἐποίησάν με LXX. Schol. ἡτοίμασαν, verba, quæ non carent ſua emphaſi, & notant, ſingulari ſtudio, cura, applicatione facere, formare, perfectè exornare, imò elaborare quodam cum dolore, ſunt quippe radices עֶצֶב *dolor*, עָשָׂה *effecit, apparauit:* & vox סָבִיב *ſabhibh* notat circumcirca, totum quantum, omnes venulas, fibrasque corporis, omnes ideas mentis, corpus & animam integra, *quanta quanta ſunt.* Quo ſenſu Dauid Pſ. CXXXIX. 5. *A tergo & à fronte me finxiſti.* Saluator noſter Luc. XI. 40. ad Phariſæos, ἄφρονες, οὐχ ὁ ποίησας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε; Volunt alii, alluſiſſe Jobum voce סָבִיב, *in circuitu*, ad figulum verſatili machina vaſa plaſmantem, nam & v. 9. addit, *cogita, quod me velut argillam finxeris.* Scopus autem argumentationis Jobianæ huc redit, eundem ipſum DEUM, qui illum adeò artificioſè ac ſapientiſſimè fecerit, formauerit, opus hoc manuum ſuarum haud fore deſerturum. Ita moralizant Patres. *Ambroſius: Opus tuum, Domine, ne deſeras, non derelinquas. Te auctorem conuenio, te teneo conditorem, aliena præſidia non quæro.*

Verſ. 9. *Cogita quæſo, quod me velut argillam finxeris, neque redacturus ſis in puluerem.* Finxit namque DEUS hominem, non ex argento, auro, lapidibus pretioſis, vel ex præcreato corpore animali, ſed *de humo puluerem*, Gen. II. 7. nempe, ex materia formando corpori adeò artificioſo per ſe inepta, ut oſtenderet partim potentiam ſuam infinitam, partim doceret nos ipſos, eſſe nos χοϊκὸς, 1. Cor. XV. 47. *reuerſuros* nos eſſe *in puluerem*, Gen. III. 19. 23. *ex luto fictos*, Job. XXXIII. 6. Non habere nos proin, cur erigamus criſtas, cur contemnamus alios, memores fragilitatis noſtræ & mortalitatis, omnia, quæ efficimus hoc corpore noſtro, tendere debere ad Gloriam DEI. Tanto autem magis, lubentibus tantò, quod hoc ipſum infiniti artificii corpus, compages hæc ex fluidis ſolidisque partibus conſtans exornatiſſima, *redigenda ſit in puluerem.* Coincidunt Jobi cogitata cum Jeſaia. Ita is LXIV. 8. *Nunc*, o DOMINE, *quum Tu ſis pater noſter, nos lutum, Tu verò figulus noſter, & nos omnes opus manus Tuæ ſimus. Ne iraſcaris,* DOMINE &c. Hac proin miſcelli ſui corpuſculi, & è luto fabricati tabernaculi deſcriptione flectere vult Jobus DEUM conditorem ſuum ad compaſſionem, ſe ipſum autem diſponere ad patientiam. Conſcius probè veritatis, quam Jeſaias multis poſt Jobum ſeculis enuntiauit XLV. 9. *Væ diſceptanti cum factore ſuo, vas fictile cum figulis luti. Num enim dicit lutum figulo ſuo: Quid facis? (Væ, qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ, nunquid dicet lutum figulo ſuo: quid facis?)* Nota patientiſſimo viro erat non ſolùm σύγκρισις ſua, ſed & διάκρισις, non duntaxat artificioſiſſima ex aqua & terra compaginatio, ſed quoque futura in aquam, limum, puluerem diſſolutio, quam videre licet in omni cadaueris putredine, quod primum inundatur veluti à fluida putrilagine, ſed & poſt exiccatum in cineres collabitur & puluiſculos.

Verſ. 10. *Annon veluti lac fudiſti me, & velut caſeum me coagulaſti?* Singularis ἐμφάσεως verba, attentiſſima conſideratione digniſſima. DEO attribuit Jobus generationis opus, non hominibu., quam Theſin ratio comprobat & experientia. Eſt corpus noſtrum machina infiniti artificii hydraulico - pneumatico - mechanica, quæ aciem Lynceorum quorumuis Anatomicorum effugit. Pone, quod nemo rerum peritus & ſanæ mentis affirmauerit, omnes etiam intimi receſſus fibrillas eſſe detectas, & fluidorum, inprimis laticis ſanguinei, naturam plenè perſpectam; pone, poſſe elaborari ab anima quadam formatrice corpus ideis illis perfectis conforme, ſequeretur id duntaxat, Anatomicorum eſſe, & peritiſſimorum quidem, progenerare corpora adeò artificioſa, non ruſticorum, qui, experientia teſte, non minus habiles ſunt in hocce generationis negotio, quam doctiſſimi quique. Quis eſt, qui neſciat, in formando homine peritos æquè eſſe ex ima fæce homines, etiam ingenii obtuſiſſimi, quibus ne conſtat quidem, ſe prædìtos eſſe ventriculo, homines non Europæos duntaxat, ſed Indos & Garamantas, etiam in feliciſſimis ſideribus, craſſiſſimo aere natos. Sunt namque generationes noſtræ aliud nihil quàm rudimentorum infinitè paruorum, mundo concreatorum, euolutiones, ut ſunt & animalium generationes, & vegetabilium. Audi DEUM ipſum, ut Prophetam adloquitur: *Priusquam te formarem in ventre, cognoui te.* Jer. I. 5. Pſaltem Regium Pſ. CXXXIX. 15. *Robur meum non tibi occultatum eſt, quum in abſtruſo formarer, & velut opere Phrygio effingerer in nouiſſimis terræ partibus. (Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.)* Et quî, quæſo, vel quonam prætextu homini tribui poſſet corporis humani formatio, indeciſa adhucdum quæſtione inter Anatomicos atque Philoſophos, an rudimenta artificioſiſſimæ machinæ quærenda ſint in Ouarii oculis, vel ſeminis virilis animalculis? Quodſi veteres Scholaſticos conſulas, dabunt hi hancce Textus Jobiani ridiculam exegeſin, deciduum ex omni corporis parte ſemen ſecum ferre earundem figuras, & lactis ad inſtar emulgeri. Monſtroſos en monſtroſæ Philoſophiæ conceptus! Propius accedunt veritati, qui πλάσμα hocce comparant τυροποιήσει. Notum namque, Sennum (quo nomine Paſtores vocamus Alpinos) ſecernere primò lac in ſuas partes, ſeroſam & caſeoſam, & coagulum infundere modulo, ſicque caſeum formare. Ita poteſt dici DEUS ſeparando craſſiorem materiam à fluidiori ac tenuiori formaſſe corpus humanum.

Sed

exinde nondum clarum formare licet de anti momenti conceptum. *Coccejum* ſi le- , poſſent,qui animalculis ſiue vermiculis ſe- ıis virilis, non conſpicuis niſi armato viſui, ;inem hominis adſcribunt, in partes ſuas :are ipſum noſtrum Jobum. *Lac* foret *gut- utens* Rabbinorum linguâ, *preſſi copia lactis*, ıen ipſum virile: *Caſeus* ſanguis maternus erfluus. Optima ſine dubio erit Textus ex- natio, quæ ſequitur: *Lacti fuſo, caſeoque gulato* ſimiles prorſus eſſe Embryones, in mis à conceptione diebus, non colore dun- :at & conſiſtentia, ſed & formâ, quandoqui- n nec exquiſitiſſima microſcopia in tenuiſſi- s hiſce principiis dignoſcere valent partes, et jam reuera fluidæ maſſæ inſint figuratæ. utiſſimus Anatomicus noſtri temporis Mr. *yſch* proponit nobis in Theſauro ſuo Anat. VI. g. 31. Tab. II. Fig. I. duos hujusmodi pau- :um dierum Embryones, quorum unus ſe- nis formicæ ſaltem magnitudinem habet, al- vero magnitudinem pediculi ſiue ſeminis tucæ haud excedit. Vide hæc primordia ɔræſentata in Tab. XXIII. Qui, δαδέχοις Ana- nicis, deſcendit ita ad primordia ſua, fatebi- r lubens, quod *Plinius* L. VII. c. 7. *Miſeret ue etiam pudet æſtimantem, quàm ſit friuola imalium ſuperbiſſimi origo. —— Is demum pro- tò vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fra- litatis humanæ memor fuerit.* Præprimis ſi nſideremus, habitare nos per nouem men- ım ſpatium in tenebricoſo uteri materni car- re, inter ſtercus & urinam naſci.

Verſ. 11. *Cute & carne veſtiuiſti me, oſſibus iam & neruis me contexiſti.* En hominem non nplius lactis coagulum, ſed corpore præditum erfecto, ad omnes actiones obeundas idoneo. Ientionem facit Jobus partium quarundam ræcipuarum & communium, absque quibus ructura corporis humani ſubſiſtere nequit. Ɔbtegit hominem *cutis*, mouet *caro*, nempe ıuſculoſa, ſuſtentant & fulciunt *oſſa*, vires & enſum largiuntur *nerui*. Poſſem, ſi excurſio- es amarem, percurrere magnam Anatomiæ artem, δερματολογίαν nempe, Myologiam, Oſteo- ogiam, Neurologiam. Sed diffuſam tractatio- em anguſtia loci haud permittit. Sufficiat teti- iſſe nonnulla, & extremo veluti digito, ſed ap- licatiuè ad DEI cognitionem. *Cutis* nomine ntelligit haud dubiè Philoſophus noſter totum corporis integumentum commune, quod con- ſtat *Epidermide* ſiue *Cuticula* tenuiſſima, *Cute* propriè ita dicta, quæ compagem exhibet ar- tificioſiſſimam ex ſubtiliſſimis arteriolis, venu- lis, neruulis, glandulis contextam, per quas omni momento circulat ſanguinis latex, ut per innumeros porulos continuò tranſpirat & ex- pirat fluidum inſenſile, pro ſanitatis conſerua- tione: Porrò numeranda venit *pinguedo*, oleo- ſus liquor in cellulis reconditus, & *panniculus carnoſus* muſculis ſuperextenſus. Habent hæ partes omnes communis integumenti nobiliſ- ſimos ſuos & neceſſarios uſus. Hanc cutim aſpectamus quotidie, ſed quàm ſunt pauci, qui eam aſpiciunt, uti quidem deberent, oculis nempe mentis, ad laudem optimi Creatoris! quàm pauci, qui texturam hanc artificioſiſſi- mam introſpiciunt, ut in quibusdam locis, vo- lis nempe manuum, plantisque pedum eſt den- ſior, quò laboribus ſufferendis par ſit, alibi te- nerior, & delicatior! qui poros conſiderant in cribro hocce perforato ſubtiliſſimos, quorum 125000. contegi poſſunt ab arenula unica! De hac materia nonnulla inſuper ſequentur ſub finem hujus tractationis. Quàm pauci, in- quam, cum Ezechiele XXXVII. 6. 8. perpen- dunt, *dare* DEUM *neruos, induere carne, obdu- cere cute*, non cœcum quoddam naturæ ido- lum! *Carnem*, id eſt, muſculos, comedimus quotidie, haud cogitantes, quanti artificii ſint hæ machinæ; quàm affigantur ſolidis parti- bus ad inſtar vectis influxu ſpirituum anima- lium animati, qui ipſi inertes forent prorſus, & viribus deſtituti, ni in continuo motu ſer- uarentur à materia adhuc ſubtiliori, immedia- tè mota à DEO. Conſtant hi vectes muſculoſi ex fibris innumeris, tanquam chordis, & hæ ex veſiculis ſphæroideis, quæ à fluido nerueo in- flatæ, per conſequens abbreuiatæ, incredibiles exerunt vires: ex fibrillis inquam adeò tenui- bus, ut lineam vix emenſurent 16. Pariſinam nempe, quæ $\frac{1}{12}$. eſt pedis, 192. proin digitum, & 36864. pollicem quadratum. Quàm pauci ſunt numero, qui cogitationum ſuarum alis euolant ad vectium horum Inventorem & Au- ctorem, qui muſculos horumque fibrillas & veſiculas ita coordinauit, ut partes quælibet ſuo fungantur officio, haud impeditæ ab aliis! qui fibrillis iſtis dedit figuram nunc pennatam, nunc ſpiralem? Eſt ſanè mentis impos, qui non videt, non laudat, DEUM Architectum, Mechanicum, Geometram, αὐτομαλοποιητὴν, qui horologia hæc non fabricavit duntaxat, ſed & quouis momento mouet ipſe: totam, ex con- feſſione Jobi, format *oſſium* compagem, quam σκελετοποίησιν vere diuinam Regum Sapientiſſi- mus ſimul inter occultiſſima naturæ reponit arcana. Eccleſ. XI. 5. *Quemadmodum ignoras, quæ via ſit ſpiritus, aut qualia oſſa in utero gra- uidæ: ita ignoras opus DEI, quo perficiet omnia. (Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & qua ra- tione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera DEI, qui fabricator eſt omnium.)* Conſideremus, obſecro, miram hanc corporis humani machinam niti columnis mobilibus, flexilibus, diuerſis oſſibus, quorum quodlibet obtinuit præciſè ſtructuram uſui reſpondentem: columnarum baſes non conſtare ex unico oſſe, ſed multis per cutim & neruos inuicem con- nexis: totum extremum pedem, quatenus ex Tarſo, Metatarſo, digitis eſt compoſitus, adeò concinnè eſſe formatum, ut corpus ei inſiſtens omniuarios poſſit exerere motus, ſtare, ince- dere, currere, ſaltare, ſubſilire, & tamen æ-

quilibrio haud excedere: Coſtas arcuatas ab una parte vertebris dorſi, ab altera ſterno affixas clypei ad inſtar defendere cor & pulmones, ſed & unà cum muſculis incumbentibus atque interjectis inſeruire reſpirationi: Spinam dorſi columnam eſſe ex multis ſpondylis compaginatam, juxta leges Architecturæ contractam, quò corpus firmum ſtare, & tamen flecti queat, quæ flexio locum non inueniret, ſi tota ſpina ex unico conſtaret oſſe. Ne quid dicam de Cranio, quæ caſſidis inſtar cerebrum, molliſſimam & pretioſam animæ ſedem, obtegit atque defendit: de dentibus, horum figura, & inſertione per γόμφωσιν: de maxillæ inferioris mobilitate: de mira oſſiculorum auditus ſtructura, quæ omnia, & alia hujusmodi, nimium me à via Regia abducerent. Contraho autem vela, & monente Jobo meo memoro tandem *neruos*, qui ex cerebro integro orti extenduntur per totum corpus, motumque ac ſenſum impertiuntur omnibus partibus, vehentes fluidum, quod ſpirituum animalium nomine venit, adeò ſubtile, ut oculos etiam armatos fugiat. Nolo autem, ne nimius ſim, excurrere ad integram Neurologiam, quam maxima ſua laude ſummoque labore pertractarunt *Williſius* atque *Vieuſſenius*.

Verſ. 12. *Vita & beneficentia me proſecutus es, tuaque Prouidentia ſeruauit meum ſpiritum.* (*Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.*) Pulchrè hæc congruunt cum Gen. II. 7. *Finxit* DOMINUS DEUS *hominem puluerem de humo, & inſlauit in nares ejus ſpiritum vitalem, factusque eſt homo in animam viuentem.* (*Formauit* DOMINUS DEUS *hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.*) Adſit oportet corporis artificioſiſſima machina, & huic infundendus *ſpiritus*, anima rationalis: conſtituunt bina hæc entia tota natura diuerſiſſima, modo omnes naturæ vires, omnemque intellectus humani captum excedente unita, hominem, cujus vita conſiſtit in reciproco animæ corporisque commercio, in tali partium tum fluidarum tum ſolidarum diatheſi, ut partes omnes ac ſingulæ, veluti totidem horologii rotæ, ſuis poſſint defungi actionibus, & corpus in animam, hæcque viciſſim in illud agere. Stemus heic per momentum viatores, ne elabatur DEUM optimum Creatorem prædicandi occaſio. Unde, dic mihi ſodes, eſt, quòd omnes corpori factæ impreſſiones & motus adeò certò, adeò citò, momento citius tranſeant in animam? quod anima hoſpites hoſce admittat etiam inuita? quòd mens occaſione impreſſionum factarum exſuſcitet certas ideas, & tales præciſè, quæ motibus illis reſpondent? quòd certas mentis cogitationes ſequantur certi corporis motus? quod nec animæ, nec corpori, competat diuortii jus? Animane hoc indiſſolubile pactum iniit cum corpore, vel hoc cum illa? num memor eſt anima temporis, quo ſe ſe tam arctè junxit corpori? cur non anim[am] tanquam domina ſibi majora & potiora reſer[uauit] uauit jura? cur etiam inuita dependet illa [a] corpore? cur dominio ſuo ſubjecit artus ſolos non partes vitales, cor, ventriculum, totum ſanguinis circulum? cur alligauit ſeſe non ad perceptiones gratas duntaxat & voluptuoſas ſed quoque ad dolorificas, ingratas? num mira adeò & harmonica Politia contigit caſu? Reſpondeant adhæc puncta Momi, & articulatim, ſi poterunt. Fateri tandem cogentur ſi mica reſtat rationis, eſſe hæc omnia effectu[s] ſtupendos omnipotentis illius *Fiat*, & ſubſcribent faciles Philoſophi noſtri atque Theolog[i] magni effato: *Vita & beneficentia me proſecu[tus es] cutus es, tuaque Prouidentia ſeruauit meum ſpiritum.* Qui omnia hæc applicare vult ſenſui myſtico, & hominis regenerationi, ei baſeos loco inſeruire poteſt Locus Ezech. XXXVII. 5. *Sic dicit* DOMINUS DEUS *oſſibus iſtis: En ego indam in vos Spiritum, & viuetis: dabo quoque ſuper vos neruos, & induam vos carne, obducamque vos cute, & induam vobis Spiritum, & viuetis, & cognoſcetis, quod ego* DOMINUS. (*Hæc dicit* DOMINUS DEUS *oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & viuetis. Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem: & dabo vobis ſpiritum, & viuetis, & ſcietis: quia ego* DOMINUS.) Vid. *de Me[y] Phyſ. Sacr.* 305. *Ruyſch. Theſ. Anat. VI.* p. 31.

Illuſtrandis iis, quæ ſupra de extrema pororum cutaneorum ſubtilitate memoraui, & conuincendis incredulis, qui id ſæpe deriſui habent, quod non intelligunt, inſeruire poſſunt ſequentia. Viſui armato globulus ruber ſanguinis componitur ex globulis ſex aliis minoribus; & diameter ſubtiliſſimæ extremæ arteriolæ æqualis $\frac{1}{500}$. pili, ex minima modernorum hypotheſi. Sequitur inde, globulos ſanguinis, qui per ramulos cutis laterales tranſire nequeunt, 500.es ad minimum minores eſſe craſſitie pili, & quemlibet illorum 6. minorum $\frac{1}{6} \times \frac{1}{500} = \frac{1}{3000}$. ſiue 3000.es minores pilo. Sed ſunt, quod mox videbimus, tubuli in corpore noſtro, quorum oſcula vix adæquant $\frac{1}{125000}$. arenulæ. Per conſequens inexiſtent ſanguini particulæ adeò minutæ, quæ non ſunt $\frac{1}{125000}$. arenulæ. Parum hoc eſt, ſi conferas cum globulis illis ſanguinis animalculorum, quæ in ouis aſelli conſpexit *Leeuwenhoek*, & juxta *Keillii* calculum minores ſunt

$$\frac{8}{1000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000\ 000}$$

pollicis cubici. Sed redeo, ſtaturus promiſſis, ad tubulos extremos. Si fides eſt Obſeruationibus Leeuwenhœkianis, operit arenæ granum ſquamas retiformes 250. cuticulæ, (nam cuticula ſub microſcopio uti ſquamoſa piſcis lorica apparet) & ſquama quælibet 500. canaliculos excretorios, per quos omni momento

fit

t tranſpiratio. Obteget proin arenula unica 25000. poros excretorios. In majorem ad- iirationem rapit pondus minutiſſimarum illa- um particularum è corpore euolantium, ad alculum redactum. Ex indubiis Sanctorii ob- ruationibus conſtat, amittere hominem adul- æ ætatis 24. horarum ſpatio per tranſpiratio- em inſenſilem Libras 5. quæ faciunt uncias o. ſiue 28800. grana; ſingulis proin horis rana 1200. minutis ſingulis 20. Pone nunc, x ante dictis, operiri poros 125000. ab are- æ grano, 100. arenæ grana in eadem linea oſita æquari pollici, 10000. pollici quadrato, 000000. pedi quadrato. Pone, cum ſubtili nglo *Wainewright*, pro ſuperficie media ho- ninis adulti 15. pedes quadratos, incumbent i 15000000. arenulæ. Erunt ergo in exte- iori corporis ſuperficie ad minimum 125000.es 5000000. ſiue 1875000000000. pori, per uos omni momento auolant grana 20. Sed ontrahit ſe cor 60.es quouis minuto in homi- e ſano. Quouis ergo pulſu cordis ex 1875000000000. poris, auolabunt $\frac{20}{60}$. ſiue $\frac{1}{3}$. grani ex partibus corporis noſtri fluidis; ſiue, ex quolibet poro $\frac{1}{5625000000000}$. grani. Redigat nunc, qui volet, ad calculum, quot annorum millia requirantur ad effluxum unici grani ex porulo unico. Hæc, & hujusmodi alia videſis in erudita *Diſſ. Sieuertii de Morbis à motu humorum.* Quod ſupereſt, rogo eos, quibus hi Calculi videntur monſtroſi, ut vel alios ineant meliores, vel errores oſtendant & corrigant; & vel id perpendant, non eſſe inuentorum moderni temporis ſcopum meram quandam & otioſam curioſitatem, ſed applicationem ad cognitionem & laudes DEI, ad cognitionem noſtri, & hac ipſa via aperiri portam, ut certè dudum aperta eſt per experimenta Sanctoriana, ad ipſius artis medicæ intima penetralia, Mechanicâ duce.

Ad laudem Creatoris adeſt in hac Tabula

A. Sceleton corporis adulti à parte anteriore.

B. Sceleton myologicum.

C. Ex Neurologia Neruus cruralis.

Job. Cap. X. verſ. 16.

— Ut me ceu Leopardus veneris, iterumque portentoſa calamitate conficias me.

— Quaſi leænam capies me, reuerſusque mirabiliter me crucias.

NOn heic ſolùm à Jobo, ſed & alibi in Sacris comparari ſe vult DEUS beſtiis ſæuiſſimis, heic *Leoni*, in antro ſuo cubanti, & inſidianti tranſeuntibus, proruenti poſtea, & obuia quæuis diſcerpenti; nempe intuitu judiciorum, quæ ſumit de impiis, & caſtigationum, quibus corrigit pios. Loca parallela ſunt Thren. III. 10. *Urſus inſidians factus eſt mihi, & Leo in latibulis. (Urſus inſidians factus eſt mihi; Leo in abſcondito.)* Jer. XXV. 38. *Dereliquit ut Leo latibulum ſuum, nam terra eorum in deſolationem redacta eſt præ æſtu vaſtatoris, & præ furore iræ ſuæ. (Dereliquit quaſi Leo umbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem iræ à facie columbæ, & à facie iræ furoris DOMINI.)* Jeſ. XXXI. 4. *Quemadmodum Leo aut catulus Leonis ad prædam ſuam rugit, & nihil pauet ad examen paſtorum, qui ei occurrunt & vociferantur, neque ad tumultum eorum animum dejicit; ſic deſcendet DOMINUS exercituum ad propugnandum pro monte Zion, & pro colle ejus. (Quomodo ſi rugiat Leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, cum occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet DOMINUS exercituum, ut prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem ejus.)* Jeſ. XXXVIII. 13. *Supputabam usque ad auroram, ut Leo contriuit omnia oſſa mea, à prima luce in noctem. (Sperabam usque ad mane, quaſi Leo, ſic contriuit omnia oſſa mea: de manè usque ad veſperam finies me.)* Hoſ. V. 14. ita ipſe DEUS: *Ego ſum ut Panthera ipſi Ephraim, & ſicut Leunculus domui Juda. Ego, ego rapiam, vadam & tollam, & nemo eripiet. (Quoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Juda: Ego, ego capiam, & vadam: tollam, & non eſt, qui eruat.)* Hoſ. XIII. 7. 8. *Factus ſum eis ſicut Panthera, & ſicut Pardus, ad viam inſidiabor. Occurram eis ut Urſus orbatus, & lacerabo pertinax cor eorum. (Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum. Occurram eis quaſi urſa raptis catulis: & dirumpam interiora jecoris eorum.)* Valet in his locis omnibus diſcrimen inter τὸ θηριοπαθῶς, ἀνθρωποπαθῶς καὶ θεοπρεπῶς, Interpretibus Scripturæ ſatis familiare. Nemo, niſi inſanæ mentis, cogitet, affici DEUM immutabilem & ſanctiſſimum affectibus vel hominum, vel brutorum: eſt quæuis vel inæqualis diſpoſitio, vel mutata, imperfectionis character, quæ enti perfectiſſimo tribui nequit. Indicatur nempe locis citatis omnibus, quàm ſit φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας ΘΕΟΥ ζῶντος, Hebr. X. 31. Audi confeſſionem, quam ſana reſidua ratio extorquet gentili, imo Atheo. *Lucretium* volo L. II. v. 645.

Omnis enim per ſe Diuûm naturâ, neceſſe eſt,
Immortali æuo ſummâ cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus, ſejunctaque longè.

Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur irâ.

Quanquam ſint & heic locutiones, quæ in impium trahi poſſunt ſenſum. Notum quippe, *Lucretium* cum Epicureis indifferentiam DEI eò ſtatuiſſe usque, ac ſi omnium rerum in mundo peragendarum nullam prorſus curam haberet. Chriſtiano homine digniora ſunt *Nazianzeni Carm.* 21.

ΘΕΟΝ δ' ἀκούων ἐν γραφαῖς χολούμενον,
Ἢ Πάρδαλίν τιν', ἢ παροιστρῶσαν πόθῳ
Ἄρκτον - - - -
Καλῶς ἄκουε, μὴ κακῶς, τοῦ πράγματος.
Πάσχει γὰρ οὐδὲν, ὧν ἐγὼ πάσχω, ΘΕΟΣ.
(Μήτις τόδ' εἴπῃ) καὶ γὰρ οὐδ' ἐξίσταται
Αὐτὸς παρ' αὐτοῦ. Ταῦτα γὰρ τοῦ συνθέτου,
Καὶ τῶν μάχεσθαι ἠργμένων ἐκ πλείονος.
Ὁ δ' ἐστι, τοῦτ' εὔδηλον, ἄτρεπτος φύσις.
Πῶς οὖν τυποῦται ταῦτα; τῆς τροπῆς νόμοις.
Πῶς; δειματῶσαι τῶν ἁπλουστέρων φρένας,
Ὥσπερ τὰ πολλὰ τῶν λόγῳ δηλουμένων.
Ἀντιστροφὴν νόει, καὶ τὸ πᾶν ἔχεις.
Ἐπεὶ γὰρ αὐτοὶ πλήσσομεν χολούμενοι,
Χολᾷν τὸ πλῆσσον τοὺς κακοὺς ἐγράψαμεν.

DEUM autem in Scripturis iratum eſſe cum audis
Aut Pantheram eſſe, aut oeſtro affectus percitum Urſum - - - -
Rem bono, non malo, ſenſu accipe.
Neque enim quidquam eorum, quæ patior, patitur DEUS.
(Hoc nemo dixerit) Nam non rapitur
Extra ſeipſum DEUS. Quod naturæ compoſitæ proprium eſt,
Et eorum, qui pugnare (i. e. contrariis affectibus agitari) *dudum cœperunt.*
Ille autem eſt immutabilis naturæ, hoc palàm eſt.
Quomodo igitur hæc deſignantur? Tropi legibus.
Quomodo? ut terreat ſimpliciorum animos,
Ut multa, quæ verbo ſignificantur.
Fac conuerſionem, & rem omnem habebis.
Quia enim ipſi plectimus irati,
Iraſci ſcripſimus numen, quod plectit impios.

Quodſi ſenſum literalem preſſè ſequi vellemus, Jobi Textus ita foret explicandus, truculentiorem eſſe DEUM ipſo Leone, de quo naturæ conſulti, ad prædam non reuerti, reliquias deuoraturum. De DEO enim noſter: *Iterum portentoſa calamitate conficias me*, (*reuerſus mirabiliter me crucias*,) vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 6. p. 767.

Job. Cap. XI. verſ. 7. 8. 9.

7. Tunc perueſtigando inuenires DEUM? Tunc inuenires DEI Optimi Maximi perfectionem conſummatam?

8. Quæ quum altitudines cœlorum æquet, quid efficies? quum profundior ſit inferis, quid intelliges?

9. Cujus quantitas longior eſt terrâ, & latitudo ejus major quàm mare.

7. Forſitan veſtigia DEI comprehendes, & usque ad perfectum, Omnipotentem reperies?

8. Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?

9. Longior terra menſura ejus, & latior mari.

ZOphari axioma metaphyſicum hoc eſt: Intellectum hominum finitum, imo & angelorum, infiniti entis non eſſe capacem. Idea namque rei perfecta ſemper debet eſſe ſuo ideato adæquata: ſeu, tantum eſſe debet in idea objectiuè, quantum ſubjectiuè eſt in re. Lingua hæc eſt docentium in ſcholis. Horologii ideam qui volet habere adæquatam, diſtinctum ſibi formare debet conceptum de omnibus automati partibus, imo ſingulis, rotis, dentibus, elateribus, harumque partium figura, connexione, magnitudine, motu. Ita ſi vel humanus intellectus vel angelicus formare ſibi velit ideam DEI adæquatam, ei neceſſe foret concipere omnes & ſingulas infinitas infiniti entis perfectiones; id quod tam non eſt poſſibile, quàm ut foſſula pedalis integrum, qua latè patet, excipere queat Oceanum. Fatetur id famoſus aliàs *Hobbius Phyſ.* c. 26. *Neque enim homo, neque ulla alia res, præterquam quæ ipſa infinita ſit, infiniti conceptionem ullam habere poteſt.* Ens proin Diuinum, quod à ſe eſt, quia eſt infinitum, concipi nequit niſi à ſe ipſo, tanquam commenſurabile intellectui etiam infinito. Et vel ex hac idea fluit, exiſtere actu hujuſmodi ens infinitum infinito præditum intellectu. Quanquam heic obſeruandum probè ſit, hujuſmodi argumentationem *à poſſe ad eſſe* non procedere, niſi ubi agitur de rebus infinitis, & abſolutè neceſſariis. In DEO eſt, juxta *Platonis* effatum, νοῦς νοερὸς καὶ νοῦς νοητός. Prior expreſſio denotat DEUM ipſum,

RPJCB

IOB. Cap. XI. v. 12.
Onager Zecora.

Buch Hiob Cap. XI. v. 12.
Africaniſcher Wald = Eſel.

I. A. Fridrich sculps

im, poſterior ideam de DEO. Quæ duo t & infinita, & inſeparabilia. Quæ *Zophar* ponit v. 8. 9. congrua ſunt confeſſioni Da- is Pſal. CXXXIX. 8. *Si aſcendero in cœlum, ibi es; & ſi ſternam lectum meum in inferno, ades. Si ſumam pennas Auroræ, & habitem* extrema parte maris; etiam ibi manus Tua *et me, & dextera Tua prehendet me. (Si aſcen- o in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infer- n, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & itauero in extremis maris: Etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.)* Verbo: DEI Eſſentia, proprietates, omniſapientia, omnipotentia, aliæque entis infinitè perfecti virtutes nullibi ſunt incluſæ, excluſæ nullibi. *DEUS eſt intra & extra, ſupereminens & internus: circumfuſus & infuſus in omnia. Hilarius* L. I. *de Trinit.* Pertinent huc, quæ deprædicat Paulus de πλάτει, μήκει, βάθει, ὕψει amoris diuini, Eph. III. 18. Vid. *Raphſon. Dem. de DEO.* p. 45.

TAB. DXVI.

Job. Cap. XI. verſ. 12.

…tamen vir inanis deſipit, homoque naſcitur ut pullus onagri.

Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.

PArum abeſt, quin *Onager* eadem habeat, quæ רְאֵם *reem*, *Monoceros*, fata, ipſe quoque nonnullis monoceros. A domeſtico aſino non ſpecie ſed educatione duntaxat differre, imo per omnia …niles eſſe, vult *Luitprandus*, Cremonenſis Epi…opus, in Legatione ad Nicephorum Phocam, …mperatorem, A. 968. *Color idem, forma ea…m, auriti itidem, vocales ſimiliter, cum rudere …cipiunt, magnitudo non diſpar, velocitas una, …lces lupis æquè. Ariſtoteles Hiſt.* L. VI. c. 36. …ros aſinos à domeſticis differre vult 1. celeri…te longè majori: uti & *Oppianus Cyneg.* L. III. … 182. Onagrum deſcribit ἔυσφυρον, κραιπνὸν, ἀελ…πόδην, κρατερόνυχον, ὀξύταλον, *bonis cruribus, per…icem, pedibus inſtar turbinis, robuſtis ungulis, …urſu velociſſimum. Ælianus* L. XIV. c. 10. ὠκι…ν δραμεῖν, παράγε τὴν πρώτην ὁρμὴν ὀξύτατον, *curſu …elerrimum, & primo impetu velociſſimum.* Un…e & Hebræis & Arabibus פֶּרֶא *pere* dici vo…unt à פָּרָא *currere*. 2. pulchritudine & proce…itate. *Oppianus:*

\- - - - - ὀλπὺν ὄναγρον,
Ὅς τε πέλει Φαιδρὸς δέμας, ἄρκιος, ἐυρὺς ἰδέσθαι,
Ἀργύρεος χροιὴν - - - -

- - - - - Procerum aſinum,
Quique eſt pulcher corpore, amplus, latus aſpectu,
Argenteus colore - - - -

…Nomen, quod vidimus, onagro eſt פֶּרֶא, quod …ibi affine non habet in hodiernis Linguis Orien…talibus, niſi, eliſâ initiali פ huc accerſas Ara…bum *æjr*, fœm. *æjret*. Plur. *æjar*, *ujuret*, *yja…rat*, & *mæ-jura*, quibus vocabulis aſinum tam domeſticum, quàm ferum indigitant. *Meninzk. Lex.* 3361. De forma non eadem omnibus mens, μονοκέρωτα pingit *Jonſton Hiſt. Quadr.* Tab. XII. ῥινοκέρωτα ſimul & δικέρωτα Tab. XI. ex *Aldrov.* Colore deſcribunt leucophæum *Leo Africanus*, & *Marmolius*, argenteum *Oppianus*, κίλιον vel κίλλιον *Pollux* L. VII. c. 13. ſed bicolorem *Oppianus:*

Ταινίη δὲ μέλαινα μέσην ῥάχιν αμφιβέβηκε,
Χιονέης ἑκάτερθε περιχομένη ϛεφάνῃσι.

Linea autem mediam dorſi ſpinam cingit,
Niueis utrimque diſtincta coronis.

Et *Philoſtorgius* L. III. c. 11. in Regionibus ad Orientem & Meridiem ſitis *Onagros* dicit eſſe *ſtatura proceriſſimos & pelle mirè varios, albo colore & nigro non leuiter interſtinctos. Quin & his inſunt Zonæ quædam, à ſpina dorſi ad latera & ventrem usque demiſſæ*, καὶ ἐνταῦθα ἐπιχιζόμεναι, καὶ κατά τινας περιφερείας ἀλλήλαις ἐνελιττόμεναι, θαυμαϛήν τινα, καὶ ξένην ἀπεργάζονται πλοκὴν καὶ ποικιλίαν, *& inde diuiſæ, & circa quosdam orbes inter ſe implicatæ, mirum quendam & inſolitum exhibent nexum & varietatem.* Ducit nos manu hæc, quam ſtudio dedi ex *Oppiano* & *Philoſtorgio*, deſcriptio ad Onagrum Africanum, *Zecora* dictum, pulcherrimam beſtiam, quam delineatam exhibet Fig. A. *Eſt Onager* hic, teſte accuratiſſimo *Kolbio Cap. Bon. Spei* p. 147. *magnitudine & forma Equi Hungarici, varicolor, pulcherrimè pictus, per dorſum namque decurrit linea nigra, inde à colli juba ad caudam; reliquum corpus faſciis interſtinguitur vel Zonis albi coloris & caſtanei, alternis, à ſummo dorſo incipientibus,*

tibus, & in ventre coeuntibus. In confinio horum colorum eſt flavus, ſed anguſtior, vix ½. digitum latus, Zonis ventralibus 2. digitos latis: ſed anguſtiores ſunt, quæ caput cingunt & crura, & aures, & ipſa juba, & cauda. Curſus eſt velociſſimi, & ſicubi domatur, quod rarò fit, in donarium pretioſum magnis Regibus & Principibus offertur. Lege quoque de hac beſtia, quæ nîl fere aſinini habet præter nomen, *Ludolf. Comm. ad Hiſt. Æthiop.* p. 150.

Sed tranſeo ab Onagro Bruto ad פֶּרֶא אָדָם *pere adam, Onagrum hominem*, quo titulo venit quoque *Iſmael* Gen. XVI. 12. LXX. habent: βροτὸς δὲ γεννητὸς γυναικὸς ἴσα ὄνῳ ἐρημίτῃ. Conformia rurſus ſunt, quæ habet Jobus XXIV. 5. *Onagri exeunt in ſolitudinem ad opus ſuum.* (*Alii quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum.*) Et Jeſaias XXXII. 14. de Hieroſolyma devaſtanda. *Palatia disjecta, & urbes frequentiſſimæ deſertæ erunt. Turres & propugnacula in ſpeluncas redigentur perpetuas, in Onagrorum luxum.* (*Domus dimiſſa eſt, multitudo urbis relicta eſt, tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas usque in æternum: gaudium onagrorum, paſcua gregum.*) De Nebucadnezare Daniel V. 21. *ferino ſenſu præditus inter Onagros verſatus eſt.* (*cor ejus cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio ejus.*) Eſt in allegorico ſenſu homo, vanus homo, נָבוּב *nabub*, vacuus, *inanis*, διάκενος, proprio ſenſu veluti perforatus, intellectus ſani & bonæ voluntatis expers, Tabulæ ad inſtar raſæ.

Quondam porticus attulit
Obſcuros nimium Senes,
Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Ut quondam celeri ſtylo
Mos eſt æquore paginæ,
Quæ nullas habeat notas,
Preſſas figere literas.

Boeth. Conſol. Philoſ. L. V. Homo ferus, in domitus, neque ſapientia neque conſcienti præditus, ad id usque gratioſum momentum quo fit καινὴ κτίσις, ex onagro homo. Hominis ſi conſideres conditionem mundum hun intrantis, miſeriam magis eam fateberis, quàm eſt illa Onagri, unde eſt, quòd Jus Natura præſcribat ſocietatem, absque qua ſubſiſter non poſſet. Audiamus veluti Commentari loco ad Zophari noſtri Apophthegma verba Ill *Puffendorffii Devoirs de l'homme* L. I. c. 3. §. 3 *Il y a une choſe, en quoi la condition naturelle d l'homme eſt inferieure a celle des betes, c'eſt qu'on ne voit gueres d'autre animal, qui ſe trouve ſ foible, que luy en venant au monde, de ſorte qu'un enfant deſtitué de tout ſecours d'autrui, ne pourroit ſans miracle parvenir a l'age de diſcretion. Aujourd'hui méme parmi tant de choſes, qu'on a inventées pour ſubvenir aux neceſſitez humaines, combien d'années, combien de ſoins & d'inſtructions ne faut il pas pour le mettre en etat d'aquerir par ſon induſtrie propre dequoi ſe vêtir, & s'entretenir? Figurons nous un homme devenu grand, ſans avoir eu aucune education, ni aucun commerce avec ſes ſemblables, abandonné tout ſeul dans quelque deſert, & par conſequent ſans autres connoiſſances, que celles, qu'il auroit aquiſes delui meſme, le miſerable animal qu'il y auroit là! muet & nud, reduit a brouter l'herbe, & a arracher quelques racines, ou a cueillir des fruits ſauvages; a boire de l'eau de la premiere fontaine, du premier ruiſſeau, ou du premier marais, qu'il trouveroit: a ſe retirer dans quelque caverne, pour être un peu a couvert des injures de l'air, & a ſe couvrir de mouſſe ou d'herbe; a paſſer ſon tems dans une oiſiveté ennuyeuſe, a trembler au moindre bruit, au premier aſpect d'un autre animal; a perir enfin ou de faim, ou de froid, ou par les dents de quelque bete feroce. Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 16. p. 870. 878.

RPJCB

IOB. Cap. XII. v. 7.
Interroga Aves.

Buch Hiob Cap. XII. v. 7.
Frage die Vögel.

C. Lichtensteger sculps.

TAB. DXVII.

Job. Cap. XII. verſ. 7.

ıterroga quæſo pecudes, & unaquæque docebit te: & volucrem cœli, qui referent tibi.

Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi.

I*Nterroga pecudes*, Quadrupeda, *volucres cœli*, piſces, omnesque alias creaturas ratione carentes, de DEI potentia, ſapientia, prouidentia, idem eſt ac τὰ ἀόρατα τȣ̃ ΘΕΟΥ τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα καθορᾶσθαι, τὴν τε ﾠδιον αὐτȣ̃ δύναμιν καὶ θειότητα. Rom. I. 20. Aperit obis portam Jobus ad Theologiæ Naturalis ıteriora, eam nempe de DEO notitiam, quæ on reuelatione addiſcitur, ſed operum nature, potius DEI contemplatione, & ad captum t omnium omnino, etiam ſimpliciſſimorum, ominum: qui modus exiſtentiam DEI demonrandi non eſt Jobo proprius, ſed aliis quoue Scriptoribus ſacris communis: ut neque ıgere ſatis, neque admirari queamus Antihriſti *Socini* craſſum errorem, quo exiſtentiam tque prouidentiam ſummi numinis ex natura robari poſſe negauit, compatibilesque voluit xiſtentiam mundi, & non exiſtentiam DEI: ixus, quia rationes deſunt, authoritate *Denocriti*, *Epicuri*, *Diagoræ Melii*, *Theodori Cyrenæi*, aliorum famoſorum Atheorum, quibus dſociari debet inſuper vel ſolo nomine pungens *Spinoza*: quibus omnibus retundendis ufficit vel ſolus Cameracenſis Archiepiſcopus *dans ſa demonſtration de l' exiſtence de DIEU pour l' Intelligence des plus ſimples.*

Interroga pecudes, inquit noſter Theologus, *& unaquæque docebit te.* Quo בְּהֵמוֹת *behemoth* vocabulo intelligi poſſunt *Quadrupeda*, ut τετράποδα habent LXX. ſed quoque omnia animantia bruta. Omnium quippe, ut hominis, corpora machinæ ſunt hydraulico-pneumaticæ infiniti artificii, quæ infinitæ virtutis artificem elata voce deprædicant, & totæ, & in ſingulis ſuis partibus. Sunt ſanè cor, oculus, auris, cerebrum, imò glandula quæuis, fibrillæ ſingulæ, totidem indefinitæ paruitatis mundi, miraculorum pleni. Jubet me Præceptor meus Jobus manere in generalibus, & ſpecialiores meditationes reſeruare in commodiores occaſiones. Eſt *oculus* diuini artificii camera obſcura, objecta externa in picturis animo repræſentans: par ratio eſt aliorum organorum ſenſoriorum, *auris*, *linguæ*, *narium*, *cutis* & *papillarum neruearum*. *Cor* hydracontiſterium, quo ſanguis ad extrema corporis vaſcula propellitur, omnem omnis finiti intellectus capacitatem ſuperans: *Pulmo* follis, quo inſpiramus, & exſpiramus, & hoc reſpirationis beneficio ſanguinem attenuamus, atque ſic ad circulationem aptum reddimus. *Ventriculus* officina culinaria, ubi ope fermenti acidiuſculi & fibrarum ipſarum motricium ingeſta omnis generis modo prorſus inimitabili, & inconceptibili, mutantur in lacteæ albedinis chylum, qui dehinc per lacteorum vaſorum viam cordi aduectus purpuram induit. *Muſculi* totidem vectes, quibus omnis perficitur motus, ita adaptati, ut vires motrices applicentur brachio breuiori, pondus verò mouendum longiori, appoſitè ad omnes Mechanicæ humanæ regulas. Conſiderate inſuper, quàm omnia bruta omnia habeant pro ſui conſeruatione & defenſione neceſſaria, *cochleæ*, *conchæ*, *cancri*, teſtas & cruſtas; Animantia alia *cornua*, *ungulas*, *dentes*, *ſpinas*: *Caſtor*, ut aggeres, & hypogæa miro artificio format; *Talpæ*, ut roſtro acuto terram ſuffodiunt: *Aues* ut Alis, *piſces* pinnis in fuga ſalutem inueniunt: Ex *conchis* nonnullæ ut aptis ad id organis arenam perterebrant, aliæ filis ſubtiliſſimis veluti anchoras figunt, aliæ viſcoſitate mediante ſeſe vel ſaxis, vel corporibus aliis obuiis affigunt. Quanto ſtudio, quàm mira induſtriâ alimenta quærunt animalia, etiam in prima & tenerrima ætate? Qui naturæ, ut vocari ſolet, inſtinctus optimo jure reducitur hodie ad unicam DEI omnipotentiam. Infinitatem ſupremi entis ſi animo perpendas, habes quod mireris, & certo ſenſu haud mireris *agnum* indiuulſum matris lactantis comitem: *ouem* ex terrore ante profugam, quàm lupus adeſt: *Canes venaticos* veſtigiis prædæ inſiſtentes, vel, ſi exciderint illis, diſcurrentes hac illac, ut inueniant denuò: Animantium omnium mirum pericula vitæ effugiendi ſtudium: ipſorum hominum mechanicos ſæpe & miros motus, quibus ſeſe ex ancipiti diſcrimine liberent. Tribui debent hæc omnia Sapientiæ Creatoris, non rationi cuidam, quæ ipſi inhæreat creaturæ. Hanc ſi inferre velis ex mirandis brutorum actionibus, argumento uteris probante nimiùm, rationem probante noſtrâ hominum longè præſtantiorem, quandoquidem nunquam errant vel rariſſimè in judicio, & ad exquiſitas Arithmeticæ & Geome-

triæ regulas actiones componunt, nobis inimitabiles prorſus: imo rationem infinitam, prono ad ἀποθέωσιν brutorum cum Ægyptiis prolapſu. Judica, annon conuenientius longè ſit rationi, adſcribere hæc omnia rationi infinitæ, quæ DEI eſt. Qualenam laturus fores, quæſo, judicium de Automato, quod non ſolùm indicaret horas atque minuta temporis, Planetarum omnium & Fixarum motum, ſed inſuper miris ſe torqueret motibus contra deſtructoris attentata? Quid, ut ad nutritionem brutorum redeam, de horologiopœo, qui conficeret machinam nulla attritione delebilem, vel attritu aliisue modis conſumta ſponte reſarcientem? Sunt autem hujusmodi automata corpora hominum atque brutorum. Conſumuntur hæc in momenta, & perirent breui, ni per alimenta reſtitueretur ablatum. Conſidera *equi cutim*, ut non uni Ephippio ferendo par eſt: *Infantem*, qui multas conſumit veſtes, cute interim non nutritâ ſolùm ſed auctâ. Agnoſces facile opus non naturæ, non bruti, non hominis, ſed DEI. Miram attende μεταμόρφωσιν, qua cibi varii & potus conuertuntur in corpora viuentia, in oſſa, carnem, venas, ſanguinem; alimentum, cujuscunque ſit vel coloris, vel formæ, mutatum in infiniti artificii machinam. Fœnum, auenam, pabulum, aquam, aerem mutari vides in *equum*, & hunc redire in aquam, aerem, terram, putrilaginem. Miracula noua, numero innumera, ſuppeditat *generatio*. Non eſt animalculi cujusque productio vera generatio, ſed reuera creatio, diuinæ potentiæ opus, referendum ad prima illa mundi nati tempora, quibus DEUS formauit animalia ex aqua & terra, hominem ex luto. A veritatis meta aberrant longiſſimè, qui animalium formationem & generationem *putredini* adſcribunt, Scholaſtici. Formaueris citius & facilius ex micula limaturæ ferri inſtructiſſimum omnibus partibus horologium, quàm inſectum ex putredine. Sed quoque ſummam meretur attentionem propagandi modus, ut per gradus deſcendit à nobiliſſima creatura, homine, ad animalcula minima & ipſas plantas. Scalam ſcandes, in qua per gradus offendes creaturas nobiliores, ſed perfectas ex omni parte omnes, ſapientiſſimæ potentiæ opera. Seminis virilis animalcula, ſi modernorum quorundam adoptes ſyſtema, maturata in ouulis, adducta utero in fœtum dant humanum, qui poſt nouimeſtrem incarcerationem liberatus, omnem poſcit matris per aliquot annorum decurſum curam, ſi conſeruari velit. Manent & per menſes *Quadrupeda* utero matris clauſa, ſed haud longè à partu alimoniam quærunt, atque inueniunt absque ſubſidio parentum. *Aues* fœtus ſuos perficiunt extra ſe, ſed ouis per aliquod tempus incubare neceſſe habent, quibus excluſi pulli mox victum quærunt. Deſcendunt eò usque fere negligentiæ *piſces*, ut oua duntaxat deponant, & aquæ excludenda linquant. Viuipara ſunt *inſecta* nonnulla, & per aliquod tempus nutriunt ſuos partus, ſed major illorum pars, quæ ſunt ouipara, ouula ſua in commoda deponunt loca, ab injuriis externis ſecura: Ex iis inprimis, quæ volatilia ſunt, coit mas cum fœmella. Sed dantur quoque alia in inferiori gradu, quæ quidem conjunguntur, verum non mas & fœmina, ſed duo mares ſiue Hermaphroditæ. *Dactyli marini*, & innumera animalcula marina nulla indigent diuerſi ſexus copula, ſed ouula ſua matura fluctibus aquæ exponunt. Medium quodammodo genus inter animalia & vegetabilia conſtituunt, & vel ſolo nomine naturam ſuam produnt, *Zoophyta*, quæ ſenſum non exhibent motu, niſi tacta. Infimum tandem viuentium creaturarum gradum conſtituunt *plantæ*, utpote quæ neque ſentiunt, neque ſeſe mouent, ſed quidem per proprium ſemen ſeſe multiplicant, & conſiderari haud incommodè poſſunt ut viuiparæ ſimul & ouiparæ, ut oua dici queant ſemina, pulli, ſit venia verbo, gemmæ, quibus actu ipſo inſunt folia, flores, fructus, rami. Pergimus, ad imos ſcalæ gradus nunc conſtituti, ad alias circa propagationem meditationes, ut proluceat magis DEI exiſtentia. Pereunt hominum & animalium indiuidua certum vel ſummum ætatis ſuæ gradum adepta, ſed perennant genera, & ita quidem, ut quoduis ſeſe multiplicet pro neceſſitate, vel uſu communi. Leones, Tigrides, Urſi, aliæque rapaces carniuoræ beſtiæ, ſi majori ſeſe propagarent numero, quàm reuera fit, interiiſſent dudum non ſolùm ſpecies, ſed ipſa prope genera ceruorum, caprarum, ouium, boum, imo immanibus feris cedere tandem deberent homines locum, vel bella gerere continua. Hoſce propagationis limites ordinauit, qui omnia condidit certo numero, pondere & menſura. Hanc miram adeò & ordinatiſſimam propagationem quotidie cernimus, & tamen, quæ ſtupenda eſt cœcitas noſtra, neque perpendimus opus hocce omnibus naturæ viribus majus, neque, ut quidem id meretur, admiramur. Vileſcunt hæc opera, non naturæ, ſed DEI, præ quotidiana copia, & inattenti nos prolabimur vel in Authoris ſummi contemptum, vel ipſarum creaturarum ἀποθέωσιν. Nonne ad cœlum usque ſummis eueheretur elogiis horologiopœus ille vel ſartor, qui horologium conficeret, veſtem, aliudue automaton ſui per ſecula innumera multiplicatiuum. Hujusmodi autem automata æuiterna ſimul & mortalia ſunt animalia omnia, eaque non unius generis, ſed infinitè variantia. Quis proin eſt, qui non apertis oculis cernit ſapientiſſimum ſimul & potentiſſimum, ſed & ſummis encomiis digniſſimum Creatorem, &, quem cernit, adorat deuotus? Prodeant in Theatrum acutiſſimi quique Scholaſtici, oſtentent naturam, inſtinctum, omnem de viribus plaſticis, facultatibus generatricibus apparatum, intendant ingeniorum vires, pro-

piores ſemper accedent moriæ quàm Phi-
ophiæ, ſi extra DEUM alium quærant ar-
:em. Cœcitatis & ἀναισθησίας ſummæ chara-
: eſt, in rebus, quæ abſque ſumma ratio-
fieri nequeunt, ad vana confugere idola,
caſum quemuis potius, quàm ad viuum, infi-
: potentem ac ſapientem DEUM, quem &,
t per tranſennam, perſpexere Ethnici ex
ıſideratione actionum, quas bruta perficiunt.
uebant ſanè opiniones tolerabiles ſatis, ſi
odeſtum inuenerint judicem, & Philoſophiæ
odernæ peritum, non ambitioſum Ariſtote-
n, qui nihil reliquit intentatum, quò optimi
æceptoris Platonis dogmata atro notaret la-
lo. Et rem faceret veritati ſacram, qui ſa-
ores illos vetuſtos Philoſophos ex Hæretico-
n Catalogo expungeret, atque ab Atheiſmi
picione liberaret. Quis, ſodes, crediderit,
lidam adeò fuiſſe ſapienti *Platoni* ſimplicita-
n, ut mundum habuerit pro vero & pro-
è ſic dicto animali? alii ex Veteribus bruto-
n animas pro Eſſentiæ Diuinæ ἀποσπασματίοις,
l partibus? Nonne cruda hæc primo intuitu
raſis tolerari & in paralleliſmo locari poſſet
m diuinæ particula auræ, & utraque certo &
ıo ſenſu excuſari? Nonne dici poſſet, eos credi-
ſſe olim ens aliquod per totum mundum diffu-
m, omnia operans in omnibus, quod & bruta
actiones ſuas obeundas animet? Haud interim
go, fuiſſe, qui craſſos de hujuſmodi rebus for-
arint conceptus, ut ſunt adhuc, & inter Chri-
anos quidem, Philoſophi, qui fouent abſur-
os, imo monſtroſos. Pendet & accuſationis
excuſationis momentum ab explicatione ac
enuino & diſtincto ſenſu vocum vel phraſium.
t quàm vellem, ut audire poſſemus *Virgi-
um*, explicantem verſus illos, quos de mira
pum actione & Republica ſcripſit! *Georg.* IV.

*Eſſe Apibus partem Diuinæ mentis, & hau-
ſtus*
*Ætherios, dixere: Deum namque ire per o-
mnes*
*Terraſque, tractuſque maris, cœlumque pro-
fundum.*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne
ferarum,*
*Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vi-
tas.*

Quodſi per *partem diuinæ mentis & ætherios
hauſtus* is intelligeret inuiſibile ens diuinum, quod non quidem brutorum conſtituat partem eſſentialem, ſed operetur omnia in mundo, non haberem, quod contradicerem: ſi reuera & ad literam animulas illas brutorum agnoſceret pro particulis veluti ex diuina ſubſtantia refectis, poſt animalium mortem in cœlum euolantibus, & inde occaſione alia in alia corpora redeuntibus, ad ſaniorem mentem rediret prius Romuleus vates, quàm inſcribi ſe pateretur Atheorum & Metempſychiſtarum Catalogo, & in gratiam veritatis, meliora edoctus, retractaret potius, quæ de brutorum animabus ſcripſit porrò:

Scilicet huc reddi deinde, ac reſoluta referri
*Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viua vo-
lare*
*Sideris in numerum, atque alto ſuccedere
cœlo.*

Redit eò omnis error, quod infinitum machinarum & actionum artificium brutis ipſis, horumque animabus ratione præditis adſcripſerint, non verò uni & ſoli DEO inuiſibili, immateriali, conditori & motori. Sed quid, obſecro, judicabunt, pro Gloria DEI militaturi in futuris ſeculis Philoſophi pii, de modernorum conceptibus & ſcriptis, ubi frequentior fit naturæ, Archæi, vis plaſticæ, mentio, quam DEI? qui brutis malunt aſſignare animam quandam rationalem, vel quaſi, eſſentia diſtinctam à corpore, potius, quàm omnem actionum adeò regularium & mathematicarum gloriam tribuere DEO?

Jobo comite euolo ad *aues*, & his Præceptoribus ad DEUM. *Interroga*, inquit ille, *volucrem cœli, & referet tibi*, nempe ſtupenda. Eſt horum animalium ſtructura neceſſitati præciſè accommoda: Corpus integrum aeri ſcindendo aptum, & id quidem velocitate incredibili: quadrant huic actioni alæ & pennæ, (quæ ſimul ſunt veſtitrices,) oſſa item omnia leuia, tenuia, in ſubtiles tubulos veluti tornata. Eſt ibi præciſè in æquilibrio auis, ubi alæ affixæ: Hæ ſi eſſent poſteriores ſitu, vel anteriores, neque ſtare poſſet auis, neque volare. Sunt vel pennæ ſolæ, tum tegetes, tum veſtitrices, infinitæ ſapientiæ opus. Cauitas, quæ calamo ineſt, penuarii loco eſt pullis, repleta quippe lymphâ ſanguineque nutritio, alimentum ſuppeditant omnibus pennæ partibus, ad quas diſtribuitur per infundibula una aliis inſerta depuratus ſuccus: hinc non mirum, accipitris junioris pennam ſexies eſſe ſex pennis adultæ magnitudinis grauiorem. Quò adultior fit & fortior auis, eò redduntur pennæ leuiores, diminuitur ſuccus contentus, ſiccantur infundibula membranacea, & aptior ſic redditur animal ipſum volatui. Notandum porrò, obtegi & occultari tenellas auium pennas canali cylindrico cartilagineæ ſubſtantiæ, imo humori eſſe veluti immerſas, ne exiccentur plumoſæ teneræque fibrillæ aëri expoſitæ, prodire in dias aëris auras proue ctiores, ſolidiores, abſcedente tandem & delabente vaginâ illa cartilaginoſâ. Conſidera unam poſt aliam ſingulas partes, occurrent ubique infinitæ ſapientiæ veſtigia. Dentium loco, qui auibus deſunt, adeſt *roſtrum*, quo cibum capiunt, deglutiunt, ſeſe contra aliorum animalium inſultus defendunt, nidos formant, pullos alunt, pennas in ordinem redigunt, & veluti pectinant, ſubin-

de &, quod *pſittaco* accidit & *loxiæ*, ſcandunt; Loxias in ſpecie roſtri tanquam vectis beneficio conorum abiegnorum ſquamas ab inuicem diducit & eleuat, nucleos protracturus. Eſt *caput* omnibus auibus, ſi nocturnas excipias, pro ratione reliqui corporis paruum, ut tantò promptius ſcindi queat aër, & volatus facilitari. Acri viſu pollent, quia oculis cibum, & minimas quoque muſcas quærunt, omnes aues, oculosque habent circulis oſſeis probè munitos, membranâ inſuper nictatoria præditos. Alticruris longum eſt collum; ita cibos facilè legunt in ſicco & aquis: ſed quoque dantur breuicruræ longo præditæ collo, ut *cygni*, aliæue aquaticæ. Sunt omnes aues bipedes, & pedum ungues quibusdam flexiles, arripiendæ prædæ & ſtringendis arborum ramis, quibus inſident, aptos: Pedes *ciconiæ* aliisue auibus alti, pennis ſupra genua nudi, ut uliginoſa loca ingredi poſſint absque macula: pleræque etiam hujus generis articulos habent latos, mediante membrana connexos, ne immergantur nimis, comparandi populis illis ſeptentrionalibus, Heluetiis quoque monticolis, qui pedibus alligant ligneum orbem, ut tantò minus ſit ſubmerſionis in niue periculum: Pedes aliis breues, & articulationes per membranas connexæ, *anatibus* nempe, aliisue aquaticis, ut natare poſſint tantò promptius. Peculiari attentione dignæ ſunt *Gallinæ montanæ*, quarum pedes à frigore defendit plumoſa lanugo, ad ungues ipſas protenſa. Aues omnes arboribus inſidentes ſunt tetradactylæ, digito poſtico inſtructæ. Paucæ ſunt aues *caudâ* deſtitutæ, eſt enim hæc illis gubernaculi loco, dirigens volatum ſurſum vel deorſum, dextrorſum vel ſiniſtrorſum, unde Plinius vult homines artem tenendi gubernaculum didiciſſe ab auibus: Hinc eſt, quod breuis caudæ aues defectum hunc longis pedibus ad poſtica extenſis compenſent, aliis μακροσκέροις pedes attrahentibus, vel in inactione linquentibus, durante volatu. Inſeruit præterea *cauda* auibus ad ſeruandum æquilibrium. Poſcit volatus vires ingentes, quas ſubminiſtrant *muſculi pectorales*, fortes in omnibus auibus, quum è contra in homine majus robur ſit in muſculis crurum, quibus applicandæ potius forent machinæ volandi arti accommodæ, quàm brachiis. Non liberè in cauo thoracis ſuſpenſi natant *pulmones*, ſed pleuræ ſunt affixi, & perforati, ut continuus ad cauum totius corporis concedatur aëri tranſitus, & ſic facilitetur volatus. Spectabilis ſingulari artificio eſt *ventriculi* ſtructura. Maſticant homines & alia animantia cibos in ore mediante ſaliua, aues emolliunt, & ad ulteriorem coctionem præparant in *ingluuie*, quæ & multis auibus inſeruit penuarii loco ad recondendos cibos. Sed quia pleræque aues ſunt *graniuoræ*, grana abligurientes dura, ſicca, ventriculus ipſe fortiſſimis inſtructus eſt muſculis, ut veluti inter duos lapides molares conterantur cibi, cui actioni inſuper velifican- tur lapilli, ſiliculi, arenæ, quas in hunc finem deglutiunt volucres. Alia namque ratio e- *carniuorarum*, rapacium: habent hæ membra- noſum ventriculum. Sunt omnes aues ouipa- ræ, *oua* eis connata, unde fiunt, ouario ex- hauſto, ſteriles. Omne *ouum* conſtat ex cor- tice, qui induratur in ipſo corpore matris, præ- terea quatuor membranis, albumine duplici & vitello. Dat albumen pullo cibum, liquo- ris amnii æmulum, vitellum prouectiori lac- Carent enim aues & mammis & lacte. Rudi- menta auis adſunt in *cicatricula*, quæ conſpi- citur in puriori & diaphana magis albuminis parte. Deponuntur equidem aliquando à fœ- mellis oua ſubuentanea, ὑπηνέμια, κἐρινὰ, ζεφυρινὰ ſterilia, quia Galli ſemine haud fœcundata Tanta interim eſt Galli prolificans vis, ut unico coitu Gallinam fœcundare valeat pro integro anno. Silentio prætereunda haud eſt ars, qua aues conſtruunt *Nidos*, in variis varians, in ejusdem generis auibus eadem ſemper. *Lubet hîc mirari*, cum Reformatore Medicinæ *Haruæo, quanta ſedulitate ac patientiâ aues fœminæ fere omnes dies noctesque totas nidis ſuis inſideant, ſeſeque macerent, ac præ fame propemodùm enecent; quantisque periculis ſe exponant, ut oua tueantur, quæ ſi aliquando coactæ tantillum reliquerint, hem! quanto ardore ac feſtinatione eadem repetunt ac operiunt? Anates & anſeres interea, dum pauliſper abſuerint, oua ſtramine tegunt & occultant. Qua verò magnanimitate imbelles ſæpe matres oua ſua protegunt, quæ tamen fortaſſis ſubuentanea aut urina fuerint, aut etiam non ſua; imò verò artificialia interdum oua pari animi fortitudine defendunt. Stupendus profectò auium amor erga ouum iners & vita priuatum, quod tantæ ſolicitudini nihil commodi aut voluptatis retribuat. Quis non admiretur affectum illum aut furorem potius glocientis Gallinæ, qui extingui nequit, niſi aquâ frigidâ obruatur? Durante hoc animi impetu cuncta negligit, & ceu furibunda alas demittit, dum hiſpidæ ſurriguntur plumæ, inquieta & querula obambulat; alias Gallinas nido deturbat; oua paſſim quærit, quibus incubet, nec quieſcit, donec aut illa nacta fuerit, aut pullos, quos deducat, quos ſanè miro zelo & ardore conuocat, fouet, paſcit ac tuetur. Quàm lepide riſum mouet Gallina, dum ſuppoſititios anatis pullos, (quos pro ſuis excluſit,) in aqua natantes ſequitur, locumque ſæpe ambiens cum periculo vadum tentat, inuocat, mirisque artibus ad ſe pellicere ſatagit.* Hæc omnia, quæ de auium ſtructura & actionibus in genere ſaltem delibauimus, qui attentè conſiderat, DEO ſoli tanquam Authori tribuet omnia, non auibus ipſis, non idolo naturæ. DEUS eſt, qui chordas tenues tanta arte articulationibus alligat, ut præciſæ ſint & juſtæ longitudinis, & auis ſeſe verſus pedes vel relaxans vel contrahens ſtando ſecurè dormiat. DEUS, qui forcipibus & unguibus digitos armat, ut ramulum, cui inſideant, firmiter amplecti

ꝫcti queant. DEUS, qui aues docet retra-
one capitis & colli centrum grauitatis mu-
re, ita, ut directionis linea perpendiculariter
dat in ramulum ipſum, vel ſuppedaneum
ıoduis. Ipſe tanta arte artubus affigit mu-
ulos, ut facillimus reddatur per aera volatus.
ſe inſtruit auem, ut alis utatur pro remis,
uda pro gubernaculo, ut vel volare poſſit
uaquauerſum, vel in aeris elemento natare
ımota. Ipſe dat dorſo auium cunei formam,
ui aera ſecet. Ipſe centrum grauitatis in aue
romouet, ut protendendo collum facile ſequa-
ır corpus. DEUS tantis viribus alas armat,
uæ 12000.es ſuperant auis ipſius pondus.
Nunquid, o Jobe, inquit DEUS XXXIX. 29. 30.
*d tuum imperium aquila volat in altum, & in
blimi loco nidulatur? Nunquid per tuam intelli-
ntiam factum eſt, ut accipiter alas ſuas moueat,
: verſus auſtrum pennas ſuas expandat. (Nun-
uid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in
·duis ponet nidum ſuum? Nunquid per ſapien-
am tuam plumeſcit accipiter, expandens alas
as ad auſtrum?*)

Ex multis, quæ ſtructuram auium attinent,
elibabo, ſiue depingam potius, pauca.

Fig. 1. Pennam ſiſtit alæ majorem ex aue
ıniori, totam fere incluſam tubo longo carti-
ıgineo a b. pro barbularum plumoſarum,
uamdiu tenellæ ſunt, defenſione.

Fig. 2. Eadem eſt penna, cujus tubus in
ongum fuit apertus, ut in conſpectum veniat
arnoſum & cauernoſum corpus c d. innume-
is & minutiſſimis vaſis ſanguiferis per imum
orificium d. ſubintrantibus reſperſum: in cu-
us corporis cauernulis deponitur lympha nu-
ritia, per totam pennam diſtribuenda.

Fig. 3. Hoc ipſum corpus carnoſum tubo
ſuo exemptum.

Fig. 4. Cauernoſa corpora ex infundibulis,
quorum una aliis ſunt inſerta, compoſita.

Fig. 5. Tria hujusmodi infundibula magis
explicata, ut diſtinctius conſpici queat mem-
branoſarum cauernarum ſtructura: ubi notan-
dum canaliculum e. affigi loco c. Fig. 2. ut ali-
mentum lymphaticum commodè diſtribui que-
at per medullam & ad barbulas lanuginoſas
pennæ.

Fig. 6. Sacculi ſunt ipſi, qui maximam con-
ſtituunt partem Fig. 4. lymphâ repleri ſoliti.

Hæc hactenus ex *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1699.
p. 51. Edit. Belg. obſeruatore *Pouparto*.

Fig. 7. Auem exhibet ramo ſecurè inſiden-
tem & dormientem, quia contracto & ad cru-
ra demiſſo corpore chorda muſculoſa H I K E F.
breuior reddita digitorum articulationes ita
contrahit, ut ramum arctè amplectantur. Cui
accedit, quod retracto capite directionis linea
cadit in ipſum ramum, & mediam plantam pe-
dis.

Fig. 8. Auem exhibet ſeſe in altum vibran-
tem. Hæc ſi verberet aerem mediantibus alis,
& vecte A Q. & eadem quidem ab E. verſus P.
velocitate, qua aer cedens reſiſtit, manet auis
ipſa A B C G. in eodem loco, & nec ſurſum vo-
lat, nec deorſum. Si major adeſt in alæ vi-
bratione velocitas, quàm in ceſſione aeris re-
ſiſtentis, eleuatur auis in altum. Ubi notan-
dum, quadruplas requiri vires pro ſaltu in aere
fluido, reſpectu fundi ſolidi. Et quia pro ſal-
tu ex terra ſolida vis requiritur 3000.es major
pondere mouendo ſequitur 10000.es vel
12000.es majores requiri vires pro aue ſuble-
uanda, ſi ſit in aere libero.

Fig. 9. Volatura auis ab S. verſus R. binis
ſuis alis dat cunei formam, cujus acuminata
pars eſt O A F. baſis E B C. Hæc auis ſi vel ven-
tum perpendiculariter ſurſum motum excipiat,
vel alis ſuis aerem verberet, acquirent alæ ab
aere reſiſtente dictam cunei formam, & pro-
mouebitur ipſa auis ad anteriora verſus R.

Fig. 10. Oſtendit, quomodo cauda auis in-
ſeruiat ad flectendum curſum volantis ſurſum
& deorſum. Sit auis A B. centrum grauitatis
C. Motus fiat à G. verſus F. in medio aeris
quieſcentis. Inflectatur cauda B H. ſurſum, in
hoc ſitu B H. impinget in aerem quieſcentem,
& machina volans circa centrum grauitatis æ-
quilibrata acquiret poſitionem L K. transferen-
do ſurſum caput ab A. ad L. E contra depreſ-
ſa cauda in B I. eleuabitur ea à B. verſus N. &
caput A. deprimetur ad O. ſicque in priori ca-
ſu volat auis ſurſum, in poſteriori deorſum.

Fig. 11. Aue mota à D. verſus A. & pro-
moto ſic puncto grauitatis D. verſus E. collum
ſi ſeſe flectat ad latus, punctum G. vergit ad H,
ſicque fit volatus ad latus.

Omnem hanc de auium ſtructura & vola-
tu materiam latius diducit *Joh. Alph. Borellus
de Motu Animalium* c. 22. p. 215 - 246.
Schmidt de Muſculis
pag. 40.

TAB. DXVIII.

Job. Cap. XII. verſ. 8.

Vel inſtitue colloquium cum terra, & docebit te, piſces etiam maris narrabunt tibi.

Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris.

Circa primum Verſiculi hujus Lemma non concordant Verſiones noſtræ: Latina habet שׂוּחַ *ſuach*, *inſtitue colloquium*, loquere *cum terra*: Vernacula שִׂיחַ *ſiach*, *ſtirps*, *frutex*, *frage das Stäudlein der Erden.* Pro Latina ſtant LXX. ἐκδιήγησαι γῇ, *enarra terræ.* Sed differentia nulla, ſi reſpiciam ſcopum, quem mihi propoſui. Et *terra* integra, & *plantæ* terrigenæ demonſtrant DEI exiſtentiam, addo & *piſces*; Ibo, præeunte Jobo, per partes.

I. Conſiderari poteſt *terra* tanquam elementum, benigna vegetabilium, animalium, hominum mater, habitaculum, ſed quoque ut Planeta in Vortice Solis natans. Omniuario hoc reſpectu eſt terra Opus inſigne Diuinæ Potentiæ, Sapientiæ ac Bonitatis, ut jure gloriari poſſit DEUS per viros θεοπνεύςες, ſe *terram creaſſe.* Gen. I. 1. Audi Jobum XXXVIII. 4. 5. 6. *Ubi eras, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ. Quis adhibuit ei menſuras? Si modò noſti. Quis eam ad regulam extruxit? In quo fundamento fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem ejus angularem?* (*Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? Vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? Aut quis demiſit lapidem angularem ejus?*) Regium Vatem Pſ. CIV. 5. *Terram fundauit ſuis baſibus, ut ſempiternis temporibus non moueatur.* (*Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.*) Jeſaiam XL. 12. *Quis menſus eſt volâ ſuâ aquas, & cœlos palmo quis æſtimauit? quis comprehendit tribus digitis puluerem terræ, & appendit montes in ſtatera, & colles in bilance?* (*Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?*) Jure hujus Creationis debetur Potentiæ Diuinæ gloria conſeruationis, Sapientiæ gloria regiminis. *DOMINUS DEUS magnus eſt, & Rex magnus præ omnibus Diis. In cujus manu ſunt abſtruſiſſima terræ, & ejus ſunt montium cacumina. Cujus eſt mare, nam fecit illud, & continentem manus ejus finxerunt.* (*Quoniam DEUS magnus DOMINUS, & Rex magnus ſuper omnes Deos. Quia in manu ejus ſunt fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus ejus formauerunt.*) Pſal. XCV. 3. 4. 5. Et conſidera, ſodes, quàm terrifico modo omnipotens hic cœli terræque Monarcha ſummum, quod in globum terraqua-aereum habet, jus exercuerit in diluuio, *perdendo homines cum terra*, Gen. VI. 13. ſed & manifeſtauerit immenſam bonitatem, promittendo nouæ terræ incolis, quod *non futurum ſit amplius diluuium ad diſſipandum terram*, Gen. IX. 11.

Terram hanc *finxit*, *fecit*, *parauit*, *creauit* DEUS, *non ut vaſta eſſet*, *ſed ut inhabitaretur.* Jeſ. XLV. 18. Habitaculum hocce noſtrum adeò vario, multo, artificioſo ſupellectili inſtruxit, ut creaturæ nos rationales, & feudatarii immenſas DOMINI & Creatoris noſtri diuitias ubique conſpicere poſſimus, & Gloriam ejus plenis deprædicare buccis. In quemnam, putas, alium finem *protulit terra germen, herbam ſeminificantem ſemen, & lignum ferens fructum, quod ſemen habeat in ſemetipſo*, quoduis *juxta ſpeciem ſuam?* (*germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.*) Gen. I. 11. In quem finem *poſuit* DEUS *viam in deſerto, & flumina in ſolitudine?* (*poſuit DEUS in deſerto viam, & in inuio flumina.*) Jeſ. XLIII. 19. Cur *terra repleta eſt bonitate?* (*miſericordia DOMINI plena eſt terra.*) Pſ. XXXIII. 5. Et quis enumerandis omnibus, quæ DEUS terricolis nobis pro immenſa ſua liberalitate conceſſit, mineralibus, vegetabilibus, animalibus, par eſt? *Quanta ſunt opera tua, DOMINE, quæ uniuerſa feciſti per ſapientiam! Eſtque terra plena tuis poſſeſſionibus.* (*Quam magnificata ſunt opera tua, DOMINE! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.*) Pſal. CIV. 24. Sed ardentibus lachrymis deplorari ſatis nequit noſter creaturarum rationalium & nobiliſſimarum ſtupor, qui officio noſtro adeò deſumus negligentes, defungimur non ut feudatarii, ſed tanquam feudi Domini, vel rarò cogitantes, vel nunquam de infinitæ potentiæ ac bonitatis proprietario, non de ratione aliquando reddenda, dilapidantes bona, quorum moderatus uſus nobis

IOB. Cap. XII. v. 8.
Interroga piſces.

Buch Hiob Cap. XII. v. 8.
Frage die Fiſche.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

bis eſt injunctus. Quàm confuſi ſtabunt ›rtalium plerique, DOMINO vineæ ratio- m poſtulaturo de vinitoribus ſuis? In omni ræ, imo uniuerſi, angulo erectum ſtat diui- rum perfectionum ſpeculum, quod tamen o dignamur aſpectu, talpis cœciores. At- nen ita DEI præualet immenſa bonitas, ut undantiſſimè frui poſſimus bonis terræ, & momenta: ita, ut informari nos velit ab ſis Præceptoribus mutis, attamen eloquen- ſimis, ratione carentibus. *Inſtitue*, inquit bus, *colloquium cum terra, & docebit te. Cœ- ſi enarrant gloriam DEI, & extenſio opus ma- ium ejus annuntiat:* Si *dies diei ſuccedens elo- uitur ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam: Loquere terræ, & reſpondebit tibi. Cœli enar- int gloriam DEI, & opera manuum ejus annun- at firmamentum. Dies diei eructat verbum: & ox nocti indicat ſcientiam.* Pſ. XIX. 2. 3. Si OMINUM *laudant terreſtres, dracones, & nnes abyſſi: Ignis & grando, nix & exhalatio, entus procelloſus, qui verbum ejus proſequitur: Montes & omnes colles, arbor fructifera, & nnes cedri, beſtia & omne pecus, reptile, & uis pennata. (Laudate DOMINUM de ter- a, dracones & omnes abyſſi: Ignis, grando, nix, lacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ius: Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri: Beſtia, & uniuerſa pecora, ſer- entes & volucres pennatæ.)* Pſal. CXLVIII. - 10. Qualisnam, quæſo, & quantus foret oſter hominum ſtupor, ſi ora quidem gerere- nus, ſed muta, tot beneficiorum acceptorum mmemores?

Ex terræ externa forma, diſpoſitione ac conſtitutione conſtat iterum euidentiſſimè, bo- na eſſe, imo optima, quæ DEUS fecit. Pone, eſſe externam terræ faciem, vel, ſi mauis, to- tam terram maſſam auri puri, vel duriſſimum & nitidiſſimum adamantem, vel cryſtallinæ pelluciditatis aquam, ubi, quæſo, forent plantæ? animalia ubi? unde haberet, quo viueret, homo? Imo duriorem pone exteriorem hanc terræ cruſtam, quàm nunc eſt, quî eam ſcinderet, ſulcaret, agricola? pone molliorem, nonne in uligine ſubmergerentur viuentia omnia? in utroque caſu undenam viueret homo? Nunc verò flocci pendimus, ingratis proculcantes pedibus benignam hanc, quæ nos nutrit, matrem, ingratiores Ethnicis, qui pro Dea coluere eam, *Atargatis, Derceto, Aſtartes, Deæ Syriæ, Iſidis, Magnæ Matris, Cybeles, Rheæ* nominibus, in hoc duntaxat errantes, quod gloriam ex tot beneficiis omnem creaturæ tribuerint, non Creatori. Occurrunt benè multa in terra, & ſupra eam, quæ naturæ vires longè ſuperant, & miraculis accenſeri merentur. Dic, ſodes, annon omnem omnium intellectum ſuperet productio innumerarum, infinitè variantis formæ, coloris, pulchritudinis, plantarum, florum, fructuum, animalium, ex rudi, nigra maſſa terræ, ex pulueris ἀμόρφȣ aceruo? Hanc ſuam pulcherrimam veſtem mutat in dies, annos, menſes, hebdomadas, liberalitatem erga nos ſuam in momenta renouans. Nonne ſummâ id dignum admiratione, quòd arbor nuda quotannis protrudat gemmas, ramos, folia, flores, fructus? quod nec deficiant, nec deſinant bonæ matris diuitiæ, quod eo plus habeat, quò dat plus? quod per decurſum tot mille annorum non fuerit exhauſta? viſcera theſauris ſemper repleta? quod omni vere rejuuenaſcat terra? Omne, quod à nobis poſtulat, & optimo jure poſtulat, optimus conditor, gratitudinis nomine venit.

Videtur equidem primo intuitu exterior terræ facies rudis, & inordinata moles. Qui ex præalti montis culmine aſpicit juga inferiora, ruinas videt ædificii collapſi, horrida ſine ordine ſaxa. Sed conſidera attentè interiores ſtructuræ receſſus, aperi oculos & paſce, videbis hortos in paſcuis alpinis pulcherrimis floribus naturâ conſitos, animantium ferorum atque domeſticorum integros greges, aquarum præſtantiſſimarum venas perennes, puriſſimas, pellucidas, & lacteæ ſubinde albedinis fontes, riuos, flumina, quæ ab exortu primo ad oſtia usque innumeras, quas perluunt, valles atque Prouincias benè multas alluunt, irrigant, fœcundant, nec ante mari aquas ſuas tradunt, quàm multis hominum millibus ſuos participarint theſauros. Unde & ὡς ἐν παρόδῳ patet inſignis, quem ab eleuatioribus terræ partibus, ſiue montibus, trahunt terricolæ, uſus, imo neceſſitas: qui & ventorum rumpunt impetus, ineuitabiles futuros & noxios in terræ conſtitutione plana. Sunt proin montes ditiſſima hydrophylacia, utpote à quibus oriuntur non ſolùm innumeri fontes, riui, amnes, ſed & maximâ copiâ ſurgunt nubes. Ita Optimus Maximusque DEUS nobis Heluetiis ſpeciatim conceſſit, ut olim populo ſuo Iſraelitico, *terram bonam, terram, in qua ſunt torrentes aquarum, fontes & abyſſi erumpentes ex vallibus & montibus. (Terram bonam, terram riuorum aquarumque, & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi.)* Deut. VIII. 7. *Fontes, qui fiunt torrentes, ut inter montes decurrant. (Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.)* Pſal. CIV. 10. *Montes* aquis *fumantes,* Pſal. CIV. 32. CXLIV. 5. unde copioſiſſimi ſurgentes vapores mox ſeſe, jucundiſſimo oculis ſpectaculo, colligunt in nubeculas, & nubes, quæ mox à ventis abreptæ feruntur hac illac per aera. Ita qui attentius conſiderat Heluetiæ noſtros, aliosque omnes terræ montes, attonitus videt non ſteriles ſaxorum moles, ſed fœcundiſſima deſerta. Deſunt, fateor, quibus conſiti fuere Cananæi montes Pſ. LXXII. 16. Jer. XXXI. 5. ſata, agri, vineæ, pomaria, oliueta, thus cum myrrha. Conſpicias & ſaxa præalta, montium æmula, prærupta, plantis nuda, niuis & glaciei æternos cumulos. Quamuis montes no-

ſtri non redundent vino, *fluunt* tamen *lacte*. Joel. III. 18. Tanta inſuper in paſcuis montanis enutritur animantium omnis generis copia, ut jure gloriari poſſit DEUS, *ſuas eſſe omnes feras ſyluarum, pecudes in mille montibus. (meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, jumenta in montibus & boues.)* Pſal. L. 10. 11. Ne quid dicam de varii generis venis, metallis, mineralibus in viſceribus montium deliteſcentibus, nihil de monticolarum & accolarum ſanitate ac robore, nihil de incredibili delectatione, qua capitur oculus, imo rapitur mens ex varietate & uſu inæqualis terræ ſuperficiei; quæ heic has nutrit plantas, alibi alias, alias in montibus, in vallibus alias; & nunc exhibet vaſtos agros meſſibus oneratos, nunc vineas generoſæ fertiles uuæ, pomaria, hortos nitidis decoratos floribus, refertos culinariis herbis. Ita ſanè vel ſola Heluetia exhibet in compendio, & veluti in Amphitheatro, quicquid reliqua terra habet inæqualitatis, & qui ex aſperitate redundat uſus: Montes perpetua niue glacieque rigentes, quorum culmina ſurgunt ad nubes, & ſupra eas: unico ſæpe die omnia quatuor anni tempora, horumque fructus, fraga, ceraſa, uuas, ſegetes maturis flauentes ariſtis, & vinoſam madentem plenis vindemiam labris: emenſis ſæpe vix 10. aut 12. paſſibus nouum, qui oculos paſcat, proſpectum; Lacus, flumina, fontes ſine numero: Catarrhactas ex alto præcipites, & in iisdem irides perfectè rotundas, pleni circuli: Animantium numeroſos greges. Haud equidem eſt dubium, quin Phyſicus primi orbis pulchrioribus eum depingere potuiſſet coloribus, utpote fertilitate ſuperiorem noſtro. Debebat enim terra illa, quia *corrupta erat coram* DEO, *& impleta violentia, perdi*, Gen. VI. 5. 11. 12. diluuiana nempe inundatione, & à ſummo fœcunditatis gradu deponi: attamen remanſit nobis hujus ſecundæ terræ incolis plusquam ſatis ad deprædicandas Creatoris optimi laudes, præſertim ſi conſideremus, diminuta fertilitate, & aucto labore, interruptum eſſe peccatorum torrentem, & ad arctiores reſtrictum limites donorum DEI abuſum. Uſui venit nobis, improbo mediante labore, non duntaxat terra illa pinguis nigra, cujus limus plantas nutrit, ſed & argilla, lapides, arena. Maturant meſſem ſaxa, quibus agri ſunt conſiti. Reducuntur uliginoſa loca in meliorem ſtatum intermiſtâ terra macriori. Dant colono noualia plus laboris, ſed quoque plus fructuum. Imo verò non eſt ſolum ſterile adeò, & ingratum, quod non det fructus operæ reſpondentes. Notum inſuper, progigni hos fructus in hac regione, in alia alios, & hoc veluti reciprocæ neceſſitatis vinculo ligari ſocietatem humanam. Et tandem homini cedit in uſum, quod relegamus, & abjicimus tanquam recrementum: Redde vegetabilia & animalia putrida matri terræ, dabit hæc veluti in recompenſam uberiores tantò fructus. Nihil eſt, quod careat uſu. Da matri granu frumenti, reddet, quod mirum, trigecuplu ſexagecuplum, imo centuplum: Sed non a te, quàm intra terram fuerit quaſi emortuu id quod multi allegant in ſymbolum reſurr ctionis futuræ ex mortuis. Sed quis, obſecr eſt, qui tot in terra depoſuit theſauros, om noſtro captu ſuperiores & qualitate & num ro? quis, niſi DEUS?

Eſt equidem terra hæc conſiderata in ſe, intuitu incolarum, magnus Planeta, cujus c pacitas ex modernorum calculo aſcendit a 26662560000. milliaria germanica cubica, ſu perficies ad 9288000. quadrata, diametro ſu poſita 1719. milliarium, ſed tamen terrella e comparatiuè ad alia corpora mundi totalia imò puluiſculus. De qua re alibi plura. D gnatus tamen eſt ΘΕΟΣ ὑπέρτατος πάντων, cu *cœlum* eſt *ſolium*, puluiſculum huncce, tanquan *ſcabellum pedum ſuorum*, Jeſ. LXVI. 1. Act. VII 49. 50. ſextiduano labore. Finxit namque Crea tor ex Chaotica ſiue Cometica miſcela (fui enim *terra inculta ac vacua, tenebræque ſupr abyſſum. (terra erat inanis & vacua, & tenebr erant ſuper faciem abyſſi.)* Gen. I. 2.) habita culum, cui quoad commoditatem, utilitatem, neceſſitatem, jucunditatem, ſuppellectilis varietatem nîl deeſt prorſus. Imo verò dignatus eſt ipſe DEI Filius, ὁ Λόγος αἰώνιος, terrellam hanc ſalutifera ſua præſentia, ut pro genere humano corrupto & naſceretur, & pateretur, & mortem ſubiret infamem.

Sunt elementa globi hujus noſtri conſtitutiua tum fluida tum ſicca, montes item & valles in præciſo æquilibrio. Et memoratu inprimis dignum, quod quemadmodum integer globus terr-aqua-aerius fundatus eſt ſubtiliſſimo æthere, ita & ſiccæ partes inædificatæ ſint aquæ. *Super maria fundauit terram.* Pſal. XXIV. 2. *Extendit ſuper aquas.* Pſal. CXXXVI. 6. γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα, τῷ τοῦ ΘΕΟΥ λόγῳ. 2. Pet. III. 5. Quæ loca intelligenda ſunt tum de æquilibrio ſiccarum partium cum mari, tum de abyſſo aquarum ὑπογαίων, cui montium columnæ ſunt inædificatæ. En Architecturam Diuinam, quæ *aquilonem extendit ſuper inane, & terram ſuſpendit ſuper nihilum!* Job. XXVI. 7. quæ inædificat nihilo, corporibus tenuiſſimis, fluidiſſimis, quæ ne quidem puluiſculo fundamina dare poſſunt, nedum tantæ molis globo, qualis eſt terra. Quæ res utique profundiſſima attentione ſimul & admiratione eſt digniſſima, ἀξιάγαστος καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνων διάνοιαν, ut *Theodoreti* verbis utar.

Quodſi alas intellectus noſtri vibremus ad orbitam usque magnam, & annuam, qua terra circuit Solem, & inſuper conſideremus Globum hunc Planeticum in vertigine ſua diurna, & ſitu eodem ſemper ad Polos, tot videbimus redundantes in nos terricolas uſus, tot potentiſſimæ ſapientiæ, & prouidentiſſimæ bonitatis inuicta argumenta, quæ nos rapiunt extra

nos.

. Sed de hac re plura egi ad Gen. I. 14. 1 poſſum tamen, quin adjungam nonnulla ciis noſtris applicatiua.

Quis eſt ex Chriſtianis Philoſophus, quem 1 capiat terræ hujus, utut pretioſæ, utut utilis, faſtidium? Irrepat animum hominis ıæ terra cum omni ſua pulchritudine & ſauris, aſpiciet Philoſophus eam ut carce-1, ex Planetis tantùm non minimum, imo ıctulum. Experitur is quotidie, Atmoſphæ-1 nos ambientem puritate minorem lunari, tatam ventis, tempeſtuoſam, obſcuratam; bibus, halitibus variis noxiis, imo peſtiferis ectam; Planetam videt opacum, habitatum rogenie rebelli: Noſodochium: punctulum Joue vel Saturno vix viſibile. Quis eſt, qui 1 deſiderat emigrare ex hoſpitio hocce? qui 1 anhelet nouam illam terram, & nouos los, perſuaſus de DEI Creatoris, & Redem-ris amore, renouato & glorificato corpore ntemplaturus aliorum corporum mundano-n & operum diuinorum pulchritudinem, I Optimi laudes in omnia ſecula decanta-us?

II. Pergo, Jobo duce, ad *plantas terræ*, in c quoque jucundiſſima ſchola me ipſum alios-e edocturus. Analogiam habent miram nnia vegetabilia, plantæ, frutices, arbores m animantibus & homine. Nutriuntur, eſcunt, propagantur. Conſtant ex meris tu-lis, venarum æmulis, per quos ſucci fluunt. ıbent hi valuulas ſuas, ſacculos innumeros u totidem ventriculos & glandulas, in qui-s ſuccus nutritius parari ſolet, & depurari: bulos aërifluos, per totum corpus expanſos; adices, truncos, folia, quæ nutritioni, flores fructus, qui propagationi inſeruiunt. Digi-rum, manuum & oris loco adſunt extrema dicum oſcula. Cutis vice funguntur folia cortices, in quibus tubuli omnes terminan-ır. Adſunt & heic innumeri pori, per quos anſpirat ſubtiliſſimum fluidum, mole & nu-nero nimium. Magnis viris *Malpighio*, *Gre-vio*, *Haleſio*, διαδόχοις, oculos arma microſcopiis, mentem erudi Experimentis Chymico-Sta-cis, admirari ſatis non poteris infiniti artificii ructuram in omnibus & ſingulis partibus, ra-icibus, truncis, caulibus, ramis, oculis ſiue emmis, cortice, foliis, floribus, fructibus, luctibus nutritiis & aëriuehis, diuinas, quibus mnia in plantis harumque partibus mouen-ur, leges; ingenuè, ſi mens tibi eſt ſana, fa-eberis, eſſe illas omnes, terreſtres, aquaticas, marinas, lacuſtres, fluuiatiles, immediata DEI opera, quæ & in Hiſtoria Creationis tertiæ diei opus conſtituunt. *Dixit DEUS: Progerminet terra germen, herbam ſeminificantem ſemen: lignum frugiferum, ferens fructum juxta ſpeciem ſuam. (Dixit DEUS: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus ſuum.)* Gen. I. 11. Non natura, idolum iners, ſed DEUS, *dat herbam pro jumentis.* Deut. XI. 15. DEUS *producit fœnum pecori, & herbam ad uſum hominis, ut proferat panem de terra: Et vinum, quod exhilarat cor hominis, & oleum, quod nitidam reddat faciem, & panem, qui cordi vires ſubminiſtret. Arboresque DOMINI ſucco abundant, velut Cedri in Libano, quas plantauit. (Producens fœnum jumentis, & herbam ſeruituti hominum. Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantauit.)* Pſal. CIV. 14. 15. 16. Et ſummo Creationis jure gloriatur æternus DEI Filius, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τῶν κρίνων τοῦ ἀγροῦ. Matth. VI. 28. Luc. XII. 27. *Præſentemque refert quælibet herba* DEUM.

Eſt equidem alma mater terra, ἡ πιοῦσα τὸν ἐπ᾽ αὐτῆς πολλάκις ἐρχόμενον ὑετὸν, καὶ τίκτουσα βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις, δι᾽ οὓς καὶ γεωργεῖται, ſed, attende probè, curioſe homuncio, ſuperbe, tuo judicio acutiſſime, Philoſophe, qui dimetiri ſoles omnia ad normam idoli tuæ naturæ, μεταλαμβάνει illa εὐλογίας ἀπὸ τοῦ ΘΕΟΥ, Hebr. VI. 7. Ita ſi ſentimus, breuiſſimâ viâ philoſophamur, ſed ſolidè, ſed piè, θεοπρεπῶς. Qui aliam init viam, prono ventre terram, non erecto corpore vultuque ſidera, & ſiderum DOMINUM reſpicit, dignus eſt, qui *ab hominibus pellatur, & fœnum ut bos comedat*, quod fatum, quæ pœna fuit Nebucadnezaris ſuperbi. Dan. IV. 22. Adeò ſumus homines luminibus caris viduati, ut tunc demum aperire ſoleamus oculos, *ſi depluit DOMINUS grandinem ſuper terram Ægypti, ſi percutit illa omne, quod eſt in agro, tam homines, quàm jumenta, omnem herbam agri, & omnia ligna campi confringit.* Exod. IX. 22. 25. Vel tunc, quando *Locuſtæ operiunt ſuperficiem terræ, comedunt omnem herbam terræ, atque omnem fructum arborum. (Locuſta operiet ſuperficiem terræ, ne quicquam ejus appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandini.)* Exod. X. 5. 12. 15. Vel, ubi *herba uniuerſi campi areſcit, propter malitiam habitantium in ea.* Jer. XII. 4. *Si viride exareſcit, deficit herba, olus nullum ſupereſt. (Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.)* Jeſ. XV. 6.

Neque per tempus licet, neque per chartæ anguſtiam, recenſere omnes, quos, prouidente optimo DEO, à vegetabilibus adeò multis & variis trahimus uſus: ſani nutrimentum & veſtitum, ægri remedia, lignum Architecti pro ſtructura ædium, matresfamiliâs pro culina, & vario ſuppellectili: Flores odoratiſſimos, & pulcherrimis ſuperbientes coloribus nos omnes pro recreatione.

Eſt inprimis propoſiti mei, ex contemplatione operum demonſtrare DEUM Creatorem; officii proin mei, & heic pro argumento, eoque inſigni, adducere receptam inter eruditos doctrinam de totius ſtructuræ vegetabilis in quouis ſemine, fructuue præ- vel exi-

exiſtentia, ſiue nunc, de quo adhuc lis eſt, DEUS ipſe ὡς ἀπὸ μηχανῆς in productione cujusuis indiuidui formam illam infiniti artificii fingat, ſiue in prima creatione formauerit omnia omnium futurarum plantarum ad finem usque mundi rudimenta. Eſt ſanè hæc quæſtio controuerſa ejus indolis, ut hominibus nobis aperiat impenetrabilem Diuinæ Sapientiæ abyſſum, attentione proin noſtra digniſſima. Ad calculum reducit *Dodartus Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1700. p. 65. omnia Ulmi ſemina, quæ intra 100. annorum profert ſpatium, inuenitque ad minimum 33000000. Tot millionum mater eſt juxta viam naturæ ordinariam ſemen unicum. Vim eandem miræ numeroſitatis propagatiuam docet ars ipſa. Seca horizontaliter arboris truncum in 6. linearum diſtantia ab alia prægreſſa ſectione, videbis tot nouos progerminare ramos, quot fuere antea. Fertilem hanc protruſionem obſeruabis, ubicunque ſecueris arborem, & inde elicies utiliſſimas pro arborum cultura regulas. Eſt proin tota arbor inde à radice usque ad ramificationem rudimentorum plena, ex quibus procreſcere queunt noui rami, & protruduntur reuera, ſi nulla adſint obſtacula. Omnes hi, qui occulti ſunt, & in rudimentis latent, rami actu ipſo non minus adſunt, quàm qui jam progerminarunt, haberetque quiuis illorum totidem ſemina, ſi procreſceret, quot alius. Prodirent proin toties 33. milliones, quoties in trunci altitudine menſurari poſſunt 6. linearum ſpatia, adeoque in 20. pedum altitudine 15840000000. ſemina, qui ingens hic numerus vim exprimit arboris ipſam propagatiuam. Sed tandem abſorbentur in infinito vires imaginationis noſtræ, ſi cogitemus, excreſcere poſſe rurſus ſemen quoduis in arborem, quæ præfatos numero producere queat ramos & fructus, & ex fundamentis jactis formemus geometricam progreſſionem, cujus primus terminus 1. ſecundus 15840000000, tertius hujus numeri quadratum, quartus cubus, & ſic porrò. Ubi certè occurrit Geometria infinitorum infinitè paruorum, & plusquam infinitorum. Eſt ſemen arboris infinities majus illis ſeminibus, quæ ex illo naſcuntur, & quoduis horum infinities majus naſcituris ex hoc, & ita in infinitum. Utut clara ſunt, quæ hactenus protuli, ſunt tamen, quos in dubiam trahit hæc ſententia mentem. Rem eandem indagabimus altius. Extra controuerſiam hoc eſt poſitum, cuiuis ſemini, gemmæ, plantæ naſcenti inexiſtere omnium partium ſtructuram. Fundata eſt hæc veritas ratione & experimentis innumeris. Aſt enimuero in quouis caule ſeu trunco non inuenimus niſi plurium fibrarum compagem, & ſuccum, qui per tubulos aſcendit, nutritium. Uni proin harum cauſarum, ſi ratiocinari velimus, adſcribi debet configuratio foliorum, florum, fructuum. Sed neutri poſſe patebit vel parum attendenti euidentiſſimè. Certè non fibris in longum cr ſcentibus, vel harum faſciculis, qui quider naturæ viribus poſſunt extendi in longum, v latum. Sic prodiret truncus craſſior & altio ſed præterea nihil. Neque operi huic ſuff nus eſt nutritius ſuccus. Eſt quippe hic v aqua pura, vel contentus in aqua mucus, ἰλὺ limus, materia fluida, omnibus omninò plan tis communis, nîl organici ſecum ferens, abs que ſemine, vel radice nîl producere apta apta quidem nutriendæ plantæ jam formatæ inepta, qualemcunque habeat bonitatis ſeu fer tilitatis gradum, formandæ. Neque minu poſſibile eſt, ut fœmina absque cohabitation viri prolem procreet, quàm ut ſeu terra, ſe aqua, ſeu limoſus ſuccus plantam producat vel plantulam. Inuenit, fateor, planta quæuis in terra, alioue commodo loco, muſcus ipſe in tectis & arborum corticibus, nutrimentum, minimè formam. Nîl proin, quod huc quadret, reſtat, niſi ſemen, quod tenerrimum ſuccum nutritium per cuticulam ſuam exteriorem veluti per cribrum transmittit, hinc intumeſcit, & oui ad inſtar in uterum depoſiti à placenta nutrimentum congruum ſenſim ſenſimque attrahit: & quemadmodum pulli primæ nutritioni inſeruit oui albumen atque vitellum, ita per externam ſeminis in terram projecti cuticulam colatur tenerrimus ſuccus, tenerrimæ ſeminis ſtructuræ adæquatus, usque dum ſeſe hoc explicat ipſum, atque in duas partes principales ſeſe expandit, truncum ſcilicet atque radicem, quæ mox ſuccum craſſioris indolis attrahere & digerere apta redditur. Non proin eſt tenella hæc, de qua nunc loquor, plantula, ſubſtantia nunc demum formata, antea informis, ſed machina artificioſiſſima, quæ ad hoc usque tempus latuit occulta, nunc euoluta prodit in auras. Pone, aliter de hoc abſtruſo generationis negotio ſenſiſſe Veteres, *Ariſtotelem* ſpontaneam ſtatuiſſe & animalium & vegetabilium generationem: *Theophraſtum* plantarum μεταμορφώσεις, *Critiam* apud *Platonem* hominum fortuitum ex terra ortum, nationum in ſuo Climate ſingularum: *Lucretium* hominum ex plantis productionem. Condona errores hoſce gentilibus à vera DEI cognitione remotis; de Creationis Hiſtoria vel non prorſus, vel malè informatis; Microſcopiorum beneficio deſtitutis, quorum ope nunc porta aperitur ad occultiſſima quæque myſteria, & in amygdali nucleo aut faba partes oſtenduntur totius plantæ eſſentiales. Ex hactenus dictis clarum, almam matrem terram ſemen projectum tegere duntaxat, fouere, & nutrire, minimè vero formare plantam: Plantas, harumque ſemina comparari commodè poſſe mari, terram matrici muliebri: Plantam quamlibet propriè loquendo nîl producere noui, ſed formatam dudum, quam in ſinu gerit, poſteritatem in dias proferre luminis auras, licet non ſemper omnibus numeris abſolutam:

ut

videmus, ex rana non prodire ſtatim perfe- s ranas, ſed gyrinos; & ex inſectis papilio- ; deponere primum ouula, ex quibus pro- ınt erucæ, & poſt varias metamorphoſes ıi papiliones. Sed poſteriores hi à mare depo- ıtur aut in fœmellæ uterum, uti in quadru- libus, balænis, auibus, aut in ouula à fœ- lla depoſita, uti in piſcibus ſquamoſis. Cla- n, quod iterum moneo, arborem quamuis : plantam à terra minimè habere ſuam for- ım, ſed duntaxat nutrimentum, & eſſe gem- ım quamuis ramum complicatum, in quo ncentrata folia, rami, pediculi, flores, fru- ıs, imo gemmam quamuis nouam & veram ſe arborem. Habet autem hæc unica & ſola mmas infinitas. Minimè offendat te infini- tis hic terminus, negatiuam intelligimus, qua- competit omnibus quantis, ſeu continuis ı diſcretis, & de numero enuntiatur vel ma- itudine infinitè magnis, quibus in infinitum que addi ſemper aliquid poteſt, aut infinitè ruis, quibus in infinitum usque aliquid de- i: ita concipere licet infinitas glandes in pri- a à DEO creata deliteſcentes, concreatas, in- ite paruas: infinita animalia in primo cujus- ıe generis creato concreata. Et attende, ſo- s, proportionatiſſimum extenſionis in linea ſcendenti decrementum. Quercus prima à EO creata licet portârit, ut hodie ulmus, landes 20000000. imo glandes omnes, quæ de ab illo primæ creationis tempore fuerunt atæ, & naſcentur ad finem usque mundi, non agis fuit grauata hoc infinitorum fructuum nere, quàm grauatur nunc quercus junior, uæ etiam incluſam geſtat omnem ſuam po- eritatem: Faciunt glandes & arbores ex iis aſcituræ non millioneſimam arboris partem, d infiniteſimam. Prodit in lucem quoduis x hiſce infinitè paruis animalibus & plantis, : creſcit ſuo tempore, ſuo loco. Quemad- nodum autem hodie animalcula conſpiciun- ur viua, quorum 1000000. vix granum are- ıæ æquant, ita non habemus, cur impoſſibi- em ſtatuamus infinitum plantarum animalium- ıe in prima planta, in primo animali, nume- um. Si cui calculus hic infiniteſimalis tran- cendit captum, ei conſulo, ut ad manus ſu- nat microſcopium, ex optimis, quæ parantur hodie, conſpiciet is in gemma euoluta folia pſa & flores, per conſequens & fructus cum omnibus ſuis partibus; in radicibus bulboſarum plantarum flores & fructus; in grano progerminante internodia, folia, ſpicas. vid. Tab. VIII. Et ex omnibus hactenus dictis clarum fit, DEUM ſemper ſiue continuò creare ὡς ἀπὸ μηχανῆς, vel potius, creaſſe omnia ab initio ſimul & ſemel. Hoc ipſum eſt, quod confitetur Author Eccleſiaſtici XVIII. 1. *Qui degit æuum, cuncta creauit ſimul. (Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.)* Ignominiæ haud ducat Scrutator Naturæ, inquirendo in cauſas operum naturæ, præſertim in ejusmodi magnifica opera, de quibus nunc, recurrere ad DEUM tanquam cauſam primam. Eſt hic ipſe præcipuus Philoſophiæ Naturalis uſus, ut manuductor ſit ad DEUM. Iis autem, quæ protuli hactenus, addo hoc unicum, quòd, præordinante id ita Creatore, plantæ in ſe habeant non duntaxat innumerum ſeminum pro propagatione numerum, ſed & incredibilem in generatione varietatem.

Hic plantas, tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit aruo
Quadrifidasque ſudes, & acuto robore vallos:
Syluarumque aliæ preſſos propaginis arcus
Expectant, & viua ſua plantaria terrâ.
Nil radicis egent aliæ, ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Virg. Georg. L. II.

III. In Theatro Philoſophiæ Jobianæ ſeſe ſiſtunt muti, ſed inſimul ad DEI Gloriam diſertiſſimi *piſces*. Procurant hi haud ſemel, cauſamque DEI defendunt. Heic conſiderabimus eos in genere, demonſtraturi animantium horum ſtructuram elemento, in quo, & vitæ, quam degunt, præciſè reſpondentem. Sunt multi piſces, qui *os*, ut homines & quadrupeda labia ſua, protendere & retrahere poſſunt, prædam ſic commodius tantò arrepturi. Qui ſolâ aqua viuunt & limo, edentuli ſunt, dentati alii omnes, non pro ſui defenſione, neque pro maſticationis uſu, ſed ad retinendam, quam captarunt, prædam: hinc eſt, quòd *dentes* utplurimum ſint verſus fauces reflexi; aliàs acuti, ſæpe ſerrati, locati non ſemper in ore anteriori, ſed ſubinde in ipſis faucibus, vel & ad confinia ſtomachi. Haud prominent *oculi* extra caput, ſed eſt cryſtallinus humor ſphæricus, ut radii lucis in fundo oculi concentrari queant. Deſunt his animantibus *palpebræ*, nobis hominibus & quadrupedibus neceſſariæ, inprimis pro oculorum vel defenſione, vel humectatione, vel luminis moderatione, aut excluſione, quibus uſibus omnibus carere commodè poſſunt piſces. Sic & *collo*, & *pedibus*. Quadrupeda nempe & aues, quæ pedibus inſiſtunt, victum potumue haud commodè capere poſſent, ſi collo eſſent deſtituta: hinc eſt, quòd colli longitudo reſpondeat utplurimùm altitudini pedum, & animalia longicrura longi etiam ſint colli, breuicrura breuis, uti videre eſt in lacertis, crocodilis. In vaſtæ molis elephantibus breuitatem colli compenſat proboſcis. *Pinnarum* beneficio ſeruant piſces corpora ſua in æquilibrio, flectunt, & in anteriora promouent, veluti remis: ſed præcipua vis motiua reſidet in *cauda*, quæ propterea fortiſſimis eſt inſtructa muſculis, ut auium alæ.

Hinc eſt, quod prædæ inhiaturi piſces, vel periculum euaſuri, caudæ ſubſidio moueantur celerrimè, proximè applicantes tunc pinnas corpori, ne motui ſint impedimento. Corpus piſcium obtegunt *ſquamæ* inſtar loricæ, carnem defendunt, ne ab allapſu continuo aquæ flacceſcat, creſcunt propterea cum piſce, & ſi jacturam paſſæ fuerint, reſtituuntur. Quod homini & aliis animantibus eſt cutis atque cuticula, id piſcibus ſunt ſquamæ. Sed & in piſcibus conſiderari debet *viſcoſitas* quædam, qua ſimul præſeruantur ab elementi, in quo degunt, injuriis, & tranſpiratio impeditur nimia, & prehendentis manibus ſe ſurripiunt. *Auditu* pollent piſces, & carent tamen organis. Certum hoc, conuocari paſſim campanæ ſigno dato ad paſtum. Supplent fortè heic viſus atque tactus defectum auditus. Quod cetaceis piſcibus, quadrupedibus, auibus atque hominibus ſunt pulmones, id piſcibus præſtant *branchiæ*, ſtructura mirifica prorſus, utpote quæ in carpione ſolo conſtat ex oſſiculis 4386. ramulis arterioſis 4320. totidem neruis atque venis. Reſpirare piſces multimoda teſtatur experientia: expone piſcem vel ſubjice antliæ pneumaticæ, videbis, poſt tractus aliquot aerem undique prodire ex ſquamarum confinio, corpus integrum veluti margaritis conſpergi, veſicam natatoriam disrumpi, emori animal: pereunt piſces in Ichthyophylaciis, niſi renouetur continuò & aër & aqua: perfora glaciem clauſi gelu ſtagni, accurrent magno numero & undique piſces, hauſturi aëra. Sed quemadmodum nos & alia nobiſcum animantia ore haurimus aërem & mittimus, ita eundem ore hauriunt piſces unà cum aqua, & ad branchias rurſum emittunt. Singularis porrò & uſus & artis eſt *veſica natatoria*, cujus beneficio piſces ubique ſeruant æquilibrium cum aqua, dilatatione ſurſum natant, contractione deorſum, redditi in priore caſu leuiores, in poſteriori grauiores. Hinc eſt, quod piſcis, cui veſica hæc rupta, eniti nequeat, ſed in fundo aquæ hærere cogatur; atque in imo aquarum degant ſemper oſtrea, teſtacea alia, & animantia varii generis aquatilia, quæ ſcilicet veſica carent. *Motum* quod attinet piſcium, adſcribi is, quod ſupra jam monui, haud debet pinnis, reſectis quippe his celeritati motus nîl decedit: extenduntur pinnæ laterales quoties directionem motus mutat animal: ventrales duplices erectum ſeruant piſcem, ut pedes hominem ſtantem, unde eſt, quòd reſectis hiſce piſcis veluti ebrius dextrorſum nutet vel ſiniſtrorſum; ſed quoque inſeruiunt natationi deorſum, quo caſu eleuantur pinnæ caudæ adſitæ, & gubernaculi horizontalis vicem præbent, quod officium auibus præſtat cauda depreſſa, quoties ex alto ſeſe demittunt: ut eleuatam auium caudam referunt pinnæ ventrales, ſicubi piſcis ſurſum natat: Palmarium verò motus inſtrumentum eſt in piſcibus cauda, cui omnis fe[...] totius corporis, eaque tota, quanta muſculoſa caro ſeruit, ut denſum adeò elementum, qua[...] le aqua eſt, queat ſuperari, & ſumma, ut v[...] demus, celeritate vinci. Ducit porrò nos re[...]ctâ viâ ad θεογνωσίαν *generatio* piſcium, opu[...] omni attentione digniſſimum. Viuipari ſun[...] cetacei piſces & cartilaginei, hoc quidem di[...]ſcrimine, quòd oua in cetorum ouario delite[...]ſcentia minora ſint, & nulla albuminis atqu[...] vitelli diſtinctio, majora verò cartilagineorum in quibus dictæ partes ab inuicem clarè diſtin[...]guuntur. Spinoſi piſces oua ſua aquis com[...]mittunt, conſpergenda maſculino ſemine. Ac[...] incredibilem ſurgit numerum progenies piſcium. Exemplum adfero ex lyncei *Leeuwenhœkii Anat. & Contemplat.* A. 1687. p. 8. *Animalculorum*, nempe in *lactibus vel ſemine maſculo aſelli majoris, tot, quot vix viuunt in uniuerſo terrarum orbe homines.* En calculum obſeruationibus microſcopialibus fundatum! *Ponit, centum arenulas (quarum ſingulæ* 10000. *viuis æquantur animalculis) conficere longitudinem pollicis, lactesque unius aſelli habere magnitudinem 15. pollicum: erit* 1000000. *arenularum in unius pollicis geometrici magnitudine* 15000000. *in magnitudine 15. pollicum* 150000000000. *ſumma animalculorum in unius aſelli majoris lactibus:* ponit porrò, vel ſupponit, 13385000000. *homines in orbe terrarum, qui proin plus decies ſuperantur ab animalculis in lactibus aſelli.*

Illuſtrandæ Ichthyologiæ ad θεογνωσίαν applicatiuæ inſeruient

Fig. I. Lucius piſcis.

Fig. II. Idem caudâ dextrorſum & ſiniſtrorſum vibratâ in directum excurrens. Translatâ nempe dextrorſum cauda in G. & incuruatâ verſus caput A. expanſiſque pinnis, tota longitudo B C. velociſſimè flagellat & impellit aquam lateralem ad inſtar remi, quo piſcis in anteriora mouetur à B. verſus A. Similiter anticipata caudâ à C. verſus H. flagellatur aqua ab H. verſus C. motu contrario dirigitur piſcis, & duplicatur impulſus directus piſcis à B. verſus A.

Fig. III. exhibet veſicam lucii natatoriam in ſtatu medio, quo in mediis veluti ſuſpenſus hæret aquis. B. ventriculus, C. canalis ex ventriculo in veſicam.

Fig. IV. Veſica contractior, quo ſtatu deorſum natat.

Fig. V. Veſica dilatata, quo ſtatu ſurſum natat.

Fig. VI. Cor A. Auricula B. Arteriæ magnæ pyramidale exordium C. Ejusdem rami prodeuntes ex D. a a a. tendentes ad branchias branchiæ ſiniſtræ E.

Totius hujus de terra, plantis & piſcibus tractationis epiphonema ſit, quod ipſe format Theologus noſter v. 9. *Quis ignorat hæc omnia, quod manus DOMINI condiderit iſta?*

Job.

Job. Cap. XII. verſ. 10.

cujus manu ſita eſt anima omnium, quæ vita prædita ſunt, & ſpiritus uniuerſæ humanæ carnis.

In cujus manu anima omnis viuentis, & ſpiritus uniuerſæ carnis hominis.

DIſtinguere videtur Philoſophus noſter animas brutorum & vegetabilium ab hominis anima, ſapientior aliis, qui rebus diuerſiſſimis idem ıt nomen. Illa vocatur נֶפֶשׁ *nepheſch*, hæc *ruach.* Conſiſtit illa in tali partium ſolidan fluidarumque diſpoſitione, qua corpus ıit, nutritur, augetur, ſentit, mouetur, ge-rat, aliasque exerit operationes: Quæ omnia ım in homine obſeruare licet. Quamdiu em is viuit, tamdiu corpori unita eſt anima mortalis. Aſcendit ita creaturarum viuenm vita per gradus: infimus eſt *vegetabilium,* undus *animalium mollium exanguium*, tertius *ıdrupedum*, *auium*, *piſcium*, *reptilium*, quar; & ſupremus *hominum. Omnium* horum *ani-*, vita, *in* DEI *manu eſt ſita.* Et homo inmis habet, cur deprædicet, & plenis quidem ccis, hanc ſuam à DEO dependentiam, ἐν ῷ ζῶμεν, καὶ κινέμεθα, καὶ ἐσμέν. Act. XVII. 28. quem Textum ſuo loco plura. Solus is, ia ſolus ratione præditus, non tantùm pro laudibus in cœlum effert DEI virtutes, ſed ocuratorio fungitur munere, nomine omnium arum creaturarum viuentium. Solus ille, & nuictus, nouit, quòd DEUS ipſi omnibuse aliis viuentibus, ſed & inanimatis, dede; τὸ eſſe ex nihilo, formam infiniti artificii, & τὸ conſeruari. Perſpicit is facile, neque formam, neque vitam dependere à ſe, multò minus animam, hujusque mirificam cum corpore unionem: neque ſe, neque finitam ullam aliam κτίσιν vitam dediſſe animalibus & plantis. Quod igitur cunque plantæ, animalia & homines operantur (malo excepto), id operatur omne DEUS in ipſis, & per ipſa. *Fortis* DEUS *ſpirituum uniuerſæ carnis*, quo Epitheto cluet Num. XVI. 22. XXVII. 16. Quam palmariam veritatem agnouere ipſi gentiles. *Euripides:*

Τὶ δῆτα τέτες τὲς ταλαιπώρες βροτὲς
Φρονεῖν λέγεσι; σε̃ γὰρ ἐξηρτίμεθα.
Δρῶμέν τε τοιαῦθ᾽ ἅ σύγε τυγχάνεις θέλων.

Quid haſce mortis victimas miſerrimas
Dicunt ſapere? Pendemus à nutu tuo;
Et non volente perpetramus te nihil.

Homerus:

Τοῖος ἀνθρώποισι νε̃ς, ὦ Γλαῦκε παῖ λεπτίνεω,
Γίνεται θνητοῖς ὁκοίην ζεὺς ἐπ᾽ ἡμέρην ἄγει.

Talis eſt humana mens, o Glauce Leptinâ ſate,
Qualis in lumen diei Jupiter deduxerit.

Job. Cap. XII. verſ. 11.

nnon auris probat ſermones, & palatum guſtat cibos?

Nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis ſaporem?

AD literam ſi explicamus Jobum, neque Ariſtotelicæ ſectæ eum addicimus, neque Carteſii aſſeclis adnumeramus. In ore habebat ille veteis Philoſophiæ fundator notiſſimam hanc & eriſſimam dictionem, ὁ νε̃ς ὁρᾷ, ὁ νε̃ς ἀκέει, mens idet, mens audit; quam veritatem clarius adıuc demonſtrauit Reformator Carteſius. Ad aptum Vulgi & cum Vulgo loquitur Jobus, ıoc quippe frequentiſſimè in ore habet: Auris audit, oculus videt. Sed crediderim, facie conciliari poſſe trigam hanc Philoſophorum cum ipſo vulgo, & ubique gentium. *Auris* & *Palati* nomine intelligit Jobus non tam materiale organum auditus atque guſtus, quàm internas externarum impreſſionum, ſoni, ſaporis, ſenſationes ſiue perceptiones, imò & ipſum, quod inde formatur judicium, quæ dubio procul omni ad animam pertinent cogitantem, ſentientem, judicantem, non ad corpus. Patet id ex voce תִּבְחָן *probabit, probat, auris probat ſermones*, qua certè loquendi formula non intelligit ſolam in organa ſenſuum factam impreſſionem, ſed rationale de rebus perceptis judicium & examen.

Anſam interim dat Jobus & ſibi & nobis, doctrinam de ſenſibus applicandi ad DEI Sapientiam atque Potentiam. Quatuor horum, viſus, auditus, guſtus & olfactus ſedem ſuam habent in capite, ut tantò propiores ſint cerebro,

bro, tanquam ſpirituum animalium fonti & officinæ: Per totam cutim veluti diſperſus ſeu diſpartitus eſt ſenſuum quintus, tactus, ut & anima informari queat de omni eo, quod toti reliquo corpori accidit. Eſt omnium quinque ſenſuum, vel ſex, ſi famem addideris ſeu appetitum, organum infinitarum impreſſionum capax; ſed hæ nondum ſunt id, quod vocamus, videre, audire, guſtare, tangere, olfacere. Tranſeunt impreſſiones ab organis externis, ductu neruorum, ad cerebrum, & cerebro ad mentem, ubi promptuarium e idearum infinitarum, communium, ſingul rium, æternarum, immutabilium, in quas d minium habet ipſa anima, & ex iis judicia fo mat. Eſt autem paſſus hic à cerebro ad mer tem omni mentis finitæ capacitate ſuperio ducens nos, uti & organa ipſa ſenſuum, re viâ ad DEUM.

Job. Cap. XIII. verſ. 28.

Quum ipſe velut putrida res vetuſtate conficiendus ſim, & ſicut veſtis, quæ comeditur à tinea.

Qui quaſi putredo conſumendu ſum, & quaſi veſtimentum, quo comeditur à tinea.

Quod nobis eſt *tinea*, *eine Schabe*, id in Hebræo Textu vocatur עש *aſch*, quod affine eſt modernorum Arabum *uſſet*, Plur. *uſs*, *ûſes*, *Meninzk. Lex.* p. 3215. Non autem, quod ex Textu clarum, intelligitur heic tinea illa ligni- & frumenti-vora, quam cum ſuis mutationibus optimè deſcribit *Leeuwenhœk. Experim. & Contemplat.* p. 260. ſed ea, quæ inprimis lanam & veſtes laneas arrodit & erodit, σητόβρωτοι inde dictas: quo vocabulo & heic utuntur LXX. ὃ παλαιοῦται — ὥσπερ ἱμάτιον σητόβρωτον. Obſer uandum quoque, ſumi à multis Interpretibu vocabulum, quod in ipſo Textu occurrit, רקב *caries*, *putredo*, pro tinea. Et Poloni hodi literulæ unius mutatione tineam vocant *robak*. *Meninzk.* p. 4097. Difficultatis nîl ſecum fer applicatio ad hominis vitam: à particulis acribus, ſalinis, ſæpiſſimè is arroditur, conſumitur, imò viuus à viuis vermibus, quibus tandem totus cedit in cibum. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 25. p. 615. &c.

Job. Cap. XIV. verſ. 1. 2.

1. Homo natus mulieris, (a) viuens breuiori tempore, in omnibus ſuis diebus affatim habens turbarum.

(a) Mutilus diebus, & ſatur tumultus.

2. Ut floſculus oritur & ſucciditur, fugitque velut umbra, neque perſiſtit.

1. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.

2. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.

Haud ſatis poteſt homo, ſi ſeipſum intra ſe velut in ſpeculo contemplatur, admirari præcellentiam ſuam, ſed neque deplorare ſatis ſuam miſeriam. Id ipſum, quod eum eleuat ſuper alias creaturas, deprimit eum infra eaſdem. Et certo ſenſu dici utique poteſt, eſſe omnia bruta feliciora homine. Corpus conſidera tuum, Automaton videbis infiniti artificii, ſed nunquam ſanum ad pondus, ut Medici loqui amant, ἀνώμαλον in motu: Tubulos numero innumeros, ex fibrillis ſubtiliſſimis contextos, per quos omni momento circulare debet ſanguis, ſecerni fluida. Ex tot tubulorum millionibus unicum pone diſciſſum, eroſum, ruptum, obſtructum, nimiùm vel minus tenſum: ex tot diuerſis fluidis, quæ corpus perluunt, unicum tenue nimis vel craſſum, magis minusue ſalſum, celerius vel tardius juſto motum, æquilibrio cum ſolidis emotum, verbo, non tale, quale eſſe deberet, morbus aderit: Ut proin tot morbis obnoxius ſit homo, quot dari fingi poſſunt errores, id eſt, innumeris, omni momento, diu noctuque, in climate omni, vitæ genere omni, ætate omni. Per nouem menſium decurſum in prima ſua & tenerrima ætate carceri incluſus, ubi ne reſpirare quidem ei licet, in hoc ſolo felix, quòd miſeriam ſtatus ſui nondum cognoſcat: dolorifico partu excluſus nouellus homuncio, nudus, fami inuictæ, nî aliunde ſuccurratur, frigori, injuriis aliis externis expoſitus, inermis, anima prædi-

tus

rationali, & tamen uſu intellectus deſtitu- : creſcente ætate & intellectu, totus, quan- corruptus, in voluntate, cogitationibus, bis, actionibus peruerſus: ut ampliſſimum aperiat miſeriæ theatrum, nec adſit niſi la- , ærumna, calamitates; Miſeria in cœliba- miſeria in conjugio: Mentis angor pro ſe, a pro liberis. In his omnibus ſuperiora t nobis animantia, curis expertia, quæ ſta- cibos & quærunt & inueniunt, atque in s prodeunt luminis auras, & longè mino- us expoſita ſunt morbis quàm nos. Oculos conuertamus ad animam noſtram, theſau- ; ſeſe offert pretioſior mundo, ſed inſimul ſcuritas in intellectu, malitia in voluntate, χοι καὶ πόνοι, ſimplicitas confuſa in cogitatio- ous, imperfecta, corrupta omnia. Eſt omnes turæ vires & rationis captum tranſcendens io corporis & animæ, telæ aranearum ſimi- quam muſca quæuis, motus quiuis violen- perrumpere; vinculum, quod vaſculi et- minimi apertura, roſio, ruptura, ſoluere et. Promoue pedem ad animi affectus, illa unione pendentes, videbis turgidis un- à leui vento veſanum mare, aſſilientes in a fluctus; Spirant heîc non venti duntaxat rdinales quatuor, ſed tot, quot in Horizon- concipis puncta, tot, id eſt, innumeræ ani- paſſiones: nullus propugnaculo, nullus re- gio locus. Quodſi ſeſe conuertat homo ad EUM, Creatorem ſuum & Conſeruatorem, let eum equidem ubique, in omnibus mun- hujus angulis, intra ſe, extra ſe, ſed clauſis e oculis ſemper. Dictat ei, quæ ſupereſt tio, cultum, quem tamen non præſtat, tur- ſſimè negligit. Horridam introſpicit æter- e infelicitatis voraginem, in quam lubens vo- ns præceps ruit. A ſocio homine auxilium æſtolatur & ſolatium, ſed ab hoc ipſo, abs- ue quo viuere nequit, nullibi ſe videt tutum. eberet eſſe homo homini DEUS, ſed eſt, proh olor! homo homini, juxta vulgatum diuer- ium, diabolus. Et habet, cur colliqueſcat crymis, quoties cogitat, in hoc miſeriæ ba- athrum præcipitaſſe unicum pomi vetiti mor- um. Sed hæc ipſa miſeriæ noſtræ conſidera- o, & cauſæ inueſtigatio, ducit nos ad DEUM, ujus miſericordia ſola, eaque immenſa nos ex ot infinitis malis liberare valet. Notandum ς ἐν παρόδῳ, vixiſſe Jobum eo tempore, quo omines fuere longæui, & tamen hominem iſtit *viuentem breuiori tempore, in omnibus ſuis diebus affatim habentem turbarum.* Fuit hæc ipſa Patriarcharum confeſſio, dies vitæ eſſe paucos & malos; ad centenos aliquot licet ſurrexerint annos, non latuit tamen ipſos, eſſe mille an-

nos coram DEO ut unicus eſt dies. Singula- ris ἐμφάσεως eſt vitæ humanæ comparatio cum *floſculo*, qui *oritur & ſucciditur*, cum *umbra*, quæ *fugit*, *neque perſiſtit.* Eſt *floris* textura ex ſubtiliſſimis tubulis tenerrima, quæ mox at- que reſecatur, imo ante, pulchritudinem ſuam amittit, & marceſcens defluit. Ita & corpus humanum, tenera adeò ex innumeris tubulis compoſita ſtructura, quam qui nouit, miratur potius, viuere poſſe, & ſanam perſtare vel per horulam, quam affligi innumeris morbis. Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Perit faciei color utcunque floridus momento, imo momento citius. Commutat lipothymia unica formoſiſſimum hominem in viuam mortis imaginem. Non eſt flos ex præcipuis plantæ partibus, ad id duntaxat conditus, ut præparet nutritium ſuccum pro embryone tenello, decidit proin mox atque hic adultior eſt factus. Ita non eſt hominis potior pars corpus, ſed anima: Emoritur illud, poſtquam aliquandiu animæ fuit unitum, ſed manet hæc carcere ſuo liberata, cum ſuis fructibus, ſeu bonis, ſeu malis, præmia captura vel pœnas vitæ anteactæ condignas. Egregia porro eſt hominis cum *umbra* comparatio. 1. Paral. XXIX. 15. *Veluti umbra ſunt dies noſtri ſuper terram, neque eſt, ut aliud expectemus. (Dies noſtri quaſi umbra ſuper terram, & nulla eſt mora.)* Eſt *umbra* aliud nihil quàm luminis priuatio, noctis imago: ita homo nihilum, vita mortis ſymbolum: Mouetur umbroſa hæc imago, homo, ab uno hujus mundi puncto ad aliud, ut umbræ motus ſequitur motum Solis aliusue lucis. Durat umbratilis hæc vita tamdiu, usque dum viſuri ſumus DEUM Patrem luminum, παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Jac. I. 17. In continuo eſt motu, atque mutatione nihilum hoc hominis umbraticum, in ſemita virtutum ac vitiorum, ſed fatuo igne mobilior & inconſtantior, ad DEUM nunc accedit propius, nunc ab eo longè, imò longiſſimè recedit. Egregia ſunt, quæ de hominis vita habet *Bion Idyll.* 5.

Θεοὶ κατένευσαν ἕνα χρόνον ἐς βίον ἐλθεῖν
Ἀνθρώποις, καὶ τόνδε βραχὺν καὶ μήονα πάντων,
Λάθομεθ᾽ ἢ ἄρα πάντες, ὅτι θνατοὶ γενόμεθα
Χ᾽ ὡς βραχὺν ἐκ μοίρας λάχομεν χρόνον.

Dii unum duntaxat tempus viuendi annuerunt
Hominibus, idque breue & perquam anguſtum.
Omnes ſanè obliti ſumus, mortales nos eſſe natos,
Et quàm breue tempus ex fato ſortiti ſumus.

Qqq qqq qq TAB.

TAB. DXIX.

Job. Cap. XIV. verſ. 7. 8. 9.

7. Ligno (a) enim ſpes reliqua eſt, quòd repullulet, quum exciſum fuerit, teneraque propago ejus non deficiat.

(a) Pro arbore ſynecdochicè.

8. Quum radix ejus conſenuerit in terra & ſtirps ejus in humo emortua fuerit.

9. Attracto humore aqueo iterum germinat, exhibetque fructus decerpendos, ut plantæ ſolent.

7. Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant.

8. Si ſenuerit in terra radix ejus, & in puluere mortuus fuerit truncus illius.

9. Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſt.

Oſtendi ſupra ad XII. 8. & fusè ſatis, pro dignitate rei, ex modernæ botanicæ principiis, fouere plantam quamuis in ſinu ſuo infinitum aliarum homogenearum numerum, quæ generatione euolui poſſunt, in ipſa mundi ex nihilo productione à DEO creatæ. Non opus niſi noua & ſuffenâ vi, ſuccum nutritium in exiguiſſima illa rudimenta pellente. Hoc ipſum, quod quotidiana nos docet experientia, docet & Philoſophus in noſtro Textu. *Ligno ſpes reliqua eſt, quod repullulet, quum exciſum fuerit, teneraque propago ejus non deficiat.* Proponit nempe ſibi Jobus demonſtrare, hominem, ſi ſemel exciſus fuerit, non reſurgere amplius, in hac ſcilicet vita. *Vir languore confectus morietur, & homo expirabit, ut nuſpiam ſuperſtes ſit. (Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus atque conſumtus, ubi quæſo eſt?)* v. 10. Eadem cum Jobo ſentit *Moſchus Idyll.* 3.

Αἱ, αἱ, ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,
Ἠ τὰ χλωρὰ σέλινα, τό, τ᾽ εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον,
Ὕστερον αὖ ζώοντι, καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.
Ἄμμες δ᾽ οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,
Ὁππότε πρῶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ
Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Juxta *Vulcani* Verſionem:

Hei mihi, malua ſemel læto ſi emarcuit horto,
Aut apium viride, aut flores criſpantis anethi,
Vita redit cunctis venientem rurſus in annum.
At nos, qui ſapimus, nos magni & viribus aucti,
Quum ſemel occidimus, ſurdi tellure cauata
Infinita graui premimur per ſecula ſomno.

Fuere & alii ex Poëtis, qui mutationem hanc plantarum ſucceſſiuam & annuam renouationem compararunt cum infelici hominum ſorte. *Horatius Carm. L. IV. Od.* 7.

Diffugêre niues, redeunt jam gramina campis
Arboribusque comæ:
Mutat terra vices, - - - - -
Nos ubi decidimus,
Quò pius Æneas, quò Tullus diues & Ancus,
Puluis & umbra ſumus.
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Catullus Solem:

Nobis, cùm ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

In originali Textu notat עץ *ets* propriè non *arborem*, ſed *lignum*, qua voce & utitur Vulgata, & Latina noſtra. Ita quoque Scriptores alii: *Virgil. Georg.* II.

Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſama? - - - - - - -

Nec abſque ratione; arboris eſt proprium, habere lignum. Pſal. I. 3. *Erit hic veluti arbor plantata ſecus riuos aquarum, quæ fructum ſuum ſuo reddit tempore, cujus folium non defluit.* — *(Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: folium ejus non defluet.* — *)*

Memorat Jobus in Textu noſtro tres plantæ partes eſſentiales, *radicem*, *lignum*, *truncum*. In terra vel ad eam jacent *radices*, quæ dum nutritium in terræ poris latentem ſuccum minimis

IOB. Cap. XIV. v. 7. 8. 9.
Ligno ſpes reliqua, &c.

Buch Hiob Cap. XIV. v. 7. 8. 9.
Der Baum drückt wiederum, u. a. m.

I. G. Pintz ſculps.

RPJCB

nis ſuis fibrillis recipiunt, imo & parant, co-
unt, atque porro ad caulem vel truncum
iandant, oris & ventriculi vice funguntur.
nſtant, ut caulis ſeu truncus, ex cortice, in-
iori lignea, ſolidioriue alia ſubſtantia, & me-
lla. Cortex radices, caulem, & ramos am-
ns ſubdiuiditur rurſum in cuticulam extre-
m tenuem, & interiorem ſubſtantiam. Cu-
ula conſtat ex multis utriculis ſeu veſiculis
cta inuicem poſitis. Interior verò ſubſtan-
1. ex tubulis cauis ligneis, per quos nutri-
is ſuccus aſcendit, 2. ex utriculis tenui ſuc-
refertis, 3. tubulis peculiaribus nutritiis,
i majorem ſucci vehunt, quàm lignei illi,
piam, unde fit, quòd paſſim Tiliæ, aliæue
noſæ intus cauæ arbores ſolo cortice nutri-
entum hauriant.

Lignum ſeu *trunci* interior ſubſtantia con-
t 1. ex fibris ſeu tubulis ligneis, cauis, faſci-
latim & reticulatim congeſtis, 2. ex utricu-
qui jam dictis tubulis interjacent, 3. ex pe-
liaribus ductibus aquoſis ſiue lymphaticis,
ex ductibus aëriferis, qui in radicibus utplu-
nùm ampliores, quam in trunco, & reſpira-
oni inſeruiunt, uti in animantibus pulmones,
piſcibus branchiæ, aëremque inprimis per
tremas radicum fibrillas attrahunt.

Ut hæc facilius concipiantur, & ſimul mi-
nda arborum ſtructura pateſcat, ex *Malpighii*
nat. Plant. p. 21. ſiſto in

Fig. I. *Quercus* corticem, ubi A. ſunt utri-
li transuerſim poſiti. B. Tubuli fibroſi lignei
ſciculatim congeſti. C. Areæ intermediæ, quas
plent utriculi D. E. fibrarum faſciculi ali-
uando, uti in F. inuicem communicantes, &
nplicati. G. Utriculorum ſeries. H. corpora
ubica fere dura & fere oſſea, utriculorum or-
inibus interjecta.

Fig. II. exhibet *quercus* lignum ſeu truncum
er longum ſectum: ubi A. ſunt ligneæ fiſtu-
e. B. utriculi interjecti. C. Utriculorum inte-
ri ordines. D. fibrarum integri ordines ſeu fa-
ciculi. E. dictarum fibrarum orbiculi inuicem
iantes, qui transuerſos utriculos veluti ſuper-
quitant in F. G. fiſtulæ ſpirales, ex quibus H.
nſigniores.

Fig. III. Eſt ejuſdem arboris horizontale
egmentum, ubi I. tubulorum ligneorum or-
dines. K. fiſtularum ſpiralium ſeu trachearum
oſtia. L. Tracheæ minimæ.

Fig. IV. Orbiculum exhibet *caſtaneæ* 18.
menſium transuerſim ſectum; ubi A. cortex
eſt 4. fibrarum ſeriebus conſtans. B. utriculi.
C. ſuperioris anni ligneum inuolucrum, in quo
exiguæ aperiuntur tracheæ. D. nouus ſequen-
tis anni circulus, ſeu ligneum inuolucrum, è
fibrarum faſciculis compoſitum. E. Trachea-
rum in eo ora. F. medulla conſtans utriculis.
G. horundem protenſio longa, noui rami ex-
ortus.

Quæ Jobus memorat de *radice in terra con-
ſeneſcente*, & non obſtante *ſtirpe in humo emor-
tua, iterum attracto humore germinante*, de ar-
boribus benè multis, ſed ſpeciatim de *lauro*
verificat experientia. Quam ipſam arborem
Orientalibus Regionibus familiarem fortè in-
tellexit inprimis Philoſophus noſter. *Quarun-
dam radix viuacior ſuperficie, ut lauri, itaque
cum truncus inaruit, reciſſa etiam lætius frutifi-
cat. Plin.* alicubi.

Anſam dat Jobica phraſis מֵרִיחַ מַיִם יַפְרִיחַ
ab odore aquæ germinabit, cogitatis nonnullis,
quæ fortean non ſunt extra rhombum.

Videtur primo intuitu Jobus plantis adſcri-
bere non vitam duntaxat, ſed quoque ſenſum,
heîc *odoratum*, quem in Vernacula noſtra ex-
primimus per *ſchmecken*, quia uno eodemque
vocabulo guſtum ſolemus deſignare & odora-
tum. Hinc præſtat Lutheri verſio, *er grünet
wieder vom Geruch des Waſſers.* Notat autem
hic ſenſus heîc loci contactum leuem alicujus
rei. Jud. XVI. 9. Simſon *rupit funes illos, ut
rumpi ſolet funiculus ſtupeus, dum ignem ſentit,*
בַּהֲרִיחוֹ *babaricho*, propriè *olfacit*, *in odorando
ejus. (Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis
filum de ſtupa, (tortum ſputamine,) cum odorem ignis
acceperit.)* Nota phraſis, *ſubolet mihi*, quid pe-
ricli lateat, vel futurum ſit, *ich ſchmecke den
Braten, ich ſchmecke Feuer:* de ferro, ſi magne-
tis attactu vi imbuatur magnetica, *es ſchmecke
den Magnet.* Sed non deſunt ſacro Codici lo-
ca, ubi plantis tribuitur ſenſus. Pſal. LXXVIII.
47. *Perdidit vineas eorum grandine*, יַהֲרֹג *jaba-
rog*, propriè, *occidit*, vita priuauit. 1. Cor. XV.
36. σὺ ὃ σπείρεις, ȣ̓ ζωοποιεῖται, ἐὰν μὴ ἀποθάνῃ.

Videtur porrò Jobus ſeſe immiſcere con-
trouerſiæ, etiam inter modernos agitatæ, circa
plantarum nutritionem, an ea tribuenda ſit
aquæ potius quàm terræ: pro aqua pugnanti-
bus *Bacone*, *Helmontio*, ejusque aſſeclis; pro
terra, quæ Μήτηρ cluet πάντων, *Woodwardo* in
*ſome Thoughts and Experiments concerning ve-
getation.* Dubium haud ſoluemus, ſi Jobum
vocemus arbitrum, quia ejus verba intelligi
poſſunt & de aqua, & de particulis in aqua
hærentibus terreis, mucilaginoſis,
limoſis. vid. *de Mey Phyſ.
Sacr.* p. 320.

Job. Cap. XIV. verſ. 10. 11. 12.

10. Et vir languore confectus morietur, ut homo expirabit, (a) ut nuſpiam ſuperſtes ſit.

(a) Et ubi ipſe?

11. Quum recedentibus aquis oceani flumina ſiccabuntur, & areſcent.

12. Homines poſt obitum non reſurgent, quoad cœlum non ſit, neque expergiſcentur & excitabuntur è ſomno ſuo.

10. Homo verò cùm mortuus fueri
& nudatus atque conſumtus, ub
quæſo eſt?

11. Quomodo, ſi recedant aquæ de ma
ri, & fluuius vacuefactus areſcat

12. Sic homo cum dormierit, non re
ſurget, donec atteratur cœlum
non euigilabit, nec conſurget d
ſomno ſuo.

Abſit, ut quiſpiam cogitet, credidiſſe Jobum, vel ſtatuiſſe, hominis totalem annihilationem poſt mortem. Scepticiſmi ne umbra quidem, ne vel minima conjectura, cadit in virum ſanctiſſimum. Nota ejus confeſſio, *noui quòd Redemptor meus viuat.* Docuit Jobus in præcedentibus, *ligno* eſſe *ſpem reliquam, repullulare exciſam, radice* licet *conſeneſcente in terra, & ſtirpe in humo emortua, propaginem* tamen *non deficere*, ſed hominis aliam eſſe conditionem, ſoluta ſemel, quæ animam inter & corpus eſt, unione, ex naturæ viribus non reuiuiſcere hominem; quia nempe unio illa entium diuerſiſſimorum vires naturæ totius tranſcendit, dependens à liberrima DEI voluntate, renouandam eſſe nutu eodem omnipotenti. Explicat ſeſe Theologus noſter quàm optimè v. 12. *Homines poſt obitum non reſurgent, quoad cœlum non ſit:* nempe οἱ νῦν οὐρανοὶ, 2. Petr. III. 7. usque dum comparebit οὐρανὸς καινὸς, καὶ γῆ καινὴ, Apoc. XXI. 1. Nouerat vir pientiſſimus, *cœlos ut fumum corruptum iri,* & *terram ut veſtem vetuſtate perituram. (cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.)* Jeſ. LI. 6. Hebræum

עַר בִּלְתִּי *usque ad non*, reddunt LXX. ἕως ἂν ὁ οὐρα
νὸς οὐ μὴ συῤῥαφῇ, *quoad cœlum non ſit conſutum*, i
eſt, quamdiu hæc corporum cœleſtium har
monia, hoc mundi ſyſtema durat, unde infer
re omnino licet, alium fore cœlorum poſt han
vitam conſpectum, & tunc reſurrectura mor
tuorum corpora.

Verſ. 11. *Quum recedentibus aquis Ocea
flumina ſiccabuntur, & areſcent*, non unam ad
mittit explicationem, nempe applicatiuè a
materiam præſentem: Sunt, qui vitam hom
nis diſſimilem volunt mari & fluminibus, ſim
lem alii: diſſimilem, quatenus mare & flum
na in momenta mutantur, nunquam non aqua
ſuas amittunt, & tamen recuperant, *omnes tor
rentes mare ingrediuntur, nec tamen mare impl
tur, nam torrentes redeunt ad locum, per quem f
rebantur. (omnia flumina intrant in mare, & ma
re non redundat: ad locum, unde exeunt flumina
reuertuntur, ut iterum fluant.)* Eccleſ. I. 7. V
ta hominis è contra, fluento perſimilis, no
redeat unquam. Alii è contra, ſicut impoſſibil
ſit, ut vel mare, vel flumina exiccentur pro
ſus, ita pariter eſſe impoſſibile, ut homo e
mortuis reſurgat, ſolis naturæ viribus.

Job. Cap. XIV. verſ. 18. 19.

18. Porro mons cadens marceſcit, & ſaxum de loco ſuo cedit.

19. Aquæ cauant lapides, tuque ſummergis (a) alluuionibus tellurem: & ſpem homini calamitoſo adimis.

(a) Inundabis decidua ejus pulueris terræ.

18. Mons cadens defluit, & ſaxun
transfertur de loco ſuo.

19. Lapides excauant aquæ, & allu
uione paulatim terra conſumi
tur: & homines ergo ſimilite
perdes.

In parallelo locat Philoſophus noſter hominem, infirmam hanc & tenellam creaturam, & vaſtiſſimos ſolidiſſimosque montes, ſaxa duriſſima, marpeſias cautes, & de utrisque enuntiat, corruptioni eſſe

& διακρίσει obnoxia, mortem etiam ſaxis venir
& lapidibus.

Commentarium verſiculo 18. dare poſſe
ea in ſpecie Hiſtoriæ Naturalis Helueticæ pars
quæ agit de caſibus ſeu ruinis montium, *vo*

Berg

rg-*Fällen*, *Berg-Brüchen*, *Rüfen*, *Rüfinen*, ℞ contingere ſolent à terræ motibus, aquis, iiis, torrentibus, cataractis, erodentibus, iis arenarum ſubterraneis exhauſtis, de qua fuſius egi in *Orograph. Helv.* p. 127. 144. ſanè adeo eſt elatum, quod extra præcipi- ſit periculum, nîl adeò ſolidum, quod non ſit diſſolui. Quin imò mirari ſubit, quòd eò rara ſint dictorum caſuum in Regionibus ntoſis, qualis noſtra eſt, exempla, & DEI gularis erga monticolas bonitas hâc occa- ne deprædicanda. Egregiè exprimit He- æa vox יִבּוֹל *jibbol*, cujus radix נָבַל *nabal*, *luo*, caſuum illorum naturam, utpote qui uera defluuium ſunt ſaxorum, terrarum, ar- rum, qui torrens ſiccus ſumma violentia rtiſſima quæuis obuia proſternit, inuoluit, ſecum præcipitando prouoluit, fundami- m ſubſeſorum conſectarium. Ita *mons ca- ns marceſcit, & ſaxum de loco ſuo cedit.* Jo- anæ phraſi antea expoſitæ perbellè reſpon- t Alpicolarum vox *Bergſchlipfen*, quâ ruinas ontium exprimunt.

Sed quoque *aquæ cauant lapides*, duriſſima xa, imò terebræ ad inſtar perforant. Exem- o ſunt *ſilices* ita dicti *perforati*, nobis vacci- , *Kübeſteine* dicti, de quibus aliàs. Notum uidii illud 4. *Pont.*

Gutta cauat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

t præceptum illud juventuti ſalutare:

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe ca- dendo,
Sic ſtudia creſcunt non vi, ſed ſæpe ſtudendo.

uidius iterum L. I. *de arte amandi:*

Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius un- da?
Data tamen molli ſaxa cauantur aqua.

t *Lucretius* L. IV.

Nam leniter quamuis quod crebro tunditur ictu
Vincitur in longo ſpatio tamen, atque labaſcit.

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Hebræum שָׁחֲקוּ *ſchachaku* ſignificat propriè *contuderunt, aquæ* contundunt, conterunt, in miculas confringunt, *lapides:* phraſis parallela Lucretianæ illi, *crebro tunditur ictu.* Eſt namque quiuis guttulæ lapſus infinite parua vis, qua ſemper duriſſimo cuilibet ſaxo decedit aliquid, donec integrum id excauetur, & perforetur. Habent LXX. λίθους ἐλέανον ὕδατα, *lapides læuigarunt aquæ;* ſubſcribit & huic phraſi ratio atque experientia, videmus quippe lapides in fundo fluminum, præcipuè torrentium, jacentes, vel tectorum ſtillicidiis ſubjectos, vel aliàs ab aquâ deflua irriguos, læuigari ſenſim atque ſenſim.

Hæc omnia ſi contingant ſolidiſſimis ſaxis, quid mirum, ſi *ſummergatur alluuionibus tellus*, laxioris quippe conſiſtentiæ, contritu & diſſolutu facillima? In teſtem voco iterum Heluetiam noſtram, quæ ſubinde magna ab alluuionibus, defluis torrentibus, patitur damna. Vide ſis iterum *Hydrograph. Heluet.* p. 99. &c.

Confer, ſodes, ὡς ἐν παραλλήλῳ hominem cum ſaxis, vel & terræ glebis, delicatiſſimæ texturæ corpus, cujus vita à tenuiſſimo pendet araneæ filo, cum duriſſimis cautibus. Videbis & heic marceſcentias, dislocationes, excauationes, alluuiones, diſſolutiones, eroſiones; imo mirare, quòd tantæ ſubtilitatis ſtructura organica ad octoginta annos vel plures vitam, ſenſum & motum protrahere queat; ſtructura, quæ in momenta diſſoluitur à fluidis, breui, nî reparetur, peritura. Non heic opus ſtillis infinities cadentibus, non torrentum defluuiis: unica gutta extrauaſata meningibus inſidens accerſet conuulſiones, ſpaſmos, apoplexiam, mortem: unica in tubulis oſſium ſolidiſſimis hærens cariem: exiliſſima vaſis lymphatici ruptura hydropem. Ut nîl dicam de phthiſi, tabe, gangræna, peſte, innumeris aliis morbis, quorum principia ſunt perſæpe tenuiſſima, finis mors atra.

Job. Cap. XIV. verſ. 22.

Tantum (*a*) dolebit, dum carnem ſuam geſtat, animaque ipſius mœrebit, dum in ipſo agit.

(*a*) Tantum caro ejus ſuper ipſo dolebit, & anima ejus ſuper ipſo mœrebit.

Attamen caro ejus dum viuet, dolebit, & anima illius ſuper ſemetipſo lugebit.

Recepta eſt hodie, & extra dubii aleam poſita doctrina, dependere ſenſus ab unione animæ & corporis, excipi objectorum externorum impreſſiones à ſenſibus externis, ſed deferri inde ad cerebrum, imo ad animam. Corpus proin noſtrum quia ne per momentum quidem ab inſultibus externis eſt liberum, & ne armiſtitium quidem, nedum pacem,

cem, habet cum hoſtibus, aere, elementis aliis, cibo & potu, motu & quiete, ſomno & vigiliis, medicamentis, clarum fit, *dolere hominem, dum carnem ſuam geſtat;* Et quî quæſo! jactitari ſolet vel in momenta ab affectibus animi, quamdiu anima eſt veluti corpori incarc rata, nauiculæ ad inſtar agitatæ à ſpumantibu undis? Quid proin mirum, ſi *anima ipſius mo ret, dum in* corpore *agit?*

Job. Cap. XV. verſ. 2.

Num vir ſapiens reſpondendo proferet ventoſam ſcientiam? & orientalis ventus implebit ejus ventrem?

Nunquid ſapiens reſpondebit, qua in ventum loquens, & implebi ardore ſtomachum ſuum?

CUlpat metaphoricis hiſce locutionibus calamitatum expers Eliphas in patiente Jobo *vanitatem in ſententia, tempeſtatem in affectu, imbecillitatem in argumento, ſuperfluitatem in verbis,* commentante *Coccejo in Job.* p. 101.

דַעַת רוּחַ *daath ruach, ſcientia venti,* συνέσεως πνεῦμα, *mucho de oydeme y ſabio ſoy, y toto ayre,* interpretante *Pineda in Job.* p. 627. elegans eſt locutio, quadrans in eos, qui multis verbis, & ſeſquipedalibus periodis pauca dicunt, de propria ſcientia vaniloqui & multiloqui, quas ἡ γνῶσις φυσιοῖ, 1. Cor. VIII. 1. vento ſimiles, ſpiranti cum impetu, ſed mox prætereunti; ventiloqui, qui *ventum ſeminant, & magnum turbinem metunt.* Hoſ. VIII. 7.

Altera Eliphazi phraſis, *orientali vento implere ventrem,* metaphoram dat, quæ diuerſam admittit interpretationem. Vulgata habet, *implebit ardore ſtomachum ſuum:* originalis Textus יְמַלֵּא קָדִים בִּטְנוֹ, *implebit Euro ventrem ſuum.* LXX. ἐνέπλησε πόνον γαστρός. בֶּטֶן *beten, venter,* non tam eſt intelligendus imus ille, venter κατ' ἐξοχὴν ita dictus, vel primæ coctionis officina ventriculus, ſed venter potius medius, præcordia, cor ipſum, affectuum animi ſedes. Hoc ſenſu ſumitur Prov. XVIII. 8. *Verba ſuſurronis ſunt ac ejus, qui ſe percuſſum ſimulat, ſed intima ventris penetrant. (Verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt usque ad interiora ventris.)* חַדְרֵי בֶטֶן קָדִים pro רוּחַ קָדִים eſt communiter & generatim orientalis, qui ſi ad M ridiem deflectat, S O. *Apeliotes* vel *Subſolanu* dicitur, ſi ad Boream, N O. *Eurus. Plini* L. II. c. 46. *Ab Oriente æquinoctiali Subſolanus ab Oriente brumali Vulturnus, illum Apelioten hunc Eurum Græci appellant.* Eſt, quod hei notandum, Orientalis hic ventus in Oriental bus Regionibus æſtuoſus valde & ardens, viti bus inprimis infeſtus. *Aliquando Euro ſic infe ſtantur vites, ut niſi tegminibus opacentur, velu ti halitu flammeo fructus uratur,* Colum. L. V. c. Unde & Exod. XIV. 21. cluet רוּחַ קָדִים עַזָּה *ventus orientalis vehemens.* Spirat nempe hi iis in Regionibus, ubi Jobus habitabat, pe Regiones ſiccas, ſæpe æſtu torridas, Perſiam Tartariam magnam arenoſam, *Chinam.* A qu ſuo ardore in Europæis noſtris Regionibu multùm remittit, temperatus magis & magi quò vergit magis ad ſeptentrionem, tranſien per Archipelagum & alta montium juga. Ha explicatione fundatur Vulgata, quæ *ardore* habet pro *Euro.* Quodſi per *ventrem* intelli gamus cor ipſum, affectuum ſedem, tende eò Eliphazi adlocutio, ut Jobum amicum a ceat ab acri ſui ipſius Apologia, & iniquo e ga DEI Prouidentiam conceptu: ne animu placidum vertat in κυκεῶνα, ut cum *Syneſio* lo quar *Epiſt.* 4. Τολμηρὸν καὶ ἀναιδὲς ψυχὴ κενῷ ἀέρι θε μαινομένη, *audax & impudens res eſt anima inan aere excalefacta. Irenæus apud Epiphanium hæ reſi* 34.

Job. Cap. XV. verſ. 7.

Omniumque hominum tu primus natus es? & formatus es ante colles?

Nunquid primus homo tu natus es & ante colles formatus?

EX hac Jobo intentata culpa id ſeligo pro nunc, quod ad ſcopum attinet meum, montium nempe ætatem, quæ ab Eliphazo noſtro extenditur ad Creationem usque, tertium nempe diem, quo *congregatæ fuerunt aquæ ſub cœlis unum in locum, ut apparuerit continens.* Gen. I. 9. Eleuatis nem pe, DEI potentiſſimo nutu & juſſu, terræ ſtra tis, ſurgentibus ita montibus, defluere debe bant aquæ, terræ antea circumfluæ, in caui tates ſubterraneas, & imos alueos. Huic Pro feſſoris noſtri effato incompatibile prorſus e

Bur-

rnetii Syſtema, qui primæuam terram pla-
n facit, ouo ſimilem, montibus vallibusque
ſtitutam, ſed nec conciliare licet ſapientiſſi-
Regis hypotheſin, imo æternæ ſapientiæ
intiatum Prov. VIII. 22. 25. *DOMINUS*
edit me initio viæ ſuæ, ante opera ejus tum
m — Priusquam montes mergerentur, ante
es formata ſum. (DOMINUS poſſedit me
nitio viarum ſuarum, antequam quicquam fa-
et à principio — Necdum montes graui mo-
onſtiterant, ante colles ego parturiebar.) Pſ.
:. I. 2. *DOMINE, tu habitaculum nobis fui-*
per omnia ſecula. Priusquam montes naſceren-
, & terra formaretur ac orbis, à ſæculis us-
ad ſæcula Tu es DEUS. (DOMINE, refu-
m factus es nobis à generatione in generatio-
n. Priusquam montes fierent, aut formaretur
terra, & orbis: à ſeculo & usque in ſeculum tu
es DEUS.) De hac re egi aliàs fuſius, oſten-
dique, ni fallor, loca citata omnia quadrare
montibus primæuæ terræ, non poſtdiluuianæ,
quam nunc incolimus, quiue diluuianæ Cata-
ſtrophes ſunt productum. Fuere proin ſem-
per montes, & ab ipſis mundi primordiis, an-
no unico, vel tribus anni partibus exceptis, ut
omnino poſſint dare montes longiſſimæ dura-
tionis ſymbolum. *Montium æternorum*, & *col-*
lium ſæculi mentio fit Habac. III. 7. Montico-
lis Rhætis in uſu erat pactorum æternitatem
exprimere in ſuis diplomatibus hac, quæ huc
quadrat, phraſi, *ſo lang Grund und Grat ſtehet,*
quamdiu perſtant montes. Vid. *Cluuer. Geolog.*
p. 139. item *Orograph. Helv.* p. 107.

Job. Cap. XV. verſ. 27.

am adeps illius obduxit faciem ejus,
& (a) obeſitatem contraxit circa ilia.

(a) Hier. aruinam.

Operuit faciem ejus craſſitudo, & de
lateribus ejus aruina dependet.

EST *pinguedo* oleoſus liquor, qui ſeſe col-
ligit in certis veſiculis, eorum inpri-
mis, qui otio indulgent, & voluptati-
bus. Unde impii *pingues* cluent Pſal-
iſtæ Pſ. LXXVIII. 31. *Quum ira DEI deſæ-*
re in eos inciperet, occideretque pingues eorum.
t ira DEI aſcendit ſuper eos, & occidit pin-
es eorum.) Erant namque hi mancipia vo-
ptatum, flagrantes deſiderio carnium Ægy-
iacarum, contra quos *exarſerat furor DO-*
IINI, carne adhuc exiſtente inter dentes eorum,
c dum contrita, quod conſtat ex loco paralle-
Num. XI. 33. Tales erant *vituli ſaginati,*
ercenarii Ægypti milites Jer. XLVI. 21. Hoc
ommate & Jobum ferit Eliphaz כִּסָּה פָנָיו בְחֶלְבּוֹ
oeruit facies ſuas in adipe ſuo; phraſis paralle-
illi Pſal. LXXIII. 8. *Præ pinguedine oculi eo-*
rum exeunt. (Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eo-
rum.) Quæ inuerti quoque poteſt: præ pin-
guedine, malarum ſcilicet, oculi occultantur.

Difficilior eſt, quæ ſequitur וַיַּעַשׂ פִּימָה עֲלֵי
כָסֶל, *& fecit lumbricum ſuper inguine:* non unum
nempe admittit ſenſum vox כָּסֶל *caſel*, quæ Ju-
dæis modernis notat *ilia*; habet *Aquila* λαγόνας,
Symmachus ψόας, ψύας, LXX. μηρὰς & μήρια, *femo-*
ra, Hieronymus latera. Neque eſt extra πολυση-
μίας limites vox פִּימָה *phimah*, quæ communi-
ter vertitur per *ſtrias*, *aruina*. Habent LXX.
πολύσομον, *Olympiodorus diploidem.* Hebræo af-
fine eſt Latinorum *opimus*, Græcorum πιμελή.
Intelligitur autem homo ventroſus, pinguis &
obeſi corporis, cujus ilia præ pinguitudine
contrahuntur in plicas. Vid. *Bochart. Hieroz.*
P. I. L. II. c. 45. p. 506.

Job. Cap. XV. verſ. 33.

Ut vitis violenter abjiciet ſuos botros
immaturos, & ut oliua ſuum flo-
rem abjiciet.

Lædetur quaſi vinea in primo flore
botrus ejus, & quaſi oliua proji-
ciens florem ſuum.

EST is apud omnes modernos Botanicos
florum uſus, ut petala ſuccum nutritium
parent pro tenellis embryonibus, qua-
propter decidere ſponte ſolent flores,
fructibus grandeſcentibus. Sed defluunt ante
tempus flores, petalis ab auſtro calidiore ve-
luti deuſtis, vel ab imbribus nimiùm laxatis.
Id nos teſtari poſſumus de vite, & pomiferis
arboribus, Galli, Itali, & Orientales populi
de olea. Hoc egregio ſymbolo ſiſtuntur, qui
vel in flore ætatis ſuæ, diuitiis cumulati, im-
merſi voluptatibus tolluntur è medio homi-
num, vel & premuntur calamitatibus. Jun-
git Eliphas *vitem oleæ*, florentes circa idem fe-
re tempus arbores. *Floret ſolſtitio vitis, &*
quæ paulo ſeriùs incipit, olea. Plin. L. XVI. c. 25.
&

& applicatiuè ad Textum noſtrum Lib. XVII. c. 2. *Si, cum defluere, protinus ſequantur imbres, in totum poma depereunt. Circa vergilias qu… dem pluere inimiciſſimum viti & oleæ.*

Job. Cap. XVI. verſ. 13. 14.

13. Ut me ſagittæ illius undique feriant, & renes meos diſſecet, ac non parcat, & in terram effundat fel meum.

14. Ita me vulnerauit, ut continuum vulnus ſit, (&) in me fecit impetum ſicut gigas.

13. Circumdedit me lanceis ſuis, co… uulnerauit lumbos meos, non p… percit: & effudit in terra viſce… mea.

14. Conſcidit me vulnere ſuper vu… nus: irruit in me quaſi gigas.

Vid. Job. Cap. II. verſ. 7. 8.

Job. Cap. XVI. verſ. 16.

Facies mea intumuit fletu, & (a) palpebras meas obduxit caligo denſiſſima.

(a) Et ſuper palpebras meas umbra mortis.

Facies mea intumuit à fletu, & pal… pebræ meæ caligauerunt.

Patiebatur afflictiſſimus Jobus dolores, eosque acerrimos & continuos, corporis & animi. Expreſſerat triſtitia comes, præponderante ſucci neruei influxu, ſuppreſſo cordis motu, lachrymarum torrentes: contractis nempe glandulis oculorum lacrymalibus: *Defatigatus in gemitu ſuo fluctuare fecit tota nocte lectum ſuum, lachryma ſua grabatum ſuum liquefecit.* (*Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.*) Pſal. VI. 8.

Mœſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genæ.

Catull. ad Mallium. Ut non mirum, *palpebras,* potius oculos, *obduxiſſe caliginem denſiſſimam.* Latina noſtra, & ſic Vulgata, adhibent *caliginem*, *caligare*, voces, quæ exprimunt oculos, maculis in ſpecie, obſcuratos. LXX. ἐπὶ βλεφάροις μȣ σκιὰ, addunt alia exemplaria θανάτȣ, *ſuper palpebras meas umbra mortis.* Deriuatâ lymphâ tenui, reſtaurando humori aqueo oculorum dicatâ, ad lachrymarum ſecretorios & excretorios ductus, non poterat non condenſa… aqueus humor, oculi obſcurari, ut ſolent i… ſtante morte, ex ſpirituum animalium defect… quæ vitæ ultima momenta Hebræi perbel… exprimunt per σκιὰν θανάτȣ, *umbram mortis.* Se… quoque Jobiana phraſis, *palpebras meas obdu… xit caligo denſiſſima,* explicari poteſt ita, *morte… ipſam ante oculos fero.* *Caligare* dicunt quoqu… Latini cœlum denſis nebulis, vel atris nubibu… obductum. *Cicero: Cœlum hoc, in quo nubes vent… que coguntur, quod humidum & caliginoſum eſt pro… pter exhalationes terræ.* Et *Columella Lib.* I. c. … *Plerique amnes æſtate vaporatis, hyeme frigid… nebulis caligant.* Parallelus eſt Textui noſtr… locus Job. XVII. 7. תֵּכַהּ מִכַּעַשׂ עֵינִי *caligauit pr… indignatione*, dolore, *oculus meus*, ubi non ta… intelligenda eſt furor ille breuis, ira, ſed ex do… lore acri triſtitia. Et en, ut ἀνασκευάζει Regiu… Pſaltes Pſ. XXXVIII. 11. *Cor meum palpitat… deſtituit me robur meum, & ipſum oculorum me… rum lumen non eſt mecum.* (*Cor meum conturba… tum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen ocu… lorum meorum, & ipſum non eſt mecum.*)

Job. Cap. XVII. verſ. 14.

Foueam appello patrem meum, & vermem matrem & ſororem meam.

Putredini dixi: Pater meus es; Mater mea, & ſoror mea, vermibus.

Eſ…

EST Jobo שַׁחַת *ſchachath*, *fouea*, ipſum ſepulchrum: uti quoque Job. IX. 31. *Si me foueæ immerſeris.* XXXIII. 18. *Probibet animam ejus à fouea*, מִנִּי שַׁחַת. ...iens animam ejus à corruptione.) XXXIII. 22. ...xime foueam accedit anima ejus, & vita e... ...ollinctores. (Appropinquauit corruptioni ani... ...ejus, & vita illius mortiferis.)* 30. *Redemit ...iam meam, ne pergeret ad foueam. (Reuocat ...ias eorum à corruptione.)* Alia hujus com... ...is loca ſilentio prætereo. Porrò רִמָּה *...mah* non tam ſunt vermes, qui viuum Jo... ...n lancinabant, ex ulceribus putridis pro... ...iti, quàm hoſpites illi, quibus cadauer ejus ... in deliciis. Conſiderat ſeſe afflictiſſimus ...us ut mortis candidatum, mortis deſiderio ...itæ ærumnoſæ tædio flagrans, &, dum ſpiritum trahit, breuem ſibi ſiſtit conſpectum venturæ œconomiæ, in qua fouea, ſepulchrum, erit pater, ſorores & mater vermes. Non hoſpes futurus, ſed cibus, hoſpites, & deſideratiſſimi quidem, vermes. Procul ab his rixæ, proxima affinitate junctis, ut ſolebant orientis populi id, quod in ſingulari habebant pretio, fratrum & ſororum donare titulo. *Dic ſapientiæ, ſoror mea tu es, & prudentiam vocato cognatam.* Prov. VII. 4. *Phædra* illa amore inſano percita apud *Senecam* in *Hippol. Act.* 2.

Me vel ſororem, Hippolyte, vel famulam voca.

De vermibus autem hominis amplior dicendi locus erit occaſione Job. XXV. 6. ubi *homo vermis* cluet.

Job. Cap. XVIII. verſ. 15.

Sulphur ſpargetur in caſam ejus. — Aſpergatur in tabernaculo ejus ſulphur.

SUlphuris vox nunc ſumitur in generali ſenſu pro elemento, eoque apud Philoſophos per ignem primario, lucis, luminis & ignis fundamento: nunc, & ...ic, pro ſucco minerali, pingui, quem mo...rni conſtare dicunt ex terra, ſale acido, ma...ia pingui, inflammabili, & paucis metallicis ...rticulis. Sed phraſis, qua utitur Jobus, ſuc...cta יְזָרֶה עַל־נָוֵהוּ גָפְרִית *ſpargetur ſuper habi...culum ejus ſulphur*, non eandem apud omnes ...mittit interpretationem. 1. Volunt nonnul... loqui Bildadum de calamitatibus interneci...s, juſto DEI judicio ſuper impios plena ma... effundendis, qualis fuit pluuia illa Sodo...æis & Gomorrhæis irruens impete vaſto, *...phure & igni à DOMINO de cœlis*, Gen. ...IX. 24. vel fulmineo igni, qui ſubtile eſt per...ciſſimo motu agitatum ſulphur. *Fulmina ac ...lgura quoque ſulphuris odorem habent, ac lux ...ſa eorum ſulphurea eſt. Plin.* L. XXXV. c. 15. ...uc quadrat Pſ. XI. 6. *Pluet ſuper impios la...ieos, ignem ac ſulphur, ventum tempeſtuoſum ...rdentem, hæc ſors calicis illorum. (Pluet ſuper ...eccatores laqueos: ignis & ſulphur & ſpiritus ...rocellarum, pars calicis eorum.)* Minæ Gogo ... Magogo intentatæ. Ezech. XXXVIII. 22. *...udicium ſubibo cum eo — lapides grandinis, ...gnem & ſulphur depluam ſuper eum.* Ita ſolent ...Hiſpani, ſi diris deuoueant quempiam, dete...tari malum ignem in caput ejus, *mal fuego lo ...queme*, cui reſpondet Germanorum fulminea ...mprecatio. Sed non videtur reſpicere fulmi...neas haſce tempeſtates, in eodem namque ver...ſiculo legas, *habitabit in tabernaculo ejus nulla ...propinquitate attingens eum.* (*habitent in taber...naculo illius ſocii ejus, qui non eſt.*) Nemo enim habitabit in tabernaculo ab ignita pluuia diruto planè atque conſumto. 2. Sed aliis eſt ſulphur ſterilitatis ſymbolum, & Bildadi mens, impii habitaculum fore deſertum, cui conformis interminatio illa Deut. XXIX. 23. qua *ſulphur & ſal exuſtura ſunt terram, ut ſeminari non poſſit, non germinante neque exoriente in ea ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ, &c. (Sulphure & ſalis ardore comburens, ita ut ultra non feratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ, &c.)* 3. Alii, impii ædem adeo derelictam iri, ut exterorum nemo ibi habitare queat, ut animalibus plerisque, imo reſpirationi omni, infeſtus eſt ſulphuris odor. 4. Eſt *Philippo* ſulphur allegorico ſenſu infernalis ignis prægustus; verbo, ſulphur olere conſcientiam impiorum, imo Empyreuma. 5. D. *Thomæ* Bildadi locutio fundata ritui veterum, quo fortes varii odores & fœtidi in patrumfamiliâs funeribus fuere accenſi in extremæ triſtitiæ ſignum. 6. Volunt nonnulli, in Principum & Magnatum funeribus conſumta quoque fuiſſe pretioſa ex oleo, balſamo, aromatibus, odoramenta, uti in funere Aſæ 2. Paral. XVI. 14. *Poſuerunt eum in lecticam, quam odoribus delicatiſſimis & peregrinis arte pigmentaria conditis impleuerat, & buſtum ei fecerunt, idque magna admodum combuſtione. (Poſuerunt eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.)* Alia ex antiquitate teſtimonia lubens omitto. Sed probro fuiſſe demortuis vult *Cajetanus*, ſi rogo injectum fuerit ſulphur. Sed deſunt ex antiquitate teſtimonia. 7. Optima tandem mihi videtur eorum ſenten-

tentia, qui ſtatuunt, impii ædem, ſi habitationi reddenda ſit idonea, luſtrandam prius fore; & ſulphure quidem, ut abigerentur mali dæmones. *Sulphur habet in religionibus locum, ad expiandas ſuffitu domos. Plin.* L. XXXV. c. 15. Ita ſe & ædem ſuam ſulphure purgabat Ulyſſes apud *Homerum Odyſſ.* 22. deleta impura ſcortorum ſobole.

- - *Huc mihi fer, anus o chariſſima, ſulphur,*
Atque ignem, præſens tetri medicamen odoris:
Nam luſtrare domos, læſosque adolere Penates
Ipſe paro.

Luſtrationes ſubiere non duntaxat ædes, ſed & alia, oua, lampades, lecti: Oua apud *Ouidium* L. II. *de Arte*.

Et veniat, quæ luſtret anus lectumque focumque,
Præferat & tremula ſulphur & oua manu.

Apud *Apulejum* L. XI. lege inaugurationem, ſit venia verbo, nauis in honorem Iſidis fabricatæ. *Ibidem ſimulachris ritè diſpoſitis, nauem faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum circumſeptus variegatam, ſummus ſacerdos Tæda lucida, & ouo & ſulphure, ſolenniſſimas preces caſto præfatus ore, quàm puriſſimè purificata Deæ nuncupauit dedicauitque.* Ut hodie Cath licorum Principum naues dicari ſolent his ill ue Sanctis. Qui fortè umbram vidit infera genium ſiue ſpectrum, ei luſtratio fuit præſc pta. Audi Satyram 2. *Juuenal.* in malæ no Poëtas.

- - - - - - *Quoties hinc talis ad los*
Umbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua rentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida La rus.

Adhibuit & Medea illa ſulphur, eo & Magi aliis ritibus curatura decrepitum ſenem.

Bacchantum ritu, flagrantes circuit aras,
Multifidasque faces in foſſa ſanguinis atri
Tingit, & infectas geminis accendit in aris,
Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphu luſtrat.

Si, quod præſumimus, huc reſpexit Bildadu ſequitur inde, veterum Romanorum & Græ corum ritus deducendos eſſe ex Oriente, & ve tuſtiſſimis quidem Ægypti & Phœniciæ gent bus, ut ſanè ratio balſamandi pice dubio proc omni eſt antiquiſſima, & Patriarchalis ætatis.

Job. Cap. XIX. verſ. 27.

— (a) Quod unicum meum eſt deſiderium.

(a) Et conſummati ſunt renes mei in ſinu meo.

— Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſin meo.

Vid. Job. Cap. II. verſ. 7. 8.

Job. Cap. XX. verſ. 8.

Auolabit ut ſomnium, & non reperient eum, & fugabitur viſio nocturna.

Velut ſomnium auolans non inue nietur, tranſiet ſicut viſio no cturna.

PErcommodè vitam hominis ſomnio comparat Zophar, vel viſioni nocturnæ. Felicitas inprimis apparens impiorum citò, ut iſta illudue, fit, citò perit. Sed Philoſophus, ſi naturam ſomnii explanare neceſſum habet, tantum non ſomniat ipſe. Somniat, philoſophans de animæ genuina eſſentia, de unione animæ & corporis, vigilans licet, & omnes animi neruos intendens, quantò magis, ſi ſermo ipſi ſit de cogitationibus in ſomno obortis? ignari, quid ſint externarum impreſſionum ideæ, & quomod formentur, quid quæſo ratiocinabimur de re præſentationibus, quæ in ſomno contingunt Quis noſtrûm ſcit, atræ an albæ ſint ideæ il læ, an intuitu corporis noſtri imagunculæ ob jectorum, vel potius certi ſpirituum & fibra rum motus, quibus reſpondeant certæ cogi tationes in mente? Id conſtat equidem, varia re inſomnia pro temperamentorum diuerſitate Somniant ſanguinei de commeſſationibus, com potationibus, ſaltatione, luſu, voluptatibus pitui-

uitoſis obuenit aqua, pluuia, flumina, naui-
:iones; Bilioſis rixæ; Melancholicis ſpectra,
mones mali, triſtia quæuis. Motus ſangui-
& fluidi neruei ſi eſt exiguus tardusue, eua-
cunt mox inſomnia, ut eorum ne memo-
quidem reſtet; ſi fortis, ſi impreſſiones pro-
ıdæ, diu & per omnem ſæpe vitam hære-
veſtigium. Ad prius illud ſomniorum ge-
s digitum potius intendit Zophar. Et re-
;ari commodè poſſunt impii cujuscunque ge-
ris ad inſomniorum illam inſulam, quam de-
ibit *Lucianus* L. II. Eſt quippe voluptuoſa il-
rum vita purum putum mendacium, merus
momentaneæ durationis luſus. *Spes impio-
rum perit.* Prov. X. 28. Vel, quid niſi ſomnians eſt Euclio ille auarus, qui *amat diuitias, nullum inde percipiens fructum*, Eccleſ. V. 10. qui oculis illas legit, mentem non paſcit. Qui ita ſemetipſo: Τί ποιήσω, ὅτι οὐκ ἔχω ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου, tandemque ampliatis horreis, congeſtis ingentibus frumenti cumulis, animam ſuam demulcet ficulneo hocce ſolatio: Ψυχὴ, ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα εἰς ἔτη πολλά, ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου. Luc. XII. 17. 18. 19. Et tota vita noſtra quid niſi inſomnium? *Ubi negotia multa, ibi multa ſomnia & vanitates.* (*Ubi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates, & ſermones innumeri.*) Eccleſ. V. 6.

Job. Cap. XX. verſ. 14.

ujus panis in viſceribus ipſius vertitur in bilem aſpidis intra illum.

Panis ejus in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.

Sunt, Zophari judicio, voluptates, omniaque peccata, impiis, dum committuntur, melle dulciora, ſed commutantur poſt in amariſſimam bilem, imo acerri-
um venenum, quod conſcientias continuò
rodit, & tandem infelici ſidere natos enecat:
ex hiſtoria naturæ notum, conuerti facile
ccharum, mel, dulciſſima quæque, in fel,
olectis ex globulorum conſortio & unitis
rticulis ſalinis, acidis, acutis; ex melle & ſac-
ıaro deſtillari ſpiritum acidum, qui ferrum
ſum arrodit. Audi Regum ſapientiſſimum
rov. XXIII. 31. *Noli contemplari vinum, quum
ubet, & quum phiala colorem ſuum reddit recta
rocedentem. Poſtremum ejus velut ſerpens mor-
et, & velut aſpis punget.* (*Ne intuearis vinum
uando flaueſcit, cum ſplenduerit in vino color ejus:
ıgreditur blandè; Sed in nouiſſimo mordebit ut
oluber, & ſicut regulus venena diffundet.*) Et
pplica voluptatibus quibuscunque peccami-
ıoſis.

Commodior dabitur alibi fortè de veneno
erpentum loquendi occaſio, an id reconditum
ateat in certis veſiculis ſub dentibus, vel idea-
e duntaxat ſit, in iratos motus concitorum
ſpirituum productum? Id duntaxat occaſione
Textus monendum habeo, falli Interpretes,
qui in parallelo locant ſerpentum bilem cum acerrimo veneno; *Plinius* licet, magnus naturæ ruſpator, pollicem huic ſententiæ premat L. XI. c. 37. *Ne quis miretur fel venenum eſſe ſerpentium.* Teſtem allegamus *Seuerinum de viper.* p. 258. qui ex ſerpentina bile pani immixta nullam in fele obſeruauit noxam. Recentior adhuc *Charas* in *Anatome viperæ* p. 144. de ſerpentum bile, viridiſſima quidem, amara & acri, ſyrupo cocto quoad conſiſtentiam ſimili, p. 174. teſtatur, ſe eam multoties canibus, felibus, gallinis, columbis, viperarum fel, imo veſiculas bilarias integras 6. 10. 12. deglutiendas dediſſe, absque ulla, quæ inſecuta fuerit, noxa; imo potius ex felle tali vulneribus infuſo curata breui fuiſſe ea, veluti ex pretioſo balſamo. Haud aſſerit Zophar noſter, venenatam eſſe ſerpentum bilem, ſed conuerti impiorum voluptates, dulciſſimum primò cibum, in amariſſimum ſerpentum fel. Quodſi fortè & ille fel hocce habuiſſet pro venenato, penderet veritas hæc ab experimentis circa Arabicos alioſque Orientis ſerpentis inſtituendis, an horum fel veneno ſit tinctum, ut negari nequit, totos illos Europæis eſſe magis venenatos. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. I. c. 4. p. 24.

Job. Cap. XX. verſ. 16.

Caput venenum aſpidum ſugebit, eumque occidet lingua viperæ.

Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.

SUnt heîc nonnulla, quæ attentionem merentur. Veteres ſi conſulas Scriptores, venenum ſerpentum inuenies in capite, & nominatim in certis ſub dentibus latentibus, venenato ſucco repletis, veſiculis. *Plinius* L. XI. *Aſpidum dentes duo ſunt, in ſuperiori parte dextra læuaque longiſſimi, tenui fiſtula perforati, venenum effundentes. Ælianus: Aſpidis dentes, quos meritò lethiferos dixeris, tenuiſſimis quibusdam veluti tunicis, aut membranis indui, & veſtiri audio: & cum aſpis aliquem mordicus inuadit, membranulis compreſſis humorem venenoſum effundi. Nicander in Theriacis:*

Quatuor huic intra maxillæ concaua dentes
Radices fixere ſuas, quas juncta quibusdam
Pelliculis tunica obducit, triſte unde venenum
Effundit, ſi forte ſe approximet hoſti.

Memoraui jam ſupra ad v. 14. aliam Veterum traditionem, quæ bilem ſerpentum facit venenatam, & veſiculam bilariam ἰοφυλάκιον, ex quo per vices deducatur venenum ad os. Cui opinioni anſam forte dederunt varia Veterum de bile præjudicia, quaſi ea merè eſſet excrementitia, fluidum ſummè nociuum, quod ab ipſo corpore ad animam tranſeat, iramque accendat.

Cor ſapit, & pulmo loquitur: fel commouet iras:
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Et *Horat.* L. I. *Od.* 13.

Feruens difficili bile tumet jecur.

Quum è contra Philoſophia moderna bilem exauctoratam reſtituens in altiori fluidorum non ſolùm innoxiorum, ſed ſummè utilium & neceſſariorum gradu collocet, cujus præparationi & ſecretioni ſplen, jecur, & aliæ nobiles imi ventris partes ſua quæque conferant tributa. Oſtenſum jam ante, eſſe ſerpentum bilem veneno orbam. Inuitarunt interim illa Veterum de hac bile cogitata modernos, ut rem penitius examinarent per experimenta. Deſudarunt in hac palæſtra duo inprimis inſignes viri, *Charas* Gallus, & *Redi* Italus: Declarauit ille bilem pro innoxia ex benè multis in animalibus variis, imo in ſe ipſo, factis experimentis: hic contra pro ſummè nociua, qua vulnera illita nunquam vacauerint periculo. In hoc conuenit inter utrumque, & bilem, & ſuccum illum flauum, imo omnes ſerpentum vel viperæ partes uſu interno carere noxa, quod & olim ſtatuit *Lucianus:*

Noxia ſerpentum eſt admiſſo ſanguine peſtis,
Morſu virus habent, & fatum dente minantur:
Pocula morte carent.

Et certum id, eſſe ſerpentum morſus tunc demum venenatos, ſi ad furorem usque prius fuerint laceſſiti, ut venenoſa qualitas tribui poſſit ſpiritibus veluti irâ accenſis, qui ab animantibus iſtis tranſeuntes in aliorum ſanguinem huic venenatam communicent indolem, quamuis de hac imaginationis penetrantiſſima vi non habeamus adæquatum conceptum. Rem ipſam confirmant canum, felium, imo & hominum rabioſorum morſus, perſæpe lethales.

Quæ porrò effatur *Zophar* de *lingua viperæ* impium *occidente*, iterum non intelligenda ſunt ad literam, eſt quippe lingua hæc innocua prorſus, pungere aliterue lædere neſcia. Explicat rem hanc ita in ſuo *Hierozoico Bochartus*, quod ſerpens morſurus quempiam linguam ejaculando veluti acuat. *Seneca in Medea* v. 686.

- - ſerpens corpus immenſum trahit
Trifidamque linguam exertat, & quærens quibus
Mortifera veniat.

Sed aptior eſt *Zophari* verbis ſenſus allegoricus, quadrans in impiorum maledicentiſſimam linguam, qui conuiciis mutuis ſeſe ita proſcindant, ut unus alteri ſit lupus, ſerpens, diabolus.

Reſtant examinanda binorum animalium, quæ in Textu memorantur, nomina.

פֶּתֶן *pethen* vertitur communiter *aſpis*. LXX. Seniores v. 14. habent Ἀσπὶς, v. 16. Δράκων, ſerpentum genus veneni acerrimi, quod illicò cordis penetralia ſubit. Ὀξύτατόν ἐςι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, καὶ διαδραμεῖν ὤκιςον. *Ælian.* L. IX. c. 61. Inde & prouerbium δῆγμα ἀσπίδος, *morſus aſpidis*, quo vulnus inſanabile quoduis exprimi ſolet. Teſtimonia lege apud *Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 29. *Plin.* L. VIII. c. 23. *Ælian.* L. I. c. 54. VI. c. 38. & inter alia, quod Ægypti Regum diademata aſpidibus ornata denotent τὸ ἀνίκητον τῆς ἀρχῆς, inuictum Imperium, Inuictiſſimi titulum: quò &

:feras Chinenſium & Japonenſium Impe-
rum veſtes, palatia, naues, arma, ſuppel-
lia varia draconibus inſignita. Cruces Me-
rum ſunt aſpidis morſus, ſi *Philen* audias,
).

Τῆς Ἀσπίδος τὸ δῆγμα δῆγμ' ἐςι θανάτε,
Μὴ, μὴ, Γαληνὲ, μηδὲ φάρμακον χέῃς.

Repente mortem morſus infert aſpidis.
Ne, ne, Galene, pharmacum ne infuderis.

Galeno αὐτόπτῃ teſte *Theriac.* L. I. c. 8. Aſpi-
carnificum loco ſunt Alexandriæ Ægypti,
leficorum mammis appliciti quàm citiſſimè
cantes. Serpentum dicuntur maximi aſpi-
in Ægypto. *Ammianus* L. XXII. *Serpentes,*
s Ægyptus alit innumeras, — omnes magni-
ne & decore aſpis facile ſupereminet, nun-
m ſponte ſua fluenta egreditur Nili. Orgyjæ
gitudinem dat *Nicander. Strabo* L. XVII.
ταμιαίας habet & ἐγγυὰς ὀργυιᾶς. *Ælianus* L. XVI.
9. Ægyptiacas aſpides τετραπήχεις, & L. VI.
8. πενταπήχεις, quam 5. ulnarum menſuram
quoque aſpidibus terreſtribus *Aetius Te-*
b. 4. *Serm.* I. c. 21. ubi ὡς ἐν παρόδῳ notan-
m, *Aetium, Auicennam,* alios, ſerpentibus
jusmodi longioribus nomen impoſuiſſe *dra-*
num: aſcendunt autem hi à 5. cubitis ad 30.
nc eſt, quod & Hebræorum פֶּתֶן reddatur à
nnullis Δράκων. Ita & vertunt Syrus & Arabs
b. XX. 14. & LXX. v. 16. Pſ. XCI. 13. veluti
nonyma juxta ponuntur פֶּתֶן *aſpis* & תַּנִּין *dra-*
, quæ duo vocabula aliàs videntur affinia.
onathan pro plurali habet פִּיתוֹנַיָּא פִּתָנִים à
ngulari פִּיתוֹן. Ducunt nos hæc vocabula ad
ræcam vocem πύθων, qua venit draco ingens
Apolline occiſus in Parnaſſo. *Strabo* L. IX.
Ephoro draconem transformat in hominem
gittis ab Apolline transfixum, χαλεπὸν ἄνδρα,
ύθωνα τ'ὔνομα, ἐπίκλησιν δὲ Δράκοντα, *virum atro-*
em, Pythonem nomine, Draconem cognomento,
uem latronem toti Parnaſſo infeſtum *Apol-*
lonius Argon. L. III. v. 708. & poſt eum *Suidas*
voce πυθὼ vocant *Delphynen:* qui Delphynes
in Phocide olim graſſatus à Phœniciis, Bœotiæ
tunc incolis, cognomentum obtinuit Pythonis.
Arabibus enim *phatthan* notat ſeditioſum, la-
tronem, graſſatorem, ex quo poſtea Poëtæ
finxerunt draconem. Ab hoc Pythone nomen
habent *Pythii Ludi,* & πυθὼ, πυθὼν Delphorum
urbs, *Apollo* ipſe πύθων. *Hoc nomen* (πύθων) *ex*
nece draconis inditum Deo Græci fabulantur.
Macrob. L. I. c. 20. Hinc lux affulget loco
Act. XVI. 16. de ſerua, quæ habuit πνεῦμα πύ-
θωνος, *ſpiritum Apollinis.* Hinc & Græci ἐγγα-
στριμύθες, ventriloquos, εὐρυκλέας nuncuparunt &
πύθωνας apud *Plut. de Defectu Oraculorum.*
Quodſi p. literam mutes in w. habebis pro *pe-*
then vel *Pythone* Arabum modernorum *weten,*
weta, quæ voces ſerpentem deſignant apud
Meninzk. Lex. p. 5534. Affinia vocabula ſunt
eſwed, ſerpens magnus niger, Plur. *eſawid.*
p. 5725. 5735. *eſwedani* p. 5737. *eſwedet,* nigra
fœmella, l. c.

Alterum, quod in Textu occurrit, nomen
eſt אֶפְעֶה *epheh,* quod ab Interpretibus non-
nullis vertitur ἄσπις, *aſpis,* ab aliis *baſiliſcus,*
draco, ſerpens: Sunt Rabbini ipſi inter ſe di-
uiſi. Habet R. *Selomo ſerpentem adurentem,* ſeu
preſterem; Mardochæus & *Pomarius baſiliſcum;*
Kimchi ſerpentem variæ pellis & maculoſæ. Mi-
litant potiores rationes pro *vipera,* quam &
Arabes moderni vocant *ef-â, ef-æw,* Perſæ
mâ-rï ef-â, ef-y apud *Meninzk. Lex.* 4233.
5692. 5784. Videſis plura pro vipera argu-
menta, & in totum Textum ampliorem Com-
mentarium in *Bocharti Hieroz.* P. II. L. III. c. I.
p. 358. c. 5. p. 380. præcipuè ex Arabum ſcri-
ptis, *Auicenna* cumprimis, cui vipera eſt *ala-*
phai, Abenbitar ephe, Alkazuino alephe: Et quod
Arabes memorant de *ephe,* idem narrant Græ-
ci, *Dioſcorides, Galenus, Nicander* de ἐχίδνῃ.
Vid. *Seuerinus de Viper.* p. 292. 299. *Charras*
Experim. circa Viper.

Job. Cap. XXII. verſ. 12. 13. 14.

12. Nonne DEUS cœlum altum te-
net? ſpectato enim verticem ſtel-
larum, quam ſublimes ſunt.
13. Dixiſti etiam: quid DEUS ſciret?
An per caliginem judicaret?
14. Nubes ei latebræ ſunt, ut non vi-
deat, & in ſphæra cœleſti verſa-
tur.

12. An cogitas, quod DEUS excelſior
cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verti-
cem ſublimetur?
13. Et dicis: Quid enim nouit DEUS?
& quaſi per caliginem judicat?
14. Nubes latibulum ejus, nec noſtra
conſiderat, & circa cardines cœ-
li perambulat.

IDem ſubiit Jobus fatum, quod benè multi hodie, qui pietatem DEO debitam colunt, ἑτεροδοξίας atro carbone notati, inuiti licet, & Orthodoxi ipſi.

Duo occurrunt heic palmaria Philoſophiæ & Theologiæ Naturalis puncta, omniſapientiæ & omnipræſentiæ DEI demonſtratio ex natura & ratione, dehinc ſtellarum altitudo.

Antiquiſſimus eſt Paganorum error, in altiſſimo cœlorum ſolio reſidere DEUM, de rebus, quæ in hac terra contingunt, parum vel nihil ſollicitum, quarum curam tradat minorum gentium Diis tanquam vicariis. Et eſt hic potiſſimus Polytheiſmi fons. Fuere haud dubiè Jobi tempore hujus commatis homines, quoniam Eliphas amicum ὀρθοδοξότατον erroris hujus capitalis facit reum. Erroris, qui, ſi attendas ad anguſtos intellectus noſtri limites, ejuſdem eſt cum ipſo mundo ætatis. Sunt equidem DEI veſtigia, ſi vel parum attollas oculos, ubique, in tota rerum natura, ἐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάςε ἡμῶν ὑπάρχει. Act. XVII. 27. Attamen conceptui intellectus finiti non adeò facilis eſt articulus de omnipræſentia DEI in cœlo & terra, in omni altitudine & profunditate, ut infinitum illud ens nullibi ſit incluſum, excluſum nullibi. Sed non ſunt inſuperabiles obices. Pro baſi pone inuictam veritatem fundamentalem, ab idea DEI remouendum eſſe, quicquid quamcunque ſpirat imperfectionem; intrabis mox, ratione ſana duce, portum immenſitatis & omnipræſentiæ diuinæ. Qui quidem ſtantis cadentisue religionis articulus minus capitur ab iis, qui meditari nec poſſunt, nec volunt, qui præjudiciis occœcati corruptè viuunt, & perverſè ſentiunt. Et utinam non implantaremus nos ipſi hujusmodi præjudicia infantibus noſtris, DEUM illis monſtrantes in cœlo, & veluti remouentes à terra! Sed auxilio venit corrupto intellectui humano clementiſſimus DEUS, in reuelato verbo omnipræſentiam ſuam declarans: *Annon DEUS de propinquo ego, dicit DOMINUS, & non DEUS de longinquo? Num abſcondet ſe quisquam in latebras, ut eum videre nequeam, ait DOMINUS? Annon cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINUS? (Putasne, DEUS è vicino ego ſum, dicit DOMINUS, & non DEUS de longe? Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit DOMINUS? Nunquid non cœlum & terram ego impleo, dicit DOMINUS?)* Jer. XXIII. 23. 24. Quis, quæſo, id inficiabitur, niſi cui pro cerebro eſt fungus? Pone in uniuerſo angulum vel minimum, qui DEI præſentia careat, vel quò DEUS penetrare non poſſit, tribues eo ipſo enti perfectiſſimo imperfectionem, & delebis ita ideam enti ſummo reſpondentem: Securi nauigabimus inter ſcopulos, ſi, quod probè monendum, DEUM non faciamus materialem, extenſum, cujus pars una heîc ſit, alibi alia, pars in cœlo, alia in terra. Pugnant craſſæ hæ ideæ cum ſimplicitate DEI, quæ enti huic omniperfe[cto] dat indiuiſibilitatem. Conceptibus his ar[ctis] DEUM claudebant cœloque ſoli alligabant [ve]teres Ægyptii, à quibus fortè capitalis err[or] tranſiit ad alias gentes. Audi *Euſebium Pr[æp.] Euang.* III. c. 3. *Ægyptiorum Deorum ſymb[ola] talia ſunt: Creatorem ENEPH Ægyptii app[el]lant, cujus imaginem in forma hominis faciu[nt] colore cœruleo, coronam tenentem & ſceptru[m,] cujus in capite pennam ponunt, ſignificantes, di[ffi]cilem inuentu eſſe Creatorem, & nemini conſ[pi]cuum: viuificum etiam & Regem, & intelligi[bi]li motu circumlatum.* Saniori longè mente *A[ri]ſtoteles*, ſi Author eſt Libelli *de Mundo ad A[le]xandrum*, ὕπατον in cœlo quidem collocans, [ſed] ita, ut inde quaquauerſum penetret. Σωτὴρ [μὲν] γὰρ ὄντως ἁπάντων ἐςὶ, καὶ γενέτωρ τῶν ὁπωσδήποτε κα[τὰ] τόνδε τὸν κόσμον συντελȣμένων, ὁ θεός· ȣ μὴν αὐτȣργȣ [καὶ] ἐπιπόνȣ ζώȣ κάματον ὑπομένων, ἀλλὰ δυνάμει χρώμε[νος] ἀτρύτῳ, δι' ἧς καὶ τῶν πόῤῥω δοκȣ́ντων εἶναι περιγίνεται· τ[ὴν] μὲν ȣ̓͂ν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, ὕπατός [τε] διὰ τȣ͂το ὠνόμαςαι, καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν ἀκροτάτῃ κορυ[φῇ] τȣ͂ σύμπαντος ἐγκαθιδρυμένος ȣ̓ρανȣ͂. Μάλιςα δέ πως αὐ[τȣ͂] τῆς δυνάμεως ἀπολαύει τὸ πλησίον αὐτȣ͂ σῶμα. Καὶ ἔπε[ι]τα, τὸ μετ' ἐκεῖνο. Καὶ ἐφεξῆς ȣ̔́τως ἄχρι τῶν καθ' ἡμ[ᾶς] τόπων. Διὸ γῆ τε καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ἔοικεν ἐν ἀποςά[σει] πλείςῃ τῆς ἐκ θεȣ͂ ὄντα ὠφελείας, ἀσθενῆ καὶ ἀκατάλληλα ε[ἶ]ναι καὶ πολλῆς μεςὰ ταραχῆς. ȣ̓ μὴν ἀλλὰ καὶ, καθόσον ἐ[πὶ] πᾶν διικνεῖσθαι πέφυκε τὸ θεῖον, καὶ τὰ καθ' ἡμᾶς ὁμοίω[ς] συμβαίνει τά τε ὑπὲρ ἡμᾶς, κατὰ τὸ ἐγγιόν τε καὶ πορρώτε[ρ]ον θεȣ͂ εἶναι μᾶλλον δὴ καὶ ἧττον ὠφελείας μεταλαμβάνοντ[α.] Errorem obſeruabis veritati ſociatum, quem [&] Jobo Eliphas objicit. *An per caliginem judica[bit]? Nubes ei latebræ ſunt, ut non videat, & i[n] ſphæra cœleſti*, in cœlorum ſphæra ſuprema *verſatur.* Sapientior longè Ariſtotele *Pytha[go]goras* apud *Cyrillum Alexandrin.* L. II. *contra Ju[]lianum: DEUS quidem unus, & ipſe, non, u[t] quidam ſuſpicantur, extra mundi gubernationem, ſed in ipſo totus in toto circulo, omnes generationes conſiderat, contemperatio exiſtens omnium ſæculorum, & lux ſuarum virtutum, & operum principium, omnium lumen in cœlo, & Pater omnium, mens, & animatio omnium, circulorum omnium motio.* Egregia ſunt, quæ ex gentilibus Theologus quidam reliquit de Joue.

Ὦ βασιλεῦ, διὰ σὴν κεφαλὴν ἐφάνη τάδε ῥεῖα,
Γαῖα θεὰ μήτηρ, ὀρέων θ' ὑψηχέες ὄχθοι,
Καὶ πόντος, καὶ πάνθ' ὁπόσ' ȣ̓ρανὸς ἐντὸς ἔταξε.
Ζεῦ κρόνιε, σκηπτȣ͂χε, καταιβάτα, ὀβριμόθυμε,
Παντογένεθλ', ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή.

&c. p. 112.

O Rex, iſthæc cuncta tuo ſunt numine creta.
Terra tua eſt, terræque immania culmina montes,
Et mare, quæque fretu aërio cortina recepta.
Induperans, Saturniu' Juppiter, Elicius, Trux,
Omnigenens, atque omnium principium, exitium omnium.

Teſti-

timonia hujus generis benè multa ex anti-
tate pagana inuenias apud Priſcæ Eccleſiæ
res, qui hujusmodi armis feliciter pugna-
ıt contra aduerſarios, propriis hoſce confo-
ndo gladiis. Adi *Clementem Stromat.* L. V.
illum Alexandrinum, *Euſebium*, *Lactantium*
/I. c. 24. *Arrianum de dictis Epicteti* L. I. c. 14.
ceptum ſanè erat, quod *Virgilius* canit in
orgicis.

- - - - Deum ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

iid, quæſo, hoc aliud, quàm quod ex ore
:I effatur Jeſaias LXVI. 1. *Sic dicit* DOMI-
JS: *Cœlum ſolium meum eſt; Terra verò ſcabel-*
ı pedum meorum. Haud ineptè comparat
guſtinus Confeſſion. L. VII. c. 5. immenſum
:UM mari, & mundum ſpongiæ in eo ja-
ıti, qui quidem conceptus, in ſe materialis,
m grano ſalis intelligi & ad ſanæ Philoſo-
iæ lancem ponderari ſeu rectificari debet.
nſtituebam, inquit, *in conſpectu ſpiritus mei*
iuerſam creaturam, & feci unam maſſam gran-
m, diſtinctam generibus, ſanè finitam, te autem,
omine, ex omni parte ambientem eam, & pene-
ıntem, ſed usquequaque infinitum. Tanquam ſi
ıre eſſet ubique, & undique per uniuerſa ſpatia
initum ſolum mare, & haberet intra ſe ſpon-
ım, quamlibet magnam, ſed finitam tamen, ple-
eſſet ſpongia illa ex omni parte ſua immenſo
ıri: ſic creaturam tuam finitam te infinito ple-
ım putabam, & dicebam, ecce DEUS, & ec-
, quæ creauit DEUS, & ecce, quomodo am-
t, & implet ea! Egregia quoque ſunt *Iſidori*
e ſummo Bono L. I. c. 1. *Immenſitas diuinæ ma-*
ıitudinis iſta eſt, ut intelligamus, eum intra omnia,
d non incluſum: extra omnia, ſed non exclu-
ım: & ideò interiorem, ut omnia contineat:
leò exteriorem, ut incircumſcripta magnitudinis
ıæ immenſitate omnia concludat. Per id ergò,
uòd exterior eſt, oſtenditur eſſe Creator: per id,
uòd interior, gubernare omnia demonſtratur.

Includit idea entis ſummè perfecti *omniſa-*
pientiam: παράδοξον certè, eſſe infinitè perfectum,
x tamen non omnia videre, audire, ſcire, in-
telligere; eſſe infinitè perfectum, & tamen la-
borare quadam, vel minima, imperfectione.
Si verò DEUS eſt omnipræſens, ſi omniſcius,
nîl omnino poterit contingere ipſo inſcio, non
pilus de capite fluere, non paſſer auolare tecto,
absque ſummi entis directione. Et prolucet
ſanæ cuiuis rationi ex hactenus dictis palma-
rius ille religionis de *prouidentia* articulus, gen-
tilibus ipſis haud ignotus. Quanquam hi ipſi
pro diuerſo ſuo de immenſitate DEI conceptu,
ſupra expoſito, circa omniſcientiam & ſapien-
tiſſimam prouidentiam abierint in ſententiarum diuortia, ut adhuc proh dolor! dantur Platonici, qui prouidentiam DEI alligant quidem toti mundi ſyſtemati, ſed non extendunt ad minutiſſima quæque, quæ in hac terra geruntur: imo, quod dolendum magis, articulum hunc de prouidentia negat & pernegat vita ſua potior Chriſticolarum pars. Occurrunt equidem in ipſa Scriptura Sacra loca, quæ primo intuitu cancellis quibusdam includere videntur tum omnipræſentiam, tum omniſcientiam DEI. Gen. XVIII. 21. ita Abrahamum alloquitur DEUS: *Deſcendam nunc, & videbo, num ita habeat, quemadmodum regionis illius fama ad me peruenit: ſi fecerunt, actum de illis eſt: ſin minus, ut ſciam. (Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, ut ſciam.)* Formula hæc eſt loquendi, quod nemo non videt, deſumpta ab officio judicis, qui ipſe locum delicti adit, ſeſe penitius informaturus, dehinc dignas delicto expetiturus à reo pœnas. Deſcendit DEUS omnipræſens, non ut rerum actarum ignarus, ſed judex omniſcius. Clara hæc exegeſis ex ipſo Textu citato. Audiuiſſe oportet & vidiſſe Sodomæorum flagitia, ſi *fama* eorum *peruenit* ad DEUM. Quis quæſo hominum diſcrimen faciet, vel qualenam, inter τὸ *videre* DEI & audire? Ipſæ hæ à viſu & auditu deſumtæ locutiones ſunt ἀνθρωποπαθέες, intelligendæ θεοπρεπῶς. Quodſi tamen ex gentilibus quispiam allegatum locum vel legiſſet, vel ei nudè crediдiſſet, eundem ſine dubio errorem is erraſſet, cujus Eliphas Jobum inſimulat, *DEUM* nempe *altum tenere cœlum*, rerum, quæ in hac terra geruntur, incurium, *judicare per caliginem, nubes ei latebras eſſe, ut non videat, in ſphæra verſari cœleſti.* Ita ſumus mortales naturâ comparati, ut id collocemus inter non entia, quod viſum noſtrum ſubterfugit. Eſt hoc ipſum præjudicium, quod DEI omnipræſentiam à nobis amouet. Egregia ſunt *Gregorii* verba: *Sic latet DEUS in ſua ſpecie, ut tamen cognoſcatur in operatione: ſic cognoſcitur in ſuo opere, ut tamen comprehendi non valeat agnoſcentis æſtimatione: ſic adeſt, ut videri nequeat: ſic videri non valet, ut tamen ejus præſentiam ipſa ſua judicia teſtentur: ſic ſe nobis intelligendum præbet, ut tamen ipſum nobis radium ſui intellectus obnubilet; & rurſum ſic caligine nos ignorantiæ reprimit, ut tamen menti noſtræ radiis ſuæ charitatis intermicet.* Aui illi omnino ſimiles, quæ caput in ſenticeto recondens perſuaſa eſt, non videri à venatore. Quum tamen τὰ ἀόρατα τοῦ ΘΕΟΥ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης· εἰς τὸ εἶναι ἀναπολογήτους. Rom. I. 20. Qui oculis vel nictitando micat, DEUM videt ubique, & huc fortè reſpexit *Homerus*, de Diis hunc promens conceptum, quod, hominibus licet obuii, iis duntaxat fiant manifeſti, quibus ſeſe reuelare cupiunt. Ita occurrebat Minerua Ulyſſi *Odyſſ.* II.

 Sed

Sed hæc propè venit, corpore autem aſſimulata eſt mulieri.
Pulchræque magnæque, & ſplendida opera ſcienti,
Stetit autem in veſtibulo ſtabuli Ulyſſes, neque intellexit.
Non enim omnibus Dei apparent manifeſti.

Ita ſanè non cognoſcebat Sara ſummos mariti Abrahæ hoſpites. Sunt *nubes*, quibus DEUS reſpectu noſtri eſt aliquando inuolutus, ipſum illud φῶς, ὃ εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται. 1. Tim. VI. 16. Sciamus oportet, *ne tenebras quidem aliquid DEO occultare, noctem lucere ut diem, tenebrasque & lucem Ei juxta haberi. (Tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.)* Pſ. CXXXIX. 12. Eſt ſplendidiſſimum diuinitatis jubar intolerabile oculis noſtris, & propterea DEUS occultus ſimul & manifeſtus. *Circumquaque juxta ſe tenebras ponit latibulo ſuo inſtar tabernaculorum, aquas atratas, denſiſſimas nubes. (Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aëris.)* Pſal. XVIII. 12. Manet homo in ignorantia ſua natiua, vel erroribus acquiſitis, niſi ideas de DEI cognitione ſibi impreſſas, & veluti ſub cineribus latentes, continuò ἀναζωπυρεῖ, præprimis ſi eſſentiam DEI dimetiatur ad corruptæ ſuæ rationis arctiſſimum modulum. Ita judicandum de Paganorum Theologia circa articulum de prouidentia. Fuere enim, qui capere non poterant, quòd DEUS omnia intelligat, ſciat, præuideat, dirigat: alii, quòd minimarum quarumuis rerum, quæ apud nos geruntur, gnarus quidem ſit, ſed incurius. Et eſt hic ipſe ſubtilis ille Atheiſmus, cujus Eliphas Jobum accuſat, *verſari DEUM in ſphæra cœleſti.* Ita *Seniores* illi *Domus Iſraelis* Ezech. VIII. 11. DOMINUS *non videt nos, dereliquit* DOMINUS *terram.* Eſt hæc ipſa *Epicuri* confeſſio apud *Ciceronem.* III. *de Nat. Deor. At enim minora Dii negligunt, neque agellos ſingulorum, nec viticulas perſequuntur.*

Hebræum חוג שָׁמַיִם *chug ſchamajim*, vertimus nos *ſphæram cœleſtem*, Vulgata *cardines cœli*, LXX. γῦρον οὐρανοῦ. Stare poſſunt & cardines & ſphæra, & explicari ita, quòd DEI continuus ſit labor, ſphæram cœli ſupremam verſare circa cardines, polos, axin, quem primi mobilis motum ſphæræ Planetarum inferiores ſequi debeant. Syſtema hoc fuit veterum Philoſophorum, qui vel unius Poli mentionem fecerunt, Septentrionalis ſcilicet, qui nos nunquam latet,

Qui ſemper liquidis altior extat aquis,

Ouid. II. de Pont. Eleg. 10. vel duorum, borealis & auſtralis. Quibus binos inſuper addit *Statius Thebaid.* L. XXII. orientalem & occidentalem:

Limes uterque poli, quem Sol emiſſus Eoo
Cardine, quem portu vergens proſpectat Ibero,
Quasque procul terras obliquo ſydere tangit
Eurus, aut boreas gelidas; madidiue tepente
Igne noti.

Sunt hæ quatuor mundi plagæ cardinales, de quibus Matth. XXIV. 31. ἐπισυνάξουσι (οἱ ἄγγελοι) τοὺς ἐκλεκτοὺς ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ᾽ ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν. Laborem hunc DEI, qui absque labore fit, egregiè exprimit *Seneca Hippol. Act.* 3.

O magna parens natura Deum,
Tuque igniferi cito rector Olympi,
Qui ſparſa cito ſidera mundo
Curruſque vagos rapis aſtrorum,
Celerique polos cardine verſas;
Cur tibi tanta eſt cura perennes
Agitare vias ætheris alti?
Qui tanta regis, ſub quo vaſti
Pondera mundi librata ſuos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus ades, non ſollicitus
Prodeſſe bonis, nocuiſſe malis.

Melius, & Chriſtiano Philoſopho dignius *Boethius I. de conſolat. metr.* 5.

O ſtelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus ſolio,
Rapido cœlum turbine verſas,
Legemque pati ſydera cogis,
Omnia certo fine gubernans,
Hominum ſolos reſpuis actus
Merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? - - -
O jam miſeras reſpice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis!
Operis tanti pars non vilis
Homines, quatimur fortunæ ſalo.
Rapidos rector comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immenſum,
Firma ſtabileis fœdere terras.

Conſulamus rationem: DEUS ſi pro infinita ſua & potentiſſima ſapientia condidit cœlorum ambitum, & Planetas ſingulos in orbibus ellipticis poſuit, unde ne vel latum quidem unguem excedant, non erunt Ei ignota motuum admirandorum centra, cardines. Et æquo jure dici poteſt DEUS πάνβλεπτος & περίβλεπτος ex totius uniuerſi centro conſpicere quaquauerſum omnia, atque in ſphæra cœlorum ambulans omnia ad usque centrum.

In examine præſenti reſtant גֹּבַהּ שָׁמַיִם *gobhah ſchamajim, altitudo cœlorum,* τὰ ὑψηλὰ LXX. & ראש כּוֹכָבִים *roſch chochabbim, vertex ſtellarum, quàm ſublimes ſunt* v. 12. ubi per כּוֹכָבִים intelligi poſſunt ſtellæ tum fixæ, tum erraticæ: utpote

ꝛte quæ perſuaſiſſimos nos reddunt de DEI
ıipotentis & omniſapientis præſentia, qui
ıdos illos igneos & opacos creauerit Gen.
. dominari Eum *Soli*, *Lunæ*, *Stellis & uni-*
exercitui cœlorum. Deut. IV. 19. *claudere*
s velut ſigillo appoſito, (claudere ſtellas quaſi
ignaculo,) Job. IX. 7. ut optimo creationis,
eruationis, & directionis jure corpora illa
ıdi totalia clueant DEI *ſtellæ*, Jeſ. XIV. 13.
m hunc ſuum conditorem indeſinenter *lau-*
, Pſal. CXLVIII. 3. nempe per incolas ſuos,
ıuam procuratores, vel nos terricolas. *E-*
lem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuo-
, *Lunam & Stellas, quas tu præparaſti*, Pſal.
I. 4. Tantò autem excitabimur magis ad
ımi Creatoris laudes, ſi Philoſophia mo-
ıâ mathematicâ duce, & cum Elipha pro-
ente noſtro, conſideremus immenſam pror-
ſtellarum altitudinem. Sic enim pleno gut-
: exclamabimus cum Pſalte Regio: *Ma-*
eſt DOMINUS noſter & ingentis poten-
cujus intelligentia innumerabilis eſt. (Ma-
s DOMINUS noſter, & magna virtus ejus;
apientiæ ejus non eſt numerus.) Pſ. CXLVII. 5.
eò extenuant rem hanc maximi momenti
ceptus vulgi, & infantiæ noſtræ præjudi-
ut ſolem lunamque dolii areæ circulari vix
jores ſtatuat ima plebs, & tantum non ipſis
eologis cæterum orthodoxis, ſed ἀγεωμετρή-
fiamus ludibrio, ſi Mathematici tam voli-
ıus altè, quàm nos euehunt demonſtratio-
. Pro ὁδηγῷ ſume *Hugenium*, ſubtilis inge-
Belgam, & ex ejus *Coſmotheoro* p. 123. con-
ra ſolaris mundi ſyſtema & magnitudinem,
quo terrella noſtra punctuli ad inſtar natat,
nos cum ea vermiculi. Aream delinea in
no circularem vel ellipticam, cujus diame-
ſit pedum 360. præſentabit extremus circu-
Saturni orbitam, in quo collocandus eſt ſu-
emus hic Planeta cum annulo ſuo & ſatelli-
us quinque; infra hunc Jupiter cum ſuis
atuor ſatellitibus, porrò Mars, & ita Plane-
reliqui, ad usque centrum, quod occupat
l; omnia hæc in ea, quam Aſtronomi mo-
rni adſignant, proportione. Sic obtinebit
bis terræ magnus, quem anni ſpatio decur-
ıus, diametrum 36. pedum, & è Sole viſa
ec terra noſtra, in qua poma natamus, non
ajor videbitur milii ſemine, luna punctuli in
rcello duorum pollicum. Diſtabit nempe ter-
à Sole 12000. diametris, ſiue 17000000.
illiaribus germanicis; compara, ſi lubet, ve-
ocitatem globi tormento exploſi, qui minuti
cundi ſpatio 100. hexapodas conficit, inue-
ies 25. annos pro diſtantia terræ à Sole, pro

Joue 125. pro Saturno 250. Computum hunc inſtituit *Hugenius* ad imitationem *Heſiodi*, qui altitudinem cœli & profunditatem Tartari dimetitur lapſu incudis ferreæ, & huic dat 10. dies à cœlo ad terram, totidemque ad Tartarum. Qui computus licet, collatus cum Hugeniano, nihili fere habendus ſit, multos tamen inueniet incredulos, nempe literatos, ſed amathematicos. Et hic, quem hactenus dedimus, computus nihil eſt, ſi conferatur cum Fixarum diſtantia. Hæ quia nec ſitum mutant, nec magnitudinem, terricolis nobis in hac illaue orbis magni parte hærentibus, ſequitur ipſum hunc orbem integrum punctuli duntaxat rationem habere ad Fixarum immenſam diſtantiam. Conſentiunt autem in eo omnes moderni Aſtronomi, Copernicani nempe, eſſe Fixas totidem Soles, nec in una eademque ſphæra ſeu peripheria locatas, ſed unas aliis ſuperiores, ut ſint fortè, quæ totidem ſeu paraſangis, ſeu milliaribus, ſeu diametris terræ orbisue magnis diſtant à proxima nobis Stella Fixa, quot hæc à Sole. Tentaturus autem Hugenius, an determinari quodammodo poſſet & hæc Fixarum diſtantia, aperturam reliquit tubo duodecem pedali eam, qua Sol redactus fuit ad Sirii magnitudinem, quæ apertura fuit $\frac{1}{12}$. lineæ ſeu $\frac{1}{144}$. digiti. Ut proin pars Solis, quæ Sirii dat magnitudinem apparentem ad diametrum ipſius Solis ſeſe habitura ſit ut 1. ad 152. de $\frac{1}{182}$. ſiue, ut 1. ad 27664, magnitudo autem diametri lucis quia diminuitur in ratione diſtantiæ, diſtabit Sirius, Soli quoad magnitudinem par, 27664.ies plus quàm Sol à terra, inſumetque proin globus tormentarius, de quo ſupra 25.es 27664. ſiue 691600. annos à Sole ad Sirium usque. Quid nunc, ſodes, judicabis de earum ſtellarum diſtantia, quæ tantundem Sirio ſunt altiores, quantundem hic Sole? Hunc tamen, quem dedimus, calculum proponimus ita, ut manſura ſit quæſtio, & indeciſa, quæ extat Eccleſiaſtic. I. 3. *Sublimitatem cœli terræque latitudinem aut profundum quis emetiatur? ſimiliterque ſapientiam DEI quis perueſtiget? (Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Sapientiam DEI præcedentem omnia, quis inueſtigauit?)* Fatebitur lubens Hugenius, & cum eo Aſtronomi omnes, haud adeò certum eſſe calculum ſupra expoſitum, utut ſuis baſibus nixum, quin incertitudine ſua laboret, & admirabundi venerabuntur immenſam ut altitudinem ita profunditatem ſtellarum, imo

τὸ βάθος τῆς σοφίας
ΘΕΟΥ.

Job. Cap. XXIII. verſ. 8. 9.

8. Si ad orientem eam, nuſpiam ille apparet: aut in (a) occaſum, non animaduerto eum.

(a) Retro.

9. Dum agit quippiam ad (a) læuam, ego non ſpecto, & ad partem dextram ſe abdit, ut non videam.

(a) Id eſt, ad plagam auſtralem, ut dextra pro ſeptentrionali ponitur.

8. Si ad Orientem iero, non apparet ſi ad Occidentem, non intelligan eum.

9. Si ad ſiniſtram, quid agam? nor apprehendam eum: ſi me ver tam ad dexteram, non videbo il lum.

Cocceji, celebris Theologi, myſtica hujus Textus explicatio concentrata hæc eſt, occultum fuiſſe DEUM Veteris Teſtamenti fidelibus, & lege carnali quaſi inuolutum, ut proin graue fuerit pientiſſimo Jobo inuenire amplas illas Abrahamo factas promiſſiones, ſibique & ſtatui ſuo miſerrimo applicare. Has aliaſue hujus generis explicationes linquo iis, quibus vel ſtudioſæ juuentutis vel animarum cura commiſſa eſt, in Jobi verbis duntaxat quæſiturus antiquiſſimæ de *quatuor mundi cardinalibus plagis* traditionis veſtigia.

קֶדֶם *kædæm, ante*, ſignificat *orientem*, אָחוֹר *achor, poſt, occaſum*, יָמִין *jamin, dextra, Meridiem*, שְׂמֹאל *ſmol, ſiniſtra, Septentrionem.* Ita explicant Rabbini, & cum iis Chriſtiani Doctores. Sed nemo non videt, variare plagas, ſi faciem obuertat ſpectator Meridiei, Boreæ, occidenti: ratio proin quæri debet, cur Jobus per קֶדֶם intellexerit *Ortum.* Hanc inueniunt Judæi in vetuſtiſſimo recutitorum, Arabum, aliarumque Gentium Orientalium preces fundendi ritu, quo faciem obuerterint Orienti, qui familiaris quoque multis Paganis, ſpeciatim Soli-colis. De CHRISTI cultoribus primorum ſeculorum ipſis notum, ita ædificaſſe templa, ut horum chorus reſpexerit Ortum. Huic fundamento nititur nonnullorum opinio de inferni ſede ad læuam, verſus Septentrionem, ubi locandi ſint *hirci*, τὰ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων. Matth. XXV. 33. Quò & reſpicere videtur ipſe Jobus XXVI. 6. ubi: *Nudus ante illum extat infernus, neque interitus habet velamentum, (nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni,)* nam immediatè v. 7. ſequitur: *Qui aquilonem extendit ſuper inane.* Ita explicat *Hieronymus* locum illum Eccleſiaſtic XI. 3. *Quum arbor ceciderit vel ad auſtrum*, in cœlum, *vel ad aquilonem*, infernum, *in quemcunque locum ceciderit arbor, in eo permanebit* & nonnulli Interpretes alium Zach. XIV. 4 *Diſſindetur mons olearum medius*, dimidia gentilium, quibus CHRISTUS prædicatur, pars — *dimidium montis deflectet ad aquilonem*, infernum, *& dimidium ejus ad auſtrum*, in cœlum. Huc pertinere volunt & Jer. I. 14. *Ab aquilone aperietur malum ſuper omnes, qui habitant terram;* & IV. 6. *Adduco malum ab aquilone, cladem magnam. (Malum ego adduco ab aquilone, & contritionem magnam.)* Addunt, Turcas quidem orando reſpicere Meridiem, Judæos occaſum, Chriſticolas ortum, ſed gentium nullam Septentrionem. Si cui fortè incredulo ultimæ illæ Thules Regiones frigida nimis videntur pro inferni ſede ibi locanda eum dubio omni liberare poterit peregrinationis religioſæ quædam ſpecies ad igniuomum Islandiæ Heclam, ubi aëris ab igne ſubterraneo per cauernoſos fornices moti boatus ſunt ſi credulis nimis & ſuperſtitioſis fides habenda ipſi hominum in inferno excruciatorum ve purgatorio quodam ſaltem ſudantium clamores & gemitus. Ita, quantum ego video, ab erratur à ſcopo, & facilis eſt à conjectura in aliam, à conjecturis ad errores tranſitus. Tolerari facile poteſt prior illa, quam dedi, de quatuor mundi plagis ſententia, innocua prorſus & periculo omni vacans. Vid. *Wilkins Vertheid. Copernic.* P. II. p. m. 30.

Job. Cap. XXIII. verſ. 10.

am viam perinde nouit, atque ego: captoque experimento de me ut aurum prodii.

Ipſe vero ſcit viam meam, & probabit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.

PErſuaſiſſimus Jobus, eaſdem has, quas patitur, calamitates non alium finem habituras eſſe, quàm Gloriam DEI, & propriam, ad quam anxius ſpirat, utem. *Nouit DOMINUS viam juſtorum,* al. I. 6. Intimos introſpicit cogitationum reſus, easque dirigit pro ſanctiſſima ſua juſti- & bonitate. Tranſeundum equidem perpe fidelibus per profundas, easque rapidas, das, ut Deum, quem quærunt, haud inueint, ſed ipſe tamen nouit, & dirigit eorum eſſus. Excitat hoc ſapientiſſimæ prouiden- fundamentum fiduciam in DEUM, qua ti ambulant ſecuri, uti Abrahamus, μὴ ἐπιμενος πȣ̃ ἔρχεται. Hebr. XI. 8.

Peregregiè comparantur inuicem heic & bi δοκιμασία fidelium & auri, argentiue. Prov. VII. 3. XXVII. 21. *Ut excoctor argentum, & rnax aurum, ita explorat corda DOMINUS.* *icut igne probatur argentum, & aurum cami- : ita corda probat DOMINUS.)* Zach. III. 9. *Tertiam partem in ignem ducam, & exquam eos, ut argentum excoquitur, probaboque s, ut aurum probari ſolet.* Sap. III. 6. *Tanquam rum in fornace probauit illos, & ut ſolidum ſaificium excepit. (Tanquam aurum in fornace prouit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit ils.)* Eccleſiaſtic. II. 5. *Ut aurum igni probatur, a homines commendabiles in fornace afflictionis. Quoniam in igne probatur aurum & argentum, omines vero receptibiles in camino humiliationis.)* ſal. LXVI. 10. *Etiamſi explores nos, o DEUS, excoquas nos, ut argentum excoquitur. (Quoiam probaſti nos DEUS: igne nos examinaſti, cut examinatur argentum.)* Occurrit conſimis phraſis apud *Pindarum.* Πειρῶντι δὲ καὶ χρυσὸς βασάνῳ πρέπει, καὶ νόος ὀρθὸς. *Cos aurum probat, & rectam tentamina mentem.*

Perficitur autem auri δοκιμασία variis modis, ſed qui certitudinis gradu differunt; promptiſſimus eſt, qui fit ad lapidem Lydium: alius mechanicis principiis nixus per ponderationem in aqua, quo Archimedes argentum fraudulenter auro puro mixtum detexit in corona regia, nobiliſſimi inuenti author præ gaudio exultans in balneo cum ſuo εὕρηκα. Sed uſitatiſſimæ praxes fiunt per aquam regiam & ignem, viam humidam & ſiccam, de qua utraque ea breuiter dicturus ſum, quæ ad rem faciunt præſentem. Sciendum ante omnia de hoc terræ Monarcha auro, eſſe omnium corporum, quæ quidem hactenus nota ſunt, ponderoſiſſimum, ad fundum ſubſidens in argento viuo, conſtans ex particulis ſui generis proximè inuicem incumbentibus, diſtinctis eſſentialiter à particulis conſtituentibus argentum, plumbum, aliaue metalla, magnitudine ſcilicet, figura, pondere, ut differunt elementa ipſa, unum ab alio, quæ conſideratio vel ſola euaneſcere facit tenues Alchymiſtarum fumos, & metamorphoſin ignobiliorum metallorum in hoc generoſiſſimum reddit impoſſibilem. Conſiſtit via aurum probandi humida in eo, quòd aqua regia, vel ſalis ſpiritus, tanquam menſtruum adæquatum, ſoluat aurum, intacto argento, ita ut ex maſſa χρυσαργύρῳ reſoluat hoc menſtruum aurum in ea contentum in particellas inuiſibiles prorſus, præcipitato ad fundum argento in forma pulueris. Hæc ipſa aqua regia Rege metallorum prægnans ſi exponatur igni arenæ tranſit per retortam, relicto in cucurbita auro, utpote ob fixitatem auolare inepto. Argentum ſi deſideres, ſumes aquam fortem, vel nitri ſpiritum, videbis ſolui argentum, intacto auro, quod forma pulueris nigri præcipitatur ad fundum. Poſſem, ni obſtaret chartæ anguſtia, hac occaſione ventilare quæſtionem, qui fiat, ut aqua regis aurum ſoluat, intacto argento, aqua fortis contra argentum, intacto auro. Habiti hactenus pori auri anguſtiores, quàm ſunt illi argenti, & ex hoc fonte deriuata grauitas auri ſpecifica major. Sed conjectat è contra *Hombergius Mem. de l'Acad. Roy.* 1711. p. 78. ampliores potius eſſe auri poros, ſed particulas ipſas majores mole, quàm ſunt argenti. Anſam hiſce cogitatis dederunt expertiſſimo Chymico experimenta, quæ ipſi ſpiritus ſalis particulas ſolidas majores craſſioresque exhibuere, quàm nitri, ut proin illæ penetrare nequeant, niſi per poros ſpecificè ampliores. Accedit, quòd acidæ nitri particulæ non argentum duntaxat tranſeant, ſed quoque aurum, ſalinæ contra aurum ſolum. An verò humida hæc metalla nobiliſſima probandi via cognita fuerit Jobo, nec ne, ex ejus libro non conſtat. Imo conjectare licet potius, notam fuiſſe ſolam viam ſiccam, utpote cujus expreſſa fit locis ſupra citatis mentio. Penetrat namque ignis vorax, illud ubiuis obuium elementum, acutiſſimis ſuis celerrimeque motis particulis corpora denſiſſima quæque, & ſic quoque aurum, quod igne ſoluitur in fluorem, ſed aucto ignis gradu, in teſta ſpeciatim, ex maſſa mixta abiguntur ignobiliorum metallorum par-

particulæ, relictis auri puri particulis, igni inuictis, communi nempe, non ſolari per lentes Tſchirnhuſianas concentrato, qui aurum pondere diminutum vitrificat. Ratio eſt, quia communis ligni vel carbonum ignis ex craſſioribus conſtans partibus arctum illud ſulphuris metallici & Mercurii, quibus aurum conſtat, vinculum ſoluere haud valet, ſed quidem ſubtilior longè ignis ſolaris. Vid. *Mem. de l'Acad. Roy.* 1707. p. 42. Sed auro probando addi ſolent plumbum & antimonium, quibuscum in ſenſu myſtico comparari commodè poſſunt peccaminoſi noſtri affectus, purgandi igne tentationum & afflictionum, ut tandem puriſſimum infucatæ fidei atque fiduciæ in DEUM maneat aurum. Qu admodum & diſſolutum ſemel & depurat igne ſolari aurum igne communi haud ita cile redigi poteſt in fluorem, ut illud, quod ſtæ ſiue cupellæ ordinarium expertum ignem, utpote qui ampliores liquit por (*Mem. de l'Acad. Roy.* 1702. p. 145.) ita ignis diuini immediatam ſuſtinuit δοκιμασίαν bus, redditur omnibus aliis tentationibus i ctus, durior auro ferroque omni, quod N cus excoquit ignis. *Pes meus tenuit greſſum lius, & viam illius obſeruaui, neque defl (Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus, viam ejus ſtodiui, & non declinaui ex ea.)* Job. XX 11.

Job. Cap. XXIV. verſ. 5.

Ecce velut onagri exeunt in ſolitudinem ad opus ſuum, perueſtigantes prædam, quibus deſertum panem profert ad liberos alendos.

Alii quaſi onagri in deſerto egrediu tur ad opus ſuum, vigilantes prædam, præparant panem lib ris.

Vid. Job. Cap. XI. verſ. 12.

Job. Cap. XXV. verſ. 5.

Ecce facit, ut non exiſtat lux usque ad lunam, & ſtellæ non ſunt puræ in oculis ejus.

Ecce luna non ſplendet, & ſtellæ n ſunt mundæ in conſpectu ejus.

PRæſentat Jobo veluti in ſpeculo tum ſummam eſſentiæ diuinæ puritatem, immutabilitatem, & ſanctitatem, tum imperfectionem ac mutabilitatem creaturarum cæterà præcellentium, & in eſſe ſuo ac motu conſtantium, lunæ, atque ſtellarum tum fixarum, tum erraticarum, & ab his applicatiuè deſcendit ad hominem. *Quanto minus*, infit v. 6. *homo friuolus, qui putredo cenſeri poteſt? & filius hominis, qui vermiculus? (Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?)* Quodſi Luna omnesue Planetæ non lucent abſque Sole, quantò magis opus habebit homo gratiæ diuinæ luce, qua niſi colluſtretur, tenebris profundis immerſus manet ſimilis languenti graminis herbæ. Eliphas ſupra XV. 15. *ne cœlos quidem eſſe in DEI oculis ſine macula, (cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus,)* ſpatia illa immenſa ex puriori longè ſubſtantia facta, quàm ſunt Planetæ & Fixæ. Commoda heic foret, ſi quidem digreſſiones amaret Lector, occaſio loquendi de Scholaſticorum veterum opinione circa cœlorum & cœleſtium corporum immutabilitatem & incorruptibilitatem, per conſequens & de eclipſibus, maculis, harumque mutationibus, Stellis n uis, Cometis: quo labore ſuperſedere poſſu tantò ſecurius, quia falſitas illius opinionis ja dudum à modernis Aſtronomis eſt detecta.

Sed non prætereunda eſt de *Luna* loque di occaſio. Textus originalis ita: עַד־יָרֵחַ וְלֹא יַאֲהִיל. *Ecce usque ad Lunam, & non p net tabernaculum.* LXX. εἰ σελήνῃ συντάσσει, καὶ ἐπιφαύσκει, *ſi Lunæ præcipit, & non lucet.* L ctorem non morabor longâ diuerſæ interpr tationis expoſitione, ſed ea duntaxat prop nam, quæ Philoſophiæ modernæ videntur a commoda. Egregiè comparat Bildad diſpe ſionem lucis ex corpore per ſe lucido expa ſioni tabernaculi, quam Lunæ tribuens ho ipſo ſatellitem hunc terræ relegat ad corpo opaca, planetica: quo titulo ſubintelligi po ſunt & reliqui Planetæ omnes, tum primari tum ſecundarii. Eſt equidem Luna *luminar fulgidum, magnum, & paruum,* ſiue minus Gen. I. 16. de cujus fulgore multa legas apu profanos Scriptores paſſim. *Ouid. Ep. ad Leand*

Quantum cum radiis fulges argentea puris,
Concedunt flammis ſydera cuncta tuis.
Tantum formoſis formoſior omnibus illa eſt.

Seneca

Seneca in Hippol. Act. 2.

Conferat tecum decus omne priſcum
Fama miratrix ſenioris æui:
Pulchrior tantò tua forma lucet,
Clarior quantò micat orbe pleno,
Cùm ſuos ignes coeunte cornu
Junxit, & curru properante pernox
Exſerit vultus rubicunda Phœbe,
Nec tenent ſtellæ faciem minores.

In Sacris quoque Cantic. VI. 9. *Lunæ* comparatur Eccleſia DEI, *pulchra ut eſt Luna.* Certum eſt interim, non habere Lunam lucem propriam, ſed lumen à Sole, imo in Nouilunio ab ipſa terra mutuatitium. Et opacitatem Planetæ hujus ſatis demonſtrat ſuperque ejus eclipſatio, quæ quidem, ſi totalis ſit, in medio corpore exhibet rutilantem quendam, ut carbonis eſt igniti, fulgorem, ſed qui nîl minus eſt, quàm propriæ lucis index, à radiis ſolaribus per atmoſphæram terræ refractis ortus, adæquatum Eccleſiæ DEI Symbolum, quæ omnem, quâ fulget, lucem habet à CHRISTO, Sole juſtitiæ, & medias inter perſecutiones, tota quanta licet eclipſata viſa, lumine gratiæ haud deſtituta. Accedit, quòd hemiſphærio Lunæ terræ obuerſo alterum ſuperius, quod à nobis eſt auerſum, pleno fulgore ſplendeat: Unde Paradoxum illud: *Lunam nunquam magis eſſe illuminatam, quàm cum minus ſplendet,* quæ ipſa circumſtantia pulcherrimè iterum quadrat Eccleſiæ DEI, & fideli cuicunque membro. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 327.

Job. Cap. XXV. verſ. 6.

Quantò minus homo friuolus, qui putredo cenſeri poteſt? & filius hominis, qui vermiculus?

Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis?

SPeculum heîc habet creaturarum nobiliſſima, microcoſmus, terræ Monarcha, ad imaginem DEI conditus homo, in quo ſe ipſum intueri poteſt. Bildadum ſi audias, *putredo eſt, & filius hominis vermiculus.*

Bina occurrunt in unico hocce verſiculo nomina vermium. Prius רִמָּה *rimmah* vertitur *putredo* & *vermis.* LXX. σαπρία, quia vermes ex, potius & correctius in, putredine naſcuntur, in putreſcentibus rebus excluduntur, & veluti in apto domicilio ad maturationem perducuntur. Teſtis fuit omnis æui experientia, verminare res putridas. Sed non idem fuit ſemper hac de re Philoſophorum ſenſus. Intelliguntur communiter per רִמָּה exigui vermiculi, qui & in viuo corpore generari poſſunt, quales ſunt acari illi caſearii. Chaldaica Paraphraſis habet, בְּחַיּוֹי רִיחֲשָׁא *in vita ſua vermis.* Videamus, quomodo? Microſcopialibus præſertim Leeuwenhœkii Obſeruationibus ſi fidem habes, eſt homo in primis ſuis rudimentis vermiculus. Natant in genitura virili copioſi vermiculi, ejiciuntur hi in uterum, inſinuant ſeſe in ouuli maturi cicatriculam, primum heic captantes alimentum, copioſius poſtmodum in utero. Inuenit Syſtema hocce, & meretur inſignes applauſus in orbe moderno, hypotheſi illi hactenus receptæ de ouo & ouario vel fatale, vel ſocium ſaltem. Diducere rem totis exhauſtam libris nunc non vacat. Lege *Leeuwenhœk. Arcan. Nat. det.* P. III. p. 161. 26. *Hartſœker. Eſſays de Dioptriq. 31. Andry des Verſ. c. 10. Vallisnieri Conſiderazioni & Eſperienze de' vermi ordinari del corpo umano* p. 58. & alibi, digniſſimus inprimis lectu. Domicilium fit vermium homo mox atque viuit, & per os nutritur, taleque manet, quam diu vitam miſeram trahit. Et notandum probè, ipſos hos, quos nobiſcum circumferimus, vermes tranſire à matre chyli ductu ad infantis ventriculum & inteſtina, atque ſic integras vermium colonias à prima matre Eua tranſiiſſe ad poſteros, nec, quod opinati ſunt Veteres, oriri ex putredine; imo nec, quod cum vulgo multi putant Eruditi, ab extra ingeri cum aëre, cibo, aquis. Alius longè ſunt indolis lumbrici noſtri quàm terreſtres ita dicti, vel aquatici. Sunt nobis proprii, qui ſunt noſtri, ut ſunt alius generis proprii cuiuis animantium generi, equis, bobus, canibus, piſcibus. Egregiè amicus laudatus *Vallisnerius Lib. cit.* p. 53. *Naſcono in noi i noſtri vermi, ſi nutriſcono in noi, ſi propagano in noi, e con noi, e ſucciamo dalle noſtre madri, o nell' utero, o col latte queſta ſfortunata e edità verminoſa, la quale non ſò poi, ſe ſia una pena, o una legge della natura. Jo non ſo, ſe ſieno ſtati creati ne' noſtri primi parenti, acciò conſumaſſero ſenza dolore, e con una fame innocente il ſolo nocivo, ed eſcrementoſo, o per qualche altto a noi recondito fine; ſò certo, che v'annidarono coſi bene, che mai piu s'e eſtinta la ſpezie; ſo, che ſtanno in noi familiarmente, come nel loro piccolo mondo, contenti naturalmente della piu ſozza, ed ignobile cloaca del medeſimo, come tutti i vermini eſterni ſi contentono de' ſoli eſterni covili.* Integras ſic portamus in tabernaculo hocce noſtro, ex aranearum veluti telis conſutili, vermium cohortes, qui ipſi, ſeparatâ à corpore animâ, majori copia excluſi propriam

 ſuam

ſuam matrem corpus perrodunt, & conſumunt. Et ſunt fortè hi ipſi ultimi putreſcentis corporis hoſpites ipſum ▭ תּוֹלֵעָה in Textu noſtro, nam ita Chaldæus Paraphraſtes, בְּמוֹתוֹי מוֹרְנֵי *in morte ſua lumbricus.*

Admittit & Textus noſter ſenſum myſticum atque metaphoricum, quo ipſo triſtibus gemit querelis Pſaltes in perſona CHRISTI Pſ. XXII. 5. *Ego vermis ſum, & non vir, opprobrium hominum, & contemptus à populo. (Ego ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.)* Et ipſa DEI Eccleſia cluet *vermiculus Jacobi*, Jeſ. XLI. 14. Indicant hi loquendi modi ſtatum abjectum, contemptum. Ita apud *Homerum Iliad.* ν. in terra proſtratus jacebat homo ille nauci Harpalion, occiſus à Merione, ut vermis:

- - - - - ὥς τε σκώληξ ἐπὶ γαίῃ
Κεῖτο ταθεὶς ——

Contemptus nempe magni indicium eſt hæc analogia, teſte *Euſtathio.* ὅρα τὸ ταπεινὸν τῆς παραβολῆς, δηλοῖ γὰρ ἐδὲν εὐγενὲς τῦ πεσόντος. *Vide quam humilis ſit ſimilitudo: nihil enim generoſum in cadente ſignificat.* Eſt namque vermis vile, in minimis habitum, in terra prorepens, quod à plantis hominum proteri, & animantibus aliis in rapinam cedere ſolet. *Lucret.* L. II. v. 870.

Quippe videre licet viuos exiſtere vermes
Stercore de tetro, putrorem cùm ſibi nacta
Intempeſtiuis ex imbribus humida tellus.

Ita & homo vermi ſimilis ex terra condit *Phocylides:*

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν, καὶ πάντες ἐπ' αὐτὴν
Ἀυόμενοι κόνις ἐσμέν.

Palladas Antholog. L. I. c. 81.

Ἐκ πηλῦ γέγονας. τί φρονεῖς μέγα;

Et:

Ἐι δὲ λόγον ζητεῖς τὸν ἀληθινὸν, ἐξ ἀκολάςυ
Λαγείας γέγονας, καὶ μιαρᾶς ῥανίδος.

Et docet nos quotidiana experientia, quàm a jectus ſit vermiculus homo in omni ſua, mi ra namque, vita: quàm ſæpe, is cumprimi qui pietati ſe dedit, & DEO deuouet, triuia opprobrium, projectâ vilior algâ. *Homerus:*

Ὀυ μὲν γάρ τί πυ̃ ἐςιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων, ὅσσά τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.

Nihil uſpiam eſt homine miſerius omnium anim lium, quæ ſupra terram ſpirant & ſerpunt. Vid. *B chart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 26. p. 619. c. 28. p. 62

Job. Cap. XXVI. verſ. 5.

Res emortuæ (à DEO) formantur ſub aquis, & in vicinis locis.

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis.

IN Textu hocce tot fere difficultates, quot verba, quot roſæ, tot ſpinæ. Et ingenuè fateor, parum mihi ſatis feciſſe Interpretes. LXX. habent, μὴ γίγαντες ὑποκάτωθεν ὕδατος καὶ τῶν γειτόνων αὐτῦ. Quod Hebræo Textui ſunt ▭ רְפָאִים *rephaim*, id Græco ſunt γίγαντες, ita & Vulgata, & Deodatus, *gigantes.* Sed qualesnam hi ſint, non conueniunt, an propriè ita dicti, proceræ ſtaturæ homines, qualis fuit ille *Jisbi in Nob, qui natus fuit ex Rephaim, cui pondus lanceæ fuit trecentorum ſiclorum chalybis, ipſeque nouo gladio accinctus. (Jesbi-benob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo.)* 2. Sam. XXI. 16. vel Tyranni potentes, qui ad inferos deſcenderunt, forte haud ſicca morte. Huc facit Prov. IX. 18. *Non nouit, quod mortui* ▭ רְפָאִים *illic ſunt, & in profundis inferorum inuitati illius. (Et ignorauit, quod ibi ſint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ ejus.)* Hoc ſanè ſenſu ſumit vocem ▭ רְפָאִים Latina noſtra: ſed placuit Vernaculæ, ſeruare vo cem originalem. *Die Rephaim ſind von de HERREN erſchaffen.* Mirè gloſſantur, ut ſo lent, Rabbini; ſunt qui intelligunt genios il lorum ſeu gigantum, ſeu Tyrannorum, qui ſuf focati periere in undis diluuialibus, & nun querulos edunt ſub aquis gemitus, ut ipſa quo que Vulgata vocem יְחוֹלָלוּ reddit, *gemeban* Aliis, R. *Dauide*, R. *Leui*, *Pagnino*, volentibu *ſemina mortua:* aliis, quos inter R. *Gerſon*, *A beneſra*, plantas, frutices, arbores ſub aqui naſcentes: R. *Abrahamo*, & aliis, metalla, margaritas, corallia, quò forſan & digitum intendit Tigurina noſtra, cum *Vatablo* & *Iſidor Clario: Gregorio*, *Philippo*, aliis intelligentibu dæmones, eosque malignos. *Pineda* Hiſpanus, doctus & fidus Commentator Jobi, Rephaim vult eſſe belluas ingentis molis marinas, ſub aquis *gementes*, id eſt, ſeſe multiplicantes. *Oppianus* I. *Halieut.*

Innu-

Innumeræ pelago gentes voluuntur in imo
Nantes, quæ numerum vincunt. Sunt abdita nobis
Plurima monſtra maris. —

Et per שֹׁכְנֵיהֶם *habitatores eorum* intelligit laudatus *Pineda* omnia alia animantia marina, quæ illis Rephaim cohabitant, cujuscunque ſint formæ, ſpeciei, magnitudinis. Contentus *Coccejus*, obſcurus, quod notum, Jobi Commentator, recenſione variarum ſententiarum, qua & ego acquieſco.

Job. Cap. XXVI. verſ. 6.

Nudus ante illum extat infernus, neque interitus habet velamentum.

Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni.

DEduxit nos verſiculo præcedenti Jobus in profunda Pelagi, demonſtraturus ſapientiam atque potentiam DEI: nunc, ad eundem finem ducit nos ad intima terræ viſcera, oſtenſurus, quod & eò pertingat usque fulgentiſſimum ſapientiæ diuinæ lumen. In promptu ſunt loca ejusdem tenoris alia tum ſacra, tum profana. *Inferi & perditio coram DOMINO ſunt, quanto magis pectora filiorum hominum?* Prov. XV. 11. ubi pro *inferno*, ut in Textu Jobi, extat vox שְׁאוֹל *ſcheol*, pro *interitu* אֲבַדּוֹן *abaddon.* Hebr. IV. 13. Καὶ οὐκ ἔςι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. *Pindari* elegans occurrit locus *Pyth.* 9.

- - - - Κύρι-
ον, ὃς πάντων τέλος
Οἶσθα, καὶ πάσας κελεύθους,
Ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλ-
λ' ἀναπέμπει χ' ὠπόσαι
Ἐν θαλάσσα καὶ ποταμοῖς ψάμμαθοι
κύμασι ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται.
Χ' ὅ τι μέλλει, χ' ὧ, τι πόθεν
ἔσσεται, εὖ καθορᾶς;

- - - - *cer-*
tum, qui omnium exitum
noſti, & omnes vias,
quotque tellus verna foli-
a emittat, quotque
in mari & fluuiis arenæ
fluctibus impetuque ventorum voluantur,
quoque futurum eſt, & unde
futurum ſit, benè perſpicis.

Et *Heſiodus* de perſpicaciſſimo & omniſcio numinis ſupremi oculo, in *Oper. & Dieb.*

Omnia videns Jouis oculus, omniaque intelligens.

Valent gentilium hæc teſtimonia pro demonſtratione omniſcientiæ DEI ex rationis lumine. Quicquid eſt, vel ſubſiſtit, aut DEUS eſt, aut creatura DEI: nam quod eſt cunque, ſubſiſtit aut per ſe, & ex ſe, propriis viribus, aut dependet à cauſa quadam omnipotenti. Ibi conditor, heic κτίσμα. Ens verò illud omnipotens in intellectu ſuo infinito præſentiſſimas habuit jam ante creationem rerum omnium futurarum & creandarum ideas: hi conceptus infinitæ mentis ut fuere liberrimi, ita liberum quoque erat DEO, effectui eos dare, vel non. Sequitur inde, & ex idea entis perfectiſſimi, perſpectas DEO eſſe debere adhuc creaturas omnes, harumque ſtructuram & qualitates: ſiue, eſſe DEUM omniſcium: imo & eſſe unicum: bini ſi forent, unus alteri cogitata ſua occultare poſſet, vel non; ſi prius, neuter foret omniſcius; ſi hoc, non forent omnipotentes, & neuter in utroque caſu foret DEUS. Vid. *Sturm. Theoſoph. Prop.* XVI.

Job. Cap. XXVI. verſ. 7.

Qui aquilonem extendit ſuper inane, & terram ſuſpendit ſuper nihilum.

Qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum.

PHraſes en meteoricas, ſed ſucci plenas, quibus Architectura Diuina deſcribitur applicatiuè ad hanc terram. *Aquilonem extendere ſuper inane, & terram ſuſpendere ſuper nihilum*, idem eſt ac, inædificare nihilo, corporibus adeò tenuibus ac fluidis, quæ ne quidem ſuſtentaculum darent pulviſculo, nedum globo ingenti terr-aqueo. Per צָפוֹן, *tſaphon, aquilonem,* intelligunt Interpretes communiter hemiſphærium cœli ſuperius ſeu ſeptentrionale, prouti id ſeſe inde à Polo arctico extendit, fornicis ad inſtar ſuper תֹהוּ *thohu,* *inane,*

inane, *vacuum*, atmoſphæram, quæ terram ambit, & pro vacuo communiter habetur, vel nihilo: Speciem veri exhibere poſſet hæc exegeſis ſedenti in medio globi cœleſtis artificialis, quales fuere Weigeliani, & Coluros aſpicienti, prouti hi à Polo verſus Æquatorem reflexi fornicis ſtructuram repræſentant. Sed exemplaris ipſius alia longè eſt ratio: neque video ego, quomodo huc quadrare queat hemiſphærium illud boreale. Loquitur Philoſophus noſter, ut in binis verſiculis præcedentibus proximè, ita & heic, de globo terraqueo, imo terr-aquaëreo, includens ipſum aërem. Jobus proin de DEO prædicans, quod *aquilonem extendat ſuper inane*, intelligit, quantum ego quidem judicare valeo, aëra illum ultimi ſeptentrionis denſum valde atque compreſſum, qui ſeſe continuò in omnes plagas vi legum æquilibrii expandit, & hac ipſa expanſione, tanquam ingenti DEI Creatoris beneficio, animalia, homines & plantas recreat, atmoſphæram purgat, & toti terræ inſignes, nec unquam ſatis laudandos, præbet uſus, elogio Rhetoris noſtri digniſſimos. Notandum heic, increſcere magis & magis aëris denſitatem, prouti accedimus propius ad Polos. Hinc etiam eſt, quod in ſeptentrionalibus illis Regionibus Sol, demerſus licet infra Horizontem, conſpiciatur ſupra eum, magno incolis beneficio: hinc crepuſcula tum matutina, tum veſpertina, illis Regionibus ampliora, & adeò ſplendida, quæ Sole in ſemeſtribus etiam noctibus $23\frac{1}{2}$. gradibus infra Horizontem demerſo terricolis ipſius Poli, ſi qui forent, ſufficiens dare poſſent lumen, etiam abſente Luna. Ita, DEO optimo ſapientiſſimè prouidente, aquilo, צָפוֹן, aër ſeptentrionalis ingentia præſtat beneficia non duntaxat populis borealibus, ſed toti terræ hemiſphærio.

In ſecunda Textus noſtri Pericopa occurrit iterum μετέωρον. תֹּלֶה אֶרֶץ עַל־בְּלִימָה. LXX. ita dant integrum verſiculum: ἐκτείνων βορέαν ἐπ' ἐδὲν, (Aquila, ἐπὶ κενώματι) κρεμάζων γῆν ἐπ' ἐδενὸς. *Terram ſuſpendit ſuper nihilum*, *ſur un rien*: nihil eſt, quod terram ſuſtentet. Haud innatat mari planeticum hoc corpus nauiculæ ad inſtar, quod ſomniauit Thales Mileſius: haud jacet in cauo ſolido veluti ſcypho, quod credidere nonnulli ex Patribus, vel ex hoc principio ſolo Antipodas relegantes extra mundi

fines. Non adeſt Atlas, qui ſuis hunc orber
ſuſtineat humeris. Præſtantius longè, ut ſu
blimius, philoſophatur Jobus, terram conſ
derans ut globum in fluidiſſimo medio aëre ſu
ſpenſum, pendens ne filo quidem vel hilo, ver
bo, nihilo. Quam veritatem nemo hodi
ignorat, in dubium vocat nemo. Si quod aliu
nomen eſt dandum huic nihilo, ſi fortè nihi
lum hoc ſit conuertendum in Ens, eſt id vi
undiquaque verſus terram grauitans, à DEI vo
luntate immediatè pendens. Hoc nihilum
quæris, inuenies in centro terræ. Eſt hæ
grauitatiua vis terræ non ſolius baſis, ſed com
mune ſeu vinculum ſeu medium, quo DEU
uniuerſum in ordine ſuo, eoque pulcherrim
conſeruat: quo ſublato in priſtinum illico re
digetur Chaos. Audi, quæ huic meo qual
cunque Commentario inſuper addunt doctiſſ
mi Collectores *Biblioth. Hiſt. Philol. Theolog*
Brem. Faſcic. III. *Claſſ.* II. *In confeſſo eſt apu*
hodiernos Philoſophos omnes, quod in terra co
gnoſcitur, ſuam habere grauitatem, omne autem
quod grauitatem habet, tendere naturâ ſuâ ad ter
ræ centrum, hoc porrò terræ centrum ab omni la
tere ambiri globi terr-aquei partibus. Nequ
ulla dari, aut excogitari poteſt ratio, cur hic ter
ræ globus, tantæ grauitatis moles, in medio aër
liquidiſſimo firmiter compactus hæreat, niſi illa
quod cum omnia ad centrum ſuum tendant, illu
ab omni parte terræ particulis cingatur, atque it
terram firmiſſimè inter ſe cohærere oporteat. Cen
trum itaque terræ totam ſuſtinet, compingit, con
jungit terræ molem: illud autem centrum nihi
aliud eſt quàm punctum. Punctum autem nulla
habet partes, quod Mathematicorum παῖδες *no*
runt: quale exemplar in rebus materialibus nul
lum datur, quod autem nullas partes habet, reapſ
eſt ens rationis, eſt NIHIL. Terra itaque, qu
pendet à centro ſuo, pendet à NIHILO. *I*
quod hîc Jobus teſtatur. Quis non heic admire
tur potentiſſimi Creatoris ſtupendam cum ſapien
tiam, tum potentiam, tanti ponderis machinam ſu
ſpendentis à NIHILO. *At quis non pariter*
Jobum miretur, de hac re ita diſſerentem, ac ſ
ſubtiliſſimis noſtræ ætatis Mathematicorum præ
ceptis inſtitutisque fuiſſet imbutus? Hæc illi ſoli
dè, ut ſolent, ac piè. Vid. *Bentley Thorheit der*
Gottslaugn. MSC. mei. p. 158. *Funcc. Orat. d*
DEO, Mathematicorum Principe, in Tr. de
Colorib. Cœli. p. 240. *de Mey Phyſ.*
Sacr. p. 332.

Job. Cap. XXVI. verſ. 8.

Qui cohibet aquas in ſuis nubibus, neque nubes rumpitur ab eis.

Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.

HEic iterum clarè docet Philoſophus, noſtras vias alias eſſe à viis DEI. Nos ſi quid compingimus, colligamus vinculis, funibus, glutine, ferramentis. Sed colligat DEUS *aquas*, vel *cohibet*, δεσμεύει, ſuperiores nempe in expanſo aëreo, in *nubibus*, in oceanis illis pendentibus, natantibus, ſeu volantibus ditiſſima reponens bonitatis ſuæ penuaria, & juſtitiæ armamentaria. Oculis noſtris obuerſantur quotidie conſtanter agitatæ, & tamen inteſtino motu conſtanter agitatæ nubes. Conſtant namque hæ non tam ex textura aranearum telis ſimili niuoſa, quales finxerat *Carteſius*, ſed potius ex bullulis liberrimè natantibus. Et eſt harum ipſarum bullularum aquearum ſeu tornatio ſeu elaboratio euidentiſſimum ſapientiæ ac bonitatis diuinæ argumentum: quæ ſi non foret, careremus pluuia, niue, nubibus, nebulis. Grauior eſt ſpecificè aqua aëre, & grauior minima quæuis aquæ particula ejusdem molis particula aërea, recaderent proin ſponte ſublati à ventis, calore, aliis cauſis, vapores in terram, ut ad fundum aquæ labuntur protinus ſubtiliſſimi terræ vel limaturæ metallicæ puluiſculi, niſi præcauiſſet ſubtili hoc inuento Princeps Mathematicorum DEUS. Commodior dabitur de diuina hac mechanica loquendi occaſio ad Job. XXXVII. 16. Hac vice id duntaxat obſeruari volo, artificioſiſſimam eſſe colligationem inter particulas conſtituentes bullulam quamuis, ſed & σύνδεσιν, inter bullulas plures nubem aliquam conſtituentes, ne, manentibus his integris, & juxta inuicem natantibus liberè, effundatur pluuia, de qua in ſpecie, aliisue meteoris aqueis, igneisue, loqui videtur Jobus. Imo verò σύνδεσμος eſt, colligatio mutua, imo attractio inter particulas aquæ guttulam conſtituentes. Remota attractionis idea difficile eſt philoſophari de ſpontaneæ guttulæ aqueæ rotundatione, cur hæc, pendula ſi ſit, non elongetur fili ad inſtar, vel menſæ incumbens ſeſe non extendat in latum? Quæſtio hæc videtur exigui momenti, ſed tantæ eſt difficultatis, ut ſubtiliſſimi quique Philoſophi citius detexerint harmoniam totius ſyſtematis ſolaris, quàm fornicatam hanc guttulæ aqueæ figuram. Facile eſt concipere rationem & modum expanſionis bullulæ vaporoſæ aqueæ in formam globi: viam ratiocinio ſternunt veſiculæ, quas ex aqua ſaponata formant pueri: expandit ſe namque aër bullæ incluſus & undique æqualiter, ut non poſſit non prodire figura ſphærica. Sed non quadrat huc ratiocinium hocce, nec ſuffena eſt æqualis ab extra preſſio: neque nodum ſoluit arcta partium guttæ inter ſeſe & cum integra gutta connexio, neque partium externæ ſuperficiei reticularis quædam cohæſio; admotum quippe jacenti ſiue pendenti guttulæ ſalis granum illicò ſeſe diffundit per omnem guttam; ad fundum cadunt corpuſcula grauiora in gutta, ut in omni alia aqua, & ſupernatant leuiora; & tenuis ceræ pellicula imæ guttæ parti applicata mox ad verticem ſurgit. Lege plura hanc in rem in *Jac. Placentini Diſſ. de Barometro* p. 89. *Graueſande Phyſ. Elem. Matth.* P. I. p. 9. qui vel ex hoc guttæ experimento probat *attractionem*, ſeu vim, qua *corpora ad inuicem tendunt*, & *quæ in ipſo particularum contactu eſt perquam magna, ſubito autem decreſcit, ita ut ad diſtantiam quam minimam, quæ ſub ſenſus cadit, non amplius agat, imo ad majorem diſtantiam ſeſe mutet in vim repellentem, qua particulæ ſeſe mutuò fugiunt.*

Job. Cap. XXVI. verſ. 9.

Qui conſtruxit faciem ſolii, ſuper quod expandit nubem ſuam.

Qui tenet vultum ſolii ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam.

NOn quadrat heic ſenſus literalis, qui DEUM collocat immediatè ſupra nubes, vel & in cœlo tertio ſupremo, inſidentem throno. Sunt hujusmodi conceptus Ethnicæ Theologiæ conformes magis, quàm Chriſtianæ, vel & rationali, quam ſana dictat ratio. Frequens eſt, de qua impræſentiarum, loquendi formula in Sacris, intelligenda & explicanda θεοπρεπῶς. Sed neque placet *Auguſtini* exegeſis, qui פְּנֵי כִסֵּה *faciem ſolii* explicat per *faciem Solis*, & per conſequens per *conſtructionem* vel occultationem, *faciei ſolii* (LXX. κρατῶν πρόσωπον θρόνȣ) Eclipſin Solis. Neque *Nicetæ* & *Vatabli*, qui intelligunt conſtrictionem aëris, qua veluti incarcerati vapores haud cadere poſſint in

forma pluuiæ, pluuiæ proin ſuppreſſionem. Eſt hæc opinio ἀφιλόσοφος. Haud retinetur pluuia conſtrictione aëris, vel collectione nubium, ſed potius aëris expanſione, qua poſſint bullulæ vaporoſæ diuergere ab inuicem, aër ſereneſcere, Solis radii atmoſphæram penetrare. Senſus omnium naturæ congruus magis hic eſt, quod nubes harumque expanſio, vel contabulatio, impediat proſpectum in cœlum aſtriferum, quod θρόνος vocatur τοῦ ΘΕΟΥ, Matth. V. 34. idque cœlum occultet. Conſtat id ex ſequentibus *ſolium* verbis, *ſuper quod expandit nubem ſuam.* Meminit & Jobus XXXVI. 29. *expanſarum nubium*, hasque egregiè comparat tentorio, ut & Dauid aulæo, vel tabulato. *Cœnacula ſua contignauit in aquis. (Tegit aquis ſuperiora ejus.)* Pſal. CIV. 3. Vulgata pro *nu*[...] habet *nebulam*, quæ eodem cum illa redit. [...] ipſum Meteoron, quod in ſuperiori aëre n[...] bes vocatur, in imo nebula audit. Quamu[...] pro nunc Lunam cum *Auguſtino* non ponamu[...] mediam inter Solem ac terram, affirmare t[...] men poſſumus, quod nemo non nouit, nub[...] bus atque nebulis ſæpe nec parum infringi, i[...] firmari, occultari Solis lumen. Quàm ſæpe[...] præſertim hyeme, adſpicitur per nebulam i[...] ſtar panni albi expanſi? Neque impediunt M[...] teora hæc aquea duntaxat aſpectum fulgenti[...] ſimi corporis, ſed quoque vires ardentiſſimi i[...] hæc terræ aëriſue inferiora, hyeme cumpr[...] mis, conglaciatis bullulis, radiosque illapſ[...] reflectentibus.

Job. Cap. XXVI. verſ. 10.

Terminum præſtituit aquis, dum conſummentur lux cum tenebris.

Terminum circumdedit aquis, uſqu[...] dum finiantur lux & tenebræ.

Poteſt locus hic intelligi de omnibus omnino aquis, ſuperis & inferis, quibus, nubibus, oceanis, fluminibus, fontibus, *præſtituerit* DEUS *terminum*, חֹק *chok*, πρόσταγμα, *præceptum*, limites, quos transgredi nequeant. Nonne, ſi plures haberemus nubes, aër foret frigidior juſto, abundantior pluuia, nix, conſtitutiones anni humidæ nimis, ſteriles, mortiferæ, Regiones integræ exundationibus obnoxiæ? ſi pauciores, tempora ſicciora, calidiora, ſanitati hominum, animalium & vegetabilium inimica? Par eſt *maris* ratio, ad quod in ſpecie digitum intendit Jobus, conſentientibus omnibus penè Interpretibus. *An me non metuitis, ait DOMINUS? an à facie mea non contremiſcetis, quum poſuerim arenam terminum mari, idque perpetuo decreto,* חָק־עוֹלָם ſtatuto ſeculi, *ne transgrediatur eum; ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt: tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum. (Me ergo non timebitis, ait DOMINUS, & à facie mea non dolebitis? qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcunt fluctus ejus, & non tranſibunt illud.)* Jer. V. 22. *Quum poneret mari legem ſuam, & aquis, ne transgrederentur littus ſuum. (Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.)* Prov. VIII. 29. Sunt ita in æquilibrio aquæ omnes, ſuperæ nubes, inferæ, maria, flumina, aquæ abyſſinæ, nam & *conſtituit DEUS globum ſuper faciem abyſſi, (certa lege & gyro DEUS vallabat abyſſos.)* Prov. VIII. 27. Mutantur hæ aquæ omnes in momenta, mutant inter ſe æquilibrium, & tamen ſeruant. Commoda heic ſeſe offert de maris limitibus loquendi occaſio, & cur id ſe ſuper terram non effundat. Per[...] ſuaſi fuere priſcæ Eccleſiæ Patres, qui plus pie[...] tatis habebant in corde, quàm Philoſophiæ i[...] mente, congeſtas veluti in cumulum aqua[...] oceani miraculo retineri, ne cadant, terran[...] aliàs inundaturas. Et id inde à mandato DEI[...] & vi ejus, Gen. I. 9. *Congregentur aquæ ſub cœ*[...]*lis unum in locum, ut appareat continens. (Con*[...]*gregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum & appareat arida.)* Lege *Baſilium Homil.* 4[...] *Ambroſium L. III. Hexaem.* c. 2. & 3. *Chryſoſto*[...]*mum, Nazianzenum, Theodoretum*, alios. Suf[...]ficiant in teſtimonium *Nazianzeni* verba: *Ma*[...]*ris tum magnitudinem, tum tranquillitatem, tum* [...] *utriusque rei vim admiratur: Quanam ratione ſo*[...]*lutum finibus ſuis nunquam excedat? Quid illu*[...] *contineat? quidnam deuinctum teneat? Quemadmodum cunctos excipiat fluuios, & vis nihilominus aquæ ſit eadem? Et quidem quemadmodum terminus ſit arena huic tanto elemento, aut ipſe ignor*[...] *omninò, (quamuis Phyſici & ſapientes inania quædam dicere habeant, qui cum hæc ipſa credunt ſe habere cogitatione percepta, reuera mare ipſum cyatho metiuntur,) aut ſi mihi paucis ſit è Sacris Scriptis philoſophandum, & id, quod longis diſputationibus probabilius & verius eſt, naturæ humidæ hoc unum vinculum eſſe affirmarim, præceptum; circumdedit ſuper faciem aquæ.* Judicet æquus rerum æſtimator quilibet, annon εὔπεπτα magis ſint, quæ habet *Cicero II. de Nat. Deor. Mare quum ſupra terram ſit, medium tamen locum expectans, congregatur undique æquabiliter: neque redundat, neque effunditur.* Hodie nemo adeò craſſi eſt & hebetis ingenii, qui illi veterum Patrum ſententiæ premat pollicem. Certo eſt certius, mare, licet ex opticis cauſis in montem aſſurgere videatur, inferius

eſſe

ſſe omni ſuperficie terræ, imo depreſſius ipſis ttoribus. Attamen manet inconcuſſæ veritis Jobi effatum, *terminum præſtituit aquis*, reſſius vernacula, *den Waſſeren hat Er ihre Marchen wie mit einem Circkel geſetzet*, poſt XX. qui habent ἐγύρωσεν, nam & verbum חָג hag, *circino deſcripſit*, deriuatur à radice חוג bis, *pila*, unde forſan Germanorum *Kugel*, os Helueti exprimimus *Chugel*. Format ſanè nare globum cum terra, ſed cum imis littorius mari adſitis, non cum montoſis terræ prominentiis. Id *Senecæ* verbis *Quæſt. Nat.* L. III. 28. eſt *in unius æqualitatem pilæ coire*. Idem roin eſt mari terræque centrum. Et eſt teræ globus mari perfluus, & circumfluus.

Sunt ex Interpretibus, qui Jobi verba applicant in ſpecie ad *æſtum maris*, & videtur *Coccejo in Job.* p. 170. exegeſis hæc fundata in ſequentibus proximè verbis עַד־תַּכְלִית אוֹר עִם־חֹשֶׁ *usque ad perfectionem lucis cum obſcuritate*: noſtra Latina vertit, *dum conſummentur lux cum tenebris*, Germanica, *bis Tag und Nacht ein Ende nehmen.* Nemo non facile videt, parum facere hæc verba ad confirmandam *Cocceji* ἑρμηνείαν, & idem ſignificare ac, quamdiu perſtiterit mundus, dum hominum genus eſt, dum viciſſitudines erunt dierum atque noctium.

Lucida dum current annoſi ſidera mundi:
Oceanus clauſum dum fluctibus ambiet orbem;
Lunaque dimiſſos dum plena recolliget ignes:
Dum matutinos prædicet Lucifer ortus;
Altaque cœruleum Nerea neſciet arctos.

Seneca in Oedip. Act. 2. & *Herc. Oet. Act.* 4.

Vere dum flores venient repenti,
Et comam ſyluis hyemes recident,
Vel comam ſyluis reuocabit æſtas,
Pomaque autumno fugiente cedent.

Coccejus verba Textus ita reddit, *usque ad finem lucis cum tenebris*, & per *finem lucis* intelligit plenum Lunæ, ſi plena eſt, lumen, per *finem tenebrarum* nouilunium, quanquam & inuersè dicere liceat, finem lucis eſſe Lunam nouam, finem tenebrarum plenam. Anſam *Coccejo* ita judicandi dedit experientia, quæ æſtum maris fortiſſimum exhibet in nouilunio ac plenilunio. Diducerem hæc amplius, ſi perſuaſum mihi foret, ut non eſt, intendiſſe Jobum digitum ad æſtum maris.

Job. Cap. XXVI. verſ. 11.

Columnæ cœli concutiuntur, & ſtupeſiunt ab illius increpatione.

Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum ejus.

IN conſpectum heic & conſiderationem veniunt עַמּוּדֵי שָׁמַיִם, *columnæ cœli.* Hæ ſi Atlantes ſint, Philoſophis æque ac Aſtronomis, Eruditis & Idiotis ſunt ignotæ prorſus: quærendæ in literali ſenſu, applicatiue ſaltem ad cœlum terram ambiens, aëreum, in *nihilo* illo, *ſuper quod terra eſt ſuſpenſa.* Job. XXVI. 7. Ab hoc literali ſenſu ſi diuertamus ad metaphoricum, facile cum Veteribus ex Paganiſmo Scholaſticis inueniemus genios illos, quibus Planetarum circumrotatio eſt concredita, vel ſaltem cum Doctoribus Chriſtianis, *Gregorio*, *Philippo*, *D. Thoma Angelos*, qui & *Origeni*, *Chryſoſtomo*, *Theophylacto* ſunt δυνάμεις τῶν ȣρανῶν. Matth. XXIV. 29. Sed quibus columnis cœlum ornari potius volunt quàm fulciri. Tutius ibimus, ſi literalem inter & figuratum ſenſus nauigantes per columnas cœli intelligamus, vel cum *Pineda in Job.* P. II. 364. totius mundi συνδέσμησιν, ſiue harmoniam & nexum, vel cum *Zimmermanno Script. S. Coperniz.* p. 54. axes terræ, aliorumue planeticorum corporum, vel cum *Coccejo in Job.* p. 171. atmoſphæram, cui vel uni columnæ, vel infinitis vortex reliquus terræ incumbit, vel cum aliis montes, quibus aër ſuſtentatur.

Norunt Sacri Codicis Interpretes, locum allegatum ſupra Matth. XXIV. 29. αἱ δυνάμεις τῶν ȣρανῶν σαλευθήσονται, varias admittere interpretationes, & forte omnem complecti uniuerſi διακόσμησιν, aërem, montes, cœlum, terram, quod omne ſyſtema *concutitur*, & *ſtupeſit à DEI increpatione. Virg. Æn.* 9.

Nutu tremefecit Olympum.

Notum Diis olim erecta fuiſſe Templa & Altaria in montibus. *Seneca* in *Herc. Oet. Act.* 3.

Hic rupe celſa, nulla quam nubes ferit,
Annoſa fulgent Templa Cœnei Jouis.

Teſtis eſt in noſtris vel Regionibus, vel limitibus *S. Bernhardi mons major*, qui tranſitum præbet ex Valleſia in Vallem Auguſtam, dictus olim *Mons Jouis*, *Mons Jouius*, *Alpes Penninæ*, *Pœninæ*, *Peninæ*, *Deo* ſcilicet *Pennino* & *Joui* in honorem: *Mons* item *Martis*, vel *Maggiana*, ex Valleſia ducens in Vallem Seſſitim, ut alios taceam, de quibus *Oreographia* mea *Heluetiæ*. Columnæ cœli ſi montes ſint, per illarum *concuſſiones* intelligere commodè poſſumus caſus

montium, vel terræ motus, in montoſis Regionibus haud infrequentes, terrifici incolis & fatales, quoniam fugæ nullus eſt locus. Audi pulchrè differentem *Senecam Nat. Quæſt.* L. VI. c. 1. *Quid enim cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſſimæ labant? ſi quid unum immobile eſt in illo, fixumque, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat? ſi, quod proprium habet, terra perdidit, ſtare: ubi tandem reſident metus noſtri? Quam latebram proſpicimus, ſi orbis ipſe minas agitet? A tempeſtate nos vendicant portus: Nimborum vim tecta propellunt: aduerſus tonitrua & minas cœli ſubterraneæ domus. In peſtilentia mutare ſedes licet. Sed hoc malum ineuitabile.* *Aëri* ſi inſcripſeri columnarum cœli titulum, erunt *concuſſione* Typhones illi & Orkanes, & יִתְמְהוּ, *ſtupent malacia*, qualis ſubitanea illa ab increpation CHRISTI. Vernacula noſtra habet *zitteren* poſt Chaldaicam רְתִתִין *rathithin*, *trepidant*, LXX. ἐξέστησαν. Significat aliàs radix תָּמַהּ *ſtuporem mentis*, neſciæ, quo ſe vertat, ex occurſ rei haud præuiſæ, terroris & periculi plena Vid. *Zimmermann. Script. S. Coperniz.* p. 54.

Job. Cap. XXVI. verſ. 12.

Sua potentia (a) ſcindit mare, & intelligentia ſua compeſcit ejus ferociam.

(a) Raga enim Chaldæus interpretatur proſcindere, id eſt, fluctibus turbare. Aliqui tamen intelligunt, tranquillum reddere.

In fortitudine illius repente mari congregata ſunt, & prudenti ejus percuſſit ſuperbum.

EXprimit radicale verbum רָגַע *raga* perbellè operationem DEI in mare, ſiue explicetur illud per *disrupit, disruptus, fiſſus fuit*, quo ſenſu ſumitur & Job. VII. 5. *cutis mea rupta eſt*; ſiue per *quieuit, quieſcere fecit*, הַרְגִּעִי *quieſce*. Jer. XLVII. 6. Nam DEUS ut exagitat in fluctus enormes, ita idem ad quietem redigit momento, pro lubitu. Utrumque omnipotenti nutu præſtitit DEUS eo tempore, quo *aquæ* fuere *congregatæ in unum locum*. Gen. I. Quapropter Vulgata Textum noſtrum reddit ita, *in fortitudine illius repente maria congregata ſunt*, & plerique eorum Interpretum, qui Vulgatam ſequuntur, applicant Creationi, aliis interim intelligentibus malaciam poſt tempeſtatem ſæuam. Ita & LXX. ἰσχύει κατέπαυσε τὴν θάλασσαν, *virtute ſedauit mare.* Ita CHRISTUS ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη. Matth. VIII. 26. *Tu poteſtatem exerces in faſtum maris, quum attollit fluctus ſuos, tu compeſcis eos. (Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.)* Pſal. LXXXIX. 10. Luce plus indigent verba ſequentia וּבִתְבוּנָתוֹ מָחַץ רָהַב *& in intelligentia ſua percuſſit ſuperbiam.* Noſtra Latina, *& intelligentia ſua compeſcit ejus ferociam*: Vernacula, *und mit ſeiner Fürſichtigkeit ſchläget Er die ſtoltzen (Wellen.)* Eſt רָהַב terminus vagus, notans *eleuationem, ſuperbiam*, ſed & *robur, fortitudinem*, ut liberum ſit Interpretibus addere ſubſtantiuum. Sunt, qui diabolum intelligunt, aliosque malignos dæmones, perſuaſi, poſſe hos, permittente DEO, mare in feroces eleuare fluctus. *Deodatus* & alii volunt, intendi digitum ad tranſitum illum Iſraelitarum miraculoſum per mare rubrum; ſi hæc valet interpretatio, erit Pharao ſuperbus ille, quem DEUS percuſſit. LXX. & qui eos ſequuntur, volun Tyrannum illum maris *Cetum*, ἐπιστήμῃ δὲ ἔστρωσε τὸ κῆτος, ſed *Symmachus* habet, συγκλᾷ ἀλαζονείαν *confringit arrogantiam.* Ibimus forte tutiſſim ſi rectiſſima via cum Vernacula noſtra intell gamus tumidos & frementes maris fluctus, qu agmine veluti facto intentant ſæua pericul nautis, *die ſtoltzen Wellen des Meers*; Subſcri bit & *Pineda*, qui paſſim Tigurinam noſtran laudat. Ita legimus Zach. X. 11. *Tranſibit pe mare anguſtum, in freto fluctus percutiet, & ex areſcent omnes profunditates fluminis. (Tranſibi in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis.)* Et e egregium Regii Pſaltis in hunc Jobi Textun commentarium! Pſ. CVII. 25. 29. *Suo imperi ciet ventum procelloſum, qui alte fluctus ipſius at tollit. — Sedata tempeſtate reddit mare tranqui lum, ut deſinant fluctus, quibus jactabatur. (Di xit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſun fluctus ejus. — Et ſtatuit procellam ejus in au ram: & ſiluerunt fluctus ejus.)* De maris hi fluctibus hac occaſione monendum, non aſſur gere, ut montes. ὑπερβολὴν amant Poëtæ, amant & ex itineribus per maria factis reduces. In Mediterraneo Mari inter Magellonam & Peyrole non ſurgunt altius, quam 7. pedes ſupra maris horizontem, in oris Prouinciæ ad 5. & allidentes ad ſcopulos 7. Dimenſionem hanc illis dat ex certis Obſeruationibus Ill. Comes *Marſiglius* in *Hiſtoria Maris*, vid. *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1710. p. 29.

Neminem ſubeat admiratio, ſi in tota Scriptura Sacra imperium maris, de quo dudum certarunt reges terræ, tribuatur ſoli DEO. *Fecit* DOMINUS *mare*. Exod. XX. 11. Neh. IX. 6. Act. IV. 24. DOMINI *eſt mare, nam fecit illud.* Pſal.

RPJCB

Iob. Cap. XXVI. v. 13.
Deus fulminans.

Buch Hiob Cap. XXVI. v. 13.
Der Stral = ſchieſſende Gott.

I. G. Pintz sculp.

ſal. XCV. 5. *Congregat aquas maris ut cumulum, eponit in penetralia abyſſos.* (*Congregans ſicut in tre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.*) ſal. XXXIII. 7. *Poſuit mari legem ſuam, & quis ne transgrederentur littus ſuum, quum con-itueret fundamenta terræ.* (*Quando circumdabat ari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne anſirent fines ſuos: quando appendebat funda-enta terræ.*) Prov. VIII. 29. *Poſui arenam ter-inum mari, idque perpetuo decreto* (juxta leges me in natura conditas) *ne transgrediatur eum: euiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt; tu-ultuantur, ſed non tranſibunt ipſum.* (*Poſui are-am terminum mari, præceptum ſempiternum, quod on præteribit: & commouebuntur, & non po-erunt; & intumeſcent fluctus, & non tranſibunt llud.*) Jer. V. 22. Eſt proin mare inſtrumen-um in manu DEI, quo utitur benignus & ju-tus, gratioſus & iratus. *Sola increpatione ex-iccat pelagus.* Jeſ. L. 2. Nah. I. 4. Et en, ut exercuit ſupremum hoc ſuæ dominationis jus in tranſitu illo Iſraelitarum per mare rubrum miraculoſo, quo *mutauit mare in aridam.* Pſal. LXVI. 6. Exod. XIV. 21. *Increpuit mare, ut exareſceret, ac traduxit eos per abyſſum, tanquam per deſertum.* (*Increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto.*) Pſ. CVI. 9. *Exiccabat mare aquas abyſſi immenſæ, pelagi profunda peruia fecit, ut tranſirent redempti.* (*Siccauit mare aquam abyſſi vehementis, poſuit profundum maris viam, ut tranſirent liberati.*) Jeſ. LI. 10. En ut tremebundi nautæ agnoſcunt ſummum hoc in elementum furioſum jus, tunc, ubi *increpat DOMINUS mare, ut tumultuentur fluctus ejus.* Jeſ. LI. 15. Et iterum, ſi increpatione ſua ferociam maris ſedat, & ſtupore pleni exclamant mortales: Ποταπός ἐςιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; Matth. VIII. 26. 27. Marc. IV. 41. Luc. VIII. 24. 25.

TAB. DXX.

Job. Cap. XXVI. verſ. 13.

Suoque Spiritu adornauit cœlos, (&) manus ejus formauit (a) ſerpentem vectem.

(a) Significat ſtellarum ſitum, qui draconem figurat concludentem urſam majorem & minorem.

Spiritus ejus ornauit cœlos; & obſtetricante manu ejus, eductus eſt coluber tortuoſus.

JObo eadem, quæ Dauidi, mens. Pſal. XXXIII. 6. *Verbo DOMINI cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Quod Dauidi eſt exercitus cœlorum, id Jobo ſunt eorundem ornamenta, fixæ nempe & erraticæ. De hoc nulla eſt lis. Sed multa de נָחָשׁ בָּרִחַ *nachaſch bariach, ſerpente fugace, ſerpente vectis.* Hunc quærunt nonnulli in cœlo, alii in terra, in mari, aëre, inferno alii. Sunt namque, qui volunt, digito veluti monſtrarier ſerpentem illum ἀρχαῖον, qui cluet δράκων μέγας πυῤῥὸς — ȣ̓τȣ ἡ ȣ̓ρὰ σύρει τὸ τρίτον τῶν ἀςέρων τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃. Apoc. XII. 3. 4. Qui cœli culmina ſcandunt, neſcii ſunt ipſi, vel dubii, quò ſe vertant. Quidam cum Latina noſtra intelligunt *urſam majorem & minorem*, quæ binæ conſtellationes nomine *draconis* veniunt. Placet aliis *via lactea*, faſcia alba per totum cœli ambitum ſerpentis inſtar protenſa, quæ teleſcopiis viſa eſt innumerarum ſtellularum congeries. *Bezæ* Exegeſis hæc eſt: *Cœlos illa inenarrabili pulchritudine exornauit, & ſpiræ illæ ſuis gyris undique cœlos ſerpentium inſtar percurrentes ſunt opus manibus ejus tornatum.* Quæ interpretatio fauere poſſet Tychonico Syſtemati, in quo Planetarum orbitæ & motus ſunt ſerpentiformes gyri: quanquam non vidi hactenus, qui Jobi hunc Textum Syſtemati huic applicet. Qui abyſſos maris ſubeunt, inueniunt duce *Coccejo in Job.* p. 171. *Balænam*, ſerpentem veluti rigidum, rectà extenſum, *vectis* ad inſtar, ad differentiam *ſerpentis tortuoſi.* Occurrunt ambo hi ſerpentes Jeſ. XXVII. 1. *In die illa viſitabit DOMINUS gladio ſuo duro, grandi & robuſto, Leuiathan ſerpentem vectem* נָחָשׁ בָּרִחַ, *& Leuiathan ſerpentem contortum* נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן *& trucidabit draconem, qui in mari eſt.* (*In die illa viſitabit DOMINUS in gladio ſuo duro, & grandi & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum, qui in mari eſt.*) Creaturam viuentem, non ſidus ſeligit magnus Theologus, quia in ſtellam non quadrat, *viſitari gladio. Pineda in Job.* P. II. 367. tandem ſerpentem vectem quærit & inuenit in atmoſphæra, *fulmen* intelligens, Meteorum fugax, quod ſerpentiformibus tractibus celerrimo motu trajicit aëra.

Mobilitas autem ſit fulminis, & grauis ictus,
Et celeri ferme pergunt ſic fulmina lapſu,
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.

Non igitur multis offenſibus in remorando
Hæſitat, hanc ob rem celeri volat impete labens.

Lucret. Lib. VI. & *Senec. Nat. Quæſt.* L. II. c. 28. *Ignes aër tranſverſus agit. Magna vi illos excuti argumentum eſt, quod obliqui feruntur, & prærapida celeritate. Apparet illos non ire, ſed projici.* Hinc & Poëtis *fulmina* dicta *obliqua.*

Quem non concutiet cadens
Obliqui via fulminis?

Seneca in Thyeſt. Act. 2. *Fulmina* ſanè tanquam DEI producta & ἀπὸ μηχανῆς tela credidit antiquitas ſacra atque profana. Pſal. XVIII. 15. & Habac. III. 11. nominantur *ſagittæ* DEI. Joui à Gentilibus fulmen datum in manus, & ſummus hic ipſe Ζεὺς cluet Κεραύνιος, ἐμβρόντιστος, *fulminans, fulgurator, tonans;* & ipſa Jouis ales, Aquila, fulmen unguibus tenet in Nummis. *Manilius:*

Aſſueti volitans geſtat ſeu fulmina mundi
Digna Joue & cœlo, quod ſacris inſtruit armis.

Ex innumeris antiquitatis teſtimoniis producam pauca.

A. Nummus eſt à Seleucenſibus percuſſus cum capite Seleuci conditoris ex una, & fulmine ex altera parte. Conſtat namque vel ex *Heſychio*, Jouem Ceraunii nomine Seleuciæ fuiſſe cultum, Κεραύνιος, εμβρόντισος, καὶ Ζεὺς ἐν Σε-λευκίᾳ. In aliis Nummis occurrit inſcriptio ipſ[a] ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ, & fulmen menſæ impoſi-tum.

B. Nummus maximi moduli ex Regis Chri-ſtianiſſimi Gaza, percuſſus ab Epheſiis ſub Antonino Pio.

C. Nummus maximi moduli ex eadem Gaza ſub Vero.

D. Nummus dicti moduli ex eadem Gaza ſub Commodo.

Celeberr. *Haſæus* in ſuo *Leuiathan* p. 107 per נָחָשׁ intelligit *Crocodilum*, oblongi corporis, longæque & mobilis caudæ animal, hominibus infeſtum & terribile, cui quadret τὸ בָּרִחַ ſiue id notet fugacem, fugitiuum, ſiue vectem ſiue rectum. Eſt quippe ille *fugax contra inſequentes*, ut *Plinius* ait, *fugax audaci*, ut *Seneca*, ſimilis *vecti*, ligno tereti, oblongo, jacens per ſæpe inſtar trunci arboris dejectæ, incautos inuaſurus, *rectus*, in oppoſitione ſerpentum vel draconum in ſpiras ſe & gyros contorquentium.

Quæcunque tandem valeat circa Jobi נָחָשׁ בָּרִחַ interpretatio, ſeu pientiſſimi Philoſophi ideæ volitarint in cœlo æthereo, ſeu aëreo, ſeu aquis, certum id ſemper manet, ex omnibus operibus recenſitis prolucere fulgentiſſimis radiis Creatoris Optimi Ter Maximi infinitam & ſapientiam & potentiam, quorum attributorum demonſtratio palmarius eſt noſtri Scriptoris ſcopus.

Job. Cap. XXVI. verſ. 14.

Atque iſta duntaxat extrema ſunt viarum ejus: & quantulam portionem audiuimus de iſto negotio? Quis autem tonitru potentiæ illius cognoſceret?

Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum ejus: & cum vix paruam ſtillam ſermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

Eſt utique id, quod hactenus Jobus in ſcenam protulit de magnificis DEI operibus, & quod dicturus eſt porrò, minima pars eorum, quæ dici poſſent, קְצוֹת דְּרָכָיו *partes, oræ, extrema viarum ejus*, μέρη ὁδῶ αὐτῶ LXX. Lineamenta duntaxat quædam, & tenuia indicia. Ut Pictor protographiam quandam in chartam projicit, picturam dehinc magis elaborat & magis, nunquam tamen ita exarabit perfectè, ut exemplari ipſi omnibus numeris & partibus reddatur æqualis. Ita licet & nobis, imo verò incumbit, experientiâ duce, & ſeria meditatione præuia de μεγαλείοις ΘΕΟΥ loqui & ſcribere, & id quidem, quod nos inſtigare poteſt & debet ad deprædicandas Ter Optimi, Ter Maximi Creatoris laudes. Verùm in altera demum vita, caligine oculis ſublatâ, comparebit clarius longe τὸ θεῖον operum DEI, intima, quæ nunc nos latet, διακοσμήσεως ſtructura, & tam perfectè quàm quidem intellectus noſter finitus capere poterit, imo DEUM ipſum contemplabimur oculis glorificatis. Quod nunc philoſophamur, loquimur, ſcribimus, percipimus, inquirimus, & quod acutiſſimi Philoſophi indagarunt cunque, eſt שֶׁמֶץ דָּבָר *ſchemets dabar, puſillum verbum, ſuſurrus, parua ſtilla ſermonis*, LXX. ἰκμὰς λόγȣ, ubi Scholiaſtes, ἐξεπλάγημεν ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις, *obſtupuimus ſuper iis, quæ dicta ſunt, quæ tamen tanquam ſtilla ſunt immenſi illius abyſſi;* & *Symmachus* ψιθύρισμα τῶν λόγων αὐτȣ. Nam, infit porrò Jobus, *quis tonitru potentiæ illius cognoſce-*

RPJCE



IOB. Cap. XXVII. v. 3.
Halitum vitamque dat Deus.

Büch Hiob Cap. XXVII. v. 3.
Gott gibt Leben und Athem.

I. A. Fridrich scul

oſceret? id eſt, magnitudinem ſuæ poten-
æ, vel, maximam ſuam potentiam, ut
יְ גְּבוּרוֹת *fortitudines ſalutis*, Pſ. XX. 7. ſunt
mma ſalus. Non magis ſufferre poſſumus,
amdiu corpus hocce caducum unitum eſt ani-
æ noſtræ in hac vita, ſplendidiſſimam ſa-
entiæ diuinæ lucem, potentiæque vim pe-
trantiſſimam, quàm Iſraelitæ illi audire to-
trua DEI altitonantis. Proportio adſit opor-
t inter objectum ſenſibile, & organum viſus,
ditus, ita & inter capacitatem mentis, & id,
od percipi debet. Finitum, quæ regula eſt
ogicorum, infiniti non eſt capax. Extendit
ſe impotentia hæc per totam Phyſicam, ubi
hactenus fuit, & erit in poſterum, maxima pars eorum, quæ ſcimus, minima eorum, quæ ignoramus. Confitemur ignorantiam hanc noſtram occaſione tonitru & fulminis. Adæquatum equidem magis format conceptum comparatio Pyrotechniæ humanæ, tum ſeriæ, tum jocoſæ, cum illa Diuina, nubium ſuperiorum in inferiores caſus, quem ſibi finxit *Carteſius*, vibratio tremula aëris aliorum, magis, inquam, quàm eruptio accenſorum halituum è nubibus, quàm producebant Veteres, ferri igniti in aqua extinctio, quam in ſcenam protraxere *Anaxagoras*, *Empedocles*, *Diogenes*, *Plinius*, ſed minimè ſuffenum.

TAB. DXXI.

Job. Cap. XXVII. verſ. 3.

Dum in me halitus erit, & flatus DEI in naſo meo.

Quia donec ſupereſt halitus in me, & Spiritus DEI in naribus meis.

PAri ambulant paſſu Jobo *halitus* & *vita*, & rectè: reſpirat homo, quamdiu
viuit, & viuit, dum ſpirat. Eſt *reſpiratio* adeò nobilis actio, ut ab ea vita
immediatè pendeat, vitalis, hominis
empe utero materno excluſi, nam in tenebri-
oſo hoc carcere per nouem viuimus menſes
bsque reſpiratione. Follis, quo ſpiramus, in-
piramus & expiramus, &, qui reſpirationis
t ſcopus, ſanguinem craſſum iterum attenua-
nus, & ex venoſo arterioſum reddimus, ad
ouam circulationem aptum, eſt *pulmo*; ſed
ollis infiniti prorſus artificii, ex innumeris con-
tans veſiculis, diuina arte formatis, adjutus
otarum loco, vel appenſorum ponderum, quæ
n perennibus follibus obſeruare licet, mira
horacis, coſtarum, diaphragmatis, muſculo-
um reſpirationi inſeruientium, ſtructura. Sed
emo facilè conceptum ſibi formabit genui-
num de Antlia hac infiniti artificii pneumatica,
niſi mechanicæ, quam docemus hodie, Ana-
tomiæ & Medicinæ peritus, harum alarum
beneficio volare ſecurè licet ad cognitionem
Altiſſimi παντοκράτορος, qui non ſolùm *creauit
cœlos*, & *extendit eos*, & *expandit terram* &
germina ejus, ſed (obſerua, amice Lector, ne-
xum maximorum illorum operum DEI cum
reſpiratione, & inde pendente vita hominis)
& *reſpirandi vim tribuit populo eam inhabitanti*,
& *ſpiritum bis, qui verſantur in ea; (creauit cœ-
los*, & *extendit eos: firmauit terram*, & *quæ
germinant ex ea, dedit flatum populo, qui eſt ſu-
per eam*, & *ſpiritum calcantibus eam;)* Jeſ. XLII. 5.
ut proin quamdiu Spiritus hos reget artus,
quamdiu *in nobis halitus*, & *flatus DEI in naſo
noſtro*, non poſſimus non deuotiſſimis deprædicare laudibus halitus noſtri Creatorem & Conſeruatorem optimum, imo reſpirationis omnis, absque qua nullum animantium genus, in terra, aquis, aëre, imo nec plantæ viuere poſſunt, Authorem ſapientiſſimum atque potentiſſimum. *Laudet DOMINUM omne, quod ſpiritum trahit.*

Inſpiciamus, agedum, infiniti artificii machinam hancce propius. Eſt thorax cauitas elliptica, formata ex coſtis arcuatis, ſuccincta intus pleurâ, ab imo ventre diſtincta per diaphragma. Coſtis interjacent muſculi intercoſtales, qui ſi in actione ſint, quæ contractio eſt, coſtas ſurſum trahunt verſus clauiculam, tanquam punctum fixum. Dictis jam muſculis in contrapondio ſunt coſtæ ipſæ, nitentes deorſum propria ſua grauitate, ſed & deorſum tractæ à latiſſimi dorſi proceſſibus. Sunt hi Antagoniſtæ in æquilibrio præcisè, & operantur alternatim, prout huic illiue potentiæ adjicitur tantillum. Fit autem hoc inprimis ope ſanguinis ex muſculis intercoſtalibus in Venam Azygon reflui. En quomodo! Surſum tractis coſtis ab intercoſtalibus, qui actionem ſuam debent fluido nerueo, ampliatur thorax: irruit aër externus frigidior in pulmones per tracheam, inflantur pulmones, premitur ab inflatis pulmonibus vena Azygos, exprimitur ſanguis in eo contentus in venam cauam, ſed & pellitur retrò ad valuulam Azygos venæ, quam claudit, usquedum nempe ſeſe euacuauerit ἄζυγος in cauam. Quamdiu valuulæ clauſæ manent, ſtagnare cogitur ſanguis in intercoſtalibus, expandentur arteriæ intercoſtales, retro-

 pulſo

pulſo fluido nerueo. Ita ſubſident coſtæ, anguſtabitur thorax, redibit ſanguini circulus, ſpiritibus animalibus, intercoſtales animantibus, vigor, eleuabuntur denuò coſtæ. Atque ita, quod videmus, reciprocans hæc inſpiratio & expiratio dependet partim à ſtructura partium ſolidarum, pulmonum, coſtarum, muſculorum, partim ab exquiſito ſanguinis & ſpirituum animalium æquilibrio. Addere poſſem inſuper, ſi per tempus liceret, reciprocationem inter diaphragma & muſculos abdominis. Fuſius hæc omnia & perdoctè explicat *Ström. Nov. Theor. Mach. Animal.* p. 52. 56. &c. Legatur cumprimis Cl. *Dan. Bernoullii Diſſ. de Reſpiratione.* Baſ. 1721.

Pro planiori rerum dictarum intellectu è r erit ſiſtere heic & contemplari præcipua ſa tem reſpirationis organa.

Fig. I. exhibet thoracis oſſa, coſtas tum ve ras, tum ſpurias, ſternum, clauiculam tur ſterno tum ſcapulæ nexam. Lubuit ſimul de pingere unum ex intercoſtalibus muſculis & ſubclauium, qui muſculi coſtas attollunt.

Fig. II. Pulmones à parte anteriore, ubi vi dere licet laryngem, aſperam arteriam, thy mum, diaphragma.

Fig. III. Thorax apertus, & in eo ſpeciatin ſitus venæ ſine pari, cauæ & arteriæ ma gnæ.

Job. Cap. XXVII. verſ. 18.

Ædificat domum ſuam ut tinea, utque cuſtos (hortorum) conſtruit tugurium.

Ædificauit ſicut tinea domum ſuam & ſicut cuſtos fecit umbraculum.

EST facilis, quam Jobus adhibet, Allegoria. עָשׁ *aſch*, *tinea*, σής LXX. habitat in corroſo à ſe ipſa veſtimento, ſeu ligno. Corruit habitaculum hocce quouis fere momento, toties nempe, quoties ſeſe mouet animalculum hoſpes. Extruit proin ſemper tinea, & deſtruit ſemper. Ita, quem veſana cupido poſſidendi plurima ſtimulat, auarus, injuſtus, arrodit continuò bona, famam proximi, habitat inter opes ipſe mendicus opum, non conſiderans ruinam ædificii, cui in momenta eſt obnoxius: imo ejicitur tandem, poſtquam corraſit aliquandiu, ut tinea, nido ſuo, *ſepultura aſini ſepelietur*, ut Jehojakimus ille, *lacerus & abjectus extra portas Jeruſalem. (Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & projectus extra portas Jeruſalem.)* Jer. XXII. 19. Audi interminationem huic ipſi tineæ regiæ factam v. 13. 14. *Væ ædificanti domum ſuam non cum juſtitia, & cœnacula ſua non cum judicio, qui utitur ſeruitio proximi ſui gratis, & opus ſuum ei non reddit. Qui dicit: Extruam mihi domum amplam, & cœnacula ventis peruia, excindit ſibi feneſtras, laquearia arenata ex cedro facit, & ſinopide pingit. (Væ, qui ædificat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam & cœnacula ſpacioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.)* Sunt, qui עָשׁ explicant non per tineam ſed per *Arcturi* ſidus; horum ſenſus eſt: quamuis impius magnifica ſibi extruat & Arcturi palatia, erunt tamen hæc tuguriola, ὀπωροφυλάκια breuis durationis, quæ autumno exacto diru ſolent, & deſtrui. Sed planior eſt literalis *tineæ* ſenſus.

Huic noſtræ *tineæ* LXX. ſociam jungunt *araneam.* ἀπέβη ὁ οἶκος αὐτȣ̃ ὥσπερ σῆτες, καὶ ὥσπερ ἀράχνη. *Euadet domus ejus ſicut tineæ, & ſicut aranea.* De animalculo hocce, quod laxos ſuſpendit in foribus caſſes, in Hebræo Textu nil extat, ut facilè ejus tractatione ſuperſedere poſſim. Contentus paralleliſmo ſumptuoſiſſimarum ædium cum tuguriolo, qui inuitare nos debet & incitare ad quærendum æternas illas opes, quas neque tineæ arrodere, neque fures auferre queunt. Lege *Senecam L. I. Nat. Quæſt.* initio. *Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur: ita ſi minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus, leuisque ac contentus, modico emicuit. Scit illa ad ſe pertinere. Tunc contemnit domicilii prioris anguſtias.* Et *de Vit. beat.* c. 27. *Vos, tanquam aliquis vobis æternam poſſeſſionem diuitiarum promiſerit, aſſueſcitis illis & cohæretis. Sapiens tunc maxime paupertatem meditatur, cum in mediis diuitiis conſtitit.* Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 23. p. 605. c. 25. p. 615. 617.

Job.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 1. 2.

Habet argentum venas, & aurum locum, in quo conflant.

Ferrum è puluere tollitur, & lapis ut æs funditur.

1. Habet argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur.
2. Ferrum de terra tollitur: & lapis, ſolutus calore, in æs vertitur.

INtroducit nos Jobus ad theſauros ſubterraneos, rerum metallicarum ipſe peritiſſimus, ut ſolent eſſe hodie fodinarum præfecti, ſiquidem officio ſuo velint ritè fungi: ut haud neceſſe ſit, tantæ authoritavirum adſociare ipſis metallifoſſoribus, cum [M]atheſio *Sarept.* p. 17. b.

Mentionem facit Jobus metallorum qua[tu]or ex pretioſiſſimis & antiquiſſimis, *argen*[ti], *auri*, *ferri*, *æris*. Ita & *Ouidius* L. III. *E*[l]. 7.

At cum regna ſenex cœli Saturnus haberet,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus:
Æraque & argentum cumque aurea pondera ferri
Manibus admorat, nullaque maſſa fuit.

Videbimus illa ordine, ſecuturi κατὰ πόδα [vest]igium μεταλλόσοφον noſtrum.

יֵשׁ לַכֶּסֶף מוֹצָא *eſt argento exitus*, ἔςιν ἀργυρίῳ [τό]πος ὅθεν γίνεται LXX. Latina noſtra, *habet ar*[ge]*ntum venas*, Vernacula, *das Silber hat ſeinen* [A]*usgang*, meliùs dixeris *Aderen*, *Klüfft*, *Gän*[g]*e*, *Fletz*, *Geſchiebe*, id eſt, venas, loca, ubi ef[f]oditur. Notum quippe, rariſſimè reperiri [h]oc metallum in maſſis integris purum pu[r]um, ut ſolet plumbum album & nigrum, ſed [i]n certis venis, & lapidibus, imò miſceri di[v]erſas argenti venas inuicem, ut in una ea[d]emque maſſula reperias argentum rude plum[b]ei, albi, nigri, rubri coloris, & capillare, [G]*laſs-Ertz*, *weiſs-ſchwartz-roth-güldén-Ertz* [u]*nd Haar-Silber in einer Stuffe.* Excoquitur [a]lias argentum ex vena ferri, plumbi, plumbi [c]inerei, pyrita, quarzo, ſpatho, lapide fiſſili, [c]orneo, argilla, ſaxis variis, unde & varia à [v]ariis accepit nomina. Dico notanter, voca[b]ulum מוֹצָא *motſa* verti melius per *venas*, [q]uàm per *exitus*, excepto ſolo illo, ſed rariſſi[m]o, argento, quod in ſuprema effloreſcit ter[r]æ ſuperficie, *das oben zum Tage ausbricht*; *venarum* enim vocabulum quadrat omnibus [o]mnino argenti matricibus, cujuscunque ſint [v]el nominis, vel generis. *Exitus*, & *venarum* [p]*rincipium*, quod Vulgata habet, applicari vi[d]entur Veterum illi ſyſtemati, juxte quod ar[g]enti, aliorumque metallorum venæ, plantæ [a]d inſtar, ex radice ſuccreſcunt, in ramos ex[p]anſæ: quum conſtet potius ex variis circumſtantiis, attentè conſideratis, collecta fuiſſe confracta in diluuiana illa Cataſtrophe metalla, & veluti in minutiſſimis particellis in ſtrata terræ depoſita, in fiſſuris coaceruata, ubi adhuc aquæ ductu colligi poſſunt, & aliunde huc deriuari. Haud leuis momenti eſt diſcrimen inter binas haſce hypotheſes. Nam juxta prius ſyſtema creſcunt metalla, & ad maturitatem ſuo tempore perueniunt, ut fructus arborum, & ſpes remanet Philoſophis per ignem arte perficiendi id, quod eſt mancum, & in viſceribus terræ intimis peragit natura; minimè verò creſcunt juxta poſterius, ſed talia à foſſoribus reperiuntur, qualia fuere diluuii tempore depoſita, vel inde ab illo tempore aliunde ad fiſſuras delata. Auro argentum præponit Philoſophus noſter, non quod illo ſit nobilius, ſed quia in communi uſu frequentius, & antiquius. Antiquiſſimi Numi fuere Sicli argentei. Et apud Romanos ſunt Numi argentei antiquiores aureis. *Plin.* L. XXXIII. c. 3. *Argentum ſignatum eſt anno urbis 585. Q. Fab. Coſ. Aureus autem numus poſt annum 62. percuſſus eſt, quàm argenteus.* Ut jure de mundo morali dicere queas, ſuperatum fuiſſe prius argenteis, dein aureis armis, juxta reſponſum illud *Pythiæ*, quod *Philippo* dedit: *Argenteis haſtis pugna, & omnia vinces.*

וּמָקוֹם לַזָּהָב יָזֹקּוּ & *locus auro fundent*, LXX. καὶ τόπος χρυσίῳ, ὅθεν διηθεῖται, *locus auro, unde percoletur*, al. ὅθεν χωνευθῇ, *unde conſletur. Das Gold hat ſein Ort, da es geläutert wird.* Ubi ſciendum, aliud eſſe aurum ſtatim ſuum, purum, ignem non expertum, χρυσίον ἄπυρον, ἄπεφθον, ὄβρυζον, obryzum, εὔρυζος χρυσός, כֶּתֶם אוּפָז Dan. X. 5. quale olim fuit Ophiricum, & Arabicum, hodieque eſt inprimis Hungaricum, quod ſi è fluminibus eluatur, χρύσαμμος dicitur. Hoc omne purgatione nulla indiget, quia eſt purum, puriſſimum. Aliud autem heterogeneis particulis ſociatum, ſeparandis per contuſionem, lotionem, fuſionem, modos alios. Et hanc ipſam auri venam intellexiſſe videtur Jobus, quia διηθήσεως, *percolationis*, *per colum trajectionis* mentionem facit, ſi bene vertit Olympiodorus, nam *fuſio* etiam in aurum purum quadrat: Utrumque aurum proſtabat olim in Arabia: purum putum nucis caſtaneæ magnitudine inuentum teſte, *Diodoro Siculo* L. II. c. 50. III. 45. vena auri in confiniis Ægypti,

pti, Arabiæ & Æthiopiæ in lapide marmoreo albo, ad quod effodiendum relegabantur, ut hodie ad triremes, malefici. Et ex *Hieron. Loc. Ebraic.* f. 128. notum aurum, quod effodiebatur in *Phunon*, *Fenon*. *Sabæi ditiſſimi ſiluarum fertilitate odorifera, auri metallis. Plin.* L. VI. c. 28. & l. c. *Litus Hammæum, ubi auri metalla.*

בַּרְזֶל מֵעָפָר יֻקָּח *ferrum è puluere tolletur*, LXX. Σίδηρος μὲν γὰρ ἐκ γῆς γίνεται. *Das Eiſen grabt man aus der Erden.* Sunt omnia alia metalla terrigena, ſed ferrum, ſi Jobum audiamus, κατ᾽ ἐξοχὴν. Forſan id voluit Philoſophus noſter, quod experientia teſtatur, ferri venas ut plurimùm non latere in profundis terræ viſceribus, ſed in ſupremo terræ cortice: vel, eſſe, ut perſæpe eſt, metalli hujus venam terream, terræ modo friabilem: vel, omni argillæ ineſſe ferrum, quod iterum experimenta comprobant, imò ipſis plantarum cineribus. Placet aliis affinitas ferri cum terra, quæ ferro foditur, aratur, inuertitur, colitur, plures numero productura fructus. Unde ſanè *Iſidorus* L. XVI. c. 20. *Ferrum* deriuat *à farre, quod farra, id eſt, ſemina frugum terræ concedat.* Egregia ſunt, quæ de metallo hocce habet *Plinius* L. XXXIV. c. 14. *Ferrum optimum peſſimumque vitæ inſtrumentum. Siquidem hoc tellurem ſcindimus, ſerimus arbuſta, ponimus pomaria, vites, ſqualore deciſo, annis omnibus cogimus juueneſcere. Hoc excutimus tecta, cædimus ſaxa, omnesque ad alios uſus ferro utimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus ſolum, ſed etiam miſſili, volucrique, nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror. Siquidem ut ocyus mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus. Quamobrem culpa ejus, non naturæ fiat accepta. Et tamen poteſt innocens eſſe ferrum. In fœdere illo, quod expulſis regibus populo Rom. dedit Porſenna, nominatim inuenimus, ne ferro niſi in agricultura uteretur.* In Arabia effoſſum fuiſſe ferrum, nullum eſt dubium. Nulla penè eſt terræ regio, quæ utiliſſimo hoc careat metallo. Sanè frequens fuit in montibus Palæſtinæ, qui ſpectant Arabiam. *Agric. de metall.* p. 413.

וְאֶבֶן יָצוּק נְחוּשָׁה, *& lapis fuſus æs.* LXX. χαλκὸς δὲ ἴσα λίθῳ λατομεῖται, *Æs autem ſimiliter ut lapis cæditur*, al. ἀπὸ λίθων χωνεύεται, *è lapidibus funditur.* Ita benè exprimit ſenſum Vernacula noſtra, *und das Ertz ſchmeltzet man aus den Steinen*, meliùs certè Latinâ, *Lapis, ut æs funditur.* Idem hoc eſt, ac ſi diceres, lapides quoque, ut æs, fundi poſſe, quod veritati quidem haud repugnat; comprobant certè uniuerſalem hanc lapidum quorumcunque fuſibilitatem modernorum per lentes & ſpecula cauſtica experimenta, quæ ipſum alumen plumoſum, igni aliàs inuictum, in fluorem redigunt, & momento quidem. Sed non eſt hic Jobi ſcopus. De ære loquitur Philoſophus noſter,

pretioſo ſimul & utiliſſimo metallo, & qu
rariſſimè inueniatur purum putum, ut iu
& argentum, vel in maſſis integris, ut :rr
ſed plerunque lapidibus, quarzo, ſpath, ;
mineralibus immixtum, ignis ope ab s ſ
randum. Erit proin אֶבֶן, *eben, vena* is,
Handſtein, Kupfer-Ertz, אֶבֶן יָצוּק *eben iat*
vena æris toſta, vel & æs ipſum fuſum è l
dibus. Junge *Jobo Plinium* L. XXXIV. c
Venâ effoditur ignique perficitur (æs). *Fit*
pide æroſo, quem vocant Cadmiam. Et L. XX
c. 26. *Igne lapides in æs ſoluuntur.* Pr ceſ
ipſum breuibus, ſed emphaticè, deſcr it
theſius Sarept. p. 65. & poſt eum *Agricola*
alii, quibus citandis contentus, enumeran
ſuperſedeo, recenſendis etiam ſpeciebus di
ſis venarum æris, quæ in *Lexico* mec *Foſſil*
ad 60. adſurgunt, & ultra. Silentio i non
prætereundum, quod æs neque an quita
nec uſu, cedat aliis metallis. *Ferreâ tate*
tiquior eſt *ærea*. Egregium extat teſt moni
in *Heſiodi* ἔργοις καὶ ἡμέραις v. 149. τοῖς ... χα
μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι, χαλκῷ δ᾽ ἐργ ... ντο.
λας δ᾽ οὐκ ἔσκε σίδηρος. *Fuerunt illis ærea te a, æ*
ædes, inſtrumenta ænea. Nigrum tun non
ferrum. Idem confirmat experientia In
tuſtiſſimis Heluetiæ, ſed ſeptentrioni cum
mis, ſepulcralibus monumentis ad ta ur
inuenias perſæpe non ferrea, ſed æ a arm
ſecures, annulos, alia. Vid. *Dan. Major*
Völckert Cimbrien p. 65. *Rudbeck. Atla ic.* P. I
c. 7. p. 145. *Nov. Liter. Mar. Balt.* A. 16
p. 91. Taceo antiquiſſima Ægyptiorum, Gr
corum, Romanorum monumenta ta lis ær
inciſa. *Uſus æris ad perpetuitatem monumen*
rum jam pridem translatus eſt, tabulis æreis,
quibus publicæ conſtitutiones incidunt r. P
Lib. XXXIV. cap. 9. Fuit id ipſum veteru
æs fixum, cui Leges, Decreta, Calcu Aſtron
mici, alia fuere inſculpta, & public locis
ſpenſa, vid. *Salmaſ. in Solin.* p. 479 521.
ſacris teſtimonium extat remotiſſimæ antiq
tatis de *Thubal-Caino*, quod *expo rit quo*
cunque opificium tum æris, tum ferri. Gn. IV. 2
Serpens æneus à Moſe erectus, va a ſacra
rea tum pro tabernaculo, tum pro Templo S
lomonæo.

Καὶ ταῦτα μὲν περὶ ταῦτα. Satis de pretio
quatuor metallis, auro, argento, ferro, ær
commendatis ab operâ, quæ in e rum effo
ſionem, & præparationem inſumi debet,
uſu, qui inde in hominum ſocieta em redu
dat, imo & à pulchritudine. Sed, uò tend
Jobus hac ſua propoſitione, non a eò lique
in diuerſa abeunt ſententiarum diu rtia. N
turæ rerum, & ſenſui verborum co grua mi
videtur hæc explicatio, quod omnem operam
laborem omnem collocent homine in meta
lorum detectione, effoſſione, δοκιμασίᾳ, ſepara
tione, fuſione, ſed hi ipſi nerui ve non inter
dantur à nobis pro vera ſapientia obtinenda
vel labor omnis futurus ſit inanis, niſi DEU

nos

nos, naturâ cœcos, colluſtrare dignetur ſuâ gratiâ. *Unde autem*, inquit v. 12. &c. *ſapien-tia petenda eſt? aut ubi eſt locus intelligentiæ? Ignorat homo pretium illius, neque inuenietur in terra viuentium. Abyſſus enim inquit, in me ion eſt: ac mare dicit, mecum non eſt. Non da-bitur pro illa, quod in theſauris concluſum habe-ur, neque argentum expendetur ut pretium e-us*, &c. (*Sapientia vero ubi inuenitur? & quis ſt locus intelligentiæ? Neſcit homo precium ejus, ec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſ-us dicit: Non eſt in me; & mare loquitur, non ſt mecum. Non dabitur aurum obryzum pro ea, ec appendetur argentum in commutatione ejus* &c.) Collimat fere Exegeſis Cl. *Harenbergii* in *Bibl. Brem. Claſſ.* VIII. p. 95. ubi ita: *Inſtituit Jobus omparationem inter ſapientiam veram, theſau-osque caducos. Hos, perhibet, multo licet cum dore, erui ex terra, & in aſpectum produci è cis, quos nec rapaces aues, & quadrupedes, nnia ſcrutantes ob prædam, viderunt. At ſa-entiam veram hominem fugere, niſi DEUS eam tegat, docet. Aurum argentumque cum cæte-s metallis tradit à ſolicitis mortalibus inueniri, dinisque eſſe exitus & finem: originem verò veræ pientiæ eſſe infinitam, nulloque termino conclu-.* Egregia ſunt, quæ hanc in rem habet *Boe-ius de Conſolat. Philoſ. met.* 8.

Eheu, quàm miſeros tramite deuio
Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
Nec vite gemmas carpitis,
Non altis laqueos montibus abditis,
Ut piſce ditetis dapes.
Nec, vobis capreas ſi libeat ſequi,
Tyrrhena captatis vada.
Ipſos quin etiam fluctibus abditos
Norunt receſſus æquoris,
Quæ gemmis niueis unda feracior,
Vel quæ rubentis purpuræ,
Nec non quæ tenero piſce, vel aſperis
Præſtent echinis litora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt, bonum,
Neſcire cæci ſuſtinent,
Et quod ſtelliferum tranſabiit polum
Tellure demerſi petunt.
Quid dignum ſtolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Et quum falſa graui mole parauerint,
Tum vera cognoſcant bona.

Vid. *Matheſ. Sarept. Conc.* VI. p. 57. b. it. *de Mey. Phyſ. Sacr.* p. 334.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 3.

Tenebris poſuit (DEUS) terminum, & ad omnem perfectionem ipſe ſcrutatur lapidem in caligine & denſiſſima umbra abditum.

Tempus poſuit (DEUS) tenebris, & uniuerſorum finem ipſe conſide-rat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.

NOn eandem admittit interpretatio-nem hic Textus, neque per omnia inter nos conuenimus Tigurini. *Tenebris poſuit DEUS terminum*, kets, τάξιν LXX. pro quo Aquila habet τέ-λ, *finem*, Theodotio πέρας, *terminum*, Symma-chus προθεσμίαν, *præſcriptionem, præſcriptum tem-p.* Sunt ex vetuſtiſſimis Interpretibus, qui hæc verba intelligunt de viciſſitudinibus die-rum ac noctium. Ita *Chryſoſtomus*: *Quis tene-brarum caliginem, obſcuritatemque diſpellit? Unde inde tanta ordo tantus?* Et *Olympiodorus*: *Te-nebræ appropinquante luce cedunt, fitque horum quædam accretio & diminutio; & ut aliquid à communi opinione ſejunctum dicam, quædam effi-citur ex inæqualitate æqualitas.* Et ſanè ſi con-ſideremus tum viciſſitudines ipſas noctium at-que dierum, tum modum, & variationes, pla-niſſima aperietur via ad cognitionem Creato-ris, utpote qui, pro infinita ſua & ſapientia & potentia, *tenebris poſuit terminum.* Nonne, dic ſodes, nî foret nox, à continuo Solis ſplendo-re (applicamus hæc ad terram noſtram) breui areſcerent plantæ? Quiete orbarentur anima-lia cuncta & homines? auolarent corpore omnia fluida, combinato calore luci? tabeſcerent vi-uentia omnia? Et quò, quæſo, ſe verterent animantia, quæ noctu vident, interdiu cœca dormiunt, noctu prædantia cibos quærunt? Nonne, ſi continua foret nox, careremus gra-tiſſimo Solis calore, pretioſiſſima luce, im-merſi Cimmeriis tenebris? ad quid prodeſſent oculi? Quî poſſemus vacare negotiis noſtris & officiis, commercia fouere mutua, mutare loca, perficere itinera? Nonne terra foret ſpe-lunca latronum? Quis non videt, neceſſariam fuiſſe noctis in diem mutationem, & hujus in illam tranſitum, eumque terricolis, qualis re-uerà eſt, præciſe accommodum? Porrò non σημεῖα duntaxat, ſed τεκμήρια infinitæ & ſapien-tiæ & bonitatis exhibet variatio dierum atque noctium in climatibus variis. Pone, durare ſub linea æquinoctiali, ſiue in medio Zonæ torridæ, diem longiſſimum ultra horas 12. in Regionibus Polaribus verò ſeſe non extende-re ad 18. vel 20. imo dies, ſeptimanas, men-

 ſes;

ſes; dies noſtros temperatarum regionum ad 16. patebit ſtatim, neque has poſſe ſubſiſtere, neque illas. *Poſuit* ita DEUS *tenebris terminum*, eumque omnibus omnino regionibus adæquatum. Perge nobiscum ratiocinando. Quod ſi termini vel limites ita forent poſiti, ut ex denſiſſimis tenebris proluceret dies in pleno ſuo nitore, foret is ſtatus unus ex miſerrimis, quo excœcarentur viuentia & animata omnia. Senſim & ſine ſenſu prodire debebat dies ex nocte, & ita ſunt poſiti termini, ut nobis ſint imperceptibiles, lux tenebris adeò artificioſè immixta, ut nemo non confiteri debeat, eſſe hoc opus DEI, DEUM *tenebris poſuiſſe terminum.* Silentii ſupparo inuoluo petitam longè *Vatabli* Exegeſin, qui per *tenebras* in Textu noſtro intelligit, quod non eſt, nec fuit: quaſi Jobus digitum intendiſſet ad opus maximum illud creationis, quo DEUS ea vocauerat, quæ non erant, & ex immenſis nihili abyſſis produxerat, ex denſiſſimis tenebris in lucem. Explicatio hæc non ſolùm eſt longè nimis petita, ſed, probè examinata, ſubſiſtere nequit. Nihili nulla ſunt accidentia; ubi nihil eſt, ibi nec lux eſt, nec ſunt tenebræ, nam hæ umbra ſunt, priuatio lucis ab interjecto corpore opaco. Ubi proin nulla corpora opaca fuere, ibi nec fuere tenebræ. Placet magis *Pinedæ* ſententia *in Job.* P. II. 403. quæ Textum applicat inuentis horum illorumue vel hominum, vel ſeculorum, nouis, prouidente ſapientiſſimo DEO ex tenebricoſo veluti puteo protractis in lucem, pro ſocietatis humanæ uſu. Hæc explicatio ſi arrideat, de Seculo inprimis XVII. valebit Jobi effatum, *poſuiſſe* DEUM *tenebris terminum;* fuit namque illud inuentorum in variis ſcientiis atque artibus feraciſſimum, ut unicum præponderet XVI. præteritis. Notum, quanta dexteritate, *Ariſtotelis* jugo excuſſo, thronum occuparit *Carteſius*, cui licet imperium non manſerit, id ſaltem jure debetur elogium, quod portam ſaltem aperuerit ad *Philoſophiam* modernam *mathematicam*, quæ felici auſpicio ſibi ſubjecit non ſolam Phyſicam, ſed quoque artem Medicam, imò & Ethicam, quatenus ea ab affectuum cognitione pendet. *Medicinæ* noua fuere inuenta, quæ paucis comprehendam verbis, *Chyrurgia infuſoria* & *transfuſoria*, quæ quidem nebulæ inſtar breui diſparuere: *Sanguinis circulatio* in dias luminis auras protracta à *Guilielmo Haruæo*, Jacobi & Caroli, Angliæ Regum, Medico, in cujus honorem & laudes ſequens legitur in Collegio Medicorum Londinenſium inſcriptio: *Induſtria, ſagacitate, ſucceſſu nobili, perpetuos ſanguinis æſtus, circulari gyro fugientes, primus promulgauit mundo. Nec paſſus ultra mortales ſua ignorare primordia, aureum edidit de ouo atque pullo librum. Sic nouis inuentis Apollineam ampliauit artem — meruitque eſſe ſtator perpetuus.* Conſtat, quantâ claruerint aliquandiu famâ quoad *Chymiam*, ſpeciatim ſublimiorem illam, quæ aureo inhiat velleri, *Fr... tres Roſeæ Crucis*, quorum quidem caput *F... Chriſtianus Roſencreutz*, Monachus, jam vix A. 1383. Anatomiæ innumera habemus inue... ta, *vaſa lactea*, detecta ab *Aſellio*, *Ductum Th... racicum* à *Pecqueto*, *Ductus Saliuales* à *Barth... lino*, *Whartono*, *Nuckio*, alios à *Stenone*, *Cer... bri* ſtructuram à *Williſio*, *Vieuſſenio*, *Auris* à *... Verney* & *Valſalua*, *Cordis* à *Lowero*; & qui... eſt, quæſo, quod aciem fugerit & cultrum ly... ceorum virorum *Malpighii* & *Ruyſchii*, ad ſub... tiliſſimos usque arteriarum tubulos, & glan... dularum canaliculos ſecretorios? Ut tota An... tomia aliam prorſus ab illa priori induerit f... ciem, Medicina aliam. *Inuentorum Mathem... ticorum* & *Mechanicorum* plenus eſt orbi... Compareat iterum in theatro *Carteſius* cum ſu... *Algebra*, nunc quidem ad altiorem longè, im... altiſſimum gradum euecta, *Newtonus* atqu... *Leibnitius* cum ſuo *Calculo infiniteſimali*, *Ber... noullii* cum varii generis *curuis* harumque pro... prietatibus, *Galilæus de Galilæis*, feliciſſimu... Copernicani ſyſtematis reſtaurator, cum ſu... *teleſcopiis*, *Caſſinus* atque *Hugenius* cum nou... circa Jouem & Saturnum *ſatellitibus*, *Schein... rus* cum *maculis Solis*, *Heuelius*, *Weigelius*, al... cum *fixis* nouis, *Leeuwenhœkius* cum ſuis *m... croſcopiis*, & inuentis microſcopialibus ben... multis, *Morlandus* cum *ſtentorea tuba*, *Tſchirn... hauſius* cum ſuis *lentibus*, *Guerike*, *Reyherus*, *Amontons* cum *Thermometris*, *Torricellius*, *Pa... ſcalius* cum *Barometris*. Adde *Sinclari Campa... nam urinatoriam*, *Lanæ nauem* per aëra volitan... tem, *Drebbelii*, *Merſenni*, *Borelli nauigia ſub... aquea*, *Wagenſeilii Hydraſpidem*, hujus generi... alia innumera. Merentur inprimis maxim... laude decorari magni in his terris Principes qui rerum gerendarum, & nouorum inuenien... dorum neruos ſubminiſtrant, *Ludouicus* XIV Galliarum Rex, cum ſua *Linea Meridiana* pe... totum, quà latè patet, regnum ducta, *Ocean...* cum *Mediterraneo Mari* conjunctione, & in... numeris aliis, quæ ſocietas regia in apricum produxit, inuentis: *Fridericus Wilhelmus*, Ele... ctor Brandenburgicus, cum conjunctione Ode... ræ & Spreæ: *Petrus Alexiewitz*, Magnus Ruſſo... rum Imperator, cum conjunctione *Maris Ca... ſpii* & *Ponti Euxini*, *Balthici* item & *albi* marium: cumprimis & ſcientiarum artiumque i... terris ſuis noua plantatione, quæ multa nobis ſcitu utilia, jucunda, & forte neceſſaria ſperare jubet ab Academia Petroburgica. A magnis Principum Aulis redux ad priuatorum caſas memorare poſſem *Antliam pneumaticam Boyleo-Guerikianam*, *Pendula Hugeniana*, *Machinam Papinianam*, *Sclopeta pneumatica*, plura alia, quæ ſparſa jacent in *Transactionibus Anglicis*, *Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicæ Actis*, Germanorum *Ephemeridibus*, *Berolinenſibus Miſcellaneis*, &c. Si cui lubet ab ideis his generalibus tranſire ad arctiorem Jobiani effati ſenſum, quem ſuſtinet *J. C. Harenbergius* in *Biblioth. Brem.*

rem. *Claſſ.* VIII. p. 93. ſcrutari poſſumus vias EI prouidentiſſimas in venis meatibusque bterraneis, & quæ inde eruuntur, ſiue ex te- ebris protrahuntur in lucem, ſemper nouis. unc ſanè ſenſum ſtrictiorem, quem antece- ntia & conſequentia Textus noſtri compro- nt, fouet Latina noſtra, *ipſe ſcrutatur lapi- m in caligine, & denſiſſima umbra abditum,* uæ Verſio clarior mihi videtur ipſâ Vernacu- , quæ habet, *die Steine, die Finſternus, und n Schatten des Todes.* Ut intelligat Jobus per אֶבֶן אֹפֶל *eben ophel, lapidem caliginis*, non tam *haos* illud informe, ex quo prodiit mundus, uod vult *Vatablus*, vel præaltum quendam enſiſſimis ſemper obuolutum nubibus *mon- m*, quem D. *Thomas*, vel petram altam à So- nigratam, quem *Nicolaus* & *Dionyſius*, ſed otius, explicante *Pineda in Job.* P. II. p. 403. uniculos ſubterraneos in ſaxis exciſos, & in s contenta mineralia atque metalla, quibus ngere poſſum cauernas quasuis ſubterraneas, atioſiſſimas paſſim, cum pendentibus ibi va- æ formæ ſtalactitis, *caliginem* tandem ipſam *umbram mortis*, cui in momenta expoſiti ſunt etallifoſſores. Audi *Plinium* L. XXXIII. *Præf. Viuimus ſuper excauatam, mirantes dehiſcere ali- uando, aut intremiſcere illam, ſeu vero non hoc tiam indignatione ſacræ parentis exprimi poſſit, mus in viſcera ejus, & in ſedes manium, opes uærimus, illa nos premunt, illa nos ad inferos gunt, quæ occultauit, atque demerſit, illa, quæ on naſcuntur.* Et cap. 4. ubi de Aurifodinis Hiſpaniæ: *Aurum, quod puteis foditur, canali- ium vocant. Hi venarum canales per marmo- a vagantur, & latera puteorum. Tertia ratio pera vicerit gigantum, cuniculis per magna ſpa- tia actis cauantur montes ad lucernarum lumina: eadem menſura vigiliarum eſt, multisque menſibus non cernitur dies. Sidunt rimæ ſubitò, & oppri- munt operarios, ut jam minus temerarium videa- tur è profundo maris petere margaritas, tanto no- centiores fecimus terras. Relinquuntur itaque fornices crebri, montibus ſuſtinendis occurſant ſi- lices, nihilque durius putant, niſi quod inter omnia auri fames duriſſima eſt.* Junge *Senecam Quæſt. Nat.* L. VI. c. 25. *Majores noſtri ſpe ducti mon- tes ceciderunt, & ſupra lucrum ſub ruinas ſtete- runt. Ante Philippum Reges fuerunt, qui pecu- niam in altiſſimis usque latebris ſequerentur, in quas nullum noctium dierumque perueniret diſcri- men. Quæ tanta neceſſitas hominem ad ſydera erectum incuruauit & defodit, ut erueret aurum non minore periculo quærendum, quàm poſſiden- dum?* Et *Boethius de Conſol.* L. II.

Heu, quis primus fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes,
Pretioſa pericula fodit?

Huic auri, argenti, aliorum metallorum, atque mineralium foſſioni ſociam do Indorum operam, qua pretioſiſſimas gemmas ex duriſſimis eruunt ſaxis, ut Κρυςαλλόρυγες noſtri *Cryſtallos*, quarum regularis figura hexagona, gemmis communis, anſam mihi dat conjectandi, annon Jobus digitum intenderit ſpeciatim quoque ad Æthiologiam figuræ, quæ ſanè, poſt tot ſuſceptos à *Guilielmino*, *Swedenborgio*, *Cappelero* labores, adhuc *in umbra & caligine æterna* repoſita jacet.

Ducit me meditullium Textus וּלְכָל־תַּכְלִית הוּא חוֹקֵר, *omni fini ipſe inquirens*, πᾶν πέρας αὐτὸς ἐξακριβάζεται, LXX. manu veluti, ad cognitionem DEI ex conſideratione cauſarum finalium: Tigurina, *ad omnem perfectionem ipſe ſcrutatur;* clarior Vulgata, *& uniuerſorum finem ipſe conſiderat:* optimè *Auguſtinus*, *omnem finem ipſe inuenit, quid quo perduceret.* Suffragatur ubique moderna Philoſophia, & Sole clarius demonſtrat, ad certum quendam finem creata eſſe omnia totius uniuerſi corpora, maxima, medioxuma, minima, lucida, pellucida, opaca, proximè nobis adſtantia, & longiſſimè diſſita: obtinuiſſe ad hunc ipſum finem ſtructuram, ſed infiniti artificii, omnia aptiſſimam. Clariſſimè iterum docet, corpora hæc omnia & ſingula ne cognoſcere quidem ſuam ſtructuram & fines, nedum excogitaſſe. Unde omnino pronâ fluit conſequentiâ, eſſe ens aliquod immateriale infinitè ſapiens, quod hujusmodi ſtructuras perfectiſſimas excogitauerit, (ſi ita loqui licet,) eas certe in mente ſua infinita præconceperit, & poſtea infinitâ ſuâ potentiâ produxerit: verbo, eſſe DEUM, Creatorem, Conſeruatorem. Validius tantò eſt argumentum, ſi vel in ſola hac terra noſtra conſideremus infinitam formarum varietatem, harum conſeruationem, propagationem per quotidianas generationes, & exquiſitiſſimam omnium & ſingularum relationem ad totidem diuerſos fines. Argumentum ad captum omnium, etiam ſimpliciſſimorum hominum, quod ſubminiſtrat animalculum quoduis, plantula quæuis, folium, fructus, flos!

TAB. DXXII.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 4.

(a) Erumpit (alicubi) torrens, qui accolas non fert: rurſum exareſcunt torrentes, ut à pede non ſentiantur; ſuperant etiam hominis ſtaturam, qui poterant vadari.

(a) Erupit torrens de accola: obliuioni traduntur à pede, alti fuerunt ab homine, vadarunt; id eſt, ubi flumen non fuerat, ſubitò erumpit ac pellit accolas.

Diuidit torrens à populo peregrina te eos, quos oblitus eſt pes ege tis hominis, & inuios.

QUodſi Hebræa vox נַחַל *nachal, torrentem*, χείμαῤῥον LXX. vel riuum, flumen, ſignificat, quod Vulgata, Ariæmontani, Tigurinæ ambæ, imo pleræque Verſiones volunt, conſideranda venient heic fluminum incrementa ac decrementa, fontes majales, & periodici alii. Et forſan digito veluti monſtrauit Jobus haud ignotum ſibi *Nilum*, hujusque annuas inundationes, in quem & quas quadrat examuſſim Textus. *Talia*, inquit *Strabo* L. XVI. *circa Caſium apud Ægyptum contingunt, ubi terra contractu quodam celeri atque ſimplici in alteram partem transfertur, & decidit, ut pars ejus in ſublime eleuata mare impellat, pars deorſum ſubſidat; qua conuerſa rurſus locus priſtinam ſedem accipiat, atque nonnunquam permutatio quædam fiat, nonnunquam verò maximè: qui motus quibusdam fortaſſe circuitibus innexi continentur homini incognitis.* De hoc ſepteno gurgite Nilo ſcire conuenit, incrementa capere d. 17. Jun. & hinc 40. dies conſecutiuè, ut totam tandem Ægyptum inferiorem inundet. Miraculo pene fuit Veteribus adeò ordinata, & toti regno utiliſſima inundatio, quoniam latebant illos Nili origines. Sed hodie ceſſat miraculum hoc eſſe miraculum, ex quo Europæis Nationibus acceſſus patet liber ad Congenſes, Angolanos, Monomotapenſes, Mozambiquenſes. In his nempe regnis prima occurrunt Nili ſtamina, & eſt ex fontibus primariis lacus ingens Zaire, altis undique cinctus montibus, in quos per totum hyemis decurſum defluunt perpetui imbres, quibus intumeſcit flumen. Cadunt autem illi in montibus Lunæ Regni Congo menſibus Majo, Junio & Julio, inundatio verò Nili durat à medio Junio ad usque circiter Julii medium. Idem autem prorſus, quod in Zona torrida pluuia efficit, obtinet Heluetia noſtra, Germania, Belgium, Regiones Europææ aliæ à niue ſoluta menſibus æſtiuis, qua flumina noſtra per æſtatem intumeſcunt, ſimulque Regiones inferiori & infimo loco ſitas, ut Nilus Ægyptum, impinguant. Commodè autem p ſunt fluminibus certo incertoue tempore exu dantibus jungi *fontes* dicti *majales*, *Mey-Bri nen*, qui Majo menſe fluere incipiunt, Septer bri deſinunt; ſed quoque fontes periodici ali de quibus fuſius egi in *Schweitz. Natur-Geſ* T. II. p. 103. 108. III. 138. *Hydrograph. Hel* p. 124. &c. ubi inter alia extat *Fontis Plinia* ad Lacum Comenſem deſcriptio, cujus mem nit *Plinius* ſenior L. II. c. 103. junior L. IV. c. 3 *Fons* porrò *Engſtlanus* celebris, addita Æti logia generali, applicanda fontibus periodic quibusuis, deſumta ex Siphone reflexo. Su ficiant autem hæc pro nunc de *torrentibus erum pentibus* & *rurſum exareſcentibus* Jobi.

Aliorum de his torrentibus aliæ ſunt op niones: Jobum intendere digitum in aurife ros, vel metalliferos amnes, adeoque manife ſtare alterum, quo aurum ex arena eluitur, mo dum obtinendi pretioſum hocce metallum qui modus eſt ex ſimpliciſſimis, hodieque i Indiis, Orientali atque Occidentali, Hungaria Heluetia noſtra, alibi uſitatus. Alii, indicar torrentes paſſim ex terræ viſceribus, vel & metallifodinis erumpentes: de his *Seneca* L. V *Nat. Quæſt.* c. 15. *Aſclepiodorus auctor eſt, de miſſos quamplurimos à Philippo in metallum anti quum olim deſtitutum, ut explorarent, an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia: deſcendiſſe illos cum multo lumine: deinde longa via fatigatos vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos non ſine horrore.* Quod heic foſſores Philippi obſeruarunt, familiare eſt in fodinis. Hoc inprimis opus foſſoribus, hic labor, in id maximam impendunt curam, qui fodinis præſunt, ut aquâ eas liberent, vel trahenda ſurſum per machinas, vel educendâ per cuniculos, *Stollen*; neque proin inter miracula reponenda ſit fodina ante aliquot annos derelicta, aquâ poſtea adimpleta. Prætereo explicationes alias, nominatim *Cocceji*, qui in *Job.* p. 177. per נַחַל non torrentem intelligit, ſed vallem, pro more, ut alibi, ita heic ſatis obſcurus.

Job.

IOB. Cap. XXVIII. v. 4.
Torrentes erumpunt.

Buch Hiob Cap. XXVIII. v. 4.
Ausbrechende Bäche.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

Job. Cap. XXVIII. verſ. 5.

Eſt terra, in qua panis prouenit, altius autem eruta ignem exhibet.

Terra, de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt.

Proponit ſibi Jobus in hoc Capite monſtrare cumprimis imperſcrutabiles DEI vias, manifeſtans ea, quæ per temporis decurſum in apricum prodeunt ex profundis viſceribus terræ. Sunt, qui Textum noſtrum explicant de duplicis generis terris, una fœcunda, frumentorum diuite, altera ſterili, ſulphurea, qua comburantur omnia. Sed plerique Interpretes unam volunt eandemque terram, quæ cibos proferat, ſed in imo ignem feruet. Sed non eodem modo concipitur hic ipſe ignis. Haud extra rhombum allegatur innatus quidam terræ calor, toties memoratus Ariſtoteli & Platoni. Alma frugum parens ſi frumentis felix eſſe debeat, (de aliis terræ productis auro, argento, ære ſupra jam actum,) non duntaxat adſit oportet projectum in eam ſemen, vel ei infixa radix, non ſolus terræ pretioſus ille, licet nondum ſatis cognitus, nutritius ſuccus, ſed inſuper ſufficiens vis ſucci illius in radicum oſcula, & plantæ tubulos compulſiua, deducenda partim ab aëris vi grauitatiua premente, partim ab interno terræ calore, qui attenuet, diſſoluat viſcoſas ſucci illius partes, & ſolutas ad extrema usque arboris propellat, imo poris totius plantæ, præſertim foliorum, expellat. De hoc calore interno non eſt cur dubitemus: ſentitur paſſim in ipſis terræ viſceribus, thermis, fodinis metallorum profundis, ubi offendas foſſores nudos, opera ſua peragentes: & calori ipſi huic debetur conſeruatio plantarum per hyemis decurſum, retento inprimis à niue terræ incumbente. *Cicero de Senect. Terra ſemen tepefactum complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem.* Sed unde hic calor primum trahat ortum, res eſt altioris indaginis. Accidit perſæpe, ut de rei ipſius veritate perſuaſi ſimus, ſed circa ætiologiam ignorantiſſimi. Superſedeo hac inquiſitione lubentius tantò, quia mihi videtur Jobus loqui non tam de calore interno, ſed potius de terris frugiferis, ſimulque ab igne interaneo fotis, qui ſeſe paſſim per Vulcanos manifeſtat: quales ſunt, Neapolitanum Regnum, Status Eccleſiaſticus, Sicilia, cujus Inſulæ, ab Ætna igniuomo fotæ, fertilitas ex omni hiſtoria eſt notiſſima, ſed quoque ex quotidiana experientia. *Ciceroni* audiebat jam olim *penum atque horreum Romanorum. Ariſtoteli Solis Inſula*, utpote calore ſolari fota, & fertilitate ſoli natiua plantas omnis generis copioſè producens. Imo vero credidere Veteres, quod frumentum in Sicilia primùm fuerit natum. Sanè *Diodoro* teſte L. VI. ſponte procreſcit, ſpeciatim in agro Leontino. Et fuere, ſi Mythologiis Veterum fides, incolæ à Cerere ipſa edocti in frumenti tractatione ad hominum uſus. Frequentiſſima illa in Siculorum Numis, & Spicæ Inſulæ ſymbolum. Laudant *Cicero, Plinius* & *Diodorus* centuplum fructum. In TAB. DXXII. exhibeo Vulcanum: & ad marginem

Lit. A. Panormitanorum Numiſma, in quo hinc eſt Palladis caput, inde Trinacriæ ſymbolum cum ſpicis, τρίσκελον.

B. Syracuſanorum eſt Nummus, qui ab una parte Cereris exhibet caput piſcibus cinctum, ab auerſa ſpicam.

Expoſita hactenus ſententia quadrat examuſſim Verſioni noſtræ Latinæ; ſed Vernacula: *Aus der Erden kommet Speiſe herfür, und was darunter iſt, erzeiget ſich wie Feuer*, applicari commodius poſſet corporibus mineralibus ſulphure fœtis, capientibus ignem, vel gemmis ignis ad inſtar rutilantibus, fulgentibus, in viſceribus terræ reconditis: quò pertinerent inprimis carbunculi, ſi, quod fabula fert, lucerent in tenebris. Panem ſi eligas cum Latina noſtra, Commentarii loco erunt ſequentia pientiſſimi *Arndii* verba *Wahr. Chriſtenthum* L. IV. c. 3. *Unſer Brod, das wir eſſen, iſt erſtlich ein grünes Gras, daraus endlich ein Körnlein wächſet, daraus das Brod kommet, welches endlich in unſer Fleiſch und Blut verwandelt wird, wann wirs eſſen. Da bedencket GOTTES Wunder, die er an uns thut, und lernet hier das Werck eurer Schöpfung verſtehen, wie GOTT der HERR noch heute zu Tag des Menſchen Fleiſch und Blut aus der Erden machet: iſt das nicht ein groſſes Wunder, daß wir ſagen mögen, die Erde iſt unſer aller Mutter? Daraus formiret GOTT durch Seine Allmacht unſern Leib, Fleiſch und Blut noch heut zu Tage, daß wir wohl ſagen mögen: In GOTT leben, weben und ſind wir. Die nährende Krafft iſt GOTTES Wort im Brod: Darum lebet der Menſch nicht allein vom Brod: denn nimmt GOTT die ernährende Krafft vom Brod, ſo verſchwindet unſer Fleiſch und Blut, verwelcket wie eine Blume, verdorret wie Heu.*

Job. Cap. XXVIII. verſ. 6.

Eſt locus, cujus lapides ſunt Sapphirus; habetque auri pulueres.

Locus Sapphiri lapides ejus, & gleba illius aurum.

PRoducit heic iterum in Theatrum Jobus res pretioſas in terræ viſceribus & ſaxis profundè latentes, quas tempus & hominum induſtria eruit. סַפִּיר *ſapphir*, σάπφειρος, & עַפְרֹת זָהָב *aphroth zahab*, χῶμα χρυσίον LXX. quæ conjungi volunt plerique ex Interpretibus, non ſeparari ab inuicem. Collimat huic ſcopo potius Latina noſtra, quam Vernacula, quæ ita ſonat: *Man findet ein Ort, deſſen Steine Sapphir ſind, und da viel Gold-Staub iſt.* Quærendus proin erit Sapphirus, ſapphirini coloris lapis pretioſus, in quo *auri pulueres*, micæ ſunt. Apud *Theophraſtum* περὶ λίθ. occurrit ἡ σάπφειρος ὥσπερ χρυσόπαστος, *Sapphirus quaſi auro compactus. Plinius* ita L. XXXVII. c. 9. *Sapphirus aureis punctis collucens. Dionyſius* χρυσείης κυανῆς τε καλὴν πλάκα σαπφείροιο. *Solinus* c. 20. *Et cyaneus lapis è Scythia eſt optimus, ſi cœruleo coruſcabit: cujus gnari in marem & fœminam genus diuidunt; fœminis nitor purus eſt: mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis puluiſculus variat. Epiphanius:* πολλὰ δὲ γένη τούτου ὑπάρχουσιν. ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς χρυσοστίγης. οὐ πάνυ δὲ οὗτος θαυμαζόμενος ὡς ὁ διόλου πορφυρίζων. *Varia quidem ſunt ejus genera. Regius quidem aureis punctis notatus eſt: ſed is non eſt in tanta admiratione, ut ille, qui planè purpuraſcit.* Quæ loca omnia parallela ſunt noſtro Textui. Sed nondum inde cognitus Jobi Sapphirus. Sapphiri, quotquot hodie extant omnes, diaphani ſunt, cœruleo fulgore nitentes, neque punctis micisue auri collucent, imò parui æſtimantur, qui vel ſemidiaphani ſunt, vel opaci, *centraue* habent *cryſtallina*, (Plinii verbis utor,) & ne vel politura digni, nedum geſtatione. Exin autem, quod optimi quique veteres Naturalis Hiſtoriæ Scriptores memorant Sapphirum aureis punctis conſperſum, ſequitur, vel ignotos ipſis fuiſſe Sapphiros modernos, vel Sapphiri nomin alium baptizaſſe lapidem, quod & conjecta *Salmaſius*. Et videntur utique Sapphiri noſtra tes *Plinio* veniſſe nomine *Amethyſti* vel *Hyacin thi*, de quibus l. c. *abſolutum felicis purpuræ co lorem habere, & ad illam tingentium officinas di rigere vota.* Imo videtur *Sapphirus Jobi* & Veterum eſſe ipſiſſimus *Lapis Lazuli*, *Laſur-Stein* cœruleus, & in ſummo quidem gradu, teſt *colore ultramarino*, quem ex eo parant, ſed opacus, & aureis punctis conſperſus, vel intertex tus. Accedit, quod lapis hic à Veteribus in primis fuerit ſculpturæ adhibitus, in omnibu penè Muſeis inter antiqua monumenta obuius *Plinium* ſi conſulas, & alios, Sapphirorum pa tria eſt *India*, *Scythia*, *Æthiopia*, ſed modernorum Regna *Calecut*, *Cananor*, *Bisnagar*, *Ceylon*, pretioſiſſimorum *Pegu*, *Boeth. Lap.* L. II c. 42. & quidem in Monte *Capelan*, 12. dierum itinere à Metropoli *Siran*, *Tavern. Voy. des Ind.* L. II. p. 291. item in catenis montium à Peguano Regno ad Cambalu protenſis; item in *Madagaſcar*, *Strauſs. Reis-Beſchr.* p. 9. in *Siam*, *de la Loubere Roy. de Siam.* p. 41. Ut taceam minoris pretii Europæos. Sed Jobi Sapphirus, ſiue Lazuli lapis, reperitur non ſolùm in Europa paſſim, ſed adferebatur olim ex *Armenia*, teſte *Plinio* L. XXXV. c. 6. unde & cognominatus fuit λίθος ἀρμενιακὸς, ἀρμενιακόν, Lapis *Armenius*, *Armenus*, *Armeniacus*, *Cœruleum Armenium*, *Armenicum*, *Armeniacum pictorum*. Quæ ipſa cognomina confirmant noſtram de Sapphiro Jobi, quæ & *Bauſchii* eſt *de Cœruleo* p. 64. ſententiam, quandoquidem Lapis ille Armenus vicino Arabi Jobi notior eſſe poterat, quàm Sapphirus Indicus. Vid. *Braun. de Veſt. Sacerd.* L. II. c. 12. p. 537.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 7. 8.

7. Eſt ſemita, quam ignorat volucris, neque illam conſpexit oculus milui.
8. Non calcârunt eam (a) feræ, non Leopardus ambulauit per eam.

(a) Filii ferociæ.

7. Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt oculus vulturis.
8. Non calcauerunt eam filii inſtitorum, nec pertranſiuit per eam Leæna.

PHiloſophi noſtri mens huc paucis redit, adeò profundè in terra, in ſaxorum medullis, & cauernarum ſubterranearum tenebris, latere recenſita hactenus, ut eò neque lyncei vulturis oculi penetrent, neque Tigridum & Leonum ferocia: vel, loca auri, gemmarumque feracia

aſpera

ſpera adeò eſſe & inculta, ut non inueniant
i aues, quadrupedesque rapaces, quo famem
dent. Mihi ſanè videtur Jobus digito mon-
rare veluti cuniculos illos & ductus, quos
mmo ſtudio cauant metallorum foſſores, at-
ue magnâ curâ ſuffulciunt, tenebricoſos adeò,
eò non penetrare queant animalia, nec ibi
omines ipſi pedem vel figere vel promouere
osque lampadum ſubſidio; cumprimis verò
emonſtrare ἀνεξιχνίαςον σοφίαν ΘΕΟΥ, imperſcru-
bilem DEI, duriſſimis cautibus claudentis
retioſiſſima metalla, & fulgentiſſimos lapi-
es, ſapientiam. In terrarum auri gemma-
umque feracium ſterilitatem quadrant, quæ
linius habet L. XXXIII. c. 2. *Hiſpaniæ montes
ridos, ſterilesque, & in quibus nihil aliud gigna-
r, tantum eruendo auro fertiles eſſe.* Et *Soli-
us* c. 19. *In Scythia terræ ſunt locupletes, inha-
tabiles tamen. Nam cum auro & gemmis af-
uant, Gryphes tenent uniuerſa, alites ferociſſimæ,
& ultra omnem rabiem ſæuientes. Quarum im-
anitate obſiſtente, aduenis acceſſus difficilis, ac
arus eſt: quippe viuos diſcerpunt, velut geniti
d plectendam auaritiam. Ariſmaſpi cum his di-
icant, ut intercipiant lapides, Smaragdos vide-
cet, quibus ille locus patria eſt.* Quæ autem
olinus heic refert, ut & *Pomp. Mela* L. II. *Pli-
ius* L. VII. c. 2. in parallelo locari merentur
um fabula illa Veterum, qua aurifera terra
Ophir cuſtodiri voluerunt à Gryphibus, (quæ
Chimæræ alites Leonum præferant facies, &
quilarum ungulas,) vel partim à Gryphibus,
artim à Leonibus, ut eò nulli hominum pa-
teat acceſſus: effodi aurum ab animantibus
iſtis, & colligi ab hominibus, qui æneo ſunt
pectore, animoque metus experte. Sunt uti-
que metalliferæ terræ aliquando infœcundæ,
earum nempe theſauri in viſceribus imis re-
conditi, ut aliarum ſupraterranei, in prouiden-
tiæ optimæ atque ſummæ teſtimonium: pro-
ſtant & rationes in natura fundatæ, deriuan-
dæ ab halitibus ſulphureis atque ſalinis, plan-
tarum nutritioni inidoneis: ſed quoque inue-
nias regiones metallorum gemmarumque fe-
races, quæ vinum, frumenta, fructus alios,
eosque præcellentes, copioſè ferunt; Exem-
pli loco ſint Hungaria, India Orientalis, &c.

Eſt אַיָּה *ajah* ex mente *Bocharti Accipitris* ſpecies, *Æſalon*, Germanis *Smirle*, Gallis *Eſmerillon* dicta, cujus lynceus viſus in prouerbium abiit; Galli, *il a des yeux comme un Eſmerillon*, Germani, *er hat Augen wie ein Habich.*

Cæſius atque oculis nunquam fallentibus uſus,
Eſt quod venator non videt, ille videt.

Notandum autem, ὡς ἐν παρόδῳ, pollere omnes aues rapaces acri viſu, ut eminùs prædam, utut paruam, gallinam, columbam, alaudam perſpicere, & capere queant.

בְּנֵי שָׁחַץ, υἱοὶ ἀλαζόνων, *filii ſuperbiæ, elationis, proceritatis*, ſunt generoſæ & rapaces *feræ*, leones, aliæque quadrupedes, de quibus plura ad Job. XLI. 26. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 1. p. 719. P. II. L. II. c. 8. p. 195.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 9. 10. 11.

9. Immittit ſuam manum ſilici, ac montes funditus euertit.
10. Rupibusque exciſis educit riuos, & quicquid pretioſum eſt, cernit oculus ejus.
11. E guttis flumina colligit, & rem abſtruſam profert in lucem.

9. Ad ſilicem extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes.
10. In petris riuos excidit, & omne precioſum vidit oculus ejus.
11. Profunda quoque fluuiorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.

ATtinent & hi Verſiculi theſauros in viſceribus terræ, fluminum alueis, & ſaxorum medullis, abditos, quos homo pro ſolertia ſua ex tenebris producit in dias luminis auras.

Immittit ſuam manum Silici, ἐν ἀκροτόμῳ ἐξέτεινε χεῖρα αὐτοῦ, LXX, בַּחַלָּמִישׁ *bachalamiſch, in ſilicem;* Legimus Deut. VIII. 15. מִצּוּר הַחַלָּמִישׁ, *è petra ſilicis.* Vox hæc notat propriè duritiei ſummæ, ſiliceæ, ſaxum, vel ex meris ſilicibus & ſiliculis compactum, quale *Nagelflue* audit. *Immittit* DEUS *ſuam manum* ſaxo, ſed quoque homo; DEUS Creator, qui pro infinita ſua potentia ſaxa creauit, atque pro ſapientia ſua & bonitate iisdem venas metallorum, lapidesque pretioſos interſperſit, & abdidit: Videtur namque Jobus proſequi doctrinam de metallorum lapidumque foſſione, & reconditos digito veluti monſtrare theſauros, ab hominibus σὺν ΘΕΩ καὶ πόνῳ eruendos. Notum ex Hiſtoriæ Naturalis Scriptoribus, immerſas eſſe pretioſiſſimas auri argentique venas perſæpe duriſſimis ſaxis; Lapides item pretioſiſſimos ſilicibus Achatinæ duritiei claudi, ut *Paraguayanorum ouis.*

In noſtris quoque regionibus eruunt foſſores nitidiſſimas Cryſtallos ex duriſſimorum ſaxorum cauis. De auro *Plin.* L. XXXIII. c. 4. *Quod puteis foditur, canalitium vocant, marmoris glareæ inhærens: hi venarum canales per marmor vagantur, & latera puteorum.* Oſtendere poſſem fuſiùs, aurum reperiri aliquando in ſaxo vel quarzo candido, aliquando in ſilice: aliàs in ſaxo fiſſili, ſociatum ut plurimùm argento, ære, cinnabari, antimonio, metallis & ſemimetallis aliis, de qua re fuſius ago in *Lexico* meo *Foſſilium.* Saxis adeò duris immerſi haud fuere diuitiarum tot theſauri hominum operâ, neque caſu, ſed prouidente diuinâ bonitate, & juxta leges ab ipſo DEO conditas, præſertim occaſione Cataſtrophes illius diluuianæ, & ſedimenti uniuerſalis. De hominum labore ſequentia habet l. c. *Plinius*, ubi de ſuffoſſione ſaxorum auriferorum. *Occurſant in utroque latere ſilices, hos igni & aceto rumpunt. Sæpius verò quoniam in cuniculis vapor & fumus ſtrangulat, cædunt fracturis CL. libras ferri terram urgentibus, egeruntque humeris, noctibus ac diebus per tenebras proximis tradentes.* Jobianâ phraſis dixeris, *montes euerti funditus*, ſuffodi ſaxa, montesque, &, quod effoditur, effundi in terræ ſupremam ſuperficiem, quod imum fuit, fieri ſuperum. Audi querulum *Senecam Nat. Quæſt.* L. VI. c. 15. *Majores noſtri ſpe ducti montes ceciderunt, & in eos demiſerunt ſpecus, in quos nullum noctium dierumque perueniret diſcrimen.*

Rupibus exciſis educit riuos, & quicquid pretioſum eſt, cernit oculus ejus. LXX. Δίνας δὲ ποταμῶν διέῤῥηξε, πᾶν δὲ ἔντιμον εἶδέ μȣ ὁ ὀφθαλμός. Pagnini Verſio ita ſe habet, *è ſilicibus riuos erumpere fecit; Auguſtini, ripas fluminum dirupit.* Pergit namque Jobus, ſed ex cuniculis terræ tenebroſis prodiens oſtendit, quàm ſæpe neceſſe ſ[...] diuertere fluuios, diuidere in ramos, perfod[...]re ſaxa, & ſummo quidem, quem Jobus inte[...]dit, labore.

E guttis flumina colligit, & rem abſtruſa[...] profert in lucem. LXX. βάθη δὲ ποταμῶν ἀνεκάλ[...]ψεν, ἔδειξε δὲ αὐτȣ̃ δύναμιν εἰς φῶς. Eſt Original[...] Textus meteoricus מִבְּכִי נְהָרוֹת חִבֵּשׁ *à fletu fl[...]mina faſciauit: Vatablus, à fletu flumina coërce[...]* id eſt, *flumina ſiſtit, quæ erumpere ſolent è mont[...]bus: Pagninus, ne ſtillarent flumina, ligauit:* ob[...]ſcurior *Cajetanus, à perplexitate flumina ſtrinxi[...]* neque clarior Vulgata, *profunda quoque fluui[...]rum ſcrutatus eſt*, quæ quidem exegeſis qu[...]draret prægreſſis, atque indicaret margaritas aliosue in fluminum alueis jacentes theſauros ſed remota nimis mihi videtur ab Hebraic[...] Textu, quem clarius exprimunt Tigurinæ am[...]bæ, *è guttis flumina colligit, er machet, daß vo[...] den Tropfen Waſſer-Flüſſe zuſammen rinnen.* In[...]tentio namque Philoſophi noſtri eſt, obſcura rerum origines reuelare; lynceis oculis intro[...]ſpiciens terræ viſcera, montiumque cauernas ubi ex *guttis*, quas *fletui* comparat, lacrymale[...] veluti riui oriuntur & flumina: In fodinis fa[...]nè ubique ſtillant fornices, & tantâ ſæpe copia colliguntur aquæ, ut inde, niſi extrahantu[...] machinis, vel deriuentur alìorſum per cunicu[...]los, multa patiantur incommoda foſſores Quod nos Heluetii perſpicere non poſſumus in[...]tra terræ viſcera, id clarum nobis reddunt flu[...]minum ex fontibus riuuliſque ortus. Vid. *Hy[...]drograph. Helv.* p. 3. Minimè præjudicat ex[...]plicatio hæc eorum ſententiæ, meliori fortè, qui fontium omnium & fluminum origines deriuant à pluuiis, nam & juxta hanc hypotheſin *flumina colliguntur è guttis.*

Job. Cap. XXVIII. verſ. 16.

Non illi præponderabit aurum Ophireum, aut Onix pretioſus, aut Sapphirus.

Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho preciofiſſimo, vel ſapphiro.

PRima pretioſarum rerum, ſed ſapientiâ infinities inferiorum eſt כֶּתֶם אוֹפִיר *Cethem Ophir, Aurum Ophireum, Ophiriſches Gold,* de quo, ut de *Ophir* ipſo, expoſuimus plura alibi. Diſcedit heîc Vulgata à Verſionibus aliis, dum ſiſtit *tinctos Indiæ colores*, quo titulo intelligi poſſunt colores quicunque præcellentes aliis elegantiâ, in Indiis obuii, vel tinctæ iis & ſuperbientes gemmæ, πάντων ἀντάξιαι ἄλλων, vel, quod *Pineda* vult *in Job.* P. II. p. 418. accedens ſic nobis propius, *aurum* ipſum, à colore proprio nobilitatum. *Plin.* L. XXXIII. c. 3. *Auri experimento ignis eſt, ut ſimili colore rubeat, quo ignis; atque ipſum obryzum vocant.* Sic *Iſidoro* L. XVI. *Etymolog.* c. 17. *Aurum* vocatur *obryzum, quòd obradiet ſplendores, ſitque coloris optimi.* Huc ſpectat Thren. IV. 1. *Quomodo obſcuratum eſt aurum? Auri boni maſſa immutata? (Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus.)* Non proin abſcedimus à Verſionibus noſtris, & ab auro optimo, quod ipſum præcedenti verſu 15. vocatur סְגוֹר *ſegor, aurum purum*, & v. 19. כֶּתֶם טָהוֹר *Cethem tahor, aurum mundum.* De שֹׁהַם *Schoham* lapide, qui heîc vertitur *Onyx, Onychel-Stein*, & סַפִּיר *ſapphir, Sapphiro*, egimus occaſione Pectoralis Aharonici.

Job.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 17.

Non pretium illius æquabit aurum, aut vitrum, nec cum ea permutatur vas ex auro obryzo.

Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri.

Fllum en aliarum rerum pretioſarum! זָהָב zahab, aurum, à puritate ita denominatum notat iterum aurum purum, obryzum, ab omni aliorum metallo-
um conſortio liberatum, defæcatiſſimum. זְכוּכִית zecbucbitb varias admittit interpretatio-
es. Habent LXX. ὕαλος, ſic & Vulgata cum Tigu-
na Latina *vitrum*, quod & reddere potuiſſet
ernacula *Glas*; ſed abſterruit fortè Interpre-
s noſtros vilitas vitri, ut maluerint ſeligere
trum veluti naturale, & nobilius longè arte-
ſto, *Cryſtallum*, *Cryſtall*. Sed ſilentio haud
ætereundum, in maximo olim fuiſſe pretio
trum, (ut ſolent eſſe, quæ nondum viluere
equenti uſu) inuentum haud longè à Jobi pa-
ia, quæ circumſtantia haud leuis eſt pro ex-
licando Textu, & defendenda Latina noſtra
omenti. Pulchrè in hanc rem *Plinius* L.
XXVI. c. 26. *Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vo-
tur, finitima Judææ, intra montis Carmeli ra-
ices, paludem habens, quæ vocatur Cendeuia. —
ama eſt appulſa naue mercatorum nitri, cum ſpar-
per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis at-
llendis lapidum occaſio, glebas nitri è naue ſub-
idiſſe. Quibus accenſis permixta arena littoris
ranslucentes nobilis liquoris fluxiſſe riuos, &
anc fuiſſe originem vitri.* Quodſi זְכוּכִית Jo-
i eſt vitrum, & fides habenda Plinii allegato
oco, erit inuentio vitri una ex antiquiſſimis,
Moſis ipſius ætate ſuperior. Et eadem ha-
uit fata vitrum, quæ multa hujus generis
lia caſu potius detecta, quàm excogitata à ra-
ione. Sed inuentis ſemel facile eſt addere. Id
itro accidit: cui parando inſeruiebant pri-
mùm ſilices & arena, poſtmodùm teſtacea, alia-
que, de quibus l. c. *Plinius*, donec tandem, ad-
ditis mineralibus variis & corporibus metalli-
cis, prodiere *fluores*, *Flüſſe*, qui gemmis nil ce-
dunt colore, ſed quidem fulgore & duritie;
imo ad ſummum euecta gradum vitraria ars.
Et quis dubitaret, ipſum vitrum ad pretioſiſſi-
marum rerum dignitatem euectum iri, ſi vel
ex Cryſtallo id conflare, vel malleabile redde-
re poſſemus? Quæ artes deperditis adnumera-
ri debent, ſi vera ſunt, quæ *Plinius* narrat:
*Auctores ſunt, in India è cryſtallo fracta fieri, &
ob id nullum comparari Indico. — Ferunt Tibe-
rio Principe excogitatum vitri temperamentum, ut
flexibile eſſet: & totam officinam artificis aboli-
tam, ne æris, argenti, auri, metallis pretia detra-
herentur.* Poſſet vitri inuentio eleuari ad uſ-
que tempora Babelicæ Turris, ubi haud dubiè
è fornacibus protraxere operarii ſubinde late-
res vel calcarios lapides vitrea cruſtâ obductos,
modò nobis conſtaret præciſius, fuiſſe caſualem hanc inuentionem rationis ductu euectam ad artis vitrariæ ſyſtema. Originatio vocis זְכוּכִית à זָכָה zachab vel זָכַךְ zachach, *purus, mundus fuit*, generalis nimis eſt, quàm ut vitro ſoli applicari poſſit, &, ſi translucidum, pellucidum, notaret, Cryſtallo, gemmis communis. Plura hanc in rem lege ad Deuter. XXXIII. 19. Sufficiant hæc de vitro, cujus, arte licet facta, compoſitio viam nobis monſtrat rectiſſimam ad gemmarum ipſarum diaphanarum Geneſin. Pergo ad *Cryſtallum*, quæ זְכוּכִית eſt Jobi, ex mente plurium Rabbinorum, *Merceri*, *Nicetæ*, Vernaculæ noſtræ. Confirmare hanc ſententiam poſſent, quæ *Plinius* habet L. XXXVII. c. 2. *Oriens & hanc mittit, ſed Indicæ nulla præfertur. — Juba auctor eſt, & in quadam Inſula Rubri Maris ante Arabiam ſita naſci, quæ Neron vocetur; & in ea, quæ juxta gemmam Topazion ferat, cubitalemque effoſſam à Pythagora, Ptolomæi Regis præfecto.* Diſcimus inde, Cryſtallos natas in vicinia Jobi. Et ſpecie externa *vitrum* adeò ſimile *Cryſtallo*, ut vix ouum ouo, unde Complutenſibus placet *vitrum cryſtallinum*, conjugio veluti ſententiarum, quo nomine *Cryſtall-Gläſer* hodieque veniunt ex Bohemicis puriſſima vitra. *Ad Cryſtalli ſimilitudinem mirè accerſere vitrea.* Ita *Plinius* l. c. Sunt ex Judæis Doctoribus R. *Abraham*, *Mardochai*, aliique Interpretes, *Pagninus*, *Cajetanus*, qui *zecbucbitb* noſtrum ad ſummam gemmarum, quæ *Adamantis* eſt, dignitatem extollunt. *Maximum in rebus humanis, non ſolùm inter gemmas, pretium habet Adamas, diu non niſi Regibus, & iis admodùm paucis cognitus, unus modò in metallis repertus, perquam rarò comes auri, nec niſi in auro naſci videbatur. Plin.* Lib. XXXVII. c. 4. Mentionem idem facit Æthiopici, Indici, Arabici, Adamantum, qui omnes, vel plerique ſaltem, Jobum noſtrum latere haud poterant. Affinitas eſt, ut inter vitrum & Cryſtallum, ita inter Cryſtallum & Adamantem, ut illa jure dici poſſit mollis Adamas, hic dura Cryſtallus. In hoc proin conueniunt Interpretes penè omnes, eſſe *zecbucbitb* pellucidum quid, nitens, ſed ἄποιον. Chaldæi reddunt אַסְפַּקְלַרְאָ *aspaklara*, *ſpecularia*; & fauet *Fuller. Miſc. Sacr.* L. IV. c. 9. ipſi *Succino*, cui & ſubſcribit *Eurelius Diſſ.* de ἠλέκτρῳ Th. 5. Sequitur tandem in Textu כְּלִי פָז *cheli phaz*, *vas obryzi*, *vas aureum*, ubi iterum פָּז *phaz* denotat aurum puriſſimum, optimum. Jer. X. 9. זָהָב מֵאוּפָז *Aurum de Uphaz*, de quo alibi.

TAB. DXXIII.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 18.

Nulla mentio fiet (a) Ramoth & Gabis, ſapientia quoque margaritis præponderat.

(a) Judæi putant gemmas eſſe, quæ Hier. vertit excelſa eminentia.

Excelſa & eminentia non memorabuntur, comparatione ejus: trahitur autem ſapientia de occultis

Aperit Philoſophus noſter Muſeum pretioſum naturæ donorum, ſed nobis incognitorum. Haud ſanè innotuere doctiſſimis majoribus noſtris רָמאוֹת *ramoth* & גָּבִישׁ *Gabis*, quia originales voces ſeruarunt in ſuis, quas ſummâ cum laude adornarunt, Verſionibus. Prudentiores utique fuere aliis, qui incertum poſuere pro certo, ut Vulgata poſt *Hieronymum* habet *excelſa & eminentia:* Subſcribere mallem Doctoribus ex recutita gente, qui plerique ſub inuolucro illorum vocabulorum latere volunt binas *gemmas*. Examinabimus unam poſt aliam.

רָמאוֹת *Ramoth*, LXX. Μετέωρα, *Symmacho* ὑψηλὰ, *ſublimia*, Rabbinis *Dauidi*, *Mardochai*, *Pagnino*, *Regiæ Hiſpanæ*, *Vatablo* ſunt *Corallia:* nobis quoque Tigurinis Ezech. XXVII. 16. Haud quidem magni venit hæc merx hodie in Europa, in Oriente olim, India cumprimis & Arabia, rebus pretioſis adnumerata. *Quantum apud nos Indicis margaritis pretium eſt, tantum apud Indos in curalio. — Auctoritas baccarum ejus non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quàm fœminis noſtris Uniones Indici. Aruſpices eorum vatesque inprimis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Plin.* L. XXXII. c. 2. Quod de Indis heîc *Plinius*, id hodienum confirmat experientia, non minoris paſſim æſtimari corollas ex coralliis, quàm quæ fiunt ex margaritis. *Eugubinus* & alii vocabulum *Ramoth* deducunt ex רְאֵם *reem*, quod *Rhinoceros* eſt, prætendentes, eſſe רָמאוֹת beſtiæ hujus *cutim*, alii *cornu*, quod ſanè haud male quadrat LXX. Μετεώροις, & Vulgatæ *excelſo*, quæ ipſa Vulgata Ezech. XXVII. 16. habet *ſericum*. Ficulneis omnia fulcris nixa: non enim ſermo eſt Jobo de animantibus, vel horum partibus, ſed de metallis & lapidibus pretioſis, ut hoc reſpectu illa de coralliis ſententia ſit poſteriori huic longè anteferenda. Cui neque hæc arridet, ei per nos licet cum Paraphraſte Chaldæo ſeligere סַנְדַלְכִין *Sandalchin*, *Sardonycha*, quæ gemma olim præſertim in Arabia maximi fuit habita. *Plin.* L. XXXII. c. 6. *Nullo Sardarum veſtigio Arabicæ ſunt, cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, ra[dice] nigra, aut cœruleum imitante, aut unguem creditum enim candido pingui, nec ſine quadam ſp[...] purpuræ, candore in minium tranſeunte. — Arabicæ excellunt candore circuli prælucido, atqu[e] non gracili, neque in receſſu gemmæ, aut in dejectu renitente, ſed in ipſis umbonibus nitente, præterea ſubſtrato nigerrimo colore. Solinus Cap. de Arabia: Ex iſtius litoris ſinu Polycrati Regi aduecta Sardonyx. Iſidor.* L. XVI. c. 8. *Sardonyx reperitur apud Indos & Arabes, detecta torrentibus.*

גָּבִישׁ *gabiſch* ignotius adhuc quàm *Ramoth*. Seruant LXX. vocem originalem γαβὶς, γαβεὶς. Sed *Symmachus* habet ὑπερηρμένα, *eleuata*, ubi *Scholiaſtes*, videri τὰ ὑπερηρμένα τὸ ὑπερέχον τȣ̃ χείλȣς τȣ̃ μεδίμνȣ, *quod eminet è labio medimni*, & ita Vulgata rectè tranſtulit per *excelſa & ſublimia*, à radice גָּבַהּ *gabah*, *eleuare*, *exaltare*. Sed volunt Judæorum plerique, eſſe Gabis gemmam, & quidem *unionem*, ſeu *margaritam*. Ita R. *Mardochai*, *Pagninus*, *Cajetanus*, *Junius*, alii. Verſio noſtra *uniones* commutat in *grandines*, *Hagel-Steine*, Ezech. XIII. 11. Longiſſimè equidem diſtant æra lupinis, uniones grandine, attamen adeſt conformitas in figura & colore. Et poſſet huc trahi *Chalazias* lapis, ſi, quod vetuſta credidit ſimplicitas, decideret in terram medias inter grandines, ἀερογέννητος λίθος, vel & *Cryſtallus:* Suffragium darem potius, ſi ſeligenda foret gemma alba, ἄποιος, *Adamanti*, vel *Sapphiro albo*. Hæremus in luto, quia deficiunt vetuſta documenta, deficit & ex Orientis linguis analogia.

Minus, quàm circa *Ramoth* & *Gabis*, hæſitamus in explicatione vocis פְּנִינִים *Peninim*, utpote quæ denotat *margaritas*, alibi paſſim obuia in Scriptura. Prov. III. 15. *Gemmis*, פְּנִיִּים *penijim*, *ſapientia eſt pretioſior*, *(precioſior eſt cunctis opibus ſapientia.)* Prov. VIII. 11. *Præſtat ſapientia margaritis* פְּנִינִים *(Melior eſt ſapientia cunctis opibus precioſiſſimis.)* Prov. XX. 15. *Os ſcitum auro, gemmis,* פְּנִינִים, *ac pretioſis vaſis pretioſius eſt. (Eſt aurum, & multitudo gemmarum: vas autem precioſum labia ſcientiæ.)*

Prov.

IOB. Cap. XXVIII. v. 18
Ramoth et Gabiſch.

Büch Hiob Cap. XXVIII. v. 18
Die koſtbarſte Perlen u. Edelgeſteine.

I. G. Thelot sculps.

RPJCB

ov. XXXI. 10. *Fœminam virtute præditam iſquis nactus fuerit, mercem habuit gemmis pro- l petitis pretioſiorem. (Mulierem fortem quis ieniet? procul, & de ultimis finibus precium s.)* Thren. IV. 7. *Candidiores erant Nazaræi s niue, lacte nitidiores, rubebant ſpecie præ rgaritis* מפנינים *(Candidiores Nazaræi ejus e, nitidiores lacte, rubicundiores ebore anti- o.)* Attamen variant Interpretes. *Aquila* in minis generalibus habet τὰ περίβλεπτα, *con- cua, illuſtria:* LXX. in Jobo, & *Symmachus* Prouerbiis τὰ ἐσώτατα, *intima. Hieronymus* ox *occulta*, mox *cunctas opes*, *cuncta pretioſiſ- a*, heic *gemmas*, alibi *ultimos fines*, nunc *ebur*, de facile eſt conjectu, ignoraſſe optimum & entiſſimum virum τὰ *Peninim*. Syrus in Jo- habet *Smaragdum* & *Carchedonium*, in Jere- ia *Sardium*. LXX. Seniores, Chaldæi, Syri, abes, multique Rabbini in Prouerbiis *lapi- s pretioſos*. Et ſunt tamen, quibus *margari-* placent; Sunt hæ ſanè Chaldæi מרגלין *mar- lin*. Subſcribit Arabs. R. *Selomo* in Prov. III. 11. & *Pomarius in Lex.* ad vocem פנין abent, *lapis pretioſus*, *vel lapillo albo ſimilis, i educitur è ventre Piſcis Oſtrei nomine in O- ano reperiri ſolito.* Stant porrò pro margari- s rationes ſequentes.

1. Voci פנין *penin* affinis eſt *pinna*, πίννα, quæ ræcis & Romanis denotat *concham margari- feram. Plin.* L. IX. c. 33. *In Acarnania, quæ ocatur, pinna margaritas gignit.* Ita & *Iſidorus haracenus* in *Parthiæ Periegetico* apud *Athe- eum* L. III. unde πίννινος λίθος, *pinninus lapis* in erſione Græca Eſther I. 6. adeſt pro *margari-* , & πίννινον ἔριον, *pinnina lana* dicitur Serici illa ecies, quam pinnæ nent, & benè multi pro eterum byſſo agnoſcunt. Unde & Veteribus ινικὸν pro *pinna*, vel melius fortè pro *margari- a*. Apud *Ptolemæum* L. VI. c. 7. legitur *Sya- rus*, caſtellum in Sachalite Sinu, ubi ſit κολύμ- βησις πινικῆ, *piſcatio pinici*. Et L. VII. c. 1. Piſca- ionem margaritiferam eſſe apud *Comariam*, nunitam urbem Careorum in Sinu Colchico, odie *Cochin*. Taceo loca alia, quæ allegari oſſent ex *Arriani Periplo Maris Erythræi*, cui margarita vocatur πινικόν, & concha ipſa πινίκιος όγχος, *pinicia concha*: Ex *Philoxeni Gloſſis*, ubi ro πίνινον legendum πινικὸν, *margarita*; Apud *Arrianum* & *Ptolemæum* conſtanter legitur πινι- ὸν pro πιννικὸν, ut & in Sacris Prov. III. 15. פנינים ſimplici נ pro פנינים cum duplici נ.

2. Non poſſunt non פנינים ſignificare ſin- gulares quaſdam res pretioſas, ab aliis diſtin- ctas, ut diſtinctiorem facit Jobus in præſenti capite mentionem auri, argenti, diuerſarum gemmarum: Sed ſumi nequit hæc vox pro gemmæ ſpecie quadam, quia hæ ſemper ex- primi ſolent in ſingulari, peninim ſemper in plurali: una namque gemma annulo claudi ſo- let, ſed margaritæ plures in corollis poni: qui mos uſitatus hodie, ſed antiquiſſimus, inpri- mis apud gentes Orientales. De Indis & Ru- bri Maris accolis *Theophraſtus*, ex margaritis *pretioſa* parare *monilia*, ποιᾶσι ἐξ αὐτῆ τὰς πολυτε- λεῖς ὅρμους. *Chares Mitylenæus*, qui Alexandri res geſtas deſcribit, L. VII. de Medis ac Perſis, ex margaritis monilia ac corollas conficere pre- tioſas, & collo, brachiis, cruribus circumli- gare, ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλα περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πό- δας. De hiisdem populis *Ammianus* ſub finem Libri XXIII. *Armillis uti, monilibusque aureis, & gemmis, præcipuè margaritis, quibus abun- dant, adſuefacti poſt Lydiam victam & Crœſum.* Unde fit, ut margaritæ perforari ſoleant, mo- re antiquiſſimo, teſte R. *Kimchi*. Hujuſmodi corollas *Author Chronici ſecundi Templi* vocat חוטי בדולח, *fila Bedolach*, i. e. margaritarum; Romani *filum*, *linum*, *lineam*. *Martialis* L. VIII. *Epigr.* 78.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Vide in hanc rem plura apud *Turnebum* L. XXIX. c. 9. *Salm. in Solin.* p. 921.

3. Singularem habet phraſis, qua Jobus utitur, emphaſin, מֶשֶׁךְ חָכְמָה מִפְּנִינִים, pro- priè *attractio* vel *extractio ſapientiæ præ marga- ritis*; adhibent & LXX. vocabulum ἑλκύειν, vel ἕλκειν, ἕλκυσον σοφίαν παρὰ τὰ ἐσώτατα, *attrahe ſapien- tiam ſuper intima:* digito veluti monſtrat Jobus margaritarum piſcationem, vel modum, quo conchæ è fundo maris trahuntur, de qua re monenda ſunt quædam ex Veterum Scripto- rum monumentis. Duplex fuit veteribus pi- ſcandi conchylia margaritifera modus, 1. per κολύμβησιν, *urinationem*, qua ſponte ſeſe ad 20. ulnarum profunditatem demittebant urinato- res, teſte *Iſidoro Characeno*, manu utraque con- cham reportantes pro præda, haud equidem abſque periculo, quoniam inſertam forte ma- num firmiſſimè ſtringit teſta, quam proin ad latus apprehendunt, nempe verſus cardinem, ſeu roſtrum, ſicque facilius & ſine noxa ex fun- do lapidoſo protrahunt, ῥᾳδίως τὰς κόγχας ἀπὸ τῆ λίθȣ ἀποσπῶσιν. Et eſt hæc ἀπόσπασις idem pror- ſus, quod Jobi מֶשֶׁךְ *meſchek*, *technicum* vocabu- lum. Ita deſcribit *Manilius* piſcatorem *Aſtron.* L. V.

Cumque ſuis domibus conchas, valloque laten- tes
Protrahit immerſas.

Proceſſum piſcandi integrum, quem in *Perſi- de* Inſula adhibent, deſcribit *Lud. Vartomannus Nauigation.* L. III. c. 2. *Sunt ibi nonnulli, qui piſcatu victum quæritant. Hi vecti cymbis in mare jactum faciunt prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit ab gemina cymbæ parte, ut utrin- que jactis in profundum lapidibus, conſtabiliri na- uis, non aliter quàm ſi in anchoris foret, poſſit. Firmatâ ſuo pondere cymbâ, alius, cui id munus obtigit, in æquor jacet funem ſaxo dependente.*

 In

In naui media alius, mantica in pectus tergumque dependente, alligato pedibus lapide, ſe vibrat in pelagus, ſubtusque aquas urinantium more natat, actusque in profundum ad paſſus quindenos, tantisper urinat, donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt uniones ac margaritæ: collectas manticæ indit, lapidemque protinus, quo pedes grauabantur, abjicit, funique innixus in ſuperiora euadit. 2. Alter piſcandi modus fit per Retia, ſpeciatim apud Perimudam Indiæ Inſulam, deſcriptus *Æliano* L. XV. c. 8. Eſt proin & hæc מְשֶׁךְ *tractio, attractio. Plinium* audi L. IX. c. 35. *Quidam tradunt, ſicut apibus, ita concharum examinibus ſingulas magnitudine & vetuſtate præcipuas eſſe veluti duces, miræ ad cauendum ſolertiæ: has urinantium curâ peti, illis captis, facilè cæteras palantes retibus includi.* Quæ *Plinius* habet, & ex eo *Solinus*, mutuati ſunt à *Megaſthene*, magnæ hac in parte authoritatis ſcriptore, qui aliquandiu in Indiis apud Reges vitam transegit, cujus verba apud *Arrianum* in *Indicis* eadem prorſus ſunt, quæ citata Plinii. Teſtatur quoque *Petrus Martyr Noui Orb. Dec.* III. c. 2. regulis hujusmodi retia & piſcaria eſſe pro prædiis. Sed quoque applicari poteſt vocis מְשֶׁךְ, *attractio*, ἔμφασις ad protractionem margaritæ ipſius ex concha, quæ ſæpe haud absque vi & labore, ut ipſa ſapientia, extrahi, imo, ſi adulta ſit, decerpi debet. *Plinius: Craſſeſcunt etiam in ſenecta, conchisque adhæreſcunt, nec iis auelli queunt, niſi limâ, quibus una tantùm eſt facies, & ab ea rotunditas, auerſis planities, ob id tympana nominantur.* Longè minori labore, ut nunc eruitur ſapientia, ita inſtitui poteſt piſcatio margaritarum, ſpeciatim ope *campanæ urinatoriæ*, qua mediante res quæuis demerſæ ex fundo maris percommodè protrahi poſſunt.

4. In parallelo locantur peninim à Jobo & Solomone cum auro, & gemmis pretioſis. His omnibus antefert *Plinius* L. IX. c. 35. margaritas. *Principium columenque* (melius culmenque) *omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Quamuis idem Adamanti prærogatiuam det L. XXXVII. c. 4. *Maximum in rebus humanis, non ſolùm inter gemmas, pretium habet Adamas: — Proximum apud nos Indicis Arabicisque margaritis pretium eſt. Androſthene* teſte apud *Athenæum*, Perſæ margaritas auro contra æſtimant, πρὸς χρυσίον, *Chare Mitylenæo*, ſupra aurum: *Megaſthene* apud *Arrianum in Indicis*, triplo pluris, τρισάσιον κατὰ τιμὴν πρὸς χρυσίον. Sed certum quoddam & præciſum iis tribui nequit pretium, quod pro nitore, magnitudine, figura, pondere, miris modis variat. Apud *Suetonium* legitur *Cæſar Seruiliæ*, quæ *Marcum Brutum* peperit, margaritam donaſſe, cujus pretium fuerit *ſexagies ſeſtertiûm*, id eſt, ex *Budæi* computo 150000. Coronatorum. Quid dicam de margarita illa *Cleopatræ* in aceto ſoluta, in conuiuio appoſita, quæ valuit centies ſeſtertiûm ſiue 250000. coronatos. Haud proin absque fundamento *Manilius* L. V. omnes terræ theſauros ſuperari dicit à margaritis in abyſſo maris jacentibus:

Cenſibus æquantur conchæ, lapidumque nitori
Vix unquam eſt locuples, oneratur terra profundo.

Viuis coloribus luxum ex margaritis depingit *Tertullianus* ſub finem Libri *de Habitu muliebri. De breuiſſimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies ſeſtertiûm inſeritur. Saltus & Inſulas tenera ceruix circumfert. Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſacris ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum ſubſtantiarum uſuram uno & muliebri corpuſculo bajulare.*

5. Quamuis autem luxurioſa ſexus ſequioris ambitio margaritarum pretium adeò euexerit altè, raritate tamen multùm cedunt gemmis. In Plurali ſemper memorantur Jobo ac Salomoni, qui ingentem lapillorum horum copiam indicare videntur. Prov. XX. 15. legitur רַב־פְּנִינִים *multitudo margaritarum.* Ad Inſulam ſanè *Babarain* Julio & Auguſto menſibus piſcatum eunt 200. vel 300. Cymbæ, & æſtimatur, quam quotannis reportant, præda ad 500000. Ducatos aureos. Hujusmodi piſcaturæ plures ſunt prope *Catipha, Julpha, Camaron*, alibi ad Perſicum Sinum, in *Carmania, Suſiana, Babylonia, India. Æliano* teſte L. X. c. 13. claudit unica ſæpe concha 20. lapillos. Inuenit *Americus* 130. *Tumacci* reguli piſcatores quatriduo prædam captarunt unciarum 96. *Petr. Martyr. Dec.* III. c. 1. Sed de hac re alibi fortè plura. Demonſtraſſe ſufficiat, eſſe פְּנִינִים *margaritas.* Ad ſtateram rationis examinabitur fortè occaſione loci Thren. IV. 7. *Bootii* ſententia, qui magno conatu euincere vult, eſſe פְּנִינִים *corallia, Animaduerſ. Sacrar.* L. IV. c. 3. Cui ſubſcribere quoque videtur *Reland. Corollar. ad Diſp. Job. à Marck de Paradiſi ſede temerè apud Jordanem quæſita.*

Quæ hactenus protuli, Duce *Bocharto Hieroz.* P. II. L. V. c. 6. hiſtoricam dant potius Textus noſtri exegeſin, quàm philoſophicam. Arcana generationis margaritarum ſi introſpicere lubeat, fateberis mecum, non minùs profundè latere illam, quàm locus, unde protrahuntur pretioſi hi lapilli, vel profundiùs adhuc. Diſceptant adhucdum de theſauro hocce bina regna, animale ac minerale. Pro minerali ſtat *Martialis*, nuncupans *Erythræos lapillos, gemmas erythræis erutas vadis*; ita & *Iſidorus* L. XVI. *Origin.* c. 10. *primam candidarum gemmarum; Horatius:*

Nec magis huic intra niueos viridesque lapillos.

Ubi per *niueos lapillos* intelligi commodè poſſunt margaritæ. Pollicem quoque premit Chymia, calcinatione redigens margaritas in calcem,

n acido-urinoſam, quæ in aqua efferueſcit. l in acie oppoſita ſtant Juris-Conſulti: diguunt, *Ulpiano* præeunte, *gemmas* & *lapillos nargaritis*, quod hæ in conchis naſcantur bri Maris *l. cum Aurum X. §. margaritas 18. de Aur. Arg. leg.* vel *Cujacio* explicante *L. X. ſeruat.* c. 18. quia margarita eſt pars, ſiue oductum conchæ ipſius. Eſt haud adeò ficilis, quantum quidem ego video, concilio; Sunt margaritæ utique lapilli ſeu calcuntra ipſas conchas geniti, ut calculos videis generari in renibus, veſica, aliis corporis mani partibus. Imo peraptè conferas illas as cum calculis illis aurei, argentei, ænei oris margaritæformibus, qui in renibus, ſica, inteſtinis boum reperiuntur, in noſtris lueticis Regionibus ſatis frequentes; vel & n Bezoar tum Orientali, tum Occidentali, eriundo in caprarum quarundam ventricu-

Conſtant quippe Calculi hi, ut margari-, ex tenuibus cruſtis ſeu pelliculis inuicem perinductis, interiori concharum cruſtæ perilibus: & reperias facile obuias conchas, arum margaritæ protuberant quidem, ſed ndum ſunt à concha matre ſolutæ, imo nunam liberandæ, immaturæ. Sed forſan ori- margaritarum arceſſenda venit ab ipſo, quod concha hoſpitatur, animali, hujusque viſci- quodam, lento, ac pretioſo liquore, qui ut crementum dat conchæ ipſi, ita quoque mariam largiri poteſt lapillis. Notandum quip-, ὡς ἐν παρόδῳ, eſſe concham eſſentialem animalis partem, ut cutis eſt corporis humani & uti, & cum hoc æquis paſſibus creſcit. Quicquid horum ſit, id ingenuè fateor, eſſe geneſin margaritarum adhuc in Democriti puteo demerſam, ſed teſtem ſapientiæ diuinæ in maris abyſſis operantis omni exceptione majorem; cujus ſapientiæ ſummæ adeò profundum eſt βάθος, ut in hac vita lynceis licet armati oculis vix umbram intueri poſſimus.

Haud ingratum erit Lectori, ut nec foret Jobo ipſi, ſi in viuis eſſet, in Tabula præſenti oculis legere, ſi manibus non licet, gemmarum, & margaritarum, de quibus hactenus locuti ſumus, præcipuas, quas hactenus eruere vel ex viſceribus terræ, vel ex abyſſo maris licuit.

N. 1. *Adamas* eſt Magni Mogolis, qui crudus, *brut*, pendebat $793\frac{5}{8}$. caratos, politus $279\frac{9}{16}$.

N. 2. *Adamas* Magni Hetruriæ Ducis inter 138. & 139. vel $139\frac{1}{2}$. caratorum, quem fama fert fuiſſe Romæ Julii pretio emptum à Jeſuita, & Sereniſſimo Duci venditum pro 75000. Imperialibus. *De la Motraye voyag.* T. I. p. 55. *Tavernier voyage des Ind.* L. II. c. 22.

N. 3. *Adamas* omnium, qui hactenus viſi fuere, maximus $242\frac{1}{2}$. caratorum, 75000. Libris Gallicis æſtimatus. *Tavern.* l. c.

N. 4. *Margarita* eſt omnium maxima in Theſauro Monarchæ Perſarum, vendita 1400000. Librarum Gallicarum pretio.

N. 5. *Margarita* ex maximis inter Magni Mogolis res pretioſas.

N. 6. Ad illuſtrationem Textus proximè ſequentis adeſt Magni Mogolis *Topazius*, cujus pondus $157\frac{3}{4}$. caratorum, pretium 271500. Librarum Gall. *Tavern.* l. c.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 19.

Non Topazius Æthiopiæ pretium illius æquabit, non aurum puriſſimum præponderabit.

Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur.

IN Lithophylacio, vel pretioſa Cimeliotheca Jobi ſequitur פִּטְדַת כּוּשׁ *phitdath cuſch*, nomina & gemmæ & patriæ. Gemma eſt ex communi fere Interpretum conſen- *Topazius*, פִּטְדָה *phitdah* in Aharonis Pectoali Exod. XXVIII. 17. dictus. Patriam כוש *uſch* reddimus Tigurini *Æthiopiam*, *Mohren-Land*, potiori forſitan jure poſuiſſemus *Arabiam*, quam vult *Bochartus* in ſuo eruditiſſimo *Phaleg.* Cui ſententiæ haud obſtat *Topazion* nſula, ubi optimi dicuntur inueniri Topaſii, & fortè nominis ipſius, ſeu gemmæ, ſeu inſulæ, quærenda origo. Certum quippe, pertinuiſſe eam ad Arabiam. *Plin.* L. XXXVIII. c. 8. *Id accidit in Arabiæ inſula, quæ Chitis vocatur, in qua Trogloditarum prædones, cum diutius fame & egeſtate preſſi herbas radicesque effoderent, eruerunt Topazion. Hæc Archelai ſententia eſt. Juba Topazion Inſulam in Rubro Mari à continenti ſtadiis CCC. abeſſe tradit, nebuloſam, & ideo quæſitam ſæpe nauigantibus, ex ea cauſa nomen acce- piſſe; Topazim enim Trogloditarum lingua ſignificationem habere quærendi.* Eadem habet *Iſidorus* L. XV. c. 7. & *Pſellus* περὶ λίθων δυνάμεως. Τοπάζιον λίθος ἐςὶ διαφανὴς, ὑέλῳ παρεμφερής. Φύεται δὲ εἰς τὸν Ἀραβικὸν λεγόμενον κόλπον ἔν τινι πελαγίᾳ νήσῳ, &c. *Topazius eſt lapis pellucidus, vitro ſimilis. Naſcitur autem in Arabico, ut dicunt, ſinu, in Inſula quadam maxima. Diodoro Siculo* L. III. Inſula hæc cluet ὀφιώδης, *Serpentum Inſula*, ad 80. ſtadia, ut dicit, protenſa in longum. Ita & *Photius in Biblioth.* ex *Agatharchide*, *Strabo* L. XVI.

כֶּתֶם טָהוֹר, *cethem tahor*, eſt iterum *aurum mundum, purum.* Vid. *Braun. de Veſt. Sacerd. Hebr.* L. II. c. 9. p. 512.

 Job.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 22.

Perditio & mors dixerunt: Audiuimus auribus noſtris famam ejus.

Perditio & mors dixerunt: Auribus noſtris audiuimus famam ejus.

NEmini non conſtat, ingentes mouiſſe lites omnis æui Philoſophos *de Principiorum numero.* Intentio mea non eſt, amplum recenſere vel magiſtrorum, vel ſententiarum, circa principia & in principiis ceſpitantium catalogum. Unicum memoro Peripateticæ Scholæ Coryphæum *Ariſtotelem*, qui L. I. *Phyſ.* c. 8. tria ſtatuit *interna generationis principia*, τὸ ὑποκείμενον, τὴν ὑποκειμένην φύσιν, ſiue ὕλην, *materiam*, *ſubjectum*, τὴν μορφὴν, τὸ εἶδος, τὸν λόγον, *formam*, καὶ τὴν ςέρησιν, *priuationem.* Obſcuri ſi quid ineſt Trigæ huic, clarum id reddit exemplum menſæ: hæc ut prodeat, adſit oportet *materia*, lignum, lapis, in *formam* menſæ redigenda, quæ certè ante non fuit. En igitur abſentiam formæ, ſeu *priuationem!* Sed ne quis exiſtimet, ex omni ligno fieri vel menſam, vel Mercurium, ὁτιοῦν ἐξ ὁτιοῦν, ad formæ inductionem requiritur, monente Magiſtro noſtro, ſubjectum capax; En quàm altè alas ingenii ſui vibret Philoſophus κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictus! non infit is, τὸ μὴ μουσικὸν γίνεσθαι Μουσικὸν, ſed, obſerua benè acumen, vel microſcopii ope, ſi ſit fortè ad manus, τὸν μὴ Μουσικὸν ἄνθρωπον γίνεσθαι μουσικόν. Hoc ſi non addidiſſet, Muſici perſonam induere poſſet aſinus, lapis. In his corporibus adeſt *negatio*, in homine Muſices ignaro *priuatio*. Tantæ dulcedinis, ſi Diis placet, tantæque ſubtilitatis dogma pro prima tantùm non veritate, vel axiomatica recepit omnis Græciæ Latiiue ſchola, ad noſtra fere usque tempora. Fusè id explanat *Honoratus Fabri*, Jeſuita, *Scient. Phyſ. Tract.* V. L. I. Prop. 6. & anteced. *Zabarella* L. I. *de prima rerum materia.* c. 7. Sed dejecta nunc de ſolio tantæ olim authoritatis priuatio, & omnium ſcholarum liminibus expulſa, quia non ens, nihilum eſt, ne particula quidem corporis, nedum cauſa, & inductâ formâ extinguitur protinus. Ridiculum ſanè eſt, pro ſapientiæ principio ſtatuere inſipientiam, belli pacem, pacis bellum. *Habeant*, (inquit *Sperling. Inſtit. Phyſ.* L. I. Cap. I. Quæſt. I.) *ſapientiam illam, cujus principium inſipientia eſt; nobis concedant iſtam, cujus eſt timor Domini.* Et tamen Jobus noſter Ariſtotelizare videtur, & priuationem agnoſcere pro principio, ſi quidem אֲבַדּוֹן *abaddon* explicemus per *perditionem*, niſi intelligas מָוֶת *maueth*, *mortem*, quæ pura negatio eſt *Ariſtoteli*[...] Videtur *Coccejo in Job.* p. 180. reſpicere אֲבַדּוֹן abſentiam formarum in rebus omnibus, ſiu[...] locum, ubi nihil eſt, immenſos nihili campos uti alicubi loquitur *Bartoli*, per conſequens creationem rerum & conſeruationem, quia uti que ante creationem nihilo locus fuit, & in nihilum redirent momento omnes creaturæ, n[...] conſeruarentur diuinâ potentiâ: ſed מָוֶת *mors* corpora animata, plantas, animalia, homines, locum item, ubi relictâ vitâ deponuntur, שְׁאוֹל *ſcheol*, *infernus*, dictum. Eſt *perditio* totalis οὐδένεια, *annihilatio*, commutatio in nihilum, mors in nihilum vel quaſi. Attendi meretu[r] confeſſio auri, argenti, gemmarum, margaritarum, quâ ſapientia non eſt apud corpora illa, collata cum alia *perditionis* & *mortis*, quæ *audiuerunt famam ejus auribus ſuis.* Num ergo nihilo ſunt aures? Nihilum an audit, & de ſapientia quidem, imò de ſapientia diuina? Adeſt heic μετέωρον. Subminiſtrat ipſum hoc nihilum argumentum ex fortiſſimis ſapientiæ, potentiæ, aliarum DEI perfectionum, quia nihilum inter & aliquid diſtantia eſt immenſa. Sat benè philoſophati ſunt hanc in rem Doctores quidam recutiti. R. *Leui: Ex priuatione & morte, quæ inuenitur in iſtis entibus, & generatim ex imperfectione materiæ primæ illorum, judicamus, eſſe hic cauſam mentem, quæ ipſi formas iſtas conciliet.* Fuit DEUS ante hoc nihilum, ante & poſt aliquid, ante creationem & poſt, ante perditionem & poſt mortem, fuit inquam, & eſt, quod eſt, ab æterno in æternum. *Ipſe ſibi ante omnia erat, & locus, & omnia. Tertullian. contra Prax.* c. I. In infinita hac æternitate fuerunt ſummo huic enti præſentia omnia, quæ futura erant; non eſt potentior, ſi operatur, quàm ſi non; non ditior, ſi dominatur mundo, non juſtior, ſi punit, non clementior, ſi largitur, non major, ſi plures habet, eosque fideles, ſubditos. A nihilo ſi progredimur ad aliquid, à perditione ad creationem mundi, à morte ad vitam, apertum videmus, idque magnificum, potentiæ, ſapientiæ, bonitatisque diuinæ theatrum, ubi quicquid ſeſe præſentat, plenis buccis cantat laudes DEI.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 24.

enim in partes terræ extremas proſpicit, omniaque ſub cœlo videt.

Ipſe enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit.

Obi theſis in præcedenti v. 23. eſt, *DEUM monſtrare viam* ſapientiæ, *quippe qui noſcat locum ejus*. Hanc veritatem, quæ eſt ex palmariis, comprobat nunc ex eo, quia *in partes terræ extremas proſpi-* , *omniaque ſub cœlo videt*. Magnificam hæc rmant, & ſupremo numini adæquatam ma- ; ideam, quàm fuit illa gentilium de Joue, idente Solio in certo cœli loco, tonitruan- ıus nubibus cincto, & ventis tempeſtuoſis luti inuoluto, in manibus tenente fulmina, æ ubi deficiunt, ab Aquila adſtante petuntur ıua ex Ætnæ antro, & Vulcani officina, ubi bricantur à Cyclopibus.

Jupiter anguſta vix totus ſtabat in æde
Inque Jouis dextra fictile fulmen erat.

Iaterialis equidem hic fuit de DEO conce- ıus, ſed ſcopus haud adeò rejectaneus, ſi hu- ſmodi repræſentatione debebant mortales ɔgi in rationis gyrum, & frenis domari pec- ıminoſa audacia. *Ut ſupra nos aliquid timere- us. Utile enim erat in tanta audacia ſcelerum liquid eſſe, aduerſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur. Ad conterrendos itaque eos, quibus nocentia niſi metu non placet, poſuere ſuper ca- ut judicem, & quidem armatum. Sen. Quæſt. Vat.* L. II. c. ult. Altius cogitata ſua vibrauit *Plato* cum ſuis aſſeclis, ſpeciatim *Martianus Lib.* I. *de Philol. & Merc.* qui Jouem pingit nanu geſtantem cryſtallinum globum, & fixis ntuentem oculis, in quo clariſſimè videat non olùm corpora illa mundi totalia fixa & errati- a, non ſolos in terra montes celſos, qui tol- unt ad aſtra capita ſua, ſed puluiſculum in hac erra quemuis, guttulam aquæ quamlibet, non Reges ſolos inſidentes thronis, ſed & colonos pauperrimos in tuguriolis; omnia autem, quæ DEUS peragat in cryſtallino hoc Μικροκόσμῳ, mu- tationes, tempeſtates, ſterilitates, ſanitatem, morbos, mortes, peragi ſimiliter in macrocoſ- mo. *In hac mundi idea quid cuncti, quid ſinguli nationum omnium populi quotidianis motibus agi- tarent, perinde ac in ſpeculo relucebat. Ibi, quem augeri, quem deprimi, quem naſci, quem occide- re Jupiter vellet, manu propria ipſe firmabat; quam terrarum partem diſperdere, quam beare, quam vaſtam, quam celebrem cuperet, fictor ar- bitrarius variabat.* En! quam penetrauerit al- tè ex gentilibus ſapiens ſolo rationis lumine ad diuinæ potentiæ & omniſcientiæ myſterium.

Attamen fuit & hæc idea materialis & imper- fecta. Fuerit ita mundus omnipræſens in DEI oculis, ſed non item DEUS omnipræſens in uniuerſo. Error Philoſophis Stoicis commu- nis, inſidere DEUM ſummis cœlorum ſphæ- ris, inde deſcendere interdum ad hæc inferio- ra; vel, juxta conceptum Authoris Libelli *de Mundo*, ſimilem Regi, moranti in ſuis palatiis, ſed per emiſſarios informato breui & præciſè de omnibus, quæ in remotiſſimis etiam Regni peraguntur partibus, ut nos Heluetii median- tibus ſpeculis ad arma concitamus paucis vel horulis, vel momentis, prouincias integras; Cœlorum ſphæris ſupremis inſidet ſupremus DEUS ex mente gentilium, quos memoraui- mus hactenus, & ad creaturas emanare jubet inuiſibilem quandam vim, quæ ab uno corpo- re tranſit ad aliud: ſimilis penè Comœdo, qui retro Aulæum abſconditus filorum & ponde- rum appenſorum ope icunculas affabrè factas pro lubitu mouet. Dum alii ex Paganis Di- uinam Eſſentiam collocant potius cum Pytha- goreis in centro mundi, & à centro hocce ope- rari volunt ad Peripheriam. Sed minimè ex- primunt omnes hi conceptus id, quod ſanæ mentis Philoſophus etiam abſque Sacræ Scri- pturæ ſubſidio ſcire poteſt ac debet de Omni- ſcientia & Omnipræſentia DEI. Egregia ſunt, quæ hanc in rem habet *Gregorius M. L. II. Mo- ral.* c. 8. al. 12. *Quia enim ipſe manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſuper omnia, ipſe infra omnia, & ſuperior eſt per potentiam, & inferior per ſuſten- tationem: exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem: ſurſum regens, deorſum continens; extra circumdans, interius penetrans: nec alia ex parte ſuperior, alia inferior, aut alia ex parte ex- terior, atque alia manet interior: ſed unus idem- que totus, ubique præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde ſuperiùs præſidens, inde infe- riùs ſuſtinens, & unde exteriùs ambiens, inde in- teriùs replens. Sine inquietudine ſuperiùs regens, ſine labore inferiùs ſuſtinens, interiùs ſine exte- nuatione penetrans, exteriùs ſine extenſione cir- cumdans. Eſt itaque inferior & ſuperior ſine lo- co; eſt amplior ſine latitudine, eſt ſubtilior ſine ex- tenuatione. Quo igitur ab eo exitur, qui tum per molem corporis nusquam eſt, per circumſcri- ptam ſubſtantiam nusquam deeſt?* Ad forman- dum genuinum de DEO conceptum, imo & vitam ſanctam, DEO omnipræſenti, nobis ſemper & ubique præſentiſſimo gratam, con-

fert permultùm, ſi à teneris annis conſueſcimus tollere magis quàm ingenerare de DEO in ſummis cœlis ſedente præjudicia, Chriſtianis plus quàm par eſt familiaria. Merentur heîc apponi, quæ *Minucius Felix* habet: *Sed etenim DEUS actum hominis ignorat, & in cœlo conſtitutus, non poteſt aut omnes obire, aut ſingulos noſſe? Erras, o homo, & falleris: unde enim DEUS longè eſt, cum omnia cœleſtia terrenaque, & quæ extra iſtam orbis prouinciam ſunt, DEO plena ſint? ubique non tam nobis proximus, ſed infuſus. In Solem intende: Cœlo affixus, ſed terris omnibus ſparſus eſt: pariter præſens ubique intereſt, & miſcetur omnibus: nuſquam enim claritudo violatur. Quanto magis DEUS, author omnium, à quo nullum poteſt eſſe ſecretum, tenebris intereſt, intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris? Non tantùm ſub illo agimus, ſed cum illo (prope dixerim) viuimus.* Fuit certè hoc ſtudium, hæc opera, hic labor primorum Seculorum Patribus, ut gentilium de DEO materiales nimis conceptus rectificarent, & DEU omnipræſentem ſiſterent omnibus omnino bus, & omnipræſentia omnia DEO.

Haud ſeſe immiſcet Jobus quæſtioni agitatæ dudum & adhuc, *an mundus ſit finitu infinitus, vel indefinitus?* Neque magnitudiner neque figuram, neque finitudinem corpo determinare vult Philoſophus noſter, cuj ignorat fines. DEUS, inquit, *in partes ter* (mundi) *extremas proſpicit.* Quæſtio hæc e una ex iis, quas dudum adnumeraui ſuperu caneis prorſus & minimè neceſſariis; oleu proin perderem & operam, ſi longâ ſerie e ponere vellem rationes hinc inde produci ſo tas. Tot tantaque inquirenda reſtant circa r vel proximè ſitas, vel & remotas, ſed bene cio vel inſtrumentorum mathematicorum, v ſanæ rationis, nobis admouibiles, ut comm dè ſuperſedere poſſimus exſpatiatione ad fin uniuerſi, & ſpatia illa imaginaria.

Job. Cap. XXVIII. verſ. 25.

Ut vento etiam pondus adhibeat, & aquas menſura comprehendat.

Qui fecit ventis pondus, & aquas ap pendit in menſura.

OCulis & mentis & corporis donatus eſt homo, & manet tamen cœcus. Videmus quotidie *ventorum* curſus, ſpiraminum ſuſurros auribus percipimus; omnia hæc caſui cuidam adſcribimus, raro vel nunquam cogitantes, DEUM eſſe, eumque ſolum, *qui vento pondus adhibeat*, qui ventos ad uſum totius terræ, incolarum omnium, cujusuis prouinciæ, agri, arboris, plantulæ ponderet exquiſitè, & *aquas*, ventorum ſubſidio ab una regione in aliam transferri ſolitas, *menſura comprehendat.* Remouemus tunc demum pigrum animi gelu, ſi ventis videamus arbores frugiferas radicitus extirpatas, & proſtratas humi, ſi fructus dejectos, ſi ædes euerſas, ſi naues diſruptas, ad fundum maris demerſas, & lacera fragmina littoribus aduoluta; ſed & tunc lupum tenemus auribus, & tot occurrunt circa cauſas Phœnomenorum adeò tremendorum inquirenda Philoſopho, ut perraro in ſcala rationis ſuæ aſcendat ad primum & ultimum neceſſariæ cognitionis gradum, ad DEUM, ſolam, unicam, & primam cauſam mouentem, dirigentem, quæ ſemper prima eſſe debet in intentione, & ultima in indagatione. Si non datur penetrare, vel intrare, *ventorum theſauros*, Pſ. CXXXV. 7. attendendum eſt ſaltem ad præcipuos ventorum uſus, qui vel ſoli nos docent, nihil efficere, nihil effeciſſe unquam ſapientiſſimum optimumque DEUM abſque ratione & cauſa; Ventis depurari aëra, nubes transferri ab una regione in aliam; à quibusdam reddi ſerenam, a aliis obſcuram, calefieri ab his, refrigerari a illis, humectari, ſiccari obuia. De quibus generalibus ventorum commodis alibi plura. Sed commodam heic dat laudatum Jobo *ventorum pondus*, vel potius omni-ponderans DE virtus, occaſionem collaudandi ſapientiſſiman DEI bonitatem ex conſideratione ventorun quorundam ſpecialium, ſpirantium paſſim a inſignes terricolarum uſus. Quamuis in Zona noſtra temperata nondum ſit ad certitudinem vel regularitatem redactus ventorum circulus, immota tamen ſtat veritas hæc, DEUM etiam his *ventis adhibere pondus*, qui regiones noſtras perflant. Sed procul omni dubio euidentior eſt hæc palmaria veritas, ſi adeamus regiones ſubæquatoreales, & in Zona torrida ſitas.

Quàm, quæſo, præciſum *adhibitum pondus vento* illi *generali*, ſpiranti per totum annum, circa totam terram ab Ortu in Occaſum, in Oceanis, Atlantico, Æthiopico, Indico, Pacifico, & in hoc quidem Mari ſub Æquatore præciſè O. ex ſeptentrionali latere vero O. & N O. ex meridionali O. & S O. adeò conſtanter, ut ex noua Hiſpania ad Inſulas Philippinas nauigantes expanſis velis ſecurè dormire, & abſque interruptione per 10. ſeptimanas continuas milliaria 132. indies conficere queant. In Æthiopico Oceano eſt iterum Eurus hic conſtans adeò, ut attendendum probè ſit reducibus ex India Orientali nauibus ad præciſum

Inſulæ

ſulæ S. Helenæ, ubi ſtatio eſt neceſſaria, ſi-
n, quia prætemauigantibus fortè eam non
tur redeundi locus. Fuere multi, qui cau-
n venti adeò conſtantis & ſtati deduxerunt
notu terræ diurno, qui ab Occaſu fit in Or-
n, imo & Phænomenon hocce allegarunt
quam argumentum Syſtematis Copernicani
monſtratiuum: cujus equidem argumenti
n debilitat aliquantum malacia fere conſtans
lantici Maris ad Æquatorem, Zephyri in
ineæ littoribus, motiones item plures in
ri Indico: Animaduertendum heic inſuper,
eritatem venti communis eſſe 20. pedum
tio minuti ſecundi: Æquatoris autem velo-
as quia eſt 9000. Leucarum Gallicarum ſpa-
nychthemeri, 60.es ſuperare deberet hæc
ri generalis celeritas illam ventorum com-
nium, cui calculo haud reſpondent obſer-
iones. Accedunt circa pendula factæ ob-
uationes, ſub Zona torrida tardiùs mota, &
oin lineæ ſpatio decurtanda: quum contrà
erior deberet eſſe ſub Æquatore motus, vel
ropæis ſaltem æqualis, ſeu euibretur aër
ta tangentem, ſeu dirigatur motus ad ra-
m è centro euntem verſus peripheriam:
quippe vibratio tendens ab Ortu in Occa-
n in tantum promoueri deberet, in quan-
n impeditur ea, quæ ab Occaſu tendit ad
tum, heic intendi motus globi aſcendentis
tantum, in quantum impeditur cadentis.
d. *de la Hire dans l'Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1703.
132. Huic quidem à pendulis deſumto ar-
mento obſtaculo eſt, quod decurtandorum
Æquatore potior ratio deriuanda veniat à
jori omnium corporum vi centrifuga ſub
quatore, quam in circulis quibuscunque pa-
lelis, quæ vis centrifuga ibi directè contra-
eſt vi grauitatiuæ, unde fit, ut minori vi
emantur omnia corpora ad centrum terræ
quàm heic. Reſpondere autem pendulo-
m iſochronorum longitudines viribus cen-
fugis demonſtratum leges à Celeb. *Joh. Ber-
ullio* in *Actis Lipſ.* 1713. p. 79-88. Notan-
m porrò, ſequi atmoſphæram ipſam mo-
m terræ ab Occaſu in Ortum, ſed minori
locitate, ut generalis ille ventus Orientalis
n reſpondere debeat toti terræ velocitati,
d duntaxat exceſſui velocitatis terræ ſupra
locitatem aëris, ſaluari proin poſſit argu-
entum ſupra pro motu terræ allatum, à con-
anti Euro deſumtum. Mouerunt tamen al-
ta & alia obſtacula celebrem *Hallejum*, ut
uſas generalis illius venti deduxerit præſer-
m à Sole aërem intra Tropicos rarefaciente
ante ſe ad Occaſum pellente, ut juxta leges
otus orientalior ſemper aër, poſterior, den-
or, grauior, proruere debeat in anteriorem
ccidentalem, ſicque cauſari ventum vel præ-
iſè Orientalem, vel pro Declinatione Solis,
uæ ultra 23½. gradus ſe non extendit, decli-
antem ad Boream vel Auſtrum. Sed conſi-
erari ſimul debere peculiares ipſarum illarum

regionum diſpoſitiones, ſi rationes dandæ ſint deuiantis à ſua norma generalis illius Euri: Zephyri e. g. in littoribus Guineæ à ſuperpondio aëris frigidioris, marini, denſioris irruentis in Libyæ deſerta arenoſa, quæ majorem ſuſcipiunt à Sole æſtum, & diutius, quàm aliæ regiones, ſeruant: Malaciæ in Oceano Atlantico ab æquilibrio aëris inter Orientalem generalem & Zephyrum Guineenſem medii in toto illo tractu *The Rains* dicto, quod ibi ſubleuati in aëra copioſiſſimi vapores forma denſorum & frequentiſſimorum imbrium recidant. Combinari commodè poteſt Halleyana Hypotheſis cum illa *Voſſii de Motu Marium & Ventor.* c. 21. qui vult, altius longè eleuari aërem, ubi Sol eſt, vel proximè fuit, & eleuatum ſic poſtea deorſum ruere acceleratis viribus, verſus Occaſum ſcilicet, ubi altitudo aëris eſt minor. De hoc tandem generali Euro id animaduerti debet, maximo uſui eſſe non ſolùm nautis, ſed & Africæ Americæque continenti, horumque incolis & plantis refrigerio. Et ex hactenus dictis immota tandem ſtat veritas à Jobo prolata, quod DEUS, ens ſapientiſſimæ bonitatis, *ventis adhibuerit pondus.*

Confirmant eandem veritatem *Motiones*, Belgis *Mouſſons*, Anglis *Monſoons* dictæ, quæ venti ſunt ſtati, certo tempore & ad certa loca, ſpirantes, iterum nautis ab una regione ad aliam tendentibus percommodi. Ita ſpirat S. O. ex Auſtrali Æquatoris latere ad 2. usque gradum à Junio usque ad Nouembrim; eodemque temporis interuallo N. W. ad Meridianum extremæ Inſulæ Madagaſcar inter 3. & 10. gradum hemiſphærii auſtralis: item inter 2. & 12. prope Sumatram & Jauam usque ad Moluccas Inſulas à Decembris initio ad Majum. Porrò N. O. à 3. gradu latitudinis auſtralis per maria, Arabicum, Indicum, Bengalicum à Sumatra ad usque Africæ littora inde ab Octobri usque ad Aprilem, ſed iisdem locis ſemeſtri altero ab Aprili ad Octobrim S. W. & W. S. W. isque vehementior & pluuioſus, priori illo N. O. exiſtente ſereno. Cauſas harum motionum deriuat laudatiſſimus, in hac materia cumprimis expertiſſimus *Hallejus* in genere ab æquilibrio ſublato inter aërem frigidiorem, denſiorem, & calidiorem, rariorem, qui poſterior eleuatus reuerti cogitur in oppoſitam plagam, ut proin imum N. O. ſequi debeat altior S. W. inferiorem S. O. altior N. W. Sed ſpecialis cauſa, cur inferior N. O. ſpirare ſoleat ab Octobri in Aprilem, & S. W. ab Aprili ad Octobrem deriuanda inde venit, quod in poſteriori hoc ſemeſtri calorem Solis inprimis experiantur regiones ſeptentrionaliores, Arabia, Perſia, India, interior Africa, ſed in priori illo hemiſphærium auſtrale. Unde ὡς ἐν παρόδῳ conſtat, proximas hujusmodi φαινομένων cauſas deducendas eſſe non tam à Planetarum variis aſpectibus, ſed Solis motu per Eclipticam, & æquilibrio aëris ipſius ſublato.

 In

In Littoribus Peruanis ad Pacificum Mare nunquam ſpirat Zephyrus, ſed per totum fere annum S. vel S. W. quo ſecundo Claſſis Hiſpanorum auri-argenti-fera paucis diebus Limâ Panamam pertingit, ſed pro reditu longiori morâ opus habet. Sed eſt hic ipſe ventus, contra Europæorum ventorum naturam, ingenti ſolatio incolis, qui intolerabili fere æſtu preſſi mirum in modum eo refocillantur. Juuat iterum heic Ætiologiam conſideratio ſitus: In Pacifico Mari conſtans regnat Eurus, Zephyro inuictus. Sed contra allidit generalis Eurus, Braſiliam permeans, ad altiſſima Andium juga, ut reſiſtere nequeat vento ab incognitis auſtralibus terris ſpiranti, vaporibus niuoſis & denſiori aëre grauido, & tantò quidem minus, quia America Septentrionalis ab æſtu Solis torrefacta Auſtro Peruuiano & Chilenſi cedere cogitur.

Suppetunt argumenta inſuper alia in Indiis obuia, quibus demonſtrare licet Jobianam Theſin de DEO *ventis adhibente pondus*.

Sunt venti, qui certis anni dieique temporibus à continenti ſpirant verſus mare, *Terreinbos* Luſitanis, Terreni, Belgis *Land-Wind* dicti, ſed & contrarii maritimi, ex mari ſpirantes verſus terram, *Viracoins*, *Wind uyt de Zee* nuncupati. Illi in Littoribus Malabaricis, Septembrem inter & Aprilem, à media usque nocte ſpirant ad Meridiem, hi à Meridie ad μεσονύκτιον: in Noua Hiſpania Americæ illi noctu, hi per totum diei decurſum, magno incolis refrigerio & ſolatio. Cauſæ autem horum ventorum peti debent tum à generali illo Euro, de quo ſupra, tum à peculiari Prouinciarum maritimarum diſpoſitione, & montium ſitu.

Neque ſilentio prætereundi ſunt *Ecnephiæ*, turbines impetuoſi, Braſiliam inter & Africam, menſibus Aprili, Majo & Junio, ſubitò prorumpentes è nubibus, qui graui pondere, Jobianâ phraſi, ruunt; de his autem uberior dabitur loquendi anſa alibi, ſpeciatim in Hiſtoria Jonæ.

In Zona noſtra temperata ſeptentrionali *ponderati* non minus ſunt venti, quamuis nondum ad certas periodos, numeros, pondera, menſuras redacti, cui rei *M. Mariotte* & *Sturmius* irrito ſucceſſu operam ſuam commodarant. Et commemorandi veniunt ſpeciatim Veteribus quoque laudati venti *Eteſiæ* dicti, inde à 6. vel 15. Jul. ad finem usque Auguſti, interdiu ſpirantes Boreales, qui æſtus caniculares aura ſua leni refrigerant Græciam, Thraciam, Macedoniam, Archipelagi Inſulas, imò ad Ægyptum usque & Africam pertingunt. Eorum meminit *Ariſtoteles L. II. Meteor.* c. 5. Cauſa haud dubiè arceſſenda ab aëre denſo & niuoſo circumpolari, expandente ſe in atmoſphæram Europæ interdiu rariorem.

Neque deſunt Heluetiis nobis *venti periodici* ſeu *flati*, obuii cumprimis in vallibus ab Ortu ad Occaſum protenſis inter prææltos montes, Valleſia, Pregallia Valle Rhætiæ, Lacu Ri vario, *Wallenſtatter See*, ubi à primo manè a Meridiem usque ſpirare nouimus Eurum, à Me ridie Zephyrum, quorum cauſa manifeſtiſſim tribui debet aëri à Sole aſcendente & deſcen dente rarefacto; de qua re plura vide in *Hiſ Nat. Heluetiæ*.

Ad id inſeruit fusè ſatis expoſita hactenu ἀνεμολογία, ut oculis videre, imò manibus pal pare poſſimus vim DEI *ventos* in ipſa creatio ne *ponderantem*, pro infinito ſapientiſſimæ bo nitatis pondere, *pondus adhibentem* adhuc & i momenta, in conſeruatione: ponderantem, terræ & terricolis facit benè: ponderantem, eos ventis caſtigat: ponderantem non dunta xat ventos atmoſphæricos, ſed & Æolos (d quibus nonnulla memoratu digna heic adduc poſſent, ſi liceret eſſe diffuſis.) Ut jure aë rem ſupremum, medium, imum, infraterra neum Libram dixeris, vel Stateram, æquil bratam ſemper, & variatam ſemper pro regio nis cujusque neceſſitate & uſu, & ſtatutis DEO decretis.

Videamus nunc, quâ ratione ens illud ſum mum, infinitum, optimum, *aquas* quoque *com prebendat menſurâ*: Aquas maris reſpectu aqua rum continentis: Fontes, riuos, flumina, la cus; Aquas ſuperiores, ſeu nubes: & inferio res; Aquas abyſſi, Oceanorum, terræ totius En ut circumcirca Heluetiam noſtram colloca lacus, ut propugnaculo ſint inferioribus regio nibus contra torrentium noſtrorum & flumi num rapidos fluxus! En ut ſingulis aquis mi neralibus, balneis calidis atque frigidis, acidu lis, ſalinis ſuum adhibeat pondus, menſuram numerum! qua de re plura dicenda forent, per tempus, & chartæ anguſtiam, liceret. Se tamen non prorſus eſt ſilentii ſipario inuoluen dum hoc menſuratarum aquarum momentum Commodam dat accurata aquarum pluuialium & niuoſarum emenſuratio loquendi anſam d viciſſitudinibus temporum anni, & infimu DEI ſapientiſſimi immenſam bonitatem tum cognoſcendi, tum celebrandi.

Notum omnibus nobis Europæis, in Zona noſtra temperata ſeptentrionali, menſibus De cembri, Januario & Februario, qui hyemen conſtituunt, Sole percurrente ex auſtralibu ſignis Capricornum, Aquarium, Piſces, operi ri terram ab aquis niuoſis veluti veſtimento alias, fontes, riuos, flumina, ſtare, deficere congelaſcere continuo frigore, ut paſſim pon tes glaciales ipſis curribus onuſtis tranſitum concedant: ſequentibus proximè menſibus vernalibus, Martio, Aprili, Majo, Sole magis appropinquante nobis, & decurrente Arietem Taurum, Geminos, ſolutas vinculis aquas flue re iterum, redeunte calore blando molliri ter ram antea ferro inuictam, mutari niues in plu uias, reuiuiſcere vegetabilia, & animalia: Æ ſtiuis mox menſibus, Junio, Julio, Auguſto, Sole tranſeunte Cancrum, Leonem, Virginem augeri

geri calorem magis & magis, incrementa nere flumina & lacus, terram æſtu hiulcam uuiis per vices humectari, plantas mature-re: autumnalibus tandem menſibus, Septem-i, Octobri, Nouembri, Sole currente per bram, Scorpium, Sagittarium, increſcere hu-dum frigus, colligi fructus, arboribus deci-re folia, omnia ſe componere ad hybernam ietem. In dicta hac noſtra Zona non equi-m ſunt tempora anni æqualia regionibus nnibus, ſed differunt gradibus, iisque rurſus obè commenſuratis, & veluti ad bilancem nderatis: mitiori hyeme gaudent Regiones quatori vicinæ, aſperiorem ſufferunt ſepten-ionales: ſic itur per gradus ab Æquatore ad olum: Madriti in Hiſpania miraculo fere eſt lanzanares fluuius, ſi gelu conſtrictus: Ro-æ nix jacens diu; quum contra in Moſcouia ctiſſimo gelu conſtringantur omnia, & ſali-le ſputum antequàm ex ore decidat in ter-m. Imo in iisdem altitudinis polaris gradi-us, in eodem climate, non eadem eſt omni-us conſtitutio. In Tartaria Chinæ limitanea b 45. gradu frigus adeò rigidum ſenſit P. erbieſt Julio menſe, ut neceſſe habuerit to-us Imperatoriæ Legationis Comitatus pelli-eis ſe munire veſtibus, terra ad 3. quatuorue edes gelu conſtricta, Pekingâ interim, quæ 40. eſt gradu, torrefacta penè ab æſtu. E-imburgum Scotiæ I. gradu ſeptentrionalius ſt Moſcouia capitali, & tamen heic regnat ntenſiſſimi frigoris hyems, ibi moderata val-le. Arbores, paſcua, pecora offendas in Grœnlandia, quæ ſub 80. eſt altitudinis gradu, Nouâ Zemblâ, quæ 4. 5. 6. gradibus meridio-nalior eſt, illis omnibus deſtitutâ prorſus. Quid dicam de variatione annuarum conſtitu-tionum in eodem loco? quid de Heluetia no-ſtra, quæ ſola fere omnes variantes exhibet gradus inter Æquatorem & Polos medios? aſperrimam Regionum Borealium hyemem in ſummis Alpium jugis, calorem auſtralem in valle Tellina, Valleſia, moderatam hyemem Veſenæ, aſperam ſemihorâ abhinc; imo uno eodemque die omnia quatuor anni tempora in tranſitu per Bernhardinum, Gotthardum, Spe-lugam montes. An eadem ſit Zonæ tempera-tæ meridionalis conditio, minus nobis conſtat, quia terræ pleræque ſunt incognitæ: Hollan-diæ & Zeelandiæ nouæ vix littora ſunt nota. Chili Regnum in America, quod 45. numerat gradum majus ſentit frigus, quàm Italia & Hi-ſpania, ſunt Andes æterna niue tecti, ſed val-les adjacentes fructibus omnis generis, vino & paſcuis uberes: Caput bonæ ſpei temperato admodum gaudet aëre, & aſcendunt Caffri at-que Hottentotti perſæpe ad 90. imo 120. an-norum ætatem; ſubinde tamen totis veluti amphoris effunduntur ibi imbres. Id interim & ratio docet & experientia, eſſe inuerſam in hemiſphærio auſtrali conditionem tempeſta-tum anni, ut æſtas reſpondeat hyemi noſtræ, Autumnus Veri. Notum idem, recenſita ha-ctenus & ordinatiſſima anni tempora, caloris frigoriſue gradus, ſiccitatis item & humidita-tis, accreſcentes & decreſcentes deducendos eſſe à motu Solis per Eclipticam, vel terræ po-tius annuo motu, quo Sol uni Regioni poſt aliam accedit propius, τῷ Zenith nempe, & ſic accreſcunt dies, cum diebus caloris gradus. Sed ſpecialia Phænomena à Regionum conſti-tutione, & altitudine diuerſa, altitudine dico, id eſt, diſtantia à centro terræ. Exemplum præbeat Tartaria ante nominata, juxta *P. Ver-bieſt* tota penè montoſa, 3000. paſſibus altior Horizonte Maris, & ipſa China, conferenda commodè cum Heluetia noſtra.

Videamus porrò, quanam ratione menſu-rauerit DEUS tempora anni, & in iis aquas, in Zona torrida illa, quam Veteres credebant ἄνυδρον, æſtu torrefactam, inhabitatam & inha-bitabilem, ſed nos experimur pretioſiſſimis fru-ctibus aliisque naturæ productis ditiſſimam, fœcundiſſimam. In plerisque hujus Zonæ Pro-uinciis neque niuoſa eſt hyems, neque glacia-lis, ſed pluuioſa, ventoſa, & ingruit, quod ad-miratione dignum, Sole ipſius verticali, non in maxima declinatione. Sed ſunt temporum illarum Prouinciarum circumſtantiæ comme-moratione digniſſimæ.

1. Experiuntur, qui ſub ipſo Æquatore ha-bitant, bis in anno hyemem ſuam pluuioſam, in æquinoctiis, Verno & Autumnali, Sole tranſ-eunte per Æquatorem, menſibus Martio & Septembri.

2. Qui Æquatorem inter & Tropicum Can-cri ſunt ſiti, iis hyems ingruit pluuioſa, Sole verſante in Signis Borealibus, ſed neque ſubi-tò, nec violenter, ita ut, Sole exiſtente in Tau-ro & Geminis, pluuiæ neque largæ ſint, neque continuæ, ſed interruptæ tempeſtatibus ven-toſis, ut priorem hyemis partem haud incom-modè Autumnum nuncupare poſſis; ſubſe-quente vera hyeme, continuis ſtipata imbri-bus, Sole verſante in Signo Leonis, à medio Julio ad finem Septembris, quo temporis in-teruallo aquis abundant fluuii, & niue coope-riuntur montium cacumina: Sole progredien-te porrò ex Libra ad Scorpium & Sagittarium, temperato gaudent & ſereno ſatis aëre, ſed Æ-ſtate demum poſt Solſtitium, Sole degente in Capricorno & Aquario, à medio Januario ad medium Februarii, quo tempore exiccantur flumina, & torridum ſentit æſtum magna pars Africæ.

3. Contraria his experiuntur anni tempo-ra, qui Æquatorem inter & Tropicum Capri-corni viuunt; Autumnum nempe, vel prio-rem Hyemis partem, ab Æquinoctio ad no-ſtrum Solſtitium hybernum; Hyemem ab hoc ad Æquinoctium vernum, Ver ab hoc ad Sol-ſtitium nobis æſtiuum, Æſtatem tandem ab hoc ad Æquinoctium autumnale. In genere autem de omnibus his gentibus id obſeruare

 eſt,

eſt, propriè loquendo bina illis eſſe tempora anni, æſtiuum ſiccum, & hybernum humidum. Et admiranda ſimul ac ſummis elogiis deprædicanda eſt ſumma DEI ſapientia, & prouidentiſſima bonitas pro populis, qui æſtu non torrerentur duntaxat, ſed conſumerentur, ſi ingrueret Æſtas tunc, cum Sol eſt verticalis: ſed tunc temporis, atmoſphærâ admodum rarefactâ, & incredibili vaporum copiâ ex vicinis maribus ſubleuatâ, & à ventis ſtatis in denſas nubes collectâ, mirum haud eſt, ſi continui fere cadant imbres, cui beneficio accedunt inſuper noctes breues & frigidæ, Æſtate ſicca tunc dominante trans Æquatorem.

Singulare prorſus Diuinæ Hydrometriæ exemplum ſiſtunt Regiones nonnullæ, quibus per totum fere anni decurſum nullæ cadunt pluuiæ. De Ægypto Veterum extant teſtimonia apud *Plutarchum de Fac. Lun. Cteſiam* in *Photii Biblioth.* de Peru Regno Hiſpanorum relationes, ibi hyemis loco ab Aprilis initio ad

Octobrim atmoſphæram indies obſcurari n
bibus, Solemque obtegi, ſed abſque fulgu
bus, tonitrubus, niue, grandine, imbribu
pluuiam ſubinde cadere tenuem menſibus J
nio, Julio & Auguſto ante meridiem, aëre m
nente ſereno in locis montoſis: In montes a
tem ipſos delabitur nix & copioſa pluuia, u
de incrementa ſumunt flumina, & totas regi
nes ſatis ſuperque humectant, Ægypto teſte
cui inundans Nilus abundè ſupplet pluuiæ d
fectum. In Peruana Regione continuus fe
S.W. aufert vapores ſurgentes, qui montibu
alliſi in pluuias recidunt, planis interea loc
refocillatis à largo rore.

Sit totius hujus tractationis ultimus Pol
cognitio DEI ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ, I. Cor. I. 21. q
omnia ad certos condidit fines, ad creatur
rum ſuarum commoda, certo pondere, num
ro, menſura: *Vento etiam pondus adbibet,* &
*aquas menſura comprehendit. (Fecit ventis pon
dus, & aquas appendit in menſura.* Vid. *Jo
Chriſtoph. Sturm. Diſſ. de aëris mutationibus.*

Job. Cap. XXVIII. verſ. 26.

Præfigendo pluuiæ terminum, & viam fulguri atque tonitruis.

Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis ſonantibus.

DAt DEUS, ita magnus ille Theologus Paulus, viam ſalutis Athenienſibus aliisque gentilibus ſtraturus, ex Philoſophia Naturali illos edocens, ὑετοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους. Act. XIV. 17. Hæc ſi ita ſe habeant, ſi pluuiæ lapſus non adſcribendus eſt caſui merè fortuito, ſi DEUS eſt pluuiæ Author atque Director, inferre facile eſt, præfixiſſe Eum pro infinita ſua ſapientia pluuiæ certas leges, ſtatuta, terminos, חקים, eò tendentes, ut pretioſum hoc cœli donum uſui veniret terricolis, animantibus, plantis, agris. Spectant hæ leges pluuiæ geneſin, guttarum magnitudinem, numerum, pro regionum diuerſitate variantes. Non indigent hæc ulteriori demonſtratione. Legatur præcedens proximè Commentarius in v. 25.

Par eſt ratio *fulguris*, *tonitrus*, fulminis, tempeſtatum, quibus etiam *viam præfixit* altitonans DEUS. Loquitur *Plinius de fortuitis ictibus, brutis fulminibus, irritis jactibus, qui nulla veniant ratione naturæ.* Sed rationi ſanæ conuenientius Semi-Chriſtianus *Seneca, fato non ire fulmina, ſed ferri:* item, *mira fulminis, ſi intueri velis, opera ſunt, nec quidquam dubii relinquentia, quin diuina inſit illis, & ſubtilis potentia.* Sapientiſſimæ DEI prouidentiæ non duntaxat ſubeſt locus generationis, vel & perceptionis, ſed & locus ictus: Montes ſi ſint, latifrondoſæ quercus, maria, flumina, deſerta, haberi poſſunt tonitrua, & fulmina pro monitoriis diuinis, atque paternis: ſi ædes, turres, templa, pœnæ ſunt & comminationes promeritæ, familiis, urbibus, regionibus, Eccleſiæ, Politiæ ſalutares. Habet Textus originalis דרך לחזיז קולות *viam coruſcationi tonitruum*; LXX. ὁδὸν ἐν τινάγματι φωνὰς, *viam in concuſſione, voces*, vel ὁδὸν ἐν τινάγματι φωνὰς, *concuſſioni viam, voces: Symmachus* εἰς κτύπον φωνῶν, *ad ſtrepitum vocum*, Vulgata, *procellis ſonantibus*, Complutenſes, *viam in concuſſione vocis*, Auguſtinus, *vim tempeſtatum vocibus.* Notat חזיז *chaziz* ex communi Judæorum interpretatione fulgur, tonitrus præcedaneum, præpoſitum quoque à Jobo tonitrui. De hac *voce* DOMINI, ut Dauidi cluet, commodior dabitur alibi loquendi anſa, præſertim ad Pſ. XVIII. 14. 15. XXIX. 3-10. Quò relegamus materiam hanc, quia heic non expreſſa ſit fulminis, fulminearumque tempeſtatum mentio, ut melius fortè Textui Hebræo reſpondiſſet Vernacula noſtra, ſi ita ſonaſſet: *Er hat dem Blitz und Donner einen Weg geſetzet.*

Job. Cap. XXIX. verſ. 6.

uando (a) pedes meos butyro abluebam, & ſaxum apud me fundebat riuos olei.

(a) Profectiones.

Quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?

MEtaphorica hæc eſt, atque ingenii plena, fertilitatis alicujus terræ repræſentatio, ſimilis illi Deut. XXXII. 13. *Dedit ei, ut ſurgeret mel de pe-*
, oleumque è duriſſimo ſaxo. Job. XX. 17. *Non*
debit riuos fluminum, torrentium mellis & bu-
i.

Hebræa vox חֶמְאָה *chemah* idem heic no-
, quod חֶמְאָה *butyrum*, quæ vox ubiuis in
riptura eſt obuia, illa priori exiſtente mona-
a: deſcendit utraque fortè ab Arabum *cha-*
, de lacte condenſari, & concreſcere; nam bu-
rum aliud nihil eſt, quàm cremor coagula-
s, ex meris conſtans particulis oleoſis, unde
aldæis butyrum vocatur שְׁמַן דְּגוּבְנִין, ἔλαιον
ȣ͂, caſei oleum. Germanica vox *Butter* ma-
feſtè deſcendit à Græco βȣ́τυρον, ut & Lati-
rum *butyrum*, idem proin ſonat, quod *caſeus*
bulus.

Hebræum הֲלִיכַי, LXX. αἱ ὁδοί μȣ, *vias meas,*
ine Wege, reddit Tigurina Vernacula, Vul-
ta *pedes meos.* Alludit fortè interpretatio
ec, quam & Latina noſtra habet, ad vete-
m Orientalium populorum familiarem pe-
s, præſertim in conuiuiis, oleo ungendi
nſuetudinem, quæ vel ex CHRISTI unctio-
 nota. Matth. XXVI. Marc. XIV. Joh. XII.
d quoque ex *Antiphane* & *Tryphone* apud *A-*
enæum L. XII. & XV. *Vidimus*, inquit *Plin.*
. XV. c. 11. de Oleo, *etiam veſtigia pedum tin-*
, quod M. Othonem monſtraſſe Neroni Princi-
ferebant. Tranſierat hæc conſuetudo, in O-
ente ex neceſſitate nata, ex uſu conſeruata,
oſtmodum, ut alia hujusmodi multa, in lu-
um, butyrum & oleum in unguenta pretio-
, ſingulis quoque corporis partibus, pedibus,
ruribus, genis, mammis, temporibus, bra-
hiis, ſuperciliis, capillis dicata, variis *Baccha-rini, Amaracini, Ægyptii, Phœnicii, Nardini,* nominibus diſtincta, de quibus fusè *Fulv. Urſinus Append.* ad *Triclinium Petri Ciacconii.* Quodſi *pedum* loco intellexeris *vias*, elegantem iterum habebis pro fœcunditate, ex DEI benedictione nata, metaphoram, uti & in phraſi proximè ſequenti, qua *ſaxum fundebat riuos olei*, quam certè haud ſumſit Jobus in ſenſu proprio literali, ac ſi ex duris ſaxis profflueret oleum, imo oliuarum oleum, neque pro torculari oliuas premente, multò minus *Petroleum*, aliàs ex petris profluum: ſed haud dubie intelligit Philoſophus noſter loca ſaxoſa, montoſa, oleis præſtantiſſimis abundantia. Occurrunt & hujus generis locutiones apud Scriptores profanos. *Virgil. Eclog.* 3.

Mella fluant illi, ferat & Rubus aſper Amomum.

Theocrit. Idyll. 5.

Et non fluctus aqueos, ſed lac profundat Himera,
Æſtuet & Cratis vino, Sia fruge niteſcat.

Jungit ita Jobus bina ex præcipuis & uſitatiſſimis condimenta, quibus parantur cibi & palato redduntur grati, ventriculo faciles. Germanis nobis, Belgis, inſeruit butyrum, Italis, Gallis, oleum. Ejusdem prope ſunt indolis utraque; eſſentiam conſtituunt particulæ pingues, oleoſæ, ſanguini eſſentiales, balſamicæ, formandæ pinguedini, medullæ, Sebo neceſſariæ. Superſedeo proceſſu integro, quo parari ſolent pretioſa hæc liquida, butyrum ac oleum. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 32. p. 315.

TAB.

TABB. DXXIV. DXXV.

Job. Cap. XXIX. verſ. 18.

Cogitabam igitur, me in nido meo expiraturum eſſe, ac more phœnicis multos dies victurum.

Dicebamque: in nidulo meo mo
riar, & ſicut palma multiplicab
dies.

Circa genuinum ſenſum vocis חול *chol* certant tria naturæ regna, *Phœnicem* vult animale, *Palmam* prætendit vegetabile, *Arenam* ſeligit minerale.

Pro *Phœnice* certare videntur bina Sacri Codicis loca, Textus hic Jobi, quem explicandum ſumimus, ubi LXX. habent φοῖνιξ, & ſic Tigurina Latina: alter locus occurrit Pſ. XCII. 13. *Juſtus ut Palma florebit*, ubi iterum LXX. δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, ſed Latina, æquiuoco Phœnice è via ſublato, *Palmam.* Dauidicum hunc locum allegat *Tertullian. de Reſurrect.* c. 13. & *Epiphanius* in *Phyſiologo*; ſed Jobianum Rabbini plerique cum *Beda*, qui volunt, digito veluti indicare Prouerbium illud vetus de vita Phœnicis longæua, quod & occurrit apud *Lucianum* in *Sect.* ἢν μὴ φοίνικος ἔςι βιώῃ. Victuram nempe volunt hanc auem ad ἀποκατάςασιν usque τῶν πάντων, vel, ſi mauis, Anni Platonici finem, ſeu terminauerit ſe is intra annos 1461. quo interuallo Phœnicis vitam definit *Tacitus*, ſeu ſumſeris 25900. ſeu cum Veteribus 36000. Subſidio venit his φοινικοφίλοις ipſa Jobiana phraſis, *cogitabam me in nido meo expiraturum eſſe*, alludens fortè ad Veterum illam traditionem, quâ decrepitus ſenex Phœnix nidum ex Caſia, Thure, pretioſis aliis aromatibus confectum accendat, ſeſeque ipſum comburat; addunt μυθόφιλοι recutiti, reliquum ex hoc incendio eſſe ouum, ex quo reſurgat nouus Phœnix, eſſe autem auem hanc immortalem, quod nîl unquam comederit de fructu vetito. Lugendas hujus generis lege in R. *Oſajæ* Libro, cui titulus: *Bereſchith Rabba*, ſcripto circa A. 210. in *Jalkut*, *Midras Samuel Sect.* 12. *Pomario* in Libro *Tſemach*, qui aui huic vitam 1000. annorum adſcribunt. Peruagata eſt hæc fabula totum veterem orbem. *Nonnus in Dionyſ. Lib.* 40.

Χιλιετὴς σοφὸς ὄρνις ἐπ᾽ εὐόδμῳ σέῳ βωμῷ
Φοῖνιξ τέρμα βίοιο φέρων.

Martialis:

Qualiter Aſſyrios renouant incendia nidos,
Una decem quoties ſecula vixit auis.

Claudianus in Phœnice:

Namque ubi mille vias longinqua retorſer
ætas.

Auſonius Ep. ad Paulinum:

Nec quia mille annos viuit Gangeticus ales.

Imò eò vadunt usque nonnulli, ut ipſam han
fabulam, præeuntibus Patribus quibusdam, a
legent in reſurrectionis futuræ ſymbolum &
argumentum, eſſeque alicubi in rerum natur
auem, quæ reſpondeat deſcriptioni. Ita *Ju*
nius Patritius not. ad Epiſt. Clem. ad Corinth.
non ambigere, quin ſit ejusmodi volucris, quæ re
diuiuo ſuæ carnis humore reparetur, & de ſu
ſurgat rogo, corporisque ſui hæres, & cineris ſu
fœtus ſit — Malo enim cum Clemente, Tertul
liano, Origene, &c. errare. Manſit nimia hæ
erga Veteres veneratio in Scholis & Eccleſiis
Sed alia nunc rerum, fidei & aſſenſus, facies
Malumus nos cum viliſſima plebe fateri veri
tatem, quàm errare cum doctiſſimis. Mere
batur tantæ celebritatis fabula, *æterna auis*, u
Claudiano Phœnix cluet, æternitati conſecrar
per monumenta æris aliorumque metallorum
Siſtit A. *Conſtantini Maximi* Numiſma, in pro
nâ legitur, CONSTANTINUS MAX. AUG
in auerſa Conſtantinus Maximus figura ſemi-
nuda Thoraci inſidet, & Criſpus Cæſar deui-
ctis Francis victorioſè redux globum, eique in-
ſiſtentem Phœnicem radiatum tenet, Tropæ
onuſtus, & Panthera comitatus, cum Inſcri-
ptione GLORIA SÆCULI VIRTUS CÆSS.
B. Nummus eſt *Conſtantis*, qui trium Conſtan-
tini M. filiorum fuit minimus, in auerſa ite-
rum Phœnix globo inſidet cum Inſcript. FEL.
TEMP. REPARATIO. C. alius ejusdem & Im-
peratoris & inſcriptionis, in quo Imperator in
naui ſtans dextra Phœnicem globo inſiſtentem
tenet, aurigante victoria. D. Alius, in quo
æterna auis rupi inſidet. Apud Sinenſes oc-
currit Phœnix felicitatis augurium & index,
nec longæuitate duntaxat ſed quoque ſanctita-
te celebris, *Foo*, vel *Foowoo* nomine, & adeò
quoad figuram & colores circumſcriptus, ut
dubites, an ex Oriente extremo, fabula per-
uenerit

IOB. Cap. XXIX. v. 18.
Chol, Phoenix, palma vel arena.

Buch Hiob Cap. XXIX. v. 18.
Unterſuchung des Chol.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



Iob. Cap. XXIX. v. 18.
Palma obtinet palmam.

Buch Hiob Cap. XXIX. v. 18.
Der Palm-Baum erhält den Preiß.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

enerit in Europam, vel à Romanis & Græcis ransportata fuerit in Aſiam. Sanè, quod pro obo noſtro faceret, dubitat *Tacitus Annal.* L. VI. 28. an *in ipſa excluſus Arabia poſt longum ſe-ulorum ambitum demum in Ægyptum venerit.* egatur fuſius *Kæmpfer. Amœnit. Exot.* p. 662. usdemque à filio meo edita *Japonia* p. 124. ed abſit à nobis, ut aniles fabulas in proſce-ium ducamus explicandæ Scripturæ Sacræ. promptu eſt erroris, unde Phœnix auis ad cegeſin Jobiani Textus manarit, fons. Phœ-icem auem Patribus nimis, quàm par eſt, φι-λληγόροις commendauit vox, quam LXX. ad-ibent, φοῖνιξ, æquiuoca aliàs, & tum *auem* il-m fabuloſam denotans, tum *Palmam.* Du-ium haud eſt, LXX. viros in loco ſupra alle-ato Dauidis interpretando תָּמָר *thamar* per οίνικα intellexiſſe *Palmam.* Senſus eſt euidens. t in noſtro Textu Jobi commodius חול red-i potuiſſet per *arenam*, quam interpretatio-em habet Vernacula noſtra, *daß meiner Tagen ürden ſo viel ſeyn als des Sandes.* Simili phra-ologia utitur Sibylla Cumæa apud *Ouidium Met.* L. XIV. *Fab.* 4.

- - - - Ego pulueris hauſti
Oſtendens cumulum, quot haberet corpora puluis,
Tot mihi natales contingere vana rogaui.

ttamen non planè rejicienda eſt Græcorum erſio, ὡς στέλεχος φοίνικος, *ut truncus Palmæ:* os imitatur Vulgata, *ſicut Palma multiplicabo ies.* Longæuitatem Palmæ atteſtatur *Theophr. le Cauſ. Plant.* L. II. c. 16. & memorat *Plinius* L. XVI. c. 44. *Palmam Deli ab Apollinis ætate,* orſan 1500. annos natam. Ad 200. vel ad ummum 300. annos arboris hujus ætatem extendit citatus ſupra *Kæmpfer. Amœn.* p. 677. Quadrant quoque in Palmam, quæ verſiculo 19. proximè ſequenti habet Jobus noſter, *dif-fuſa fuit mea radix ad aquas, (radix mea aperta eſt ſecus aquas,)* aquoſa quippe loca amat hæc arbor, quod mox videbimus. Exod. XV. 27. erant *duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta Palmæ in Elim.* Eccleſiaſtic. XXIV. 15. (18.) *Quaſi Palma circum litora verticem extuli, (qua-ſi Palma exaltata ſum in Cades,)* ὡς φοῖνιξ ἀνυψώθην ἐν αἰγιαλοῖς. Sed quoque ex ipſa Græca Verſione colligere facile eſt, euitâſſe ſtudio de Phœnice aue fabulas, non enim ſcribunt ſimpliciter LXX. ὥσπερ φοῖνιξ, ſed ſignificanter, ὥσπερ στέλεχος φοίνικος. Abſurdum quippe foret ſtatuere, vitam ſibi optare Jobum adeò longæuam, qualis eſt trunci Phœnicis auis: De arboris, non animalis, trunco adhibetur vox στέλεχος. *Heſychius.* στέλεχος ὁ κορμὸς τοῦ δένδρου. Στελέχη φοινίκων, Trunci ſunt Palmarum. Exod. XV. 27. Num. XXXIII. 9. Sirac. L. 14. Peperit ipſa hæc æquiuocatio φοῖνιξ errores non unos apud Scriptores profanos, quod probari poſſet fuſius. Rem ſi penitius introſpiciamus, ipſa illa de Phœnice aue fabula originem traxit ex Palma, *moriente ac renaſcente ex ſe ipſa. Plin.* L. XIII. c. 4. *In meridiano orbe præcipuam in Palma obtinent nobilitatem Syagri, proximamque margarides. Una earum arbor in Chora eſſe traditur, una & Syagrorum. Mirumque de ea accepimus, cum Phœnice aue, quæ putatur ex hujus Palmæ argumento nomen accepiſſe, mori ac renaſci ex ſeipſa, eratque, cum hæc proderem, fertilis.* Audi *Kæmpferum* p. 665. *In* τοῦ φοίνικος *ſiue Palmæ dactyliferæ argumento, arboris omnium principis, Phœbo dicatæ, venuſtiſſimæ, feliciſſimæ, & maximè longæuæ natales ſuos nomenque inuenit Phœnix ipſe plumoſus. Et per Phœnicem nihil unquam aliud Priſcis niſi Palma deſignata eſt: Alæ frondium ordines alatos indicant: decus plumarum pinnatam ſeriem foliorum: renaſcens illa ex igne origo ardorem ſignificat, in Palmiferis Arabiæ deſertis maximè intenſum, qui cum cæteris viuentibus ferat interitum, Phœnici tamen noſtro ortum & vitam, partibus omnibus incrementum, caudici firmitatem & robur, fructibus maturitatem & perfectionem tribuit. Cæterum & vita utrique longæua, Soli utraque ſacrata, par fama & gloria, idem denique nomen eſt.* Junge his omnibus, in Palmæ fauorem affinia τῷ חול in Oriente nomina. *Nachl* Arabibus & Perſis eſt Palma. *Kæmpf.* l. c. *Chæsl*, *Chæſel*, Palmæ pumilæ & ſilueſtris fructus, isque inprimis aridus aut paruus, vel oſſiculum ejus. *Meninzk. Lex.* 1901. *Dækæl* Turcis Palma. Id. 2102. *yskal, iskal, uskal, uskul, uskulet*, Plur. *æſakil*, iisdem Palmæ ramus, peculiariter racemoſus dactylorum matureſcentium, multos botros ferens. Id. 5665. 3216. *kylb, kulb, kælb*, Palmæ interior medulla, Plur. *æklab.* Id. 3742. 5794. *Næchlet* Turcis Palma, *Næchyl* Palmæ. Id. 5153. 5154. Verum Phœnice ad momentum dimiſſo redeo iterum ad fictitium, qui in Ægypto viſus fuiſſe dicitur Paulo Fabio & L. Vitellio Coſs. imo Romam delatus A. U. C. 800. *Plin.* L. X. c. 2. *Tacit. Annal.* L. VI. *Dion.* L. VII. ad fin. comparitionem hujus auis memorat inter prognoſtica morituri Tiberii, ita & *Xiphilinus in Tiberio*, *Aurelius Victor Epit. de Claudio.* Ubi non diffitendum, ſuſpectam fuiſſe *Plinio* ipſi narrationem. *Ferunt*, inquit, *ante omnes nobilem in Arabia Phœnicem, haud ſcio, an fabuloſè.* Et fuit vel credulus nimis Clemens Papa VIII. vel liberalis nimis erga Hybernos, A. 1599. rebelles in Reginam Eliſabetham, tanquam craſſi ingenii homines, quod his Phœnicis auis pennam miſerit pro donario, teſte *Cambdeno in Hibern.* p. 783. Creduli certè nimis primitiuæ Eccleſiæ Patres, licet alii magis, exiſtentiam hujus auis poſitiuè aſſerentes, ut *Clemens, Cyrillus, Tertullianus, Epiphanius, Ruffinus;* alii minus, dubii de hoc naturæ miraculo pronuntiantes. Ita *Nazianzenus* Carm. 3. φάτις, *fama eſt.* In *Præcept. ad Virg. Orat.* 37. εἰ δέ τοι πιστὸς ὁ λόγος, *ſi famæ fides. Orig. contr. Celſ.* L. IV. ἐάνπερ ᾖ ἀληθὲς, *ſi verum. Alcimus Auitus* L. I.

 de

de Orig. Anim. mentitur fama. Auguſtin. L. IV. c. 20. *Si tamen, ut creditur, de ſua morte renaſcitur. Clemens Romanus Conſtit. Apoſt.* L. V. c. 8. *Euſeb. Vit. Conſtant.* L. IV. *Æn. Gazæus in Hexaem.* φασὶ, λέγεται, *dicunt. Ambroſius, perhibetur. Piſidas* narrationem fabulæ his claudit.

Ἑλληνικοῖς ἕλληνες εἴξαντες λόγοις,
Πείθητε, λοιπὸν τὴν ἀνάςασιν σέβειν.

Graji, ergo Grajis fabulis ſi creditis,
Ne jam negetis ſuſcitari mortuos.

Silentio præteriri non debet ſingularis prorſus Palmæ, ſi ea Jobi חול eſt, fertilitas. Hæc ut concipiatur diſtinctè, juuat Palmei fœtus hiſtoriam ſuccinctè tradere ex laudato ſupra *Kæmpfero*, qui exquiſitiſſimam nobis dedit φοινικογραφίαν in *Amœnit.* à p. 661. ad 758. Duplex eſt Palmis ſexus, maſculinus TAB. DXXIV. Fig. E. & fœmineus Tab. cit. Fig. F. ille flores duntaxat fert, hic fructus. Mares ſemen ſuum, quod ſubtiliſſimus eſt flaui coloris puluis, ſpargunt in fœmellas; fit id vel ventorum ſubſidio, vel humana ope, quod *ambaar daden*, implere, in Oriente vocant. Palmeos racemos *ſpadices* vocant Romani, quos in ſummo caudicis faſtigio è frondium axillis egerit Palma, thecam verò Palmei fœtus *ſpatham*, Græci ἐλάτην καὶ σπάθην, Perſæ *bukúmi nachl* Fig. 1. & 2. TAB. DXXV. ſed ſpadicem nouellum, Perſis *Pengi nachl*, ſiſtit Fig. 4. Fig. a. ſpatham ſurrectam adhuc intra texturas & inuolucra frondium reconditam. Spadix poſtquam turgeſcens è ſpatha prorupit in virgulas reſoluitur numeroſiſſimas, floſculis in mare Fig. 3. in fœmina prunulis Fig. 6. & 12. refertas, illis uſum pro imprægnandis Palmis fœmineis (Fig. 16.) ex tempore præſtantibus, his à tardiori incremento demum menſe ab hoc quinto matureſcentibus. Spathæ uſu ſuo defunctæ breui extabeſcunt, vel ab hortulanis reſcinduntur. Floſculi (Fig. 5.) quibus ſpadix eſt conſitus, ſunt liliis conuallium minores, oblongi, tripetali, coloris pallidi in luteum palleſcentis, tribus ſtaminibus prædititi, nullis petiolis nixi, ſed herbei coloris carnoſo quo dam principio. Stamina lanuginoſa, rigida albicantia multo referta ſunt polline in luteum palleſcente, leuiſſimo, ſubtiliſſimo, qui ipſ ſeminis maſculini vice fungitur. Floſculorum uni ſpadici numeroſiſſima eſt congeries, a 12000. usque. Spadix fœmineus (Fig. 6. 12. termes eſt palmeus, ſine prodromis floribus plurimis fructibus onuſtus ad 2300. hi fructu ineunte Martio granorum piperis ſunt magni tudine & rotunditate, Aprili figuram aſſumun turbinatam (Fig. 7.) menſe Majo Ceraſorum adipiſcuntur magnitudinem (Fig. 8.) Junio in eunte oliuas exprimunt (Fig. 9.) Julio dactyli (Fig. 10.) viridiſſimus eſt nitor, figura turb nata, oſſiculum induratum, caro mollior, ſe duriuſcula, acerba. In hoc ſtatu ad plenam usque maturitatem vocantur *chalaal*, voc חול Jobi affiniſſima (ſit verbo venia). Men ſe tandem Auguſto matureſcentes (Fig. 11. *Dumpás* vocantur, & ultimam tandem matu ritatem, poſtquam in cumulos fuere congeſti nacti à Perſis *Churmá*, ab Arabibus *Tamr*, vo ce eadem cum תָּמָר in Sacris obuia, à Græci δάκτυλοι, à Dioſcoride & Galeno φοινικοβάλανο Horum oſſicula ſiſtunt Fig. 13. 14. 15.

Sub finem hujus tractationis in gratiam Palmæ & Dactylorum lubet adnectere numiſ mata aliquot.

Fig. I. eſt Hierapytnæ urbis Cretæ Inſulæ In prona ſiſtit caput turritum ac muliebre, no tum Cybeles & urbium ſymbolum. In auer ſa, præter Jouis in Creta Inſula nati & ſepult alitem, Palmam cum Dactylis, addito urbis nomine ΙΕΡΑΠΥΤΝΙΩΝ, & Prætoris aut Magi ſtratus ΙΜΕΡΑΙΟΣ.

Fig. II. eſt M. Aurelii Antonini Epheſi per cuſſus Nummus maximi moduli in Gaza Regis Galliæ obuius. Ab una parte legas ΑΥ. Μ ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. ab altera ΕΦΕϹΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑϹΙΑϹ. in area ex Palma pendet Clypeus, cu victoria inſcribit victoriam ΝΕΙΚΗ.

Tandem in TAB. DXXIV. exhibet
Fig. G. Phœnicem Chinenſium.
Fig. H. Phœnicem Japonenſium.
Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. VI. c. 5. p. 817.

Job. Cap. XXIX. verſ. 19.

Diffuſa fuit mea radix ad aquas, & ros in meſſe mea eſt moratus.

Radix mea aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione mea.

Haud ſemel, ſi benè memini, monui, in Climatibus illis calidioribus, quale Arabiæ eſt, maximo eſſe commodo flumina, riuos, fontes, iis cumprimis plantis, quæ radices ſuas latè per ſolum humidum & laxum pandunt, & vel ex hoc ſitu ſufficientiſſimum trahunt alimentum. Inde ſanè eſt, quod Jobus cum hujusmodi planta vel radice comparat felicitatem hominis: uti & Dauid Pſal. I. 3. *Erit* (pius) *veluti arbor plantata ſecus riuos aquarum, quæ fructum ſuum ſuo reddit tempore, cujus folium non defluit. (Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in*

tempore ſuo: folium ejus non defluet.) Et ite-
im fortè pientiſſimi hi Theologi φιλόσοφοι men-
ſuæ cumprimis præfigurabant Palmam ar-
orem in Orientalibus Regionibus notiſſimam,
jus folia craſſa, longa, lignum ſpongioſum,
uctus ſucci pleni præ aliis multis aqua indi-
nt, ſi non pro nutrimento, pro vehiculo
ltem. *Plin.* L. XIII. c. 4. *Palma, quæ in Ju-
ea feliciſſime prouenit, gaudet riguis, totoque
nno bibit, neque quidem contenta eſt ſolis pluuiis.*
Theophraſt. L. 2. *de plant.* c. 4. *Magis gaudet
uis ſcaturientibus, quam pluuiis.* Confirmat
em *Kæmpfer. Amœnit. Exot.* p. 677. & p. 679.
odum docet, quo Palmeta irrigare ſolent ac-
olæ. Imo verò haud ſufficeret irrigatio omnis
mperandæ ſiti, non omnis aqua pluuialis &
uialis, ni Palmis aliisque feruidorum clima-
m arboribus eſſent folia craſſa, & cortices
nſi. His ubi deficit aqua, circumfodienda
arbor, aperiendum ſolum, ut aquæ affluæ
cilitetur in poros radicum ingreſſus. *Palla-
us de Re Ruſt. Tract.* 12. *in Octobr. Palma cir-
mfodiatur aſſiduè, ut irrigatione continua æſta-
vincat ardores.* Huc fortè digitum inten-
t Hiob, cujus originalis Textus שָׁרְשִׁי פָתוּחַ
roprie ita ſonat, *radix mea eſt aperta:* ad quem
ſum finem per omnem terrarum orbem agri
indi ſolent aratro, & vineæ aperiri ligone.

Orientis plantæ ſi adeò, quod vidimus,
eceſſe habent aquæ tum vehiculum, tum refrigerium, habebunt cumprimis rorem. *Ros in meſſe mea eſt moratus*, ita Hiobus de ſtatu felicitatis ſuæ priſtino. Eſt *ros*, quod haud ſemel innui, non merus aqueus latex, non aqua ſolâ terræ mucilagine imbuta, ſed pretioſus ex ipſis plantis interdiu exhalans liquor, noctu recidens, matri ſe ipſum reddens, variis, balſamicis cumprimis partibus conſtans, in torridis climatibus ad *meſſem* usque perneceſſarius, per æſtatis decurſum nullâ vel rariſſimâ cadente pluuiâ; ſummè proficuus & ſegeti & meſſoribus, illi tumefaciendo fibras, & grana matura retinendo, ne excidant capſulis ſuis, his refrigerio, & ut rore madidos culmos majori facilitate demetere queant. Hinc mentio fit Jeſ. XVIII. 4. *nubis rorulentæ in calore meſſis. (nubes roris in die meſſis.)* Huc ſpectant præcepta rei agrariæ Scriptoribus, ſed & colonis nota. *Virgil. I. Georg.*

*Humida ſolſtitia, atque Hyemes orate ſerenas
Agricolæ.*

Colum. L. II. *Ut fœnum demetatur, antequam inareſcat, roridum adhuc, & paulò humens.* Hoc omnes noſtri ruſtici ſciunt, optimum demetendi tempus matutinum eſſe, gramine rore humectato. Et vertit Vulgata Hebræum בְּקְצִירִי non, ut nos, *in meſſe mea*, ſed, *in meſſione mea*, culmorum demeſſione.

Job. Cap. XXIX. verſ. 23.

Meque velut pluuiam expectabant, & os aperiebant ſuum velut ad pluuiam ſerotinam.

Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum.

Porrigit nobis Philoſophus noſter, dum ſublimi ſtylo priſtinam deſcribit felicitatem, meditationes tum phyſicas, tum morales. Sermones ſuos ad populum confert pluuiæ, & auditores ſitientibus plantis. Hi præſentibus adſint animis oportet, haud extra auditorium vagabundis: non dent ſemel aures vaciuas Præceptoribus ſuis, ſed quoties occaſio fert cunque; præſtolentur *pluuiam* ſub initium tractationis vel curſus primam, ſub finem *ſerotinam:* auidis excipiant ulnis non id duntaxat, quod curioſitate demulcet, ſed id cumprimis, quod utile eſt: quod non ſolùm intellectum illuminat, & cerebrum replet, ſed quod voluntatem mutat, cordis affectus corrigit: ſalutaria monita non præterlabantur auribus, ſed excipiantur attentione ſumma.

Os, inquit Hiob, *aperiebant ſuum.* Docet nos quotidiana experientia, os aperire ſuum, qui auidè ſermones alterius excipiunt, idque per purum mechaniſmum, animâ inſciâ vel & inuita: Eſt via ad aures internas duplex, per meatum auditorium una, per os altera. Ibi tranſit ſonus auriculâ externâ collectus ad tympanum, & mediante hoc plus ultra ad intima organi auditus penetralia, heîc per Ductum Fallopii ex Palato ad concham. Et inſeruit poſterior hæc via iis cumprimis ſurdaſtris, quibus prior per Meatum Auditorium eſt denegata. Imo verò datur tertia per ſolidam ipſius maxillæ ſuperioris & Cranii ſubſtantiam. Dantur Muſici ſurdaſtri, qui inſtrumenta ſua dentibus mordendo tonos adaptant; ſurdi ex accidenti, qui audiunt, ſi quis eis ſupra cerebrum loquatur, *ſurdi audientes*, de quibus tractat *Diſſ.* mea *inauguralis.*

Per מָטָר *matar, pluuiam*, intelligit Jobus *temporaneam* illam ſeu *primitiuam*, Judæis alias יוֹרֶה *joreh* & מוֹרֶה *moreh* dictam, cujus mentio fit Deut. XI. 14. Joel. II. 23. Sed מַלְקוֹשׁ *malkoſch, pluuia* eſt *ſerotina, imber ſerotinus.* Prior illa apud Joelem & Hoſ. VI. 3. vocatur גֶּשֶׁם *geſchem*, & גֶּשֶׁם מוֹרֶה *geſchem moreh*,

Jer. III. 3. רְבִיבִים *rebibim.* Verùm ad explicationem Textus noſtri Jobiani, & aliorum citatorum opus eſt diſtincto utriusque pluuiæ conceptu, quærendo non tam in Europa, quàm in Aſia. In noſtris enim climatibus dantur ſine diſcrimine & ordine pluuiæ primitiuæ, ſerotinæ, mediæ, ſed in Oriente, quò magis ad Zonam torridam appropinquans, primitiuæ inprimis, atque ſerotinæ, mediâ æſtate paucæ, vel nullæ: primitiuâ proin indigent illi tempore ſementis, ut humectentur ſatis grana, & terra ſufficienti imbuatur humore, ſed & ſerotinâ, plantis tendentibus ad maturitatem & per æſtiuorum menſium decurſum terrâ a æſtu exuccâ redditâ. Pro obtinendo hoc utri usque pluuiæ beneficio fundendæ erant pre ces. *Poſtulate à DOMINO pluuiam ſerotin tempore, edetque DOMINUS emicationes, & imbrem uberem dabit eis, cuique herbam in agro (Petite à DOMINO pluuiam in tempore ſeroti no, & DOMINUS faciet niues, & pluuiam im ~~bris~~ dabit eis, ſingulis herbam in agro.)* Zach. X. I.

TAB. DXXVI.

Job. Cap. XXX. verſ. 4.

Ac decerpſerunt maluam apud arbuſtum aliquod, eisque radix juniperorum panis fuit.

Et mandebant herbas, & arborun cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.

DUbitant, & jure, moderni, num plantæ, certis nominibus hodie cognitæ, eædem ſint, quas iisdem deſignarunt *Dioſcorides*, *Theophraſtus*, *Plinius*, alii, non obſtante quod Botanica inde à temporibus Dioſcoridis apud Græcos ſaltem & Romanos Medicos fuerit exculta. Quantò magis dubitare licet de plerorumque vegetabilium, quorum mentio fit in Sacris, vera notitia? tantò certè magis, quod vetuſtiſſimi Hebræi commentatores, qui inprimis conſulendi veniunt, Rabbini, ſint rei botanicæ ignariſſimi, aptiores conſarcinandis monſtroſis ſæpe Legendis, quàm deſcribendis corporibus naturalibus. Hujusmodi herboriſatio inſtituenda nobis occaſione Textus Jobiani, cujus fortè non alius erit ſucceſſus, quàm τὸ fortè.

Fuere, quibus derididiculo erat in cinere conſidens abjectiſſimus Jobus, fronte nunc tumentes elata, pauperitate adeò dura preſſi eo tempore, quo diuitiis, honoribus, omnibus rebus opimis abundabat vir pientiſſimus, ut vagabundi in deſerto pro cibo colligere fuerint coacti מַלּוּחַ עֲלֵי שִׂיחַ *malluach ale ſiach, malluach ſuper arbuſtum:* nobis Tigurinis *maluam apud arbuſtum aliquod, Pappelen auf der Heide.* In Talmudico Tractatu Kiddusin c. 3. f. 16. a. legimus de Tannæo Rege, quod redux ab urbe Cochalith, 60. talentorum præda onuſtus, hisce verbis adlocutus fuerit compatriotas ſuos Judæos. *Patres noſtri (præ inopia) malluchim comederunt, quo tempore laborabant in ædificatione Templi ſecundi; & nos quoque malluchim comedemus in memoriam patrum noſtrorum. Et allati ſunt malluchim ſuper menſas aureas, & comederunt.* Noſtrum nunc erit inquirere in genuinum vocis מַלּוּחַ vel מַלּוּחִים ſignificatum. Habent LXX ἅλιμα, *Symmachus* φλοιὰς φυτῶν, *Hieronymus ar borum cortices.* Eſt ex Chaldæis Interpretibus qui vocem מַלּוּחַ biſecat in מִן לוּחַ *è tabula*, quaſ Jobus diceret *è tabula cordis ſui. Abeneſra* i מִן לחים, *ex locis humidis & virentibus.* Aliu habet הוּבַאִי *hobai, ſpinas.* Multi intelligunt *ur ticam*, quia Chaldæus Paraphraſtes Zeph. II. 9 pro חָרוּל urtica habet מַלּוּחִין: ſed hæc interpretatio fidem haud inueniet, quia ipſe Jobus v. 7. meminit חָרוּל urticæ, licet & ipſa urtica egenis veniat in cibum. Gloſſa quædam Talmudis explicat noſtrum מַלּוּחַ per Syrorum *kakulin*, & R. *Solomo in Jobum*, plantam hanc מצוש, legit *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 16 צִיצִישׁ, *chiche, cicer.* Apud Syros quippe *kakul, kakuli, kakeli, ciceris* eſt ſpecies, ut fortè inde arceſſendæ ſint Latinorum, Gallorum & Germanorum nomina, *cicer, chiche, kicher.* Hujus *kakul* deſcriptio extat apud *Abuchanipham, Gais Ben Achſan, Iſaacum ben Omran,* Rabbinos alios. Hodie *kakuli* Turcis notat ſpeciem herbæ ſalſæ *iisnan*, ſeu herbæ *alcali* ſimilis, quæ pabulum Camelorum. *Meninzk. Lex.* 3590. Huc potius, quàm ad cicer, inclinat *Kimchi*, in *Libro Radicum*, malluach exponens per Arabum גַאסוּל *gaſul, lixiuium*, quod ſpecies ſit *uſnen.* Eſt autem *uſnen* lixiuium, quo utuntur fullones. Apud *Abenbitarem maluch* quibusdam eſt *atriplex marinum*, & in *Pandectario, molochia, albacharum, id eſt, atriplex.* Optimè, *Bocharto* judice, rem explicat *Abenbitar*, quod adhuc Syri *maluch* vocent *Halimum Dioſcoridis* L. I. c. 121. qui θάμνός ἐςι φραγμίτης, ὅμοιος ῥάμνῳ ὐκ ἔχων ἀκάνθας. φύλλα δὲ ἐλαία παραπλήσια, πλατύτερα μέν τοι φύεται ἐν παραθαλασσίοις καὶ φραγμοῖς.

IOB. Cap. XXX. v. 4.
Pauperiores Iro.

Buch Hiob Cap. XXX. v. 4.
Armes Bettel-Geſinde.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

αγμοῖς. λαχανέυεται δὲ ἀυτῆς τὰ φύλλα ἑψόμενα εἰς βρῶ-
, *frutex eſt ſepimentis idoneus, ſimilis rhamno*
e ſpinis, foliis oleæ, ſed latioribus. Naſcitur
ſepibus & maritimis. Folia decoquuntur cibo-
m gratia. Hodienum ſanè Turcis eſt *küsmæ-*
et, küsmelæch, müllah, Halimus, oleris ſpe-
es. *Men. Lex.* 3968. *Dioſcoridi* concors eſt
alen. de Halimo Lib. VI. *Simplic.* c. 22. Et rur-
s *Dioſcorides* L. I. *Arbuſtum, ex quo fiunt ſe-*
, rhamno ſimile, niſi quod caret ſpinis, & fo-
ſimili oleæ, ſed latiori, & creſcere ad littora
aris, & ad ſepes — cujus ſummitates come-
ntur, cum ſunt recentes, atque etiam recondun-
r, & parantur in tempus poſterum, & genera-
r in corpore utentis illis ſemen, & lac, ſapor
tem ſalſus eſt, & aliquantum ſtipticus. Auicen-
Canon. L. II. ſub titulo *Melha*, quod fabri-
tum ex *Meluba*. In *Pandectario* etiam pro
limo legas *mella, almalhe*, & *melgra*. Unde
rtè deſcendit Germanorum *melde, milde*. Le-
ca *Giggeji* & *Golii* habent *mollach*. Quæ de
מ protulimus in medium hactenus, mili-
nt cumprimis pro *halimo*, cujus folia *decer-*
erint famelici illi, quibus erat res anguſtiſſi-
a domi, *ſuper arbuſta*, ut olim *Cæſar* prope
yrrhachium, referente *Lucano* L. VI.

- - - - cernit miſerabile vulgus
In pecudum cecidiſſe cibos, & carpere dumos,
Et morſu ſpoliare nemus, &c.

umprimis verò illuſtrando Jobiano Textui in-
ruit, quod ex *Antiphane* habet *Athenæus*
. IV. c. 16.

Τῶν Πυθαγορικῶν δὲ τυχὸς ἄθλιοί τινες
Ἐν τῇ χοράδιᾳ τρώγοντες ἄλιμα, καὶ κακὰ
Τοιαῦτα συλλέγοντες. - - - -

E Pythagoricis fortè quidam pauperes
Halima exedentes, quæque talia colligunt
Inſipida terræ in hiatibus. - - -

pſi quoque LXX. habent ἄλιμα περικλῶντες, *ha-*
ma confringentes, & aliqui Codices περικυκλῶντες,
ircumeuntes, ſed omnes ἄλιμα cum ſpiritu leni,
oco ἅλιμα, cum ſpiritu aſpero. Ita quoque in
Catena Chryſoſtomus ad h. l. Ἄλιμα βοτάνη τις ἐςιν,
ς φασι, ταχὺ πληρȣ̃σα τὸν ἐσθίοντα, καὶ κόρον ἐμποιȣ̃σα.
Alima herba quædam eſt, ut ajunt, quæ citò ex-
let ea veſcentem, & ſatietatem affert. Unde
ocem hanc facilè deduxeris ab α. priuatiuo &
μὸς, fames. Nam & Ἄλιμα in Plurali dicun-
ur medicamenta illa, quæ famem ſedant, con-
ecta præprimis ex *Malua* & *Aſphodelo*; *He-*
ſiodus:

Ὀυδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ Ἀσφοδέλῳ μεγ᾽ ὄνειαρ.

uggerunt aliud inſuper pro halimo argumen-
um Zeelandi, qui *atriplicem* ſuam *ſalſam*, *Sou-*
enelle, quæ etiam ſpecies eſt *halimi*, non ſo-

lum in Medicina adhibent, ſed quoque in cibos, acetarii loco ad primam menſam, & capparum vice cum carnibus aſſis. Docet & *van der Voorm. Tract. de Atriplice ſalſo* c. 5. p. 87. modum condiendi hanc plantam ad menſæ uſum, conſimilem ei, quô muriâ condire ſolemus Braſſicam. His omnibus equidem obſtare videtur, quod halimus planta ſit in maritimis locis proueniens, Jobus verò habitauerit longè à mari in terra Chus. Sed regerere licet, nondum adeò certò conſtare, ubinam fuerit Regio illa Chus. Interpretes Græci in Idumæa collocant, vel in Idumææ & Arabiæ confiniis. Ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδȣμαίας, καὶ Ἀραβίας. *In terra quidem Auſitide habitans in Idumæa & Arabiæ finibus.* Ambæ autem hæ regiones finitimæ fuere Mari Rubro. Conſtat id ex 1. Reg. IX. 26. ubi *paraſſe* legitur *Rex Solomon naues in Ezeongæber, quæ eſt juxta Eloth ad littus maris carectoſi in terra Edom.* Præterea animaduertendum, loqui Jobum de hominibus non uno in loco fixis, ſed de vagabundis, circulatoribus, qui περικυκλῶντες vitam mendicando tranſegerant, qui *rerum inopia & fame adacti profugerunt in ſolitudinem ac locum torridum, ac nuper in egeſtate ſumma erant. (Egeſtate & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſquallentes calamitate & miſeria.)* v. 3. *Qui pulſi fuerunt è medio clamantibus aduerſus eos hominibus tanquam aduerſus furem. (Qui de conuallibus iſta rapientes, cum ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant.)* v. 5. *Qui degebant in horridis locis torrentium, & in ſpeluncis terræ ac petrarum. (In deſertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ, vel ſuper glaream.)* v. 6. Homines nauci, ne quidem anguſti cultores agelli, tam pauperes, quàm nec miſerabilis Irus, extra terram Chus ſtipem colligere coacti. Porrò obſeruare eſt, teſtibus *Dioſcoride* & *Oribaſio*, non creſcere ſemper & ſolùm halimum ἐν παραθαλασσίοις, ſed & ἐν φραγμοῖς, *in ſepibus*: apud *Heſychium* ἐν ξηροῖς τόποις, locis ſiccis, deſertis; juxta *Antiphanem* ἐν τῇ χαράδρᾳ, *in terræ ſalebris & hiatibus*: Apud *Serapionem* legas, Halimum Bagdadi, quæ Babylon eſt, remota à mari, venum portari in plateis collectum in faſciculos, exclamantibus venditoribus, *Molochia, Molochia*, voce iterum מַלּוּחַ noſtro conſimili, vel eadem: Et tradit *Bellonius* L. I. *Obſ.* c. 18. Plantam hanc *Halimacia* dictam in Creta adeò creſcere copioſè, ut inde formentur ſepes. Et L. II. c. 78. in Ægypto quoque inde conſtrui aggeres Nili & ſepes. Creſcit quoque *Halimus latifolius ſiue fruticoſus* C. B. prope Ulyſſiponem ad ripam Tagi, & Seuiliæ, Meſſinæque, in ſepibus. *Raji Hiſt. Plant.* 194. Tigurinæ noſtræ Verſiones pro מַלּוּחַ habent *maluam*, *Pappel*, ſcilicet propter affinitatem cum Græca voce Μαλάχη. De qua planta monendum, non tam eſſe alimentoſam quàm medicamentoſam, emollientem, dictam ἀπὸ τȣ̃ μαλάσσειν. *Ab emolliendo ventre dictum*

 putant

putant malachen. Plin. L. XX. c. 21. *Horat.* L. I. *Od.* 31.

- - me paſcunt Oliuæ,
Me Cichorea, leuesque maluæ.

Martialis L. III. *Epigr.* 88.

Utere lactucis, & mollibus utere maluis;
Nam faciem duram, Phœbe, cacantis habes.

Et L. X. *Epigr.* 48.

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

Sequitur ▭שֹׁרֶשׁ רְתָמִים *ſchoreſch rethamim, radix juniperorum, die Wachholter-Wurtz*, quæ etiam egenis illis circulatoribus veniſſe dicitur in cibum. An autem ▭רֹתֶם *rothem, juniperus* ſit, nobis non conſtat certius, quàm מַלּוּחַ eſſe maluam. Commentatores vetuſtiſſimi ſubſiſtunt in generalibus terminis. LXX. habent ῥίζας ξύλων, *radices lignorum, Symmachus* ῥίζας σίτων ἀγρίων, *radices frumentorum agreſtium, Auguſtinus radices herbarum.* Non ſunt inter ſeſe concordes ipſi LXX. 1. Reg. XIX. 4. ſeruant originalem vocem ▭רֹתֶם, ubi nos, ſediſſe Eliam ſub junipero. Ita quoque Pſ. CXX. 4. nobis ſunt ▭גַּחֲלֵי רְתָמִים *carbones juniperorum, Kohlen von Wachholteren.* Juniperi nomina & cognomina in Oriente aliter longè ſonant quàm vox ▭רֹתֶם, niſi huc traxeris Perſarum *râſen*, ex *Meninzk. Lex.* 2258. Nîl hactenus legi ullibi de Juniperi radice, quod in cibos venerit unquam. Fides potior adhiberi poſſet juniperi baccis, quæ Theæ vel Caffé potuum ſunt ſuccedanea Lapponibus, & etian
nonnullis apud nos. Accederem potius H
ſpanis, & commentatoribus nonnullis, præ
cipuè Rabbinis, *Geniſtam* pro ▭רֹתֶם agnoſcer
tibus, quæ Hiſpanis *Retama* audit, dummod
extarent teſtimonia de radice in cibum adhib
ta. Sanè & Turcis hodie Geniſta vocatur *re*
tem, collect. & *retemet* unitat. *Meninzk. Lex*
2281. Lappones ſi fuiſſent errones illi, ſuffra
gia darem *Pinui*, cujus arboris ſummitates 8
cortex illis ſeruiunt loco panis, ſalis & aroma
tum, teſte *Scheffero Lappon.* 247. 252. & Reſ
na Arabibus vocatur *ratineg.* Perſis *ratiban, ra*
tibane, ratibang, vocibus ▭רֹתֶם, ▭רְתָמִים aff
nibus, quas legere licet in *Meninzk. Lex.* p. 225C
2251. Niſi voces illas Orientales deriuar
malis potius à Græca ῥητίνη, reſina. Cæterùn
plura de ▭רֹתֶם vide ad 1. Reg. XIX. 4. 5.

Illuſtrando Textui inſeruiet præſens TAB
DXXVI. & in ea

A. *Halimus latifolius ſeu fruticoſus* C. B. qu
Halimus eſt Dioſcoridis & Plinii. *Halimus Clu*
ſii I. B. Hunc Tholoſates vocant *l' Herbe d*
Maclou, Maſclou, voce τῷ מַלּוּחַ affini: *Tour*
nefortio audit hæc planta *atriplex latifolia ſe*
halimus fruticoſus. Characteres atriplicis a
marginem ſiſtit Fig. B.

C. *Halimus ſeu Portulaca marina* C. B. quen
Tournefortius jungit *atriplici maritimæ anguſtiſſi*
mo folio. Moris. quò forſan pertinet *Portulac*
marina fruticoſa, quæ halimus 2. Clus. I. B.

D. *Malua vulgaris minore flore, folio ro*
tundo I. B. *Malua ſylueſtris folio rotundo* C. B
Characteres *Maluæ* vide Fig. E. Vid.
Bochart. Hieroz. P. I. L. III.
c. 16. p. 872.

RPJCB

IOB. Cap. XXX. v. 4.
Turba ἀκαληφόφαγος.

Buch Hiob Cap. XXX. v. 4.
Arme Neſſel-Schlücker u. Strauch-Die

I. G. Pintz sculp

TAB. DXXVII.

Job. Cap. XXX. verſ. 7.

: ruderent inter arbuſta velut onagri, ſeque contraherent ſub vepreto (a) aliquo.

(a) Sub paliuro.

Qui inter hujuscemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delicias computabant.

EN rurſus mendicorum, imo fortè prædonum turbam, qui quia nihil habent in proprio, pedem in ſuo ponere nequeunt, alieno victitantes, auidi inſtructi rapina, quos ex charaeribus viuis à Jobo delineatis cognoueris ci-ıs, quàm locum, in quo degunt. Latina no-a habet *ſub vepreto aliquo*, ſed in Gloſſa arginali *ſub Paliuro*. In Vernacula, nobisım diſſentientes, *Neſslen*, ſub *urtica*. Eſt po-erior hæc Verſio recepta fere fortè, quia He-æa vox חָרוּל *charul* affinis eſt Arabicæ *chor-ik*, & hæc radici Hebraicæ חָרַךְ *charak*, ure-. *Kurræis*, *kurræik* pro urtica legas in *Menzk. Lex.* 5837. Aſſenſum mereretur hæc ıterpretatio, ſi de hominibus his nauci Jobus faretur, viuere urticâ, ut ſupra v. 4. maluâ : juniperi radice, nam & hodie egenis, ſpeatim in Gallia, venit in cibum urtica. Imo erò inter delicias eam apponebant Veteres, uod ex *Chryſippo* apud *Athenæum* L. IV. colliere eſt:

Μὴ ποτ' ἐλαίαν ἔσθι' ἀπαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ.

Ne comede unquam oliuam (id eſt, opima quæue) *ſi urticam habeas hyemis tempore.*

Et *Horat. ad Iccium Epiſt.* 12.

Si fortè in medio poſitorum abſtemius herbis Viuis, & urticâ.

Sed obſtat conſideratio ſitus. Non viuunt errones hi planta, quam Jobus nominat, ſed colligunt ſe vel *contrahunt* ſub חָרוּל. Nullibi terrarum adeò altè creſcunt urticæ, ut ſub iis caſtra ponere poſſis. Saluari nihilominus poteſt urtica, ſi vocabulum בֵּין interpreteris non *ſub* ſed *inter*, quem duplicem ſignificatum habet & Germanica vox *unter*. Placent tamen magis LXX. qui habent ὑπὸ φρύγανα ἄγρια, *ſub ſarmentis agreſtibus*, Catena, *ſub ſiccis virgultis*, Vulgata, *ſub ſentibus*. Et videor mihi videre abjectos hosce & perditos conſidentes in dumetis ſub ſentibus & vepretis, vel in caſulis ex fruticibus variis conſtructis. Quod ſi juniperi fuerint, uti conjectat *Pineda in Job.* P. II. 473. *ſpinam pro folio juniperi* ex *Plinio* allegans, miſera fuit illorum conditio, & maleſana, ſi verum, quod de juniperi umbra noxia valde credidere Veteres. *Virgil. Eclog.* 10.

Juniperi grauis umbra &c.

De qua verò noxa nîl conſtat modernis. Seligendi omnino ſunt frutices editiores, iique ſpinoſi, pungentes, urentes, vel arbores ſpinoſæ. Occurrunt fortè in Linguarum Orientalium theſauris, quæ lucem accendent in obſcuro. *Char* Perſis eſt *Carduus, Rubus. Meninzk. Lex.* 1831. *Charce* Turcis nomen herbæ ſpinoſæ, quam recentem Capparis inſtar aceto condiunt, cumque eo & carnibus elixis edunt. Id. 6047. *Chari ſe peblu* iisdem nomen plantæ ſpinoſæ: alius *Chari zerd, charzerd.* l. c. *Chari Sjutur*, id eſt, ſpina camelina, Perſis & Arabibus planta bipedalis ſpinoſa, qua Camelos in deſertis ſatiant. *Kæmpfer. Amœn. Exot.* p. 725. Sed ſunt recenſitæ humiles nimis. Placet præ omnibus aliis Turcarum *Char ſipid, Chari ſipid, Leucacantha, Hagendorn. Meninzk. Lex.* 1832. Eſt hic frutex *Meſpilus Apii folio ſilueſtris ſpinoſa, ſiue Oxyacantha* C. B. *Oxyacantha vulgaris ſeu ſpinus albus* I. B. Frutex hic (Fig. A. ſed Meſpili Characteres ad marginem Fig. B.) firma eſt materia, ramis lentis operi topiario maximè idoneis brachiatus, ſpinis horrens rigidis, acutis, duriſſimis. Cortex rubet. Folia Apii ſeu Meſpili Aroniæ, guſtu viſcido. Flores odoratiſſimi confertim naſcuntur ex ſeſquiuncialibus fere pediculis, albi, pentapetali, apicibus rubentibus. Baccæ per maturitatem rubræ velut ex umbella pendent, Myrti baccis majores, umbilico nigro, pulpa glutinoſa, pauca, molli, ſubdulci, ſingulæ oſſiculum continentes unum vel duo, duriſſimæ. *Paliurum Dioſcoridis & Theophraſti*, quem Gloſſæ noſtræ Latinæ habent, ſaluare poteris, ſi cum *Ruellio* agnoſcis pro Oxyacantha, contradicente *Joh. Bauhino Hiſt. Plant.* T. I. P. II. p. 44. Et quodammodo affine eſt חָרוּל Italorum *Azarolo*, quo nomine apud Matthiolum venit

Hhh hhh hhh 2 hic

hic frutex, qui quidem apud nos ubiuis in ſepibus obuius haud ita aſſurgit, ut ſub ejus umbra conſidere poſſis, ſed paſſim alibi arboreſcit, in Burgundia ad Dubium amnem, in Ducatu Würtembergico; In Rhætia ad ripam Rheni poſterioris prope balneum Rothen-Brunn ſyluulæ formâ creſcere vidi. De Oxyacantha vide plura ad Jud. VIII. 7. 16.

In gratiam urticæ Tabulam DXXVII. ornant

Fig. A. *Urtica urens maxima* C. B.

Fig. B. *Urtica racemoſa, fruticoſa, anguſ folia, fructu tricocco. Sloane Nat. Hiſt.* of *J maic.* Vol. I. 43. II. 354. An *Urtica Braſilie ſis, Pino indigenis dicta, Raji Hiſt.* p. 159. *Urti major Indica mitior floribus pediculis longiorib donata Bob. Hiſt. Oxon.* P. III. p. 435. An *U tica major Indica tricarpos folio mucronato, Sch rigenam. H. M. Bob. Hiſt. Ox.* l. c.

Fig. C. Characteres urticæ.

Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50. p. 60 L. III. c. 16. p. 873.

Job. Cap. XXX. verſ. 17.

Noctu perforantur oſſa mea à me, nec (a) quieſcunt (vermes) digredientes à me.

(a) Et fugientes me non jacebunt. Hieron. qui me comedunt. Ebr. quidam neruos interpretantur.

Nocte os meum perforatur dolor bus: & qui me comedunt, no dormiunt.

EXpoſita occaſione Job. II. 7. 8. miſerrima patientiſſimi & pientiſſimi Philoſopho-Theologi noſtri διάθεσις, quoad corpus ſpectat, ubi & hujus noſtri Textus fuit mentio facta, ſed per tranſennam veluti.

Ad id eſt condita *nox*, ut eſſet *ſacroſanctum omnis doloris leuamen*, quod ἐπίθετον ei dat *Orpheus in hymnis*. Sed Jobo fit tortura. Nulla quies ſpiculis illis ſalinis, quibus vir DEI prouidente DEO pungi debebat & torqueri: indiuulſi ſunt ſanguinei laticis fluentis comites, imo violentius afficiunt ut plurimùm noctu, quàm interdiu: diuertuntur ſenſus tum externi, tum interni, interdiu per innumera objecta, noctu ceſſantibus illis viuida magis fit mali repræſentatio, ſed quoque promptior eſt ſanguinis circulus, impetus ſpiculorum ſalinorum fortior, ut anſam habuerit omnino vir afflictiſſimus conquerendi de doloribus ὀστεοκόποις, ad intimas medullas usque penetrantiſſimis. *Noctu*, inquit, *perforantur oſſa mea à me*: LXX. τὰ ὀστᾶ συγκέχυται, *oſſa confuſa ſunt*, alii συγκέκαυται, *combuſta ſunt*, Auguſtinus, *confracta*, Nicetas, *exuſta vi irruentium cruciatuum*. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ ſciendum, hujusmodi dolores ὀστεοκόπους non tam ex corroſa oſſium, ut in carie & ſpina ventoſa, ſubſtantia, verùm adeò eſſe mirum in modum ſenſibiles, quia perioſtium, aliasue partes membranoſo-nerueas, præcipuè circa articulorum juncturas, afficiunt. Oſſibus quippe non competit niſi obtuſus dolor. Interim vetus eſt hæc loquendi formula, & longo uſu recepta. Querulantem audi Ezechiam Jeſ. XXXVIII. 13. *Supputabam usque ad auroram, ut Leo contriuit omnia oſſa mea, à prima luce in noctem conficies me. (Sperabam usque ad mane, quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea: de mane usque ad veſperam finies me.)* Dauidem Pſ. VI. 3. *Contremefacta ſunt oſſa mea.* Pſ. XXXII. 3. XXXI. 11. *Omnia oſſa mea contabuerunt. (Inueterau runt oſſa mea.)* XXII. 15. *Diſſociantur omnia o ſa mea.* Quæ omnes loquendi formulæ no tam intelligendæ veniunt de ipſa oſſium ſu ſtantia, quàm de totius corporis ſyſtemate; d tota ſanguinis maſſa, de omnibus corporis tu bulis, imò metaphoricè de intimis animæ ipſiu medullis. Hinc eſt, quod DEUS pectora ho minum lætitia impleturus, & *ſaturam redditu rus in ſiccitatibus animam*, promittat ſe *oſſa ſa ginaturum*, Jeſ. LVIII. 11. *cuſtoditurum omni oſſa, ut ne unum ex eis confringatur*, Pſ. XXXIV. 21 *Facturum, ut audiant lætitiam & gaudium, exul tent, quæ contriuerat, oſſa. (Auditui meo dabi gaudium & lætitiam; & exultabunt oſſa humilia ta.)* Pſ. LI. 10.

Altera, quâ utitur Jobus, phraſis, עֹרְקַי לֹא יִשְׁכָּבוּן ad literam ſignificat, *venæ meæ non con ſident.* Sumus nos Tigurini inter nos diſcordes Latina, in Textu, *nec quieſcunt (vermes) digre dientes à me*, in Gloſſa, *fugientes me non jacebunt* Vernacula, *meine Nerven ſchlaffen nimmer.* Latinæ noſtræ concordat Vulgata, *qui me comedunt, non dormiunt*, & Interpretes plerique Latini, digito veluti monſtrantes vermes, qui Jobum lancinabant diu noctuque. Vernacula ſequitur LXX. qui habent νεῦρα διαλελυμένα, *neruos diſſolutos*, vel melius forſitan, continuam neruorum à ſpiculis ſalinis, acribus, vellicationem. Haud incongrua eſt Rabbinorum & Chaldæorum interpretatio de arteriis, ab æſtu febrili diſtentis, fortiter & celeriter pulſantibus. Ita R. *Dauid* & *Mardochai. Sunt venæ pulſatiles, quia* עָרַק *ſignificat fugere & ſequi*, & עֶרֶק *vena, in qua pulſus agitatur.* Exprimit ſanè perbellè hic ſignificatus arterias pulſantes, pulſus citiſſimè ſequentes & fugientes, etiam in ſanitatis ſtatu, quo 60. numeramus minuti ſpatio, duplum, 120. in febre ardenti.

Job.

Job. Cap. XXX. verſ. 18.

eſtimentum meum vi malorum faciem meam mutauit, quæ velut capitium togæ meæ cingunt me.

In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me.

EXprimit ſeſe Hiobus in terminis generalibus בְּרָב־כֹּחַ *in multitudine potentiæ*, ſed deſcendunt Interpretes, quiuis conformiter ſyſtemati ſuo, ad ſpecia-
ı. Reſtrictior equidem Tigurina, quæ πολλῇ
ῦι τῶν LXX. ſiue *multitudini potentiæ* jungit
ıala, *vi malorum*, ita & Vernacula noſtra,
ırch den groſſen Gewalt meines Jammers, ut
ɔs dicere ſolemus, *ich weiß vor Jammer, vor*
oſſem Jammer weder aus noch an, quò me ver-
m præ dolore, neſcio. Sed Vulgata exegeſin
ræcedentis verſiculi ſecuta numerum & vim
ermibus applicat, *in multitudine eorum*; id eſt,
deò ſcateo σκωληκόβρωτος ego vermibus, adeò
ɔpioſi pullulant ex ipſis ulceribus & pure ver-
ıes, ut hi & veſtimenta mea corrodant & cu-
m ipſam. *Philippus: Scatentium vermium*
ultitudo ſemper commouens, & per diuerſos vul-
erum ſinus diſcurrens, veſtem quoque meam,
um per ſe repere non ceſſat, attriuit. Forſan &
ıdicare vult noſter *Phthiriaſin*, quoniam pedi-
uli commodiſſimè hoſpitantur in arroſis vel
orroſione putrefactis veſtibus, imo *velut ca-*
itium togæ hominem *cingunt*. Sed melius forſitan phraſis hæc כְּפִי כֻתָּנְתִּי יַאַזְרֵנִי, *ſicut os tunicæ meæ cinxit me*, explicatur ita, ut anguſtatæ Jobo ſeu ſtrictiores redditæ fuerint veſtes. Notum quippe, ſcabiei ſeſe adſociare perſæpe intumeſcentiam cutis, & cachexiam, materia ſalsâ, craſsâ, viſcidâ, obſtruente extremos tubulos, unde lymphaticæ inflammationes, & habitus totius tumores. Collimat huc quoque *Pineda in Job.* P. II. 482. Alii intelligunt colli & faucium anguſtationem ex *Angina. Nicetas: Translata uſus eſt oratione: nam qui periſtomio cujuſpiam collum conſtringunt, ſuffocant illum, & ſtrangulant: dicit igitur, qui me arctius complexus eſt, perinde me comprimit & ſtrangulat, ſicut cum anguſta ora veſtis jugulum adſtringit, premitque vehementius.* Eſt hic morbus adeò acutus, & peracutus, ut aliquando breui ſtrangulet, & paucis horis vitæ abſcindat filum. Multa, ut ſolent, de hoc morbo ſomniant Rabbini, tanquam nouo, quo morte repentina occubuerint ægri *ſternutando*, indeque deriuant ſternutantibus *ſalutem* acclamandi conſuetudinem: & hoc ipſo morbo ſtrangulatum fuiſſe Ahitophelem.

Job. Cap. XXX. verſ. 27.

Inteſtina mea efferbuerunt, & non quieuerunt, neque (a) apprehenderunt calamitoſa tempora.

(a) Anteuertunt me dies afflictionis meæ.

Interiora mea efferbuerunt abſque ulla requie, præuenerunt me dies afflictionis.

V*Iſcera mea*, מֵעַי, ἡ κοιλία μου, omnes partes internæ nobiliores, vitales, in thorace atque abdomine contentæ, cor, pulmones, hepar, ventriculus, inteſtina, torrentur febrili æſtu. Ita Thren. I. 20. *Viſcera mea* מֵעַי *contracta ſunt, atque ſubuerſum eſt cor meum intra me. (Conturbatus eſt venter meus: ſubuerſum eſt cor meum in memetipſa.)* Unde conſtat, titulo viſcerum intellexiſſe Jobum cumprimis præcordia, cor atque pulmones.

Job. Cap. XXX. verſ. 28. 30.

28. Lugubri habitu inceſſi, ut Solem non ſentiens. —
30. Cutis mea in me denigrata eſt, & oſſa mea præ ſiccitate exaruerunt.

28. Mœrens incedebam, ſine furo re. —
30. Cutis mea denigrata eſt ſuper me & oſſa mea aruerunt præ cau mate.

NIgrorem induere poteſt homo ex variis cauſis. 1. ex triſtitia & dolore; Exemplo ſint Hypochondriaci & Melancholici, nigricante plerunque habitu præditi: inde eſt, quod Veteres cauſis morborum adſcripſerint atram bilem, quam conuertunt moderni in ſanguinem tenacem, viſcidum, craſſum, tardi motus, qui in extremis tubulis veluti coagulatus hæret, & tralucidæ cuti nigrorem quendam impertit: Hinc ater color omni tempore fuit triſtitiæ ſymbolum: hoc ipſo ſenſu inquit Jobus קֹדֵר הִלַּכְתִּי בְּלֹא חַמָּה *pullatus ambulaui absque Sole*; quæ verba nonnullis ſignificant lugubrem corporis habitum, vel & veſtes lugubres; Sic Latina noſtra, *lugubri habitu inceſſi, ut Solem non ſentiens:* moralizante Vulgatâ, *mœrens inceſſi ſine furore.* Subordinata hæc ſimul co ſiſtere queunt, animus triſtitiâ correptus, tr ſtis faciei adſpectus, lugubris habitus.

2. Reddi homo poteſt קֹדֵר *koder*, niger, Sole, ut Æthiopes, aliique Populi Africæ, i primis ſub Zona torrida habitantes, de quibu alibi commodior dabitur anſa loquendi, Jobu enim noſter קֹדֵר *non à Sole.*

3. A cauſis morborum internis. Jobus i Textu noſtro: *Cutis mea in me denigrata eſt,* & *oſſa mea præ ſiccitate exaruerunt.* Scatebat opt mus vir ulceribus κακοήθεσι, urentibus, à mat ria ſalſa, acri ortis, glandulas cutis corrode tibus, unde factum, ut radii lucis à cute alba nitidâ, copioſè reflecti ſoliti, fuerint abſorpt id quod obſeruare licet in ſcabie maligna, Alph nigra. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 48. p. 53

TAB. DXXVIII.

Job. Cap. XXX. verſ. 29.

Fuique frater draconum, & ſocius ſtruthionum.

Frater fui draconum, & ſocius ſtru thionum.

SIſtunt ſeſe heîc veluti in lugubri ſcena duo animalia, quæ clamore lugubri triſtem affictiſſimi Jobi ſtatum exprimunt, ſymbolicè ſaltem.

תַּנִּין *thannin*, *draconem* notat & *cetum*, qui ipſe haberi poteſt pro dracone marino vaſtiſſimæ molis; aliquando & in genere ſumitur pro *ſerpente.* Sic verſus *Aharonis baculus in ſerpentem*, לְתַנִּין. Exod. VII. 9. 10. Vox hæc Arabibus, Syris, Judæis, communiter ſignificat dracones, id eſt, ſerpentes ex maximis. Hinc Græcorum Prouerbium: Ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, Δράκων ἐ γεννήσεται. *Serpens niſi deuorauerit alium ſerpentem, non generabitur draco.* De magnitudine autem draconum ſi conſulamus Scriptores priſci & medii æui, magnas offendimus Lugendas, mira, incredibilia, ἀσύςατα prorſus. *Plinius* ex *Juba* L. VIII. c. 13. Dracones memorat 20. cubitorum, qui degant apud Æthiopes Aſachæos. Aſcendunt *Aetius* & *Auicenna* à cubitis 5. ad 30. Sunt Phrygi dracones apud *Ælianum Hiſt.* L. VII. c. 2 Orgyjarum 10. ſiue 30. cubitorum juxta *H ſychium* & *Euſtathium.* Ita & deſcribit τὲς ὄφε τὲς μεγαλαύνας Epidauri *Pauſanias* in *Corinthiacis* Indicos dracones τριακοντάπηχυ μῆκος *Philoſtra* L. III. c. 2. cujusdem longitudinis fuiſſe dicitu Ægyptius ille draco viuus Alexandriam allatu ad *Ptolomæum Philadelphum*, imo τριακονταπεντα πηχυς ex relatione *Tzetzis Chiliad.* III. *Hiſt.* 11 Sunt τριακονταπήχυες obuii apud *Agatharchide* L. V. c. 4. *Strab.* L. XVI. *Ælianum* in *Peripl Maris Rubri* L. XVII. c. 1. ubi Alexander dra conem vidiſſe legitur 40. cubitos longum. Su git *Philoſtorgius* L. III. c. 11. ad 45. cubitos *Suetonius* c. 43. ad 50. *Dio* L. I. bicipitem He truriæ draconem memorat 85. pedum. *Strab* L. XVI. ἑκατονταπήχυα, πλεθριαῖον, viſum in Cam po Macra Cœleſyriæ, ejus craſſitiei, quæ Equi tis ſuperauerit altitudinem, rictus tam ampli qu

IOB. Cap. XXX. v. 29.
Ἀνθρωποφεομαχία.

Buch Hiob Cap. XXX. v. 29.
Menſchen = und Schlangen = Kampf.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

Equitem admiſerit, ſquamis clypeiformi-
. Quid dicamus de dracone illo 120. pe-
longo, deuicto ab integro exercitu prope
cam ad Bagradam Fluuium, cujus pellis &
ndibula Romæ in Templo fuere ad Numan-
ım usque bellum ſuſpenſa, de quo *Tubero*
ıd *Gellium* L. VI. c. 3. *Liv.* apud *Valerium*
. *Plin.* L. VIII. c. 14. *Oroſ.* L. IV. c. 8. Ma-
es recenſitis hactenus ſunt Indici atque Æ-
opici, qui orgyjas habent 30. id eſt, pedes
5. apud *Ælianum Hiſt.* L. II. c. 21. Centum
yjas apud *Diodorum* L. III. ſuperantes fidem
ius Hiſtorici. Indici meminit *Ælian.* L. XV.
21. cubitorum 70. qui ſolo ſibilo terrorem
ufferit exercitui Alexandri, ab Indis in an-
quodam in maxima habitus veneratione.
ud eundem *Ælianum* L. XVI. c. 39. *Oneſi-*
to teſte, legitur *Apoſiſar* Indus binos enutri-
ſe dracones, unum 80. alterum 140. cubi-
um. Nihili hæc, quæ hactenus, æſtiman-
, ſi conferas cum dracone illo πενταπλέθρῳ,
0. pedum, quem Toxiles Alexandro mon-
aſſe dicitur, apud *Maximum Tyrium Serm.* 38.
hæc nihil collata cum Arabum commentis.
ie Araber können noch beſſer fliegen ohne f.
amir, Scriptor Arabs, ipſe αὐτόπτης draconem
ſcribit 2. paraſangas, id eſt, 8000. paſſus lon-
ım, ſquammatum, capite humano.

Qui exiguam interioris Africæ atque Indiæ
otitiam, quam Veteres habuere, animo per-
endit attento, ei haud difficile fit, fontes de-
gere mendaciorum adeò monſtroſorum, quæ
rca ſerpentum ſeu draconum magnitudinem
arſere illi per orbem. Quicquid de intera-
is illarum regionum nouerant, habuere per
fidas relationes. Habent fabulæ de rebus
iris ἑλκυστικόν τι, ut faciles iis præbeamus aſſen-
ım, & tranſit ipſa veritas ſæpe mille abhinc
aſſibus in mendacium. Exemplo poterunt
ſſe vel ipſi Dracones Heluetici, plerique ſanè,
non omnes, incertâ falsâue traditione, vel
erterritâ imaginatione nixi. Et tamen citius
xcuſſeris ex ſilice aurum, quàm ex mentibus
oſtratium eradicaueris inueterata de exiſten-
ia draconum præjudicia. Corrigendi ſunt
criptores veteres ad obſeruationum moder-
iarum amuſſim. Maximi, qui quidem hacte-
ius ſunt noti, ſerpentes, & Europæis non mi-
ius quàm Indis in cibum veniunt, eumque de-
itioſum, ab 18. pedibus ſurgunt ad 24, Bra-
ilienſibus *Boiguacu* dicti apud *Marcgrauium*,
Jiboya Piſoni, *Cobra de Veado* Luſitanis. De-
glutiunt hi, vel lingendo ſenſim abſorbent ho-
mines integros, & capreas, imò proſtat in
Eph. Germ. Ann. XII. *Obſ.* 7. Uri exemplum
ab hujuſmodi beſtia abſorpti. Vid. *Raji Synopſ.*
Anim. Quadrup. p. 325.

De draconum figura haud variant minùs portentoſæ relationes, quàm de magnitudine: Sunt, qui iis affingunt pedes, alas, criſtas. Scilicet facile eſt, ut inuentis, ita & erroribus atque mendaciis aliquid addere. Videſis, quos in *Itineribus* meis *Alpinis* deſcripſi, imo & depingi juſſi, ſed caue, ne ſubſcribas relationibus infidis. Superſedeo draconum pedatorum, alatorum, criſtatorum hiſtoriis, quas enumerare nimis foret longum. Id annotaſſe ſufficiat, Scriptoribus probatiſſimis veteribus non aliter innotuiſſe dracones, quàm ſub idea ſerpentum prægrandium, eorumque nec pedatorum, nec alatorum. *Auguſtinus* L. III. *de Geneſi* c. 9. *Dracones ſine pedibus & in ſpeluncis requieſcere, & in aërem ſuſtolli perhibentur. Lucanus:*

Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones.

De Criſtis *Plinius* L. VIII. c. 13. *Id modò mirum, unde criſtatos dracones Juba crediderit.* Et L. XI. c. 37. *Draconum criſtas qui viderit, non reperitur.* Sed ne quid nimis, Plini. Serpentis criſtati obuium eſt exemplum omni conteſtatione majus, dignum, cui tum propter raritatem ſuam, tum propter certitudinem locus concedatur inter Tabulas noſtras, locus in Textus Jobiani explicatione. Transſcripſi non fabulam, ſed certiſſimam raramque ſimul hiſtoriam, fide nixam non ſolùm ampliſſimi actoris, qui certamen ſatis dubium ſuſtinuit, viuus adhuc per DEI gratiam, ſed multorum aliorum, ἀνθρωποφεομαχίας titulo inter *Otiorum Æſtiualium* Anni 1729. παραλειπόμενα, Illuſtri Viro, Dn. *Hans Sloane*, Sereniſſimi Angliæ Regis Proto Medico, & Societatis Regiæ Anglicæ Collegiique Medicorum Regii digniſſimo Præſidi, transſcriptam.

Accidit menſe Majo A. 1720. ut Nobiliſſimus Dn. *Hirzelius*, Præfectus tunc Grypheanus, bono manè Greiffenſeâ per pedes properaturus ad Pontem, qui Glattæ Fluuii littora jungit, juſſu Superiorum tunc reſtaurandum, Greiffenſeam inter & Schwertzenbach, in foſſa ſicca obſeruans ſuſurrum, judicium, ſed præceps, ferens de lepuſculis inter frondes & folia ſicca latitantibus, canem venaticum, quem ſecum ducebat, inuitauerit ad inſectandam prædam. Cane haud obſequente mandatis Domini, imo renitente, aliàs ad proſequendos lepores promptiſſimo, ipſe viator baculo frondes foliaque disgregat. Sed en! proſilit *anguis latens in herba* cum impetu, ſtrepitu, & ſibilo, aggreditur virum optimum, aſſurgens juxta veſtium ductum, ambiens colli poſtica, integrum cincturus, hominemque ſtrangulaturus: fugam capeſſit illicò fidus aliàs comes, leporarius canis, lepore quouis timidior, deſerit Dominum & caſtra, pleniſque ſaltibus redit ad arcem. Extremas intendit vires μονόμαχος collum ab hoſte liberaturus, rictu dentato aperto, & linguâ vibratâ, omnia mala minante, victor tandem beſtiam ſubjicit pedibus, cultro terræ affigit, per cutim duram valde in viſcera adacto, neque id absque difficultate:

cultate: linquit in hoc ſtatu tanquam deuictam, cultroque hærentem, viam ſuam proſecuturus. Duodecim circiter paſſus progreſſus obſeruat anguem in ſpiras ſeſe voluentem, exſilientem per 6. circiter pedes in altum, excutientem cultrum, non cogitans fortè de nouo, cui expoſitus eſſet, periculo. Aggreditur hoſtis, ſaltibus aliquot factis, de nouo victorem, gyro quadruplici cingit, & arctiſſimè crus ſiniſtrum, capite ſurſum erecto, & linguâ anchoræ inſtar furcata motitante. Percutit Præfectus argenteo baculi manubrio hoſtem tamdiu, ut laſſum tandem & mortuum, vel quaſi, euoluere potuerit, ſeſeque iterum liberare. Sentit mox in crure ab angue arctato dolores, & intumeſcentiam: mortuam, ut ſibi videbatur, beſtiam arripit manibus, ad ipſam arcem, ſedem ſuam, reportat, atque in victoriæ ſignum veluti Trophæo erecto ſuſpendit. Ex pugna laſſus, crure æger, in lectum ſe confert, & ad ſudorem, qui copioſus jam ante manare cœperat, ſe iterum diſponit. Bihorio elapſo, adferuntur noua de noua beſtiæ euaſione. Accurrit iterum victor aduerſarium quæſiturus, eum ſub ſtrue lignorum latentem protrahit, defatigatum denuò ſuſpendio punit, ſuſpenſumque linquit, qui ſerâ veſperâ horam inter 8. & 9. ſanguinem ore & vulnere euomens vitæ ſubiit ultima fata. Colore fuit hic ſerpens obſcurè viridi, maculis nigris picto, pedes $5\frac{1}{2}$. Tigurinos (qui æquiualent $5'.\ 1''.\ 5'''$. Pariſinis) longus, in proportione ad longitudinem craſſus; ſed id inprimis ſingulare, quod criſtam geſſerit in capite, attactu duriuſculam, ut dimicantem pupugerit, pennæ ad inſtar ex ſcapo conſtantem, & filamentis lateralibus: Scapus medius niger, fibræ laterales albouirides, fimbriâ nigrâ marginatæ, ut ſunt ſæpe auium plumæ. Hujuſmodi cornicula fuere tria, anterius maximum, reliqua duo gradatim minora. Hanc triplicem criſtam erexit irata, depreſſit fatigata. Commemorandæ inſuper veniunt duæ paruæ pinnulæ ſub initium colli ex quouis latere una. Caput, cujus lineamenta ipſe mihi depinxit victor, exhibet Fig. A. & cornicula majori aliquantùm modulo Fig. B. De nomine, quod conueniat huic beſtiæ, anceps hæreo: *Acontiæ* ſeu *Jaculi* occurrit omnium primum, quod jaculi ad inſtar ſeſe vibret. *Ceraſtæ* epitheton merentur cornicula criſtam efformantia. *Cherſydri*, quod ſynonymon etiam eſt Acontiæ, vel & *Hydri* cognomen, quod in ſicco degat & humido. Locus pugnæ, *le champ de bataille*, à Lacu Grypheano vix 10. paſſibus diſtat, & videntur pinnulæ inſeruire natatui, niſi malis vibrationi ſaltatoriæ. Seligat quisque, quod volet. In Ceraſten quadrat locus *Plinii* L. VIII. c. 23. *Ceraſtis corpore eminere cornicula ſæpe quadrigemina* (heic trigemina) *quorum motu reliquo corpore occultato ſollicitat ad ſe aues.* In *Acontiam*, quod ſcribit *Ælianus Hiſt. Anim.* L. VIII. c. 13. In Collectaneis *Hiſtoriæ* meæ *Naturalis Heluе-ticæ* circumſpicienti occurrit ſimilis fere hiſtoria, quam memoriæ reliquit *Conr. Geſsneru[s]* *Lib. de Aquatilib.* p. 528. Sed deeſt ſerpenti ipſius deſcriptio.

Redeo, digreſſione facta, ad dracones. Dubia retuli circa pedatos, & criſtatos, major[a] premunt alatos. Fidem ſuperat, poſſe tanta[e] molis, tantique ponderis machinam alarum beneficio ſuſtolli. Sed demonſtrare facile fo[-] ret, ſi in auia excurrere liceret, deriuandam eſ[-] ſe traditionem de draconibus alatis à Poëtis & Mythologis, quibus

Quidlibet audendi (monſtroſa quæque fin-gendi) *ſemper fuit æqua poteſtas.*

Silentio præteriri non debet vis non ſolùm aë-ris, ſed & auium præteruolantium abſorptiua[.] *Mela* L. I. c. 19. *Circa (Rhyndacum) angues na-ſcuntur immanes, neque ob magnitudinem modò ſed ob id etiam mirabiles, quod ubi in alueum ejus æſtus ſolemque fugerunt, emergunt, atque hiant ſuperuolantesque aues, quamuis altè & perniciter volantes, abſorbent.* Quod idem memorant *Plinius* L. VIII. c. 14. ex *Metrodoro*, *Ælian.* L. II. c. 21. *Phile* c. 59. Judæis priſcis hæc fuit fabulæ interpretatio myſtica, quod animalia hæc rictu faucium aperto, veluti gemebunda, miſerum ſuæ vitæ triſtis, deſertæ, famelicæ deplorent ſtatum. Et huc fortè alludere Jobum noſtrum, quando *fratrem* ſe dicit *draconum:* Micheam I. 8. *Hanc ob cauſam plangam & ululabo, incedam lacerus & nudus, edamque planctum ut dracones, & luctum ut juuenes ſtruthiones.* Sed magis ad rem noſtram facit, quod memorant Scriptores de miſerabili draconum ſibilo, qualis terrori fuiſſe dicitur toti exercitui Alexandri M. Συριγμὸν μὲν ἐν ἀφῆκε μέγιστον, καὶ φύσημα, ὡς ἐκπλῆξαι τε πάντας, καὶ ἐκταρᾶξαι. *Ælian.* L. XV. c. 21. de Dracone Indico. Et L. XVI. c. 39. de Dracone omnibus Inſulæ Chio Incolis terrifico: Δράκοντα μεγέθει μέγιστον, ὅπερ ἐν καὶ τὸν συριγμὸν ἐπιπεφρίκασιν οἱ τὴν Χίον κατοικοῦντες. Quid quod ipſa vox תַּנִּין *thannin* deriuatur à תַּנְיוֹת, θρηνεῖν, *plangere, gemere*, quod vocabulum extat Jud. XI. 40. De hac voce notandum porrò, ſupereſſe adhuc in Oriente; prægrandem ſerpentem Turcæ nominant *tinnin*, *zenebi tinnin. Meninzk. Lex.* p. 1443. In gratiam *Ceraſtæ* noſtri Heluetici, de quo ſupra, nummum ſiſtit rariſſimum Fig. C. in quo ſignatus draco criſtatus (tribus corniculis noſtro ſimilibus) cum Caduceo & Spica, cujus ectypum à *Patino* obtinuit Ill. *Spanhem. Diſſ. de Præſt. Numiſm.* p. 264. Sic & *Baſiliſco* attribuit *Galenus Lib. de Ther. ad Piſonem* p. 460. ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τρεῖς ὑπεροχάς. Fig. D. unicam habet, ſeu carunculam, ſeu criſtam, in Nummo Urbis *Pautaliæ* in Thracia, παυταλίας, quæ corruptè apud *Stephanum* παιταλία & παυταλία legitur. *Spanh. Lib. cit.* p. 184. Omitto dracones in Ægyptiorum Nummis

Loto

ıto coronatos, ſed ex *Procilia* gente ſiſto
;. E. Numiſma, in quo ab una parte videre
et caput Junonis Soſpitæ pelle caprina te-
ım S. C. ex altera eandem in bigis, pelle et-
n caprina amictam, quæ dextra haſtam vi-
at, ſiniſtra ſcutum tenet; ante bigas Serpen-
n Lanuuinum in gyros circumuolutum, in
æ tutelam, qui etiam ex Ceraſtarum gene-
eſſe videtur. L. PROCILI. F. *Vaillant. Nu-
ſm. Famil.* P. II. p. 317.

Pergo, Textu duce, ad בְּנוֹת יַעֲנָה *benoth
ınab, filias clamoris*. Occurrit בַּת יַעֲנָה *bath
ınab* paſſim in Scriptis Propheticis, & in Ti-
ırinis noſtris Verſionibus vertitur communi-
r per *ſtruthiones*, imo *juuenes ſtruthiones* Jer.
.39. *Habitabunt in ea Zijm cum Jim, & habi-
bunt in ea juuenes ſtruthiones. (Habitabunt dra-
nes cum fatuis ſicariis; & habitabunt in ea
ıuthiones.* Jeſ. XIII. 21. *Habitabunt ibi juue-
's ſtruthiones.* Jeſ. XXXIV. 13. *Erit habitacu-
m draconum, & atrium pullorum ſtruthionum.
Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.)*
ſ. XLIII. 20. *Gloriam meam prædicabunt agre-
es beſtiæ, dracones, & pulli ſtruthionum. (Glo-
ficabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones.)*
ſt auis hæc, qualis ſit cunque, θρηνητική, la-
ıentis omnia implens, immiſericors. Poſte-
or hæc proprietas conſtat ex Thren. IV. 3.
*)racones nudata mamma catulos ſuos lactant, fi-
a verò populi mei crudelis, ut ſtruthiones in de-
rto. (Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt
atulos ſuos; filia populi mei crudelis, quaſi ſtru-
ıio in deſerto.)* Prior ex noſtro Textu; & cla-
ius adhuc ex Mich. I. 8. *Plangam & ululabo,
ıcedam lacerus & nudus, edamque planctum ut
racones, & luctum ut juuenes ſtruthiones.* Ha-
ıent LXX. in Michea, Jeremia & Jeſ. XIII. 21.
Σειρῆνας, *Sirenes*, auium genus ad mare nidulans,
ugubri cantu nidos pulloſque ſibi à fluctibus
naris abreptos plangens. Rabbinis pleriſque
placet Γλαῦξ, *noctua, ulula. Cyrillo* ad Mich. I. 8.
Ἀηδὼν, *luſcinia. Chryſoſtomo in Job.* l. c. Ἀλκυὼν,
Iſpida. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ notandum, commuta-
i facilè has voces ἀλκυὼν & ἀηδὼν, & huc pror-
ıs non quadrare luſciniam, ſed quidem ἀλκυό-
ια, cujus cantus triſtis, ſed ſuauiſſimi ſoni.
Unde *Chæremon* in *Luciani Alcyone* exclamat.
Ὡς ἡδεῖα ταῖς ἀκοαῖς! Et *Oppianus*, dulcedine vo-
cis eminere hanc auem omnibus aliis, quas, ſi
ſuauiſſimè canant, cum Alcyone comparat
Tymnæus Antholog. L. III. c. 24.

Ὄρνεον ὦ χάρισιν μεμελημένον, ὦ παρόμοιον
Ἀλκυόσιν τὸν σὸν φθόγγον ἰσωσάμενον.

Triſtem θρηνήσεως anſam memorat *Valerius Flac-
cus* L. IV. Argonautικῶν.

*Fluctus ab undiſoni ceu forte crepidine ſaxi
Cùm rapit Alcyonis miſeræ fœtumque, laremque,
It ſuper ægra parens, queriturque tumentibus
undis.*

Similia legas apud veteres Scholiaſtes in *Homeri Iliada, Ariſtophanem in auibus, Theocritum Idyll. 7. Etymologum* in Ἀλκυὼν, *Phauorinum* in εὐνηνήνη, alios tum Græcos, tum Latinos. Suppeditat vel ſolus *Lucianus* in *Alcyone* teſtimonia triſtiſſimi planctus. Θαλαττία τις ὄρνις ἀλκυὼν ὀνομαζομένη, πολύθρηνος καὶ πολύδακρυς. *Marina quædam auis Alcyon dicta, valde luctuoſa & lacrymoſa.* Γοώδη γοῦν ὡς ἀληθῶς τὸν ἦχον ἀφίησι τὸ ζῶον. *Lugubrem profectò ſonum emittit illud animal.* Ὦ ὄρνι θρήνων μελῳδὲ! *O auis lamentationum modulatrix!* Sunt ipſæ hæ fictiones Poëticæ in cauſa, quod ex Veteribus plurimi per בַּת יַעֲנָה intellexerint ipſam hanc Alcyona auem, ſed minus adæquatè, quia *bath jaanah* non eſt auis maritima, ſed in deſertis à mari remotis, circa Babylonem & Bozram Idumææ habitans, quod conſtat ex Jer. L. 39. Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. Sed quoque crudelitatis notâ infamis eſt *bath jaanah*, quam exerceat erga pullos. Thren. IV. 3. Sed Alcyon, *Plutarcho* teſte, φιλοστοργίᾳ, ſuperat hirundines ipſas atque columbas, τῷ φιλοτέκνῳ χελιδόνας, καὶ τῷ φιλαίδρῳ πελειάδας. Ipſi Judæi veteres, quod ſupra jam innui, & ex *Chryſoſtomo* atque *Cyrillo* conſtat, per *bath jaanah* intellexerunt *noctuam*, τὴν Γλαῦκα. Collimant ex recentioribus *Pagninus, Arias, Junius & Tremellius, Schindler, Buxtorff*, cumprimis *Fuller Miſcell.* L. VI. c. 7. *Ejusmodi alitis genus, quod &* θρηνητικὸν *ſit &* φιλέρημον *rectè, opinor, Tremellius ululam vertit, quam Græci (ut & Latini) à mœſto velut ululatu* ὀλολυγόνα *appellant. Eodem quoque modo à* עָנָה *à clamando ſiue reſonnando* יַעֲנָה *nuncuparunt, propter vocem ſcilicet ſonoram, præſertim noctis ſilentio, & ſæpius ingeminatam. Niſi malimus, quod potius credo, ululæ quandam ſpeciem eſſe, quam ſtrigem vocarunt. Etenim ſtrix* ὀλολυγὼν *redditur Græce in Gloſſario antiquo. Eam vero* ἐρημώνην *ſeu ſolitudinis amantem nominat Aratus, ejuſque voces triſtes ac ferales ſemper fuiſſe exiſtimatas conſtat.* Adde, etiam Germanis ululam audire *Eüle*, nobis Helvetis *Heüel, vom heülen*, ab ululando. Sed ſunt communiter hujuſmodi argumentationes, ex Etymologiæ fontibus depromtæ, exigui ponderis. Vetuſtiſſimi tandem interpretes, & ex his LXX. ſuffragium dant *Struthioni*, quem vocant Στρουθὸν, Στρουθίον, quæ equidem vocabula etiam *Paſſerem* deſignant, ſed heic Στρουθοκάμηλον, *Struthiocamelum*, auium maximam. Ita ſanè *Chryſoſtomus in Jobum, Euſebius, Baſilius, Hieronymus, Theodoretus, Procopius in Eſaiam, Olympiodorus in Jeremiam, Suidas in* Σειρῆνας, *Aquila, Symmachus, Theodotion, Vulgata, Tigurina.* Ex veteribus ſolus eſt *Nouatianus Lib. de Cibis Judaicis* c. 3. ut ex modernis *Fullerus*, qui pro *Paſſere* militant. Stant & pro Struthione *Chaldæi, Syri, Arabes*, ex Judæis *Maimonides Tr. de cibis vetitis.* c. 3. *Gloſſatores Talmudis, Abr. Peritſol, Chazkuni in Leuiticum, Dauid de Pomis in Lexico.* Longum nimis foret, ſi enumerare vellem rationes pro Struthione omnes, Textu

noſtro contentus, qui flebilem indigitat planctum. Græci equidem Scriptores nihil nobis tradunt de Alitis hujus clamore, ſed Arabes, quibus is poterat eſſe notior. Ex recentioribus teſtimonium adfero *Johannis de Laet deſcript. Americ.* L. XV. c. 7. *In Braſiliæ Mediterraneis multæ ſtruthiones reperiuntur, quas barbari ſua linguâ nominant janducocu, &c. Proceræ ſunt, & tam altum clamant, ut ad dimidiam leucam audiantur.* Coronidis loco ex Synonym Struthionis benè multis in Oriente uſitatis un cum affero, quod *jaanah* noſtro affine ſit, Ar bum *ne-am, ne-amet* ex *Meninzk. Lex.* 520 5512. & Hottentottorum *Ammi* ex *Kolb. Ca Bon. Spei.* 362. quod ſtringeret magis, ſi, quo eruditiſſimus Scriptor conjectat, ex Judæis d ſcendit Natio hæc. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I L. II. c. 14. p. 217. &c. L. III. c. 14. p. 428.

Job. Cap. XXXI. verſ. 26.

Si videns lucem (Solis) ſplendidam, & Lunam (a) claram incedentem.

(a) Precioſam.

Si vidi Solem cum fulgeret, & Lu nam incedentem clarè.

SUnt Sol, Luna, Stellæ, Syderum horum omnium mirabilis fulgor, ordinatiſſimus motus, vaſtiſſima moles, uſus maximi ac multiuarii, euidentiſſima totidem exiſtentiæ diuinæ argumenta, quot nempe ſunt corpora hæc totalia, horumque affectiones. Agnouere hanc veritatem omnis æui gentiles, agnoſcunt adhuc, in hoc errantes, quod intellectus corruptus Diuinitatem quæſiuerit non in ente quodam ſpirituali infinitè ſapienti ac potenti, ſed materiali, Sole ipſo ac Luna. Hinc eſt, quod DEUS adeò ſeuerè Solis, Lunæ, ac Stellarum cultum prohibuerit populo ſuo ad ἀςρολατρείαν proniſſimo. *Ne fortè attollas oculos tuos in cœlos, & viſis Sole, Luna, Stellis cum uniuerſo exercitu cœlorum, proſternatis & adores colasque ea, quæ diſtribuit* DOMINUS DEUS *tuus omnibus populis ſub uniuerſo cœlo. (Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit DOMINUS DEUS tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.)* Deut. IV. 19. Quid enim aliud hoc eſt, quàm ἀλλάσσειν τὴν δόξαν τȣ̃ ἀφθάρτȣ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτῶν κτίσεων. Rom. I. 23. Digniſſima lectu & attentione ſunt, quæ hanc in rem habet Author Libri Sap. XIII. 1-5. *Etenim natura vani ſunt omnes homines, ignorantia DEI præditi, qui ex euidentibus bonis eum, qui eſt, non valuerunt intelligere, nec ex operibus conſideratis opificem cognouerunt: ſed aut ignem, aut ventum, aut citatum aërem, aut aſtrorum orbem, aut vim aquarum, aut lumina cœli rectores mundi Deos eſſe putauere. Atqui ſi borum pulchritudine delectati, Deos exiſtimauerunt ipſa, quanto præſtet horum Dominus cognoſcere utique debuerant (quandoquidem ſummus pulchritudinis generator ea condidit,) ſin potentiam eorum & efficaciam admirati, quanto eſſet horum opifex potentior, ex iisdem intelligere. Siquidem ex pulchritudinis rerumque creatarum excellentia collatus iis Creator earum ſpectari poteſt. (Vani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia DEI, & de his, quæ videntu bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, nequ operibus attendentes, agnouerunt quis eſſet arti fex: Sed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum a rem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum Deo putauerunt. Quorum & ſi ſpecie delectati, Deo putauerunt; ſciant quanto his dominator eoru ſpecioſior eſt: ſpeciei enim generator hæc omni conſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mi rati ſunt: intelligant ab illis, quoniam qui hæc fe cit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeci & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator bo rum videri.)* Non vela ventis pandam, excur ſurus ad primos idololatriæ fontes, quam ma teriam ex profeſſo integris libris tractarun *Voſſius* aliique: id unicum indigitaſſe ſufficia eſſe ἡλιολατρείαν & σελενολατρείαν ex primis & anti quiſſimis idololatricis erroribus, à quibus ſe i Textu purgare contendit Jobus. Sunt adhu & inter nos idololatræ, ſed, ut ſcientiæ a ſummum fere euectæ ſunt faſtigium, ſubtilio ris generis & aſtutioris. Fuit enim idololatri cus cultus extra nos, eſt nunc intra. Adora mus, & in dies, affectus noſtros deprauatos non ita tectè tamen, ut non verbis & facti detegamus corruptionem noſtram. A corru ptela hac haud immunis eſt ullus hominum ſtatus, ne is quidem, cui incumbit, aliis viam ſalutis monſtrare. Teſtimonium lege apud *Lactantium* L. II. *de Orig. Erroris*, c. 3. cui ti tulus: *de Literatorum errore. Quid prodeſt a vulgus, & ad homines imperitos hoc modo concionari? cum videamus etiam doctos & prudentes viros, cum religionis intelligant vanitatem, nihilominus tamen in iis, quæ damnant, colendis, neſcio qua prauitate, perſtare.* Qui vel parum in lectione hiſtoriarum eſt verſatus, eum latere nequit, eſſe Solis Lunæque cultum ex anti quiſſimis, omnibus penè Nationibus communem, quæ aſtris hiſce varia impoſuere nomina. *Auguſt. de Ciuit. Dei* L. VII. c. 16. *Apollinem ipſum Solem eſſe dixerunt, Dianamque germanam ejus: ſimiliter*

iliter Lunam & viis præſidere: unde & vir- *iem volunt, quod via nihil pariat; & ideo* *ibos ſagittas habere, quod ipſa duo ſydera de* *lo radios terras usque pertendant. Vulcanum* *lunt, ignem mundi. Aſſyrii* inprimis & *Phœ-* *ii* coluere *Solem Adonidis* nomine, *Phrygii* *tinis* cum fiſtulâ & baculo, *Ægyptii* forma *iridis* cum ſceptro monoculo, de quo fuſius gatur *Macrobius* in *Saturnalibus. Diodor.* L. I. 2. *Primi illi homines olim in Ægypto geniti* *nc mundi ornatum conſpicientes admirantesque,* *uniuerſorum natura duos eſſe Deos, & eos æ-* *rnos arbitrati ſunt, videlicet Solem & Lunam,* *hunc quidem Oſiridem, hanc Iſidem certa no-* *inis ratione appellarunt.* De *Maſſagetis* lega- r *Strabo* L. XI. de *Pœnis, Perſis, Græcis, He-* *dotus* L. I. IV. *Cic. L. II. de Nat. Deor.* de *Pæo-* *bus Maximus Tyrius Serm.* 38. de *Peruanis* *arcillaſſo della Vega*, ex Regio Yncarum ſtem- ate ortus. *Macrobii* in ſpecie hoc eſt ſyſte- a, ut oſtendat ex veterum Theologorum *Or-* *iei, Homeri, Heſiodi, Platonis* Scriptis, Solem ſpicere omnes penè Deos, *Jouem, Nemeſin,* *ana, Janum, Saturnum*, alios. In Sacris oc- irrunt paſſim ἡλιολατρείας teſtimonia. Ægy- iorum illa urbs Jeſ. XIX. 18. עִיר הַהֶרֶס, Græ- s ἡλιόπολις audit, quia magnificum ibi fuit So- ſacrum Templum apud *Strabon.* L. XVII. *Macrob.* c. 23. *Plin.* L. XXXVI. c. 8. *Diod.* . II. c. 1. Sunt, quibus famoſus ipſe *Baal* eſt ol, ut eſt *Lilio Gyraldo Syntagm.* 2. *Bel* no- ien idem cum Græco ἥλιος, quem Solem Aſ- yriis *Hel*, i. e. Deum vocari tradit *Seruius Æ-* *eid.* I. Poterat ita culpa expers Jobus ſanctè onteſtari, quod nunquam in vita ſua ſe inqui- auerit turpi populorum vicinorum ἡλιο - & σεληνολατρεία, imo ne quidem cultui ſe addixiſſe Arabum ſuorum, qui teſte *Herodoto* L. I. jux- a cum Aſſyriis Perſas edocuere Solis Lunæ- que cultum. *Morem habent editiſſimis quibus-* *que conſcenſis montibus Joui hoſtias immolare,* *omnem gyrum cœli Jouem appellantes, Soli Lu-* *næque ſacrificant, & telluri, igni, aquæ, atque* *ventis, hisque ſolis ſacra faciunt jam inde ab ini-* *tio. Vraniæ quoque ſacrificant, ſic nimirum ab* *Aſſyriis Arabibusque edocti.*

Denotat, quod probè animaduertendum, אור *Or* in Textu noſtro in genere *lucem*, ſed LXX. omnesque alii Interpretes dant *Solem*, cui ad latus ponitur *Luna* nomine ſibi proprio יָרֵחַ. Diſcrimen proin eſſentiale magno noſtro Philoſopho eſt *Solem* inter & *Lunam*: eſt ille אור lux, lucis fons, hæc nonniſi lumine à Sole mutuatitio ſplendet. Siue Sol ſit corpus ingens igneum flammeum, ignis fluidus, ſiue corpus ſolidum, ſiue ex fluido ſolidoque mixtum, certum id ſemper eſt, eſſe fontem inexhauſtum, è quo omnis lux & calor ad terram noſtram omnesque Planetas, debita ſingulis portione, emanat: debita dico portione, certum quippe, gaudere Mercurium atque Venerem longè majori caloris lucisque gradu, quam terram noſtram, minori longè ſuperiores Planetas, Martem, Jouem, Saturnum. Sed neque extra rhombum eſt nonnullorum interpretatio, quòd אור Jobo denotet in ſpecie Orientem Solem, utpote cui Veteres inprimis ſua fecerunt ſacra. *Virg. Æneid.* 12.

Illi ad ſurgentem conuerſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Magi in ſpecie & *Perſæ* juxta *Herodotum* L. I. *Pythagoræi* juxta *Cœlium* XII. c. 9. à quibus gentibus ἡλιολατρείαν fuere edocti Judæi. Vidit Propheta *juxta oſtium Templi DOMINI inter veſtibulum & altare viginti quinque viros, quorum dorſa verſa erant ad Templum DOMINI, facies verò eorum ad Orientem, & hi adorabant ad ortum Solis.* Ezech. VIII. 16. Imo verò tranſiiſſe videtur conſuetudo ad ipſa Chriſtianorum Templa, quorum Chori reſpiciunt Orientem. Lege *Leonis* Papæ *Serm. 7. de Natiuit. Bellarminum* L. III. *de Cultu Sanctor.* c. 3. qui ſtructurarum hunc ſitum pluribus defendere conatur rationibus.

Job. Cap. XXXII. verſ. 19.

Nam venter meus rumperetur ut noui utres, quum vino ſpiraculum non aperitur.

En venter meus quaſi muſtum absque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit.

Silentiarius hactenus Elihu, ætate minimus ex Jobi amicis, ſumma patientia attendit ad ſeniorum diſcurſus, ut juniores decet, ſibi ipſi licet ſuffenus, nunc quoque prodit in campum, prolaturus, quos deuoto ſilentio formauit, conceptus, *plenus ſermonibus*, ut & *ſpiritus ventris ſui anxerit* eum.
v. 18. Tum ἐχεμυθίαν ſuam, tum loquendi deſiderium exprimit ab initio ſtatim eleganti metaphora deſumta à muſto in utribus fermentante, hosque ad crepaturam usque diſtendente, imo tandem reſiſtere ineptos rumpente. Anſam dat elegans hæc dictio proferendi nonnulla de vini fermentatione, atque ingenti vi ejus expanſiua. Continent, quod experimentis ſatis ſuperque conſtat, ſucci vegetabilibus ex-

expreſſi omnes, vinum in ſpecie, aërem admodum compreſſum, qui carceribus ſuis ſolutus, & libertati ſuæ redditus, adeò validè ſuam exercet vim elaſticam, ut vel porta aperiri debeat euolanti, vel adeò arctè claudi, ut dolii reſiſtentia expanſiuam aëris virtutem ſuperet. Ex quo eodem fonte deducendæ veniunt ſtupendæ pulueris pyrii vires, Sclopeti Pneumatici effectus, Antliæ Pneumaticæ experimenta. In ſenſu morali eſt eruditio omnis imaginaria, & ſuperficiaria in rebus experientia Pythoniſmus Elihuanus.

Quid didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?

Perſius Sat. I.

Quo multi ambitione inflati ſeſe paſcunt, ſ
quoque proſtituunt. *Pythoniſmus* dico; ipſu
quippe vocabulum אוֹב *ob*, quod heic per *utre*
vertitur, alibi notat *Pythonem*, Pythonicu
ſpiritum, quo obſeſſi oracula promebant
ventre ἐγγαστρίμυθοι, *ventriloqui. Pythonici*
diuini, qui muſſitant & diſſertant. (*Quærite à p*
thonibus, & à diuinis, qui ſtrident in incantati
nibus ſuis.) Jeſ. VIII. 19. *Humilis eris, loqueri*
que de terra, & de puluere dejectæ edes ſerm
nem tuum: erit enim vox tua velut pythonis
terra loquentis, & de puluere eloquium tuum ga
riet. (*Humiliaberis, de terra loqueris, & de h*
mo audietur eloquium tuum; & erit quaſi pyth
nis de terra vox tua, & de humo eloquium tuu
muſſitabit.) Jeſ. XXIX. 4. De hac ipſa ventr
loquela plura, ſi benè memini, inuenies in H
ſtoria Endoriſſæ. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 34

Job. Cap. XXXIII. verſ. 15.

In ſomnis, in viſo nocturno, quando ſopor homines opprimit, dum in lecto dormiunt.

Per ſomnium, in viſione nocturna quando irruit ſopor ſuper homi nes, & dormiunt in lectulo.

Dormimus adhuc, poſt tot ſeculorum decurſum, imò, ſi verum fateri velimus, etiam Archi-Philoſophi, altum ſtertimus ſomnum in Phænomenωn naturæ inquiſitione & cauſarum detectione, vel ſomnia certè ſomniamus: Quantò erit hæc confeſſio & neceſſaria magis, & verior, ubi ſermo eſt de altiore illa & Diuina Theologia atque Philoſophia, quâ DEUS ipſe immediatè, abſque cauſarum naturalium interuentu, mortalibus voluntatem ſuam declarat? In genere equidem concipere id licet, & dicere, DEUM operari in hominis mentem aut abſque ulla objectorum externorum mutatione, aut aërem ipſum aliaue extra nos corpora mutare ita, ut has illaſque figuras repræſentent, has illaſue in ſenſus noſtros externos impreſſiones faciant. Sed de τῷ διότι altum apud omnes ſilentium. Triplex nobis ſiſtit Elihu reuelationum diuinarum genus.

בַּחֲלוֹם *in ſomniis,* ligatis veluti ſenſibus noſtris externis, redeuntibus ad cerebrum ſpiritibus animalibus, ibique ſuos exercentibus diſcurſus, i. e. ſomniantibus.

חֶזְיוֹן לַיְלָה *viſione nocturna*, qua vigilantes noctu audimus quippiam, vel videmus.

בִּנְפֹל תַּרְדֵּמָה עַל אֲנָשִׁים *in cadendo ſoporem ſuper homines, in nictationibus, quando ſopor hominem opprimit*, concidentibus ſenſim palpebris, neque vigilantibus nobis, neque dormientibus, ſed in medio veluti ſtatu conſtitutis. LXX. totum verſiculum ita: ἐνύπνιον, ἢ ἐν μελέτῃ νυκτερινῇ, ὡς ὅταν ἐπιπίπτῃ δεινὸς φόβος ἐπ' ἀνθρώπους, ἐπὶ νυσταγμάτων, ἐπὶ κοίτης. *Somnium, aut*
in meditatione nocturna, ſicut quando incidit ſa
uus timor in homines in dormitationibus ſupe
cubili.

Fuere binæ hæ vel tres reuelationum ſpe
cies Prophetis familiares, & diſtinguuntur pa
ſim ab inuicem. Dan. I. 17. legitur DEUS *Da*
nieli contuliſſe vim exponendi omne viſum & ſo
mnia בְּכָל חָזוֹן וַחֲלֹמוֹת, Joel. II. 28. *Senes ve*
ſtri ſomnia ſomniabunt, & juuenes veſtri viſione
videbunt. Num. XII. 6. *Si fuerit Propheta DO*
MINI inter vos, per viſum me ei manifeſtabo
per ſomnium loquar ei. Tertia ſpecies quadrar
videtur in id, quod contigit Eliphazo. Job. IV
12. 13. *Res arcana perlata eſt ad me, ex qua mo*
dicum quiddam percepit auris mea. Inter cogita
tiones, quæ oriebantur è viſis nocturnis, quum
ſopor homines occuparet. (*Porro ad me dictum e*
verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit au
ris mea venas ſuſurrii ejus: In horrore viſioni
nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines.)

Attendi meretur expreſſa in Textu duplex, qua ſomno obruimur, ratio.

בִּנְפֹל תַּרְדֵּמָה *in cadendo ſoporem*, ſopore profundo nobis obrepente, quem comitantur perſæpe repræſentationes terrificæ. Ita *irruit ſopor ſuper Abram, & ecce horror tenebroſus ac magnus irruit in eum.* Gen. XV. 12. Ubi notandum, eſſe etiam in ſomno ordinario præſentationes nocturnas ut plurimùm, veluti per laternam megalographicam, majores & terrificas magis, quàm quæ fiunt vigilantibus: idque non ſolùm ex allegata alibi ratione, quod tunc tranquilla omnia, ſenſuſque externi à quorumuis objectorum externorum impreſſionibus ſint liberi,

eri, ſed quoque, quia, homine cumprimis horizontali magis jacente ſitu, ſanguinis cirus per ſuperiores corporis partes ſit liber, atque cerebrum à latice ſanguineo tum ioſiori, tum impetuoſius ruente, preſſum gis.

בתנומות עלי משכב *per dormitationes ſuper cu-*, eſt tenera quaſi & naturaliſſima omnium ſt ſomnolentiam dormitatio, ex qua quis gilat facile. Pſ. CXXI. 4. *Ecce non dormi-t, neque dormiet,* (vigilans ſemper ne quim placidè blandeque dormiet,) *qui cuſtodit aelem.*

Vigilantibus nobis continua occurrunt quouis momento objecta innumera; abſtrahimur inde atque diuertimur, ut ad res maximi momenti, quæ ſalutem noſtram attinent, interiorem animæ noſtræ ſtatum, deuotam cum DEO familiaritatem, minus, quàm par eſt, attendere poſſimus: fit id commodius, portis ſenſuum externorum clauſis. Eſt hæc forſan ratio, cur DEUS, Naturæ Author, Prophetis ſuis reuelaturus quidpiam, id effectui dederit ſpeciatim per inſomnia, & viſiones nocturnas. Et quis eſt, qui teſtari non poſſit, miras nos ſæpe inter dormiendum & doctas voluere cogitationes, quæ vigilantibus haud obueniunt?

Job. Cap. XXXIII. verſ. 19. 20. 21.

. Caſtigabitur etiam (homo) cruciatu ſuper lectum ſuum, & quantum eſt oſſium illius, vehementi (morbo.)

). Et vita ejus faſtidit panem, animaque ejus cibum ſuauem antea.

. Ut abſumatur caro ejus, ne videatur, & promineant illius oſſa, quæ (priùs) non videbantur.

19. Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia oſſa ejus marceſcere facit.

20. Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus antè deſiderabilis.

21. Tabeſcet caro ejus, & oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

Vitam ducit homo tenuiſſimo pendentem filo, tenerrimam trahens machinam, quæ in momenta fluxilis conſumeretur breui, nî ſuccederent utritiæ partes in abſumtarum locum. Reauratio hæc ut commodè fieret, impertiit reator optimus homini appetitum, & talium uidem alimentorum, quæ conſeruandæ vitæ ſanitati conducunt. Quamdiu hæc in officina culinaria, ventriculo, trituratione inprimis interueniente, in laudabilem rediguntur hylum, atque per multas circulationes atque ecretiones ad ultimum perfectionis gradum uecta juſta proportione loco abſumtarum parium apponuntur, tamdiu conſiſtit ſanitas, peennat vita; periclitatur hæc, ſi deficiat nutriio, conſumitur tandem corporis machina, ut vix cutis hæreat oſſibus, *abſumitur*, ſunt vera Elihu, Neo-Profeſſoris noſtri, *caro ejus, ne videatur, & prominent illius oſſa, quæ prius non videbantur.* Supremus vitæ ſanæ pariter atque ægræ Director Elihu noſtro eſt non inſipiens quædam natura, non Archæus imaginarius, non idolum quodcunque aliud, ſed DEUS, potentiſſimus rerum omnium Creator, & ſapientiſſimus Arbiter. Hic, Hic eſt, qui *caſtigat* Jobum, hominem quemcunque alium, *cruciatu ſuper lectum, & quantum eſt oſſium ejus, vehementi morbo.* Ipſe corpus & animam afficit dolorificè, corporis totam compagem conſumit, mentem triſtium idearum repræſentatione angit. Et ex primis, quæ patiuntur, viſceribus eſt primæ digeſtionis officina: tranſit appetitus in anorexiam: *Vita faſtidit panem, animaque cibum antea ſuauem.* Hoc fundamento ſemel ſuffoſſo corruit mox totum ædificium; Lecto ſe committit, mortique appropinquat mortalis. *Anima faſtidit omnem cibum, & pertingunt ad portas mortis. (Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt uſque ad portas mortis.)* Pſ. CVII. 18. Quod nos vocare ſolemus ventriculum, & appetitum, id Elihu eſt חיה *chajah, vita*, Pſalmiſtæ נפש *nephesch, anima*; rectiſſime quidem, eſt quippe hæc, quam appetitum vocamus, imo omnis ſenſatio, in anima, non in corpore. Breuitati ſtudens fuſius enarrare nolo, quomodo appetitum aboleat pituitæ inertis viſcidæ in ventriculo collectæ moles, acidum viſceris inuerſum, fibrarum tonus debilitatus. Utitur Profeſſor noſter omnium ciborum loco voce לחם *lechem*, quæ *panem* denotat, nutrimentum communiſſimum, optimum, corpori humano reſtaurando aptiſſimum, quam ob rationem Saluator optimus inſeri panem voluit Orationi Dominicæ. Appetitu deperdito fit corpus noſtrum molendinum ἄνυδρον, conſumitur caro, partes ſolidæ omnes, auolant fluidæ, pro-

prominent oſſa , quæ prius non videbantur , muſculis atque pinguedine tecta. *Die Gebeine, welche man zuvor nicht ſahe, werden entblöſſet.* Sic Vernacula, ſed æquiuocè magis, quàm Latina, vox quippe *entblöſſen* amplius quid den tare videtur, oſſa in vulneribus, fracturis, u ceribus ſpeciatim carioſis nudata. Vid. *de M Phyſ. Sacr.* p. 349.

Job. Cap. XXXIV. verſ. 3.

Nam auris ſermones explorat, & palatum ſaporem ciborum dijudicat.

Auris enim verba probat, & guttu eſcas guſtu dijudicat.

Quod fortalitio benè munito ſunt milites excubitores in extimis munitionis angulis conſtituti, id corpori noſtro ſunt ſenſus quinque externi. His veluti internunciis informatur anima de omni eo, quod contingit extra, corpori ſibiue proficuum vel noxium, gratum ſiue aduerſum. Sedem ſuam habent quatuor horum ſenſuum in ipſo capite, videlicet viſus, auditus, guſtus, olfactus, propiores ſic cerebro, ſpirituum animalium officinæ, ubi anima ipſa reſidet. Sed debebat quoque ſupremus hic actionum noſtrarum director informari de omni eo, quod in toto reliquo peragitur corpore. Ad hunc ipſum finem tactus, ſenſuum quintus, diſpartitus eſt per totam cutim, qua latè contegit corpus. Omnium ſenſuum organa ſunt extremè ſubtiles, ex medulla cerebri faſciculatim hac illac exeuntes, in fibrillas innumeras, exiliſſimas, diuiſi nerui, qui impreſſiones externas excipiunt, animæ protinus adferunt, ideas dictis impreſſionibus præciſè reſpondentes exſuſcitant, ſed omnem omnium Philoſophorum captum, ut ipſa animæ corporisque unio, tranſcendente modo. Horum nunc externorum ſenſuum binos nominat Elihu, חֵךְ *chek, palatum*, & אֹזֶן *ozen, aurem:* priori nomine intelligens dubio proc continens pro contento, omnes in ore & p lato ſitas partes, linguam cumprimis, utpo quæ partes ciborum ſapidas, mediante ſaliu ſolutas, neruulis extremis guſtatorii paris ex cipit, & impreſſiones factas illicò ad cerebru & mentem tranſmittit. *Auris* nomine ven Philoſopho noſtro non ſolùm externa, ſed interna, totum auditus organon, quo compre henduntur meatus auditorius, tympani mem brana, oſſicula auditus, in oſſe petroſo diuin arte exſculptæ cauitates, labyrinthus & coch lea, cum expanſo ibidem neruo auditorio, d qua miranda prorſus fabrica multa dicenda fo rent, ſiquidem id temporis locique permitte ret anguſtia. Deſcripſit eam poſt *du Verney Schelhammerum*, alios, accuratiſſimè *Valſalu Bononienſis.* Sed id ſilentio præteriri non de bet, quod Elihu cum vulgo ſenſationem ipſan adſcribat Palato, & auri, quum tamen hæ non ſint niſi organa, & mens propriè loquen do guſtet, audiat. Guſtant & audiunt quo que animantia bruta, imo perfectius ipſo ho mine, puro eoque ſubtiliſſimo mechaniſmo ſed tamen deſtituuntur ultimo illo, qui ſenſu perficit, gradu, ſcientiâ, intellectu.

Job. Cap. XXXV. verſ. 10. 11.

10. Nempe, quia nullus dicit: Ubi eſt DEUS, qui me condidit? qui noctu dat (a) cantus?

(a) Id eſt, ut auiculæ cantillent.

11. Noſque majori doctrina donauit, quàm pecudes terreſtres: & ſapientiam nobis majorem conceſſit, quàm auibus cœli?

10. Et non dixit: Ubi eſt DEUS, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?

11. Qui docet nos ſuper jumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos.

Quod heic de tyrannis & impiis Elihu, *nullum dicere: Ubi eſt DEUS, qui me condidit? qui noctu dat cantus?* id ipſum confirmat Regius Pſaltes Pſ. LIII. 3. *DEUS è cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videret, num eſſet prudens aliquis, & qui DEUM quæreret.* Idem enuntiare licet de maxima hominum, etiam Chriſticolarum, parte, qui, literatis ipſis haud exceptis, ad unum fere omnes ipſâ objectorum, quæ noctu dieque verſant, multiplici varietate irretiti portam ſibi ipſis ad θεογνωσίαν præclu-

dunt. Commemorari meretur inter alios us erroris fontes neglecta cognitionis DEI natura cultura, quæ non tantùm non proetur ullibi, ſed ubiuis in Sacro Codice no- inculcatur. Ut Elihu nos heic ducit ad *udes terreſtres*, & *aues cœli*, quarum noctur- cantus non idolo naturæ tribuitur, ſed O Creatori. Ipſe *noctu dat cantus*, ὁ κατασων φυλακὰς νυκτερινὰς, *diſtribuit cuſtodias no- rnas*. Quæ expreſſio, & ipſa τῶν LXX. rſio, ut benè multæ aliæ, multiplicem adttit ſenſum. *Id fit plenitudine & ubertate ſus, quo abundat Scriptura. Non ſecus ac ſi eadem vena diuerſa metalla & gemmas repe- s: Quam ſi venam unius metalli aut gemmæ as, diuitiis detraxeris. Coccej. ad h. l. Noctu cantus.* 1. quoties DEI decantamus lau- s ex contemplatione aſtrorum, præcinente uide Pſ. VIII. 4. *Equidem ſuſpiciam cœlos s, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, as tu præparaſti.* 2. quoties noctu ruminaır gratioſiſſimas DEI vias, exclamantes item cum Regio Pſalte Pſ. XLII. 9. *Interdiu ecepit DOMINUS benignitati ſuæ, & nocte nticum ejus mecum, oratio ad DEUM viuum. n die mandauit DOMINUS miſericordiam m, & nocte canticum ejus apud me, oratio EO vitæ meæ.)* 3. Si quando DEUS noctu ietem nobis largitur, & refocillationem à boribus diurnis. 4. Nos ipſos noctu cuſto- t, à noxa terroribusque præſeruat, à pericu- liberat. 5. Spe erigit ad reſurrectionem atam ex ſomno mortis. *Ego jacui & dor- iui, atque euigilaui, quoniam* DOMINUS *me ffulcit. (Ego dormiui & ſoporatus ſum, & ex- rexi, quia* DOMINUS *ſuſcepit me.)* Pſ. III. 6. Auium cantu nos exhilarat adeò miro & ario, etiam nocturnarum & rapacium clamobus, qui non minus ſunt diuinæ ſapientiæ rgumento quam jucundiſſimi cantus quiuis. ræceptores proin noſtri erunt non ſolæ aui- ulæ interdiu canoræ, ſed & ululæ, ardeæ, tpote quarum voces organorum infiniti artiicii ſunt effectus, & ipſis Muſices humanæ cultoribus ad perficiendam artem, & inuenta innumera anſam præbent.

Sequentia proximè verba: *Nosque majori doctrina donauit, quàm pecudes terreſtres; & ſapientiam nobis majorem conceſſit quàm auibus cœli, (Qui docet nos ſuper jumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos,)* in generalibus magis vertuntur terminis à LXX. ὁ διορίζων με ἀπὸ τετραπόδων γῆς, ἀπὸ δὲ πετεινῶν ἐρανȣ̃, *qui ſeparat me à quadrupedibus terræ, & à volatilibus cœli.* Sed propius ad Verſiones noſtras *Origenes*, διδάσκων ἡμᾶς ὑπὲρ τὰ κτήνη τῆς γῆς, καὶ σοφίζων ὑπὲρ τὰ κατὰ τὸν ἀέρα διιπτάμενα πετεινὰ, *qui docet nos ſupra jumenta terræ, & facit ſapientes ſuper volatilia, quæ per aërem volitant.* Spatioſiſſimus heic foret excurrendi campus, in quo hinc inde de brutorum ratione diſputatur. Litem hanc non facio meam, qua ſuperſedent citati modò LXX. Id tamen monendum duco, eandem eſſe hujus loci conditionem, quæ eſt multorum contra Copernicaniſmum allegari ſolitorum. Illibatus manere poteſt Textus, ſed quoque inconcuſſum de mechaniſmo brutorum ſyſtema. Eſt utique intuitu quadrupedum, auium & animantium omnium DEUS διδάσκαλος ὁ σοφίζων. Sunt illa infiniti artificii αὐτόματα, ſed nulla ipſis attribuenda σοφία, DEO omnis, & ſoli: ut artificium Horologiopœo in laudes cedit, non horologio. Imo verò adeò mira efficiunt, quæ hominum capacitatem & artem multis ſuperant paraſangis; ut inuerti debuiſſet Profeſſori noſtro Theſis, ſi bruta ratione forent donata, *majori doctrina donatæ pecudes quàm nos, ſapientia auibus cœli major quàm nobis.* Sunt bruta ἄλογα ζῶα, nos λογικὰ, animâ prædita rationali, intellectu & voluntate. Et capit atque intelligit anima noſtra non ea duntaxat, quæ vitæ conſeruandæ conducunt, ſed infinities altius ſeſe euibrat ad veritates abſtractas, ad objecta merè ſpiritualia, DEUM, angelos, hominum mentes, mathematicas demonſtrationes, ratiocinia metaphyſica. Brutorum proin rationem deſtruit potius, quàm aſſerit, hoc, de quo nunc, Elihu noſtri effatum.

Job. Cap. XXXVI. verſ. 24. 25 26.

24. Tu memineris, ut opus illud amplifices, quod homines (a) intuentur,	24. Memento, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.
(a) Hier. de quo cecinerunt.	
25. Quod omnes homines ſpectant, & mortales contemplantur, (quanquam) eminus.	25. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.
26. Ecce DEUS modis omnibus maximus eſt, ut ignoremus numerum annorum ejus, & viam eum perueſtigandi.	26. Ecce DEUS magnus vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum ejus inæſtimabilis.

POſcit à Jobo, & ſic à nobis, Elihu, ut *opera* creationis amplificemus. Sed Vulgata ſpem penetrandi abditos rerum nucleos, cauſarum fontes & ſtructuræ artificium detegendi, vel diſputat, vel adimit. *Memento, quod ignores* &c. Sic & LXX. Μνήσθητι, ὅτι μεγάλα αὐτȣ̃ ἐςι τὰ ἔργα. *Memento, quia magna ſunt opera ejus.* Diuerſam ἐξήγησιν cauſatur æquiuocatio vocis תַשְׂגִּיא, quam Lexicographis linquimus. Eſt uterque ſenſus verus, nobisque pro præſenti acceptus. Prior ducit nos ad magnitudinem, imo infinitatem, immenſitatem, Dei: alter ad finitudinem & ignorantiam noſtram. *Ecce DEUS modis omnibus maximus eſt, ut ignoremus numerum annorum ejus, & viam eum perueſtigandi.* v. 26. & v. 25. *Quod omnes homines ſpectant, & mortales contemplantur eminus. Iddio naſcoſto e paleſe ſotto il traſparente velo delle creature, che il cuoprono, e tutto inſieme il rivelano.* Rubrica eſt cap. 2. *della Ricreatione del Savio* Authore *Bartoli.* Sunt, quotquot ſunt, ut innumeræ ſunt, creaturæ foraminula totidem minuta, per quæ radii diuinitatis fulgentiſſimi tranſeunt, in mente noſtra repræſentaturi ideam finitæ noſtræ capacitati adæquatam. Et quod in camera obſcura imaguncula eſt Solis reſpectu originalis, Solis ipſius; Planiſphæria, quæ fabricamus, relatiuè ad cœlorum immenſitatem, id ſunt ideæ mentibus mortalium impreſſæ: umbra, nihil. Et tamen repræſentat viſibile hoc pulchritudinem illam inuiſibilem: bonum hoc, nobis à creaturis adfluens, εἰκών bonitatis immenſæ; mirifica ſtructura σημεῖον imo τεκμήριον perfectiſſimæ potentiæ atque ſapientiæ. Pone, ex veſtigiis arenæ littorali impreſſis inferri poſſe, quod heic ſteterint ambulauerintque homines, parum concludes, vel nihil, de horum ſtatura, forma, pulchritudine, nihil de ingeniorum donis. Par eſt creaturarum ratio: DEUM oſtendunt, ejusque infinitas perfectiones, ſed ὡς ἐν πρωτογραφίᾳ. Quilibet puluiſculus DEUM demonſtrat, & tamen totum, quà latè patet, uniuerſum, idea de DEO, quam totus ſuggerit mundus, vix eam habet rationem ad veram DEI eſſentiam, quam atomus ad uniuerſam mundi compagem. *Non inuiſibili ſua natura abuſus eſt DEUS, ut illum homines ignorarent, ſed ita rerum naturam inſtruxit, ut ipſe, quanquam naturâ inuiſibilis, ex operibus ſuis agnoſceretur. Athanaſ. contra Idololat.* Quemadmodum igitur ſapiens ille *Ariſtippus*, in naufragio poſt ſæuam tempeſtatem ad littora Rhodi Inſulæ ejectus, ex veſtigiis pedum arenæ impreſſis ſcitè inferens incolarum præſentiam, infortunii ſocios hac notâ exclamatione, *veſtigia hominum video*, erexit, (*Vitruv. Lib. VI. Præf.*) ita & nos ex omnium creaturarum contemplatione, diuerſitate, nexu, pulchritudine, ordine, aliarum æuiterna duratione, aliarum interitu & ſucceſſione, variata inuariataue, omnium utilitate, & millenis circumſtantiis aliis, in momenta obuiis, certò judicare poſſumus, eſ DEUM. *Veſtigia DEI video.* Sunt ope DEI, lineæ & figuræ Theometricæ. Ex ſc puli littoralis ſpecula proſpicere datur vaſtita tem Oceani, ſed non dimetiri totam maris am plitudinem, non immenſam profunditatem de terminare. Procul hinc eſto, Heraclite, pro cul profani, quotquot perſuaſi eſtis, DEUM ſeſe occultaſſe mortalibus, & denſiſſimis in uoluiſſe tenebris, ne hi fulgoris diuini fieren conſcii. Eſt DEUS ſimpliciſſimis quibusqu manifeſtatus, ſed & ſubtiliſſimis Philoſophi atque Theologis occultus DEUS.

Occurrit v. 24. vox שֹׁרְרוּ, quæ non omnibus Interpretibus ſignificat idem. Verſiones noſtræ habent, *intuentur*, *anſchauen*, *Hieronymu* & Vulgata, *cecinerunt*, LXX. ἦρξαν, *dominat ſunt.* Notat nempe vox radicalis שור nunc *intueri*, nunc *canere*. Eſt conciliatio inter variantes Verſiones facilis. Sunt omnino DEO Creatori optimo, *decantandæ* laudes, eæque æternæ, ex *intuitu* operum, quibus gaudemus imò & *dominamur*. Eſt integra mundi compa ges Liber Muſicalis, ex quo decantanda nobi ſunt præconia laudis, & gratiarum actionis Qua occaſione haud prætereundum eſt ex antiquitate monitum, quod Philoſophi atque Theologi magnifica ſua de DEO Elogia in Carmina redigere eaque canere, ſonare, dicere ve recitare fuerint ſoliti. Et forſan eſt ex Poëtarum antiquiſſimis Jobus. Exempli loco ſint, *Orpheus*, qui Simſonis ætate vixiſſe dicitur, *Muſæus, Linus, David.* Pſ. CXIIX. 14. item Pſ. CXIX. 14. *De tuis conſtitutionibus diſſero, & intueor ſemitas tuas.* (*In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.*) XLII. 9. *Interdiu præcepit DOMINUS benignitati ſuæ, & nocte Canticum ejus mecum, Oratio ad DEUM vivum.* (*In die mandauit DOMINUS miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus apud me, oratio DEO vitæ meæ.*)

Verſ. 25. *Quod omnes homines ſpectant, & mortales contemplantur, (quanquam) eminus.* (*Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.*) Profeſſoris noſtri Theologiæ Naturalis mens hæc eſt, omnibus hominibus inſitas, increatas eſſe ideas de DEO; attamen de eruditis non minus, quàm de illiteratis, dici poſſe, quod ſupremum illud numen *contemplentur eminus.* Declarata jam ſupra hæc Theſis. Poteſt & intelligi τὸ *eminus* de corporibus cœleſtibus longiſſimè à nobis diſſitis. Stat hæc cognitio juxta illam, quæ fluit ex conſideratione propria ipſius hominis. ȣ̓ γὰρ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάςȣ ἡμῶν ὑπάρχει. Act. XVII. 27. Fuit hic labor, hæc opera etiam priſcorum Philoſophorum, ut ex corporibus illis totalibus longiſſimè à nobis diſſitis argumenta peterent pro DEI exiſtentia. En teſtimonium *Senecæ Conſolat. ad Helv.* c. 9. *Dum oculi mei ab illo ſpectaculo, cujus inſatiabiles ſunt, non abducantur, dum mihi Lunam Solemque intueri liceat,*

at, dum cæteris inhærere ſideribus, dum ortus
rum, occaſus, interualla & cauſas inueſtigare,
ctare tot per noctes ſtellas micantes, dum cum
ſim, & cœleſtibus, quæ homini fas eſt, immi-
ar, quantum refert mea, quid calcem? Hinc
, quod faſtidium rerum terreſtrium, utpo-
vanitati ſubjectarum, injicit *Lactantius* L. VI.
20. *Ajunt Philoſophi, multò eſſe præclarius, &*
mine dignius, cœlum potius quàm cœlata intue-
, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus
rorum luminibus, tanquam floribus adornatum,
am picta & ficta & gemmis diſtincta mirari.
Verſ. 26. oſtendit porrò nobis Elihu fini-
m mentis noſtræ capacitatem, vel, ſi mauis,
capacitatem. *Ecce*, DEUS, inquit, *modis*
nibus maximus eſt, ut ignoremus numerum an-
rum ejus, & viam eum perueſtigandi. (Ecce,
EUS magnus vincens ſcientiam noſtram: nu-
rus annorum ejus inæſtimabilis.) Eſt hæc ve-
as ex inconcuſſis fundata infinitate DEI, &
itudine mentis humanæ, cujus intellectus
obſcuratus, voluntas corrupta. Audi
γητὴν Pſaltem Pſ. CII. 27. 28. *Interibunt*, ter-
& cœli, *Tu autem perſtas, & uniuerſa ut ve-*
veteraſcunt, teque immutante illa immutantur.
erum Tu idem es perpetuò, & anni tui non fi-
ntur. (Ipſi peribunt, tu autem permanes: &
nes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut
ertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu au-
n idem ipſe es, & anni tui non deficient.) Per
æternitatem annorum intelligi poteſt non tam
abſtracta quædam proprietas, quàm omnium
infinitarum perfectionum diuinarum nexus.
Vitæ beatæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, juxta
Boethium: quod eſt unum eſſe, & totum ſimul eſ-
ſe, & nihil deeſſe, ex *Gregorio*. Ita memora-
tur Rom. I. 20. ἀΐδιος δύναμις. Dan. IX. 24. *æter-*
na juſtitia. I. Petr. V. 10. αἰώνιος δόξα. Sap. VII. 26.
æternæ lucis ſplendor. Et quid aliud niſi omnes
perfectiones DEI comprehendunt magnifici il-
li, DEO proprii, characteres Jeſ. LVII. 17. (15.)
Excelſus, ſublimis, inhabitans æternitatem?
Æternitatem DEI ſi conſideremus abſtractè,
videbimus, eam non ſuperare gentilium ipſo-
rum captum. Quod ſi pro inconcuſſa verita-
te ponamus ſemel pro ſemper, eſſe DEUM ens
perfectiſſimum, ſequetur inde ſponte, & con-
ſectarii loco, eſſe ſemper, fuiſſe ſemper, fore
ſemper. Imperfectionem argueret, ſi unquam
non fuiſſet DEUS, vel ſi aliquando eſſe ceſſa-
ret. Competit itaque DEO duratio perma-
nens & independens. Qui æternus eſt, ex ne-
ceſſitate naturæ ſuæ exiſtit. DEUS ſi aliquan-
do non fuiſſet, ſtatuendum foret, eum aut ſe-
ſe ipſum produxiſſe, adeoque ante fuiſſe quàm
fuit, quod utique eſt abſurdum: nam eodem
tempore eſſe, & non eſſe, ſunt contradictoria:
aut dicendum, fuiſſe aliquid aliud, quod DEUM
produxerit, quod iterum cum idea entis per-
fectiſſimi, independentis, è diametro pugnat.

Job. Cap. XXXVI. verſ. 27. 28.

7. Nam prohibet guttas aquarum, (quæ rurſum) fundent pluuiam ex vapore ſuo (coactam).
8. Ut defluant ab æthere, ac deſtillent in multos homines.

27. Quia aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum.
28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper.

QUàm ſimus lumine capti mortales
reſpectu habito ad contemplatio-
nem operum diuinorum, vel plu-
uiæ exemplo conſtat, quod inſigne
DEI potentiſſimi, ſapientiſſimi at-
ue optimi donum vix attentione noſtra digna-
nur, non certè ea, qua decet. Profundius in
στοφυλάκιον diuinum, in atmoſphæræ penetra-
a introſpicit Elihu, & nos hac ipſa via manu
eluti ducit ad architectum ſeu bullularum ſeu
aporum, ex quibus formantur pluuiales gut-
ulæ. *Probibet guttas aquarum, (quæ rurſum)*
undent pluuiam ex vapore ſuo (coactam.) Ut
defluant ab æthere, ac deſtillent in multos homines.
LXX. ita: ἀριθμηταὶ αὐτῷ ςαγόνες ὑετȣ̃, καὶ ἐπιχυθήσον-
ται ὑετῷ εἰς νεφέλην. *Numerabiles ei ſtillæ pluuiæ,*
& effundentur ad pluuiam in nube.
Exhibent Obſeruationes Phyſici noſtri Me-
teorologicæ v. 27. cœlum ſerenum & pluuium.
Veſiculis aqueis ſejunctis ab inuicem, ſepara-
tim natantibus ſingulis, ut radii absque impe-
dimento per aërem trajici queant, ſereneſcit
cœlum, יְגָרַע נִטְפֵי מָיִם *minuet ſtillas aquarum:*
Nos, *probibet guttas aquarum, er verhaltet die*
Waſſer-Tropffen, ita nempe, ut aut liberè in li-
bero aëre natent & ſingulatim, vel ventorum
vehiculo ex noſtra regione transportentur in
aliam. Minus videntur dicere, ſed plus di-
cunt LXX. ἀριθμητοὶ αὐτῷ ςαγόνες ὑετȣ̃. Quemad-
modum nempe prouidentiæ diuinæ ſubſunt
ſinguli capitis pili, ita numeratæ ſunt omnes
bullulæ guttulæue pluuiales, imò, ex quibus
hæ ipſæ componuntur, atomi, grauitas ad ſta-
teram librata, motus ad normam dimenſus.
De voce גרע edocent nos Lexicographi, eſſe
terminum Arithmeticæ technicum, notare ſub-
tractionem, qua quid ablatione diminuitur.
Hoc ſenſu occurrit Exod. V. 8. *Demenſum late-*

Mmm mmm mmm *rum,*

rum, quod antea fecerunt, imponetis eis, nec minuetis (תִגְרְעוּ) *ex eo.* Ad emphaſin proin vocis ſi attendamus, non abſque regula, ſed certo quodam dimenſo, certo numero, pondere, menſura petuntur pluuiales bullulæ ex ditiſſimo aquarum ſuperiorum theſauro, pro liberrimo DEI ad uſum terræ & terricolarum omnia dirigentis arbitrio. Si quando bullulæ illæ ſubtiliſſimæ coeunt propius, imo vel ventorum ope, vel occaſione rarefacti aëris colliduntur inuicem, tunc יָזֹקּוּ מָטָר לְאֵדוֹ *ſtillabunt pluuiam ad vaporem ejus:* Verſiones noſtræ, *fundent pluuiam, ex vapore ſuo ſcilicet coactam, die Regen-Tropffen fleuſſen aus ſeinem Nebel*, iterum definito præciſè numero, pondere, menſura. *Scientiam & prouidentiam narrat, nec ira moderatum, ſed certa numeri ratione temperatum imbrem dimittit. Chryſoſtom.* Deſcribit Phyſicus noſter pluuiam, ejusque geneſin, adeò benè, & appoſitè, ac ſi intimæ fuerit admiſſionis, in nubibus, ubi pluuia generatur, præſens. Subſcribet Philoſopho noſtro, qui per Alpium juga itinera facit, & in iis fortè per pluuioſam nubem tranſit: ibi quippe propter altitudinem minorem guttulæ ſunt admodùm exiguæ, nebulæ roranti ſimiles, majores longè in vallium imis, ubi ex notabili millenorum aliquot pedum deciduæ guttæ inter delabendum confluunt. Vulgata explicat verba Textus noſtri de imbribus, *effundit imbres ad inſtar gurgitum.* Haud male *Pineda in Job.* P. II. p. 727. obſeruat, radicem ſignificare non tantùm *effundere* ſed & *deſtillare, colare*, digitum proin intendere Elihu in puritatem aquæ pluuialis præ fontana ac fluuiatili: Eſt certè illa per alembicum veluti atmoſphæræ deſtillata, à particulis grauioribus terreſtribus libera, hinc ſanitati proficua magis: à grauioribus, inquam, nam omni aquæ pluuiali inſunt particulæ quædam & viſcoſiores & grauiores, nutriendis planti[s] commodæ, de quibus alibi.

Verſ. 28. יִזְּלוּ שְׁחָקִים יִרְעֲפוּ, nos ita, *ut d[e]fluant ab æthere, ac deſtillent, daß die Wolcke[n] trieffen, trieffen nemlich* &c. Notandum hei[c] שחק notare propriè nubem tenuem, conſtan[tem] ex ſubtilibus tenuibus admodùm bullulis à radice שחק *contudit, comminuit*, ut videatu[r] Elihu loqui non tantum de pluuia, ſed quoqu[e] de rore. Nam & רעף ſignificat non tantùm in genere *ſtillauit, deſtillauit*, ſed & *ſtillauit ro[rem]*, uti Prov. III. 20. Job. XXXVI. 28. Hin[c] *Coccejus in Job.* p. 235. *ſtillant tenues nubes, ro[rant] ſuper homines plurimos.* Nos Tigurini ſo[lemus] dicere, & emphaticè, *es thaüelet*, quo[ties] nempe cadit rorulenta, tenuis nubes.

Job. Cap. XXXVI. verſ. 29. 30.

29. Si quis etiam animaduertat expanſiones nubis, (ſunt veluti) *(a)* laquearia tugurii ſui.

(a) Theſchyoth exaltationes, quidam tonitrua.

30. Ecce illi ſuper expandit lucem ſuam, & radices *(a)* maris operit.

(a) Ex mari enim ſol attollit exhalationes & vapores, unde pluuiæ.

29. Si voluerit extendere nubes qua[ſi] tentorium ſuum,

30. Et fulgurare lumine ſuo deſuper cardines quoque maris operiet.

Potentiam glorioſiſſimam DEI demonſtraturus Elihu menti ſuæ ſiſtit tempeſtuoſum cœlum, cui occaſionem dant & materiam מִפְרְשֵׂי־עָב *expanſiones nubium, das Ausſpannen der Wolcken*, LXX. ἀπέκτασις νεφέλης, *extenſio nubis*, alii ἐπεκτάσεις, *extenſiones*, quoties nempe ſerenum antea cœlum à collectis undique vaporibus obſcuratur, & nubes veluti velum aut tabernaculum extenduntur, *wann der Himmel überzogen wird.* Sed nota eſſe, quod oculis noſtris videtur extenſio, in Philoſophico ſenſu condenſationem potius, ſeu contractionem, *eine Einzeübung.* Attamen & denſa nubes eſt מִפְרָשׂ *expanſio*, quamdiu nubis formam ſeruat, & usque dum, concuſſis bullulis & ruptis, reſoluitur in pluuiam: Expanſiones haſce nubium oculis contemplari poteſt, jucundo ſanè ſpectaculo, quisquis per ſumma Alpium juga iter faciens illarum ortum obſeruat ex tenuibus nebulis ſurgentibus. E[t] eadem nubes, per quam veluti per nebulam ambulamus, eminus per conjunctionem opticam ſpeciem habet aulæi expanſi, præprimis inſtante pluuia aut tempeſtate, ubi ſæpe unica & parua ſeſe exhibet nubes, veluti in prima ſcena, ſed mox totum cœlum denſis obducitur nubibus.

Exigua nubes ſordido creſcens globo
Nitidum cadentis inquinat Phœbi jubar.

Senec. in Agam. act. 3.

Memorabile occurrit exemplum in Hiſtoria Eliæ 1. Reg. XVIII. 44. 45. ubi Prophetæ puer vidit primùm *paruam nubeculam, acſi eſſet hominis manus, aſcendentem de mari.* Sed mox *cœli tenebreſcebant nubibus & vento, & facta* eſt

pluuia magna. (Ecce nubecula parua quaſi ve-
um hominis aſcendebat de mari — Ecce cœ-
ontenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & fa-
eſt pluuia grandis.)

Quæ proximè ſequuntur verba Textus תְּשֻׁאוֹת ס non eodem modo explicantur ab erpretibus: immediatè ſi verteris ex Origi- i, ſiſtet ſeſe *fremitus tabernaculi ſui*, quem ſum optimè exprimit Vernacula noſtra, *das ös ſeiner Hütten*. LXX. habent ἰσότητα σκηνῆς αὐτοῦ, *æqualitatem tabernaculi ſui*, accedunt ad ıc Latinæ noſtræ *laquearia tugurii ſui*. Siue ıſideremus nubes ut tabernacula expanſa, è ibus jaciuntur fulmina, fulgura, prorum- nt magno fremitu tonitrua, ſiue tanquam uear fornicatum, certum id eſt, eſſe magni- ım DEI altiſſimi opus, quod ſibi Creator e vendicat, imo pro ſede eligit. Idem ipſe, em Dan. VII. 13. vidit *venientem in nubibus li ceu filium hominis*, veniet ἐν νεφέλῃ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Luc. XXI. 27. Idem, qui ve- ad Moſen *in denſa nube, (in caligine nubis.)* od. XIX. 9. XXXIV. 5. *Deſcendit DOMI- US in columna nubis, & ſtetit in oſtio tentorii.* ım. XII. 5. *Cœnacula ſua contignauit in aquis. ſuit nubes ſuum vehiculum, & volat pennis nti. (Qui tegis aquis ſuperiora ejus. Qui po- nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pen- s ventorum.)* Pſ. CIV. 3. Alia, quæ allegari ſſent, Sacri Codicis teſtimonia lubens nunc ıitto. Nubes inhabitat DEUS ut magnifi- s, & ut armipotens ac belliger Rex, tan- am palatium & militare tentorium: *Non DEUS ut DEUS Iſraelis, qui cœlos inequi- , auxiliator tuus, & magnificentia ejus æther , qui jam olim habitatio DEI eſt, & inferne achia in mundo extendit. (Non eſt DEUS alius, DEUS rectiſſimi: aſcenſor cœli auxiliator tuus; agnificentia ejus diſcurrunt nubes. Habitacu- m ejus ſurſum, & ſubter bracbia ſempiterna.)* eut. XXXIII. 26. 27.

Verſ. 30. פָּרַשׂ עָלָיו אוֹרוֹ *extendit ſuper ipſum men ſuum.* LXX. ἐκτενεῖ ἐπ' αὐτὸν ἠδὼ, *extendit ſuper eum Edo*, quæ vox ἠδὼ vel ἠδῶ ex mente Scholiaſtæ formata ex ὠρῶ, אוֹרוֹ, *lux, lumen;* Sic Latina noſtra, *illi ſuper expandit lucem ſuam:* ſed in ſpecie intelligi poteſt *fulgur*, quo ſplendidiſſimo fulgore circumcirca cinguntur denſæ atræque nubes. Ad literam explicauerit Textum, qui ex altiſſimi montis culmine infra ſe deſpicit nubes fulgurantes, fulminanteſque, ipſe interim gaudens aëre ſereno. Sano quoque ſenſu verba Elihu explicari poſſunt de cœlo ſupra-aëreo, obſcurationis, quam in noſtro nubes faciunt, experte, lucemque per immenſa ſpatia, vacui æmula, transmittente abſque ulla refractione, abſque obſtaculo. *Nicetas* in *Catena* אוֹר vel ἠδῶ ſumit pro *lætitia*, quam ſpeciatim excitat contemplatio Iridis, ſeu Arcus cœleſtis, hinc & nonnulla Græca Exemplaria habent τόξον, Arcum, pro ἠδῶ, ut

Mille trahat varios aduerſo Sole colores. Virg. 4. Æn.

Nuntia Junonis varios induta colores. Ouid. 1. Met.

Sed hæc interpretatio mihi longè nimis petita videtur, quamuis ipſa Iris frequens ſit tempeſtatum comes.

Difficultate tandem haud carent ultima Textus verba כִּסָּה שָׁרְשֵׁי הַיָּם *radices maris operuit, Er bedecket die Ende des Meers.* שָׁרְשֵׁי הַיָּם ῥιζώματα τῆς θαλάσσης, propriè radices maris, *Vatablo* ſunt maris ſuperficies per fluctus veluti radices diuiſa. Interpretatio utroque pede claudicans. *Nicetas* intelligit fundum maris opertum, occultum: alii extremas oras maris nubibus veluti clauſas ſiue opertas: *Dionyſius* littora maris: alii tranſitum lucis ad ipſum fundum maris. *Pineda in Job.* P. II. 729. montes, quibus alliduntur fluctus maris, inſidentque nubes fulgurantes, fulmigenæ. Notum aliunde, nubes montibus adhærentes, & horum culmina operientes recenſeri inter pluuiæ tempeſtatumque prognoſtica.

Job. Cap. XXXVI. verſ. 31.

llis enim judicium exercet in popu- los, ut det cibum copia magna.

Per hæc enim judicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.

IN his omnibus enarratis, diſpartitione lucis, caloris, nubium, pluuiæ, tonitru, fulguris demonſtrare vult Philoſophus noſter ſapientiſſimam optimamque DEI pro nobis mortalibus prouidentiam, ſed & juſtiſſimas pœnas, quas nobis infligit obſcurando cœlum, & jaciendo fulmina. *Dat populis cibum magna copia.* LXX. δώσει τροφὴν τῷ ἰσχύοντι, *dabit eſcam valido*, al. ἀκούοντι, *audienti. Symmachus*, παρέξει τροφὴν παμπόλλην, *præbebit eſcam copioſam.* Idem, quod Paulus Act. XIV. 17. Καί τοιγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, ἀγαθοποιῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς, καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ εὐφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Sunt ita nubes non ſolùm Thronus DEI, ſed & organa, quibus voluntatem ſuam exercet Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum*, inquit *Theodoretus ad Pſ. CIV.* 3. quo

quo prouidentiam ubique penetrantem declarauit; qui enim ſtat ſupra ventos & nubes, utilitatem *aut incommoditatem, quæ hinc producitur, opp*
tunè largitur.

Job. Cap. XXXVI. verſ. 32. 33.

32. Nubibus includit exhalationem igneam, eique præcipit, ut tendat contra occurrentem vaporem.

33. Nuntiatque illi ſocia ejus, quod indignetur vapori aſcendenti.

32. In manibus abſcondit lucem,
præcipit ei, ut rurſus adueniat.

33. Annunciat de ea amico ſuo: quo
poſſeſſio ejus ſit, & ad eam po
ſit aſcendere.

De luce tractant bini hi verſiculi, ſed adeò obſcurè, ut intelligi vix queant Commentatores, nedum inter ſe conciliari. Originalem ſi conſulas Textum, & literalem deſideres interpretationem, en *Ariæ* hanc, ſed caligine denſam opaca. *Super deuexa operuit lucem, & præcepit ſuper ipſam in occurrente: Annuntiabit ſuper eum amicus ejus. Acquiſitio furoris ſuper aſcendente.* Si quid in obſcura caligine vides lucis, amice Lector, candidus imperti. Idem judicium eſto de LXX. virali. ἐπὶ χειρῶν ἐκάλυψε φῶς, καὶ ἐνετείλατο περὶ αὐτῆς ἐν ἀπαντῶντι, ἀναγγελεῖ περὶ αὐτοῦ φίλον αὐτοῦ κύριος, κτῆσις καὶ περὶ ἀδικίας. *In manibus contexit lumen, & mandauit de ea in occurrenti: annuntiabit de eo amicum ſuum Dominus: poſſeſſio & de injuſtitia.* Idem de variantibus τῶν LXX. Lectionibus, quibus proin enarrandis ſuperſedeo. Quid mirum, ſi inter ſe ſint diſcordes Verſiones aliæ? ſi nos Tigurini inter nos? Quod in Latina eſt *occurrens vapor*, id in Vernacula, *das Viehe und der, welcher darauf ſteiget.* Germanica noſtra ſequitur *AbenEzram*, cujus hæc eſt mens, DEUM obtegere, vel claudere lucem manibus, i. e. nubibus, & ei, Soli, præcipere, ut dominetur pluuiæ occurrenti; & fragorem tonitrus id, pluuiæ venturæ indicium, annuntiare jumento, &, quæ forte ei inſidet, prægnanti. Tribus rem eloquar verbis. Præſentire jumenta, aliasque creaturas animatas, inſtantes tempeſtates. Latina noſtra fundatur explicatione R. *Leui* Rabbinico-Scholaſtica. *Nubibus includit exhalationem igneam*, id eſt, halitus inflammabiles, ſulphureos, ſed mox *præcipit* DEUS vaporibus frigidis, aqueis, ut nubes colligant, compingant, & igniculos il-
los quaſi incarcerent. Ipſis illis vaporibus f
gidis, ignearum exhalationum *ſociis*, ſi annu
tiatur, quod contingit, pugna exoritur veh
mens inter bina hæc oppoſita elementa, *in*
gnantur igneæ exhalationes *vapori aſcenden*
nubes perrumpunt cum impetu, atque ſic ex
ritur tonitru, fulgur, fulmen, pluuia. En M
teororum, de quibus Elihu, geneſin ex Sch
laſticorum mente! In arenam deſcendunt c
piæ armatæ, conferunt inter ſe duri certam
na Martis, halitus frigidi & ignei, obſidentu
hi intra ſua mœnia, premuntur, circumda
tur, ſed erumpunt ex nubium fortalitio, co
ferunt manus, arma armis nectunt, celeribu
pugnatur ſagittis. *Cocceji in Jobum* p. 236. hæ
eſt ἐξήγησις. *Manibus inſternit lucem, & interd*
cit ei de ſupplice: indicat ſuper illo cogitatione
ſuam, pecude, etiam de eo, quod germinat. Non
ne deſideraret quis *Jobum* commentantem *i*
Coccejum? Mens magni hujus Theologi hæ
eſt. Mandare DEUM igni ſuo fulmineo, u
non lædat eum, quem vox DEI deuota per
cellit formidine, non item pecora, non plan
tas. Subſidio venit Job. XXXVII. 1. *Ad quan*
etiam rem cor meum expaueſcit, ac luxatur è lo
co ſuo. (Super hoc expauit cor meum, & emo
tum eſt de loco ſuo.) Explicatio hæc licet ob
ſcuritate ſua haud careat, ſimplicitate tame
aliis præualet, uti & *Deodati* Gallica verſio
Il cache la flamme es paumes des ſes mains, & lu
ordonne ce qu'elle doit rencontrer. Il luy decla
re ſa volonté, ſi elle doit frapper beſtail, ou bien
plantes de la terre. Silentio prætereo lubens myſticas varias explanationes, quæ non mei ſunt fori.

Job.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 1.

l quam etiam rem cor meum ex-
pauescit, ac luxatur è loco ſuo.

Super hoc expauit cor meum, & emo-
tum eſt de loco ſuo.

VIdetur hic Verſiculus vel Parentheſis, vel vinculum, quo nectuntur verba proxime præcedentia, & ſequentia. Animo Profeſſoris noſtri obuerſa- idea cœli turbati, tonitruantis, fulminan- , tempeſtatis ſtridentibus horridæ nimbis, o DEI ipſius altiſſimi altitonantis, qui eam :itat; & ingenuè fatetur, *ad hanc rem expa- cere cor ſuum, ac luxari è loco ſuo.* LXX. Καὶ ταύτης ἐταράχθη ἡ καρδία μου, καὶ ἀπεῤῥύη ἐκ τοῦ τόπου ῆς. *Et ab hac turbatum eſt cor meum, & ef- cit de loco ſuo.* ἀπὸ ταύτης, à conſideratione omprehenſibilis ſapientiæ DEI, ut expli- it Scholiaſtæ. Fundatur hypotheſis de ter- :e, & orta inde cordis palpitatione, præ- ndio fluidi neruei, quod tantâ copia, tanto- impetu influit in totam cutim, ut conuulſa c impediatur ſanguinis circulus per extre- a vaſa, veluti in paroxyſmo febrili, & à re- lſo potius quàm promoto ſanguine obrua- tur cor, cutis palleſcat, & tota corporis compages tremat: dum interea cor fortiori tantò niſu contractum, elaſticitate aucta, hoſtem renitentem expellit: unde præcordiorum oppreſſio, δυσπνοία, palpitatio, pulſus adauctus. Conſtat ſanè, perditiſſimos etiam homines, & audaciſſimos à tonitruante DEI voce percelli. *Hominum mentes*, inquit *Seneca* L. II. *Nat. Qu.* c. 27. *Sonus ille cœleſtis loco pepulit.* Et *Ouid. I. Met.*

Juſſit & humanas motura tonitrua mentes.

Cicero I. de Diuinat. Nonne perſpicuum eſt, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuiſſent, credidiſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Jouem? Hinc Latinorum *attonitus. Attonitus eſt, cui caſus vicini fulminis, & ſonitus tonitruum dant ſtuporem. Seruius in 3. Æneid.*

Job. Cap. XXXVII. verſ. 2. 3. 4. 5.

Audite attentiùs fremitum vocis
illius, & ſonum, qui egreditur ex
ipſius ore.

Quem dirigit per omnia ſpatia ſub
cœlo, & lucem ejus ad (a) extre-
mas partes terræ.

(a) Alas.

. Poſt illum rugiet tonitru, tona-
bitque voce majeſtatis ſuæ: nec
differet (a) alia, poſtquam audita
fuerit vox ejus.

(a) Id eſt, fulmina, pluuias, grandines, & alia, quæ ſequuntur tonitrua.

. Tonabit DEUS voce ſua mirificè,
qui res maximas gerit, quas igno-
ramus.

2. Audite auditionem in terrore vo-
cis ejus, & ſonum de ore illius
procedentem.

3. Subter omnes cœlos ipſe conſide-
rat, & lumen illius ſuper termi-
nos terræ.

4. Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit
voce magnitudinis ſuæ, & non
inueſtigabitur, cum audita fuerit
vox ejus.

5. Tonabit DEUS in voce ſua mira-
biliter, qui facit magna & inſcru-
tabilia.

PRopoſiti mei haud eſt, integram condere tonitru, fulguris ac fulminis hiſtoriam, ſed ea duntaxat adferre, quæ ad rem præſentem, ad illuſtranda verba Elihu, faciunt.

Verſ. 2. שִׁמְעוּ שָׁמוֹעַ *audiendo audite*, LXX. ἄκουε ἀκοὴν, *audi auditionem.* Quo emphatico Hebraiſmo admonetur & Jobus, & Auditores cæteri adſtantes, ut non admittant duntaxat in aures tremulum aëris motum, ſed attento grauiſſimam rem penſitent animo. Nam & in Philoſophico ſenſu duplex eſt ἀκοὴ, auditio, materialis una, cogitans altera; communis illa brutis, & hominibus benè multis, organum duntaxat percellit, ſed hæc meditationem, eamque feriam, habet comitem. Diſcrimen inter utramque ſenſationem inſinuat Jeſ. VI. 9. *Audiendo audite, & ne intelligatis; & videndo videte,*

videte, neque cognoſcatis. Marc. IV. 12. Saluator noſter: ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι. Poſcit itaque à Jobo, & nobis omnibus, ut ſingulari attentione audiamus, imo בְּרֹגֶז *cum tremore* קֹלוֹ *vocem ejus*, fractæ tonitrua nubis, *ſonum, qui egreditur ex ipſius ore.* Ita ſanè Pſ. XXIX. ſepties קוֹל־יְהוָה *vox* DOMINI cluet. Hinc & magnifica, quæ gentiles Joui dedere, epitheta Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, *Jupiter altitonans:*

Cœlo tonantem credidimus Jouem
Regnare.

Horat. Carm. L. III. Od. 5.

Joui huic tonanti, qui fera terribilis jaculatur fulmina dextra, erexere Templa, eumque trementes adorarunt. Elegans eſt alloquium Septimii ad Janum:

O cate rerum Sator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea templa mundi.

Cœlum ipſum vocat *Lucretius* L. II. *Tonitralia Templa ſupernè.* Ipſa Hebræa vox הֶגֶה notat *eloquium, ſonum,* etiam *ſtrepitum, tumultum, rugitum:* & forſan voluit Elihu duabus diſtinctis vocibus exprimere varians ipſum tonitru, per קוֹל *kol, fragorem grauem*, terrificum, fulminis ſocium, per הֶגֶה *hegeh* verò raucum, reboans, murmurans: quale deſcribit *Seneca Qu. Nat.* L. II. c. 27. *Tonitruorum unum genus, cujus ſit graue murmur: quale terrarum motum antecedit, clauſo vento & fremente. — Cum ſpiritum intra ſe clauſere nubes, in concauis partibus earum volutatus aër ſimilem agit mugitibus ſonum, raucum, & æqualem, & continuum:* & tonitruum ipſam varietatem verbis proximè ſequentibus: *Aliud genus eſt acre, quod crepitum magis dixerim, quàm ſonum, qualem audire ſolemus, cum ſuper caput alicujus dirupta veſica eſt. Talia eduntur tonitrua, cum globata diſſoluitur nubes, & ſpiritum, quo diſtenta fuerat, emittit: hoc proprie fragor dicitur ſubitus & vehemens, quo edito concidunt homines, & exanimantur, quidam vero Vivi ſtupent, & in totum ſibi excidunt, quos vocamus attonitos, quorum mentes ſonus ille cœleſtis loco pepulit.*

Verſ. 3. & ſeqq. propius nunc deſcribit tonitrus fulminiſque adjuncta. *Quem dirigit per omnia ſpatia ſub cœlo.* LXX. ὑποκάτω παντὸς τοῦ οὐρανοῦ ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, *ſubter uniuerſum cœlum principium ejus.* Quodſi יַשֵׁר eſt *directio*, uti vertunt *Arias, Vatablus, Iſidorus*, Latina noſtra, commodius expreſſerit Vernacula noſtra ſenſum Textus ita, *Er wird ihn unter allen Himmlen leiten,* loco *richten;* diriget DEUS viam tonitrus, fulmineos ignes, pluuiam, tempeſtates quorſum voluerit cunque: ejaculabitur tela non ſupernè tantum, ut directionem hanc ordinariam habet flamma quæuis, ſed quoque deorſum. *Senec. L. II. Nat. Quæſt.* c. 25. & [...] *Ignis ſua natura in verticem ſurgit, &, ſi n[...] illum probibet, aſcendet; fulmen autem cadit [...] dem neceſſitate, qua excutitur.* Qui vel hi[...] θεῖον τι in fulmine arguit. *Nihil itaque dubii [...] linquere videtur, quin diuina illi virtus inſit.* [...] ciuntur nempe quaquauerſum fulmina, pro [...] rectione ignis è glomere fulmineo erumpent[...] ut ex miſſilibus globis fragore diſruptis n[...] unam habent directionem projecta fragmin[...] disjecti globi minores majori clauſi. Vulga[...] pro *dirigit* habet *conſiderat, ſubter omnes cœ[...] ipſe conſiderat:* Commentatorum, *Pinedæ* ſp[...] ciatim *in Job.* P. II. p. 732. mens hæc eſt, vi[...] DEI eſſe non in cœlo aſtrifero duntaxat, ſed [...] in aëreo manifeſtari ſupremi numinis prou[...] dentiſſimam potentiam, non eſſe acuti fulm[...] nis ignem, cujus directio in hanc illamue a[...] borem, ædem, hunc illumue hominem, no[...] ſit præciſè à DEO determinata. De ſpeciali[...] ſima hac prouidentia Amos IV. 7. *Pluuiam n[...] gaui vobis, dum adhuc eſſent tres menſes ad me[...] ſem, & pluui ſuper ciuitatem unam, ſuper alia[...] non pluui: pars una agri compluebatur, & par[...] quæ non compluebatur, exareſcebat.* (*Ego quoqu[...] probibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menſ[...] ſupereſſent usque ad meſſem: & plui ſuper una[...] ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui[...] pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam no[...] plui, aruit.*) Utut videantur ſæui fulminis ala[...] motu incerto, errabundo, ſerpentiformi ferri[...] non tamen ſunt vana & bruta, ſed eſt tota eo[...] rum via *directa*, determinata ab Eo, qui regi[...] omnia nutu. Gentiles ipſi triſulcum fulme[...] Joui dedere in manus, tanquam jaculatori dex[...] terrimo, hinc illi veteres *Etruſci tres manubia[...] Joui tribuerunt, quæ monerent, quæ noceant, qu[...] mutationem rerum inferiorum importent.* Et u[...] ignea hæc arma directionem ſuam habent à DEO, ita & fulgur: *dirigit lucem ad extrema[...] partes terræ.* LXX. τὸ φῶς αὐτοῦ ἐπὶ πτερύγων τῆς γῆς, *lumen ejus ſubter alas terræ.* Congrua ſunt verba Saluatoris Matth. XXIV. 27. Ὥσπερ ἡ ἀστραπ[...] ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν, οὕτω[...] ἔσαι καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Gentilibus ut fulmen viſum fuit pœna à Diis inflicta, ita fulgur monitorium. *Senec. L. II. Nat. Qu.* c. 12. *Fulguratio oſtendit ignem, fulminatio emittit: illa comminatio eſt, & conatio ſine ictu, iſta jaculatio cum ictu.* Haud abſque emphaſi eſt Hebræa Phraſis כַּנְפוֹת הָאָרֶץ, quæ deſignat *alas terræ*, & fulgur aëra tranans confert alitum alis expanſis: conſtat quippe Meteorum hoc halitibus ſulphureis accenſis, qui oculi nictu citius ab extrema horizontis plaga pergunt ad oppoſitam, & ſemel accenſi atque extincti iterum ignem capere poſſunt. Notandum autem, כָּנָף *canaph* notare non ſolùm auis alam, ſed extremitatem rei cujusque, I. Sam. XXIV. 5. אֶת־כְּנַף הַמְּעִיל, *oram pallii.*

Verſ. 4. *Poſt illum rugiet tonitru.* LXX. ὀπίσω αὐτοῦ βοήσεται φωνή, *poſt eum clamabit voce,* ubi

Scho-

holiaſtes ὀπίσω αὐτȣ̃ pro θελήσαντος αὐτȣ̃, volen-, jubente illo, ſimul ac voluit. Par heic iis ſonique tonitruantis eſt ratio, quæ in ex-ſis tormentis. Hæc qui eminus videt, mo-nto ignem videt, ſed ſonum tardius, pro tantiæ ratione, quod undulatim progredia-, & ſpatio minuti ſecundi emetiatur pedes glicos 1142. qua de re plura in mea *Phyſ.* I. c. 12. §. 7. Haud vacat nunc inquirere, lumen ex *Carteſii* hypotheſi ſit preſſio glo-lorum cœleſtium, vel actualis radiorum ieorum ex corpore lucente effluxus: non m volo, nec poſſum, ſcrutari τὸ διότι Pyro-hniæ hujus diuinæ, quæ tormentorum & ortariorum loco exhibet tenues aqueasque bes, attonitus μετέωρον admirans. In paral-o interim locari poteſt, quod *Lucretius* ſini-æ aliàs ob Atheiſmum famæ canit L. VI.

Sed tonitrum fit, uti poſt auribus accipiamus,
Fulgere quam cernant oculi, quia ſemper ad aures
Tardius adueniunt, quam viſum, quam moueant res.
Nunc etiam licet id cognoſcere, cædere ſi quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum;
Ante fit, ut cernas ictum, quam plaga per aures
Det ſonitum: ſic fulgorem quoque cernimus ante.

elocitas fulguris occaſionem dedit Germano-m locutioni, qui velociſſimum alicujus rei otum expreſſuri dicunt, *es gebet wie ein Blitz*, lgure citius. Et veteres Latini *fulgur* non lum cognominabant *ſubitum*, ſed & ipſam ocem *fulgere* eliſa mediâ ſyllaba pronuntia-nt raptim, ut tardè vocem ſplendere. *Senec.* *Nat. Qu.* L. II. c. 56. *Illo verbo (fulgendi) ute-ntur antiqui correpto, quo nos producta una ſylla-a utimur. Dicimus enim ut ſplendere, ſic fulgere. t illis ad ſignificandam hanc ex nubibus ſubitæ cis eruptionem mos erat, media ſyllabâ correptâ, t dicerent fulgere.* *Nicetas* ex Scholiaſtis Græ-s tonitru conſiderat non ſolùm ut ſequelam lguris, ſed ut DEI ſatellitem. In θεοφανείᾳ il-a I. Reg. XIX. 11. obſeruatus Eliæ *ventus in-ens ac fortis diffindens montes & confringens pe-ras coram* DOMINO — *poſt ventum illum ommotio — poſt commotionem ignis — poſt gnem ſibilus tranquillus ac tenuis.* Hujusmodi atellites dati quoque Joui. *Ouid.* III. *Met.* 3.

Æthera conſcendit, vultumque ſequentia traxit
Nubila, queis nimbos, immiſtaque fulgura ventis
Addidit, & tonitrus, & ineuitabile fulmen.

Silentio prætereunda haud eſt expreſſio, qua utitur Elihu, יִשְׁאַג קוֹל, *rugit voce*: ſumitur vox שָׁאַג propriè pro rugitu leonis, ſed & me-taphoricè pro quauis voce Principis, aut irati hominis, forti, ſeria, fera, intenta. Unde & LXX. βροντήσει ἐν φωνῇ ὕβρεως αὐτȣ̃, *tonabit in voce ſuperbiæ ſuæ*, in voce contumeliæ, minarum plena, *Aquila*, ὑπερφερείας αὐτȣ̃, *ſuperlationis & celſitudinis ſuæ.* Quem ſenſum confirmant ſequentia proximè verba, *tonabit voce majeſtatis ſuæ: nec differet alia, poſtquam audita fuerit vox ejus.* LXX. καὶ ȣ̓κ ἀνταλλάξει αὐτȣ̀ς, ὅτι ἀκȣ́σει φωνὴν αὐτȣ̃, *& non commutabit eos, quoniam audiet vocem ejus.* *Symmachus*, ἐξιχνιασθήσεται ἀκȣσθέντος τȣ̃ ψόφȣ αὐτῆς, quod fere ſequitur *Auguſtinus*, *& non poterit inueſtigari, cum audita fuerit vox ejus.* Latina noſtra, *nec differet alia, poſtquam audita fuerit vox ejus.* Senſus eſt, ſequi auditum tonitru mox aliud, & ſic plura tonitrua ſucceſſiuè, ut notum, non ſimul & ſemel reſonare in auribus tonitrua, ſed unum poſt aliud, ſcilicet pro ratione diſtantiæ, ex qua ſonus aduenit. Vulgata tandem, *non inueſtigabitur, cum audita fuerit vox ejus*, id fortè, quod faciles fatemur, innuit, veram tonitrus atque fulminis naturam ac geneſin à nobis mortalibus inueſtigari haud poſſe: vel & id, cui iterum pollicem premimus, non debere duntaxat inquiri à Philoſophis αἰτιολογίαν hujusmodi φαινωμένων, ſed applicari Theoriam ad Praxin, ad profundam deuotiſſimamque humilitatem, & DEI cultum. Egregia eſt confeſſio, & pudori modernis Atheis, qua *Seneca* Meditationes ſuas de Tonitru claudit: *Malo fulmina non timere, quàm noſſe; itaque alios doce, quemadmodum fiant: ego mihi metum illorum excuti malo, quàm naturam indicari.* Quanquam hæc ipſa verba torqueri quoque poſſint in alium, Authori parum fauentem, ſenſum.

Qui ſollicita mente integram de tonitru, fulgure, fulmine hiſtoriam perpendit, ſubſcribet facilis Elihu noſtro, altaque voce clamabit, *tonare* DEUM *voce ſua mirificè, res maximas gerere, quas ignoramus.* v. 5. Mirum in modum, quod haud inficias imus, creuit inde à ſeculo obſcuriſſimarum antea rerum notitia, & quotidie altum volant Philoſophi Experimentis, Mathematici Meditationibus ſuis ac Demonſtrationibus, Πυρότεχνοι in ſua arte, ſed fatebuntur omnes, ne umbram quidem attigiſſe exemplaris. Cuinam, quæſo, contigit eſſe adeò felici, ut arte parare potuerit ignem, qui intactis corporibus mollibus, facillimè inflammabilibus, vires ſuas exerceat in denſiſſima & maxime reſiſtentia? qui diffringat parietes dolii, ouorum cortices tollat, ſeruatis liquoribus contentis, nec diffluis? qui infantem in utero matris ſuffocet, illæſa matre? Enſem liquefaciat, integra manente vagina? Argentum intacto marſupio? Claudo βροντολογίαν hanc ſacram verbis *Lucretii* L. VI.

Fulmina gignier è craſſis alteque putandum eſt
Nubibus extructis: Nam cœlo nulla ſereno
Nec leuiter denſis mittuntur nubibus unquam.

Nam dubio procul hoc fieri manifeſta docet res,
Quod tunc per totum concreſcunt aëra nubes
Undique, uti tenebras omnes Acherunta reamur
Liquiſſe; & magnas cœli compreſſe cauernas:
Usque adeò tetra nimborum nocte coorta
Impendent atræ formidinis ora supernè,
Cùm commoliri tempeſtas fulmina cœptat.
Præterea perſæpe niger quoque per mare nimbus,
Ut picis è cœlo demiſſum flumen, in undas
Sic cadit, & fertur tenebris, procul & trahit atram
Fulminibus grauidam tempeſtatem, atque pr
cellis,
Ignibus ac ventis cum primis ipſe repletus:
In terris quoque ut horreſcant ac tecta requ
rant.
Sic igitur ſuprà noſtrum caput eſſe putandum
Tempeſtatem altam. Neque enim caligine tan
Obrueret terras, niſi inædificata supernè
Multa forent multis exemto nubila Sole.
Nec tanto terras hæc poſſent opprimere imbr
Fulmina abundare ut facerent, composque n
tare,
Si non extractis foret altè nubibus æther.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 6.

Niui enim dicit, ſis in terra: & nimbo, ut ſit modica pluuia, ut pluuiis ſuæ potentiæ, ut ſint nimbus.

Qui præcipit niui ut deſcendat in ter ram, & hyemis pluuiis, & imbr fortitudinis ſuæ.

PErgit Elihu conſiderationi ſuæ & admirationi ſubjicere alia Meteora, & meteorica quidem eloquentia לַשֶּׁלֶג יֹאמַר הֱוֵא־אָרֶץ, *Niui dicit, eſto ſuper terram.* LXX. συντάσσων χιόνι, γίνȣ ἐπὶ γῆς, *præcipiens niui, eſto ſuper terram.* Ut in prima Creatione Creator: *Fiat lux, factaque eſt lux*, Gen. I. 3.

Hoc opus eſt Phyſici, hic labor, inquirere in niuis figuram ſtellæformem, hexagonam utplurimùm, de qua commodior alibi dabitur loquendi occaſio, & integrum ſcripſit Tractatum *Eraſmus Bartholinus*, abſque quod enodauerit τὸ τῆς χιόνος θαυμάσιον: in dictæ niuis idem cum ambiente aëre frigus: æuiternas in jugis Alpium, ipſis etiam Vulcaniis montibus, moles; abſentia in Zona torrida: multiuarios uſus, de quibus ex profeſſo *Thomas Bartholinus.* Quarta lunâ ſibi videbantur nati *Catullus* & *Ouidius*, ſi habitatio caderet in viciniam niuis. Ille *Od.* 64.

- - - Ad Idæ retuli nemora pedem,
Ut apud niuem, & ferarum gelida ſtabula forem.

Hic *Lib. I. Pont. Eleg.* 4.

Orbis in extremi jaceo deſertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra niues.

Quum contra Septentrionalibus populis pretioſiſſimum ſit cimelium nix. Ut & nos Heluetii clementiſſimam adoramus DEI bonitatem, quod juga Alpium noſtrarum texerit a ternâ niue, & hybernâ contegat agros noſtro prata & vineas, tanquam veſte & pabuli p nuario. Docet quippe nos experientia, fert liſſimos ut plurimùm eſſe annos copioſæ niui ſequaces, quod idem de Septentrionis Regio nibus confirmat *Olaus Magnus Lib. I. Hiſt. Septentr.* c. 21. & *Lib.* XIII. c. 1.

Memorat porrò Elihu, & cum emphaſi duplicis generis pluuias. גֶּשֶׁם מָטָר, *imber pluuiæ*, LXX. χειμὼν ὑετὸς, nobis Tigurinis *modica pluuia, ein ſanffter Regen*; altera, גֶּשֶׁם מִטְרוֹת עֻזּוֹ LXX. χειμὼν ὑετῶν δυναςείας αὐτȣ̃, *tempeſtas pluuiarum fortitudinis ejus*, nobis, *pluuiæ ſuæ potentiæ ut ſint nimbus, Schläg-Regen.* Clarum attendenti vel leuiter ad Orientalium Regionum indolem, loqui Profeſſorem noſtrum de pluuia hyemali & æſtiua: tenues illæ, ſed longæ du rationis, hæ breuioris moræ, ſed denſæ, nimbi. Commentarii loco ſint verba *Senecæ: Cum ver cœpit, major indignatio aëris ſequitur, & calidiore cœlo majora fiunt ſtillicidia; ideò, ut ait Virgilius noſter, cum ruit imbriferum ver, vehementior immutatio eſt aëris undique patefacti, & ſoluentis ſe, ipſo tempore adjuuante. Ob hoc nimbi graues magis, vaſtique quam pertinaces deferuntur: Bruma lentas pluuias habet & tenues, quales ſolent ſæpe interuenire, cum pluuia rara & minuta niuem quoque admiſtam habet.* De hybernarum neceſſitate & uſu egi aliàs: Nimborum æſtiuorum denſa moles arceſſenda venit à ſubitanea aëris rarefactione.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 7.

Intra domos cogit omnes homines, ut cuncti mortales ſciant (b) opus ſuum.

(a) In manu omnis hominis obſignabit. Pluuio enim tempore clauduntur ædes undique.

(b) Id eſt, ut recenſeant, quod in agris habent, ne intereat tempeſtatibus, metentes.

Qui in manu omnium hominum ſignat, ut nouerint ſinguli opera ſua.

I*N manu omnes homines obſignabit*, בְּיַד כָּל־אָדָם יַחְתּוֹם, LXX. ἐν χειρὶ παντὸς ἀνθρώπου κατασφραγίζει, *in manu omnis hominis ſignat*, verba δυσνόητα, quorum euolutionem rammatico-criticam aliis linquo, ea tactuis duntaxat, quæ ad inſtitutum meum faunt.

Prætendunt in Aſtrologiæ fauorem *Nicous*, *Dionyſius*, alii, digito veluti monſtrare roponentem noſtrum ſigna cœleſtia, aſpectus arios, & conſtellationes, utpote quæ datæ nt in *ſigna*, *ſtata tempora*, *dies & annos*. Gen. 14. *In manu hominis obſignare* eſſe idem, quod ıdicare homini, tempora ſeminandi, plantani, metendi, hæc illaue agendi, opportuna. Quæ interpretatio adeò vana, & vix ſtipulis undata, ut non mereatur ullam attentionem, ıedum refutationem. Vix majorem meretur ttentionem D. *Thomæ* Exegeſis, rationem no›is datam in ſignum, hæc illaue agendi, vel ›mittendi; illa quoque *Titelmanni*, impreſſam ›ſſe vi manuum operatrici διάθεσιν ad hæc vel lla genera vitæ, cui quilibet hominum eſſet ıptus, mercaturæ, militiæ, ſcripturæ, opificio. *Fr. Valleſii* innoteſcere homini ex manuum contemplatione, quod data ſint hæc membra ad omne genus labores peragendos. Ut ſanè eſt *manus inſtrumentum corpori*, *ſicut animo mens*, quod *Ariſtotelis* eſt effatum *Probl. 6. ſect.* imo & organon, quo anima ipſa utitur. Verum id, ſed quæſtio eſt, an hic fuerit ſcopus Elihu. Vulgatam, *in manu omnium hominum ſignat*, *ut nouerint ſinguli opera ſua*, allegant Chiromantæ in artis ſuæ, ſi ars eſt, patrocinium, quâ μάντοι hi μαίνοντες judicare conantur de omni eo, quod accidere poteſt per vitam homini, & ex lineamentis manus veluti ex Libro Prophetico prælegere fata quæuis, proſpera & aduerſa, honores, infamiam, diuitias, paupertatem, ὀλιγοvel πολυτεκνίαν, matrimoniorum euentus, & quæ ſunt hujus generis alia. Et ne quis de diuina hac arte dubitet, allegant hi χειρο-προφῆται, quod de Paſchatis Feſto legitur Exod. XIII. 9. *ſit ſignum ſuper manum tuam.* Eſt ſcilicet, per nefandum abuſum, Scriptura Sacra uniuerſale opinionibus quibusuis abſurdiſſimis atque ridiculis aſylum, ut benè multis tegmen vitioſiſſimarum paſſionum, ſi quæ dominantur mortalibus. En quàm ſubtiliter ſciant χειρομάνται incruſtare diuinationes ſuas, imò cœlum ipſum jungere manui! *Data ſunt*, inquiunt, ſidera tum fixa, tum erratica, *in ſigna*, Gen. I. 14. Sed inſcripta eſt manui applicatio ad hominem quemuis. Et ut Diuus Johannes Apoc. I. 16. & III. 1. ſeptem ſtellas, vident hi plusquam Lyncei in manu hominis, pientiſſimi pariter ac ſceleratiſſimi, integrum Cœli Syſtema, Veneris montem ſub pollice, Jouis ad calcem Indicis, Saturni ad finem medii, Solis ſub penultimo, Mercurii tandem & Lunæ ad auricularis radicem, porrò Galaxiam, & quid non? Quæuis harum linearum, profundè ſulcata, vel obiter impreſſa, integra dimidiataue, hanc vel illam mentis διάθεσιν, hæc illaue fata indicat. Quæ omnia, imo tota hæc chiromantica ars, neque fundata ſunt ratione, neque experientia, ſed unicè in peruerſa impoſtorum phantaſia, vel ſimpliciſſimorum hominum credulitate ſuperſtitioſa. Craſſiſſimi ſanè & veruecei ingenii ſit oportet, qui cum muliercula illa apud *Juuenalem* L. VI. *Sat.* VI.

- - *ſortes ducet, frontemque manumque*
Præbebit vati.

Negari id haud nequit, fundatam eſſe quodammodo *Chiromantiam Phyſicam* in rei ipſius natura; Formantur lineamenta illa, vel ſulci volæ manus impreſſi, ex compreſſione vel complicatione manus ipſius in ipſo utero, eruntque diſtincta atque profunda, ſi infans vegetæ eſt conſtitutionis, ſuperficiaria, ſi debilis. Pari quidem paſſu cum Cheiromantia ambulat Metopoſcia, ſed id tamen haud eſt diffitendum, perſæpe prolucere ex ipſa hominis facie indolem vel bonam, vel prauam. Ex Juliani facie nil boni ominabatur *Nazianzenus*. *Tunc me non malum de hoc viro conjectorem fuiſſe noui, quanquam alioqui non ex eorum numero ſim, qui in hujusmodi rebus ſciti atque ingenioſi ſunt. Sed me morum ac geſtus ipſius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio vatem efficiebat: ſiquidem vates ille optimus eſt, qui rectè conjicere nouit: neque enim mihi boni quicquam ſignificare videbantur crura minimè firma, humeri, quos ſubinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furioſum quiddam intuens; pedes inſtabiles & titubantes: naſus contumeliam ſpirans;*

vultus lineamenta ridicula, idem ſignificantia; riſus proterui, & exæſtuantes; nutus & renutus omni ratione carentes; Sermo hærens, ſpirituque interciſus, interrogationes præcipites & imperitæ, reſponſiones his nihilo meliores, &c. Ex quo Diui Patris Textu id palàm fit, non tam attendendum eſſe ad hominis in facie vel manu lineamenta, ſi judicium ſit ferendum, ſed ad geſtus, vitæ rationem, actiones.

Vox חָתַם *chatham* in Textu obuia notat *ſignificare*, ſed proprio magis ſenſu *obſignare, claudere, occultare, confirmare ſigillo*. Ita Job. IX. 7. *Stellas velut appoſito ſigillo claudit.* (*Stellas claudit quaſi ſub ſignaculo.*) Jeſ. VIII. 16. *Colligatio teſtimonii, obſignatio legis eſt in diſcipulis meis.* (*Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis.*) Dan. XII. 9. *Clauſi ac ſignati ſunt ſermones usque ad ultimum tempus.* Ita optimè Vernacula noſtri Textus, *Er beſchleußt alle Menſchen mit ſeiner Hand*, id eſt, pluuiis copioſè ac densè cadentibus, cœlo quaſi clauſo, clauduntur & homines & intra ædes ſuas retinentur. Paraphraſin hanc ipſam dat Latina noſtr[a]. Quadrant huc Præcepta Geoponica *Pli[n.]* L. XVI. c. 6. *Malum patremfamilias, quisqu[is] interdiu faceret, quod noctu poſſet, niſi in temp[e]ſtate cœli. Peſſimum, qui ſereno die ſub tecto p[o]tius operaretur, quàm in agro. Columella de R[e] Ruſt.* L. XI. c. 1. & 12. *Ante multos dies cauen[da] ſuſpecta tempora, — menſtrui cujusque officii r[a]tionem obſeruare, quæ pendet ex ratione ſyderu[m] cœli, nam, ut ait Virgilius L. I. Georg.*

- - Tam ſunt arcturi ſidera nobis,
Hædorumque dies ſeruandi, & lucidus angui[s],
Quam quibus in patriam ventoſa per æquor[a]
vectis,
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Temporibus accommodanda opera viris, ut permi[ſ]ſerit ſtatus cœli: itaque tempeſtatibus annotati[s] cautior villicus vel abſtinere poterit operibus, v[el] feſtinationem adhibere. Vid. *Franc. Valeſ. Sacr[a] Philoſ.* c. 32.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 8.

Feraque ſubit luſtrum ſuum, & degit in ſuis cubilibus.

Ingredietur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo morabitur.

SUnt omnia animantia bruta totidem quaſi barometra viua: naturali mouentur mechaniſmo: dirigit ſpeciatim exitum è latibulis & luſtris, & quietem in his aëris æquilibrium. Hinc eſt, quod bruta benè multa ſerenum cœlum vel tempeſtuoſum præſagiant clamore, cantu, ſilentio, volatu, motibus variis. Hos intra limites ſi manſiſſet augurum ſcientia, atrum non meruiſſet lapillum. Voluminis res eſſet, non arcti Commentarii, ſi omnia hujus generis recenſere vellem præſagia ex hiſtoria piſcium, auium, quadrupedum, inſectorum. Videtur Elihu noſter ſpeciatim intendere digitum ad graues tempeſtates, tonitrubus & fulminibus ſtipatas, ſub quarum regimine non tantùm *obſignantur homines* v. 7. ſed & *fera ſubit luſtrum ſuum, & degit in ſuis cubilibus*, LXX. εἰσῆλθε θηρία ὑπὸ τὴν σκέπην, ἡσύχασαν δὲ ἐπὶ κοίτης, *introierunt beſtiæ ſub tegmen, & quieuerunt ſuper cubile.*

Job. Cap. XXXVII. verſ. 9.

Ex penetralibus (nubis) venit turbo, & nubium diſperſionem ſequitur frigus.

Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab arcturo frigus.

ENarrat Elihu ea, quæ contingunt in atmoſphæræ ampliſſimo ſimul ac inſtructiſſimo armamentario, tum durante graui tempeſtate, tum poſt eam, & nunc quidem duo Phænomena, *ventos* & *frigus*. Dictiones ſunt meteoricæ, ſed tales, quæ Profeſſorem noſtrum Sectariorum numero eximunt, & ex diuerſis ſyſtematibus explicari poſſunt.

מִן־הַחֶדֶר *de penetrali, ex penetralibus*, ἐκ ταμιείων, *de promptuariis* LXX. Notat originalis vox proprie interiora ædis conclauia, quod conſtat ex Prov. XXIV. 4. Jud. XVI. 9. Cant. III. 4. & aliis Scripturæ locis. Sed ubinam locorum ſint hæc ventorum ταμιεῖα, penetralia, quæſtio eſt non ex facile ſolubilibus: intactam eam linquit Elihu. In aſtrifero cœlo illa quærunt Aſtrologi, & ex Scholaſticis benè multi. Deſcendimus nos ad περίχωρον terræ, quærimus & inuenimus partim in *nubibus* cum Latina noſtra, partim in atmoſphæra integra, hujusque ſublato æquilibrio, partim & in ipſis viſceribus terræ,

ræ, in conſtanti, ſed inæquali, preſſione ex-
ni aëris, & contrapreſſione interni. τὸ חֶדֶר
hu *Æolum* vocabant Poëtæ Gentiles. *Virg.*
Æn.

Nimborum in patriam, loca fœta furentibus
Auſtris,
Æoliam venit. Hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Illi indignantes, magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt - - - -
Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris.

igitur ut DEI promptuarium eſt ſemper in-
uctiſſimum, ex quo, jubente EO, prodeunt
nti!

- - venti, velut agmine facto,
Qua data porta ruant, & terras turbine per-
flent.

nt ταμιεῖα hæc aperta ſemper & undique, &
orumpunt tamen venti vi veluti ex carcere
uſo. Vocabulum סוּפָה *ſuphah* reddimus
rbinem, *Sturm-Wind*, notat aliàs *Auſtrum*,
i in Arabia & Palæſtina eſt impetuoſus. *Theo-*
retus: Auſter ventus humidus eſt, nebularum
rem implet, vehementes pluuias inducit, nubes
ſoluit, aquis torrentes implet. Quàm violen-
ſit Auſtri, cumprimis anguſtas valles per-
anſeuntis, vis, atteſtari poſſunt ex Alpicolis
eciatim Glaronenſes atque Uranii. Forſan
ab hoc vocabulo סוּפָה deſcendit Latino-
m & Græcorum *Typho*. Vulgata habet *tem-*
ſtatem, LXX. ὀδύνας, *dolores*, Aquila συσσεισμὸς,
ncuſſiones, terræ motus. Junge ideas de do-
ribus parturientis, & de terræ concuſſioni-
us. Siſtet ſeſe iterum Æolus, aër ab igne
bterraneo rarefactus, denſus antea & com-
actus, tantâ vi prorumpens ex terræ interio-
s clauſtris, ut non ſolùm inde ſuccutiatur tel-
s, ſed ædes nutent, & integræ urbes cor-
uant.

מִמְּזָרִים קָרָה propriè ſignificat, *à diſper-*
entibus frigus, nam מָזַר vel זָרָה *diſpergere*,
entilare. Nos Tigurini, *nubium diſperſionem*
quitur frigus, wann die Wolcken zerſtäuben, ſo
wird es kalt; Vulgata, *ab arcturo frigus.* Et
ectè, ſi per arcturum intelligat non tam ſidus,
tellam polarem, quàm ventos ex aquilonari
laga ſpirantes, utpote qui, experientiâ teſte,
diſpergunt, diſſipant *nubes*, ſerenitatem indu-
unt cœlo, & frigus atmoſphæræ. Rem ita
concipe. Eſt aër nubibus obſcuratus terræ,
quod corpori noſtro veſtis, vel lectus: reti-
nentur prope terram ſurgentes halitus, quò mi-
nus auolare queant; & flante cumprimis au-
ſtro propius coeunt in nubes denſas & atras:
ſed ſpirantibus ex Arctoo ventis, qui nobis ad-
uehitur aër denſus valde & frigidus non dun-
taxat attollit altius Mercurium Barometri, ſed
quoque atmoſphæram expandit vi ſuæ elaſtici-
tatis, ut diſpergantur vapores, diſſipentur nu-
bes, ſereneſcat cœlum, radiique lucis tranſire
queant abſque impedimento. *Ouidius Met. VI.*
de borealibus ventis:

Apta mihi vis eſt, hac triſtia nubila pello:
Induroque niues, & terras grandine pulſo.

Euſtathius. Βοῤῥᾶς αἰθρηγενέτης, ὁ αἴθρον, τῦτ᾽ ἐςι ψύ-
χος καὶ ςίβην ποιῶν. Scopas dixeris compactas
ventos illos, quibus aër purgatur, euerritur.
Varro:

Nubes æquales frigido velo leues
Cœli cauernas aureas ſubduxerant,
Aquam vomentes frigidam mortalibus,
Ventique frigido ſe ab axe eruperant,
Phrenetici ſeptentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, Syrus.

Quæ tempeſtatis poëtica deſcriptio lucem im-
pertit explicationi *Pinedæ in Job.* P. II. p. 743.
Ventis nempe nubicogis, qui aliquando poſ-
ſunt eſſe Aquilonares & Euri, ſi nempe in via
offenderint nubes. Obſeruatur nonnunquam
pugna inter ventos, ex qua vel nimbi præcipi-
tantur, vel grandinoſa ſequitur tempeſtas, pro
natura prædominantis venti. *Ennius* 17. An-
nal.

Concurrunt velut venti, cum ſpiritus auſtri
Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine con-
tra,
Indumari magno fluctus extollere certant.

Et *Ouidius Met.* VI. Boreæ nomen ferens.

- - Cum fratres cœlo ſum nactus aperto,
(Nam mihi campus is eſt) tanto molimine lu-
ctor,
Ut medius noſtris concurſibus inſonet æther,
Exiliantque cauis eliſi nubibus ignes.

Habent LXX. heic, ἀπὸ ἀκρωτηρίων ψύχος, *ab ex-*
traneis partibus frigus, vel, *ab extremis*: Aqui-
la, vocem Hebræam retinens, ἀπὸ μα-
ζὰρ, *à Mazur.*

 Job.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 10.

Flatuque DEI dabit (nubes) glaciem, & latum ſpatium aquarum pro (a) fundamento.

(a) Vel, ſolo.

Flante DEO concreſcit gelu, & rur ſum latiſſimè funduntur aquæ.

DUbium haud eſt, eſſe heic per נִשְׁמַת־אֵל, *flatum* DEI, πνοὴν ἰσχυρᾶ, *ſpirationem fortis*, vel, ut *Symmachus*, ἐμφύσημα ΘΕΟΥ, intelligendum ventum eumque borealem, vel Aquilorientalem, utpote quo ſolo in hemiſphærio ſeptentrionali congelatur aqua, & pluuia in grandinem commutatur. Boreas ipſe apud *Ouidium:*

Induroque niues, & terras grandine pulſo.

Deprædicat equidem Elihu effecta frigoris, eaque, ut omnia alia naturæ opera, DEO tribuit, ſed ſeſe haud immiſcet controuerſiis philoſophicis; an aquæ conglaciatio fiat intromiſſione corpuſculorum certorum frigorificorum, ſeu nitroſorum, ut vocant nonnulli, vel motus, qui fluido competit, diminutione aut ceſſatione? Circa glaciem plura ſunt obſeruanda, quæ naturæ ruſpatores cruciant. Amplius, quod glacies requirit, ſpatium quàm aqua, cujusue ratio eſt ut 9. ad 8. ſiue dilatatio quædam, aut, ſi ita velis, rarefactio, non certè orta à calore, ſed à frigore: Glacies æſtiua, quæ etiam ardente Sole parari poteſt mediante ſale Armoniaco, vel Mercurio ſublimato & aceto deſtillato: rationes, cur glacies æſtate in vacuo liqueſcat citius, quàm in aëre libero? ponderis in glacie decrementum etiam in rigidiſſima hyeme: vis expanſiua glaciei, quâ non duntaxat rumpuntur vitra, ſed & vaſa fortiora diffringuntur: Aquarum dulcium facilior congelatio quàm ſalſarum: durities quaſi lapide glaciei, Gletſcherorum cumprimis: Montes h ipſi glaciales obuii tum in Jugis Alpium noſtrarum, tum & inprimis in extremo Septentrione: ſonitus lacuum congelatorum, ſi quando agunt fiſſuras: fragores, quos edunt Gletſcheri: Dendrites illi glaciales in orbibus feneſtrarum & valuis conſpicui. Quæ omnia ad hunc usque diem profundè ſepulta jacent in Democriti puteo.

Non unam admittunt explicationem ſequentia proximè verba רֹחַב מַיִם בְּמוּצָק, LXX. οἰακίζει δὲ τὸ ὕδωρ ὡς ἐὰν βέλητα, *gubernat autem aquam qualiter illi placuerit*; Arias, *& latitudo aquarum pro fundamento*; Tigurinæ, *& latum ſpatium aquarum pro fundamento*, vel *ſolo*, *die breiten Waſſer gefrieren*, quæ veluti περίφρασις placet magis. Eſt proin iterum lacuum, fluminum, marium conglaciatio ex effectibus boreæ. Alio prorſus ſenſu ſumit Vulgata vocabulum מוּצָק, ſcilicet non pro *firmo*, ſed pro *fluido*; *& rurſum latiſſimè funduntur aquæ.* Quapropter *Pineda* p. 744. ſolutionem aquarum conglaciatarum proponit tanquam auſtri effectum, præuio *Theodoreto.* Et quàm latè ſæpe diffundantur liquatæ glaciales atque niuales aquæ, teſtari nos poſſumus Heluetii. *Statius 2. Theb.*

- - - Cùm vere reuerſo
Biſtoniæ tepuere niues, ſubmittitur ingens
Ætmus, & anguſtos Rhodope deſcendit in amnes.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 11. 12. 13.

11. Nubi quoque negotium rigandi dat, ac diſſipat nubem ſuæ pluuiæ.

12. (a) Atque ipſe verſatur in orbibus tenens gubernacula, ut opera ſua perficiant, quæcunque mandat eis ad orbem ac terram.

(a) Et ipſe gyrationibus verſat ſe in gubernaculis ſuis ad opus eorum, omne quod mandat eis ſuper faciem orbis, ad terram.

13. (a) Siue uni tribui, ſiue terræ ſuæ, ſiue homini alicui beneficium conferat.

(a) Si ad tribum, ſi ad terram ſuam.

11. Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.

12. Quæ luſtrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne, quod præceperit illis ſuper faciem orbis terrarum.

13. Siue in una tribu, ſiue in terra ſua, ſiue in quocunque loco miſericordiæ ſuæ eas juſſerit inueniri.

Occur-

OCcurrunt heic iterum variantes Interpretationes verborum אַף בְּרִי יַטְרִיחַ עָב, v. 11. LXX. ἐκλεκτὸν καταπλάσσει νεφέλη, *electum format nubes*, Codices, καταπλήττει, vel καταπλήσσει, i. e. *ſtupefaciunt* hæc miracula *electum* & intelli-ntem hominem, *Symmachus*, ἀλλὰ καὶ καρπῷ ϑερίσει νεφέλη, *ſed & fructui incumbet nubes*, i. e. λεύσεται, ἐπιχυθήσεται, *ſuperueniet*, *ſuperfunde-*. Auguſtinus conjungens hæc cum ſequen-us, *frumentum ſi cupimus irrigari*, *diſſemina- nubem lucem ſuam*. Arias, *etiam ſerenitas fatigabit nubem*; Nubibus namque, vel bul-is, è quibus conſtant, ſereno cœlo diſſipatis bilitantur illæ ipſæ. Ita *Lucretius* L. II. de-ibit actionem ventorum in nubes:

- - - Nubila cœli
Verrunt, ac ſubito vexantes turbine raptant.

uum contra Tigurinæ noſtræ debilitari vo-nt nubes effuſis pluuiis. *Nubi quoque nego-um rigandi dat*, *mit der Wäſſerung machet er e Wolcken ſchwach.* Deriuant hi vocem בְּרִי radice רָוָה *irrigare*, *inebriare*. Vulgata, *umentum deſiderat nubes*, בְּרִי *frumentum* deri-ans à בָּרָה, *cibum capere*. Vult proin, agri uges anxiè deſiderare cordialia, ut ita loquar, nubibus reſolutis in pluuias. Congruunt of. II. 21. 22. *Annuam*, *annuam inquam*, *cœ-, ipſi autem annuent terræ*, *terra annuet fru-ento*, *vino & oleo*. (*Exaudiam, dicit DOMI-US*, *exaudiam cœlos*, *& illi exaudient terram*, *& terra exaudiet triticum*, *& vinum*, *& oleum*.) *uripides* apud *Ariſtot*. VIII. 2.

Cùm eſt ſicca tellus, *ipſa certè tum imbrem amat:*
Cùm turget æther, *imbre cùm cœlum tumet*,
Affectat, *ut telluris in ſinus cadat.*

ed poſtquam terra atque frumentum voti ſui ſt redditum compos.

- - - Unde alma linquentes
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges.

Ita *Lucretius*: *Cibus arborum imber eſt*. *Plin.* L. XVII. c. 2. Quæ idem porrò habet, Commentarii vicem præbebunt in verba Elihu. *Hyemem aquiloniam eſſe omnibus ſatis utiliſſimam*, *imbres verò tunc expetendi cauſa*, *euidens eſt*, *quoniam arbores fœtu exinanitas & foliorum quoque amiſſione languidas naturale eſt auidè eſurire: cibus autem earum imber*. *Ergò qui dixit*, *hyemes ſerenas optandas*, *non pro arboribus vota fecit*. *Hyberno quidem puluere lætiores fieri meſſes*, *luxuriantis ingenii fertilitate dictum eſt*. *Alioqui vota arborum frugumque communia ſunt*, *niues diutinas ſedere*. *Cauſa non ſolùm*, *quia animam terræ euaneſcente exhalatione includunt*, *& comprimunt*, *retroque agunt in vires frugum*, *atque radices: verùm quòd & liquorem ſenſim præbent*, *purum præterea*, *leuiſſimumque*, *quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt: ergo humor ex his non uniuerſus ingurgitans*, *diluensque*, *ſed quomodo ſititur diſtillans*, *velut ex ubere*, *alit omnia*, *quæ non inundat*. Alii verba Elihu ita reddunt, *frumentum fatigatur à nubibus*, ſternitur, proſternitur à nimiis imbribus. *Ouid. l. Metam.*

Sternuntur ſegetes, *& deplorata colonis*
Vota jacent: longique perit labor irritus anni.

Ex tot, quot vidimus, variantibus Verſionibus placet, quam patria peperit, reſolutione nubium in pluuias debilitari illas, minui, aërem ſereneſcere iterum. Confirmant hanc Exegeſin, quæ immediatè ſequuntur, יָפִיץ עֲנַן אוֹרוֹ, *ſpargere faciet nubem luminis ſui*, LXX. διασκορπιεῖ νέφος φῶς αὐτοῦ, *diſperget nubilum lucem ejus*; Tigurinæ, *diſſipat nubem ſuæ pluuiæ*, *mit ſeinem Licht vertreibet er ſie*, ſenſus eſt, à luce ſolis, fulguris, fulminis, diſſipari, disgregari nubes: vel, nubes pro vario ad Solem ſitu, refringendo partim, partim transmittendo radios mirè variantibus, iisque pulcherrimis ludere coloribus, uti videmus in crepuſculis. Neque contemnenda eſt *Pinedæ* ſententia *in Job*. p. 745. quæ Verſionem Vulgatæ applicat fulguri ac fulmini erumpentibus paſſim è nubibus.

Jamque erat in totas ſparſurus fulmina terras.

Verſ. 12. mihi ſatis videtur perſpicuus, licet tantùm non ſingulæ voces ab Interpretibus vertantur in lites. LXX. viralis ita: αὐτὸς κυκλώματα διαστρέψει ἐν ϑεεβουλαθὼϑ, εἰς ἔργα αὐτῶν, πάντα ὅσα ἂν ἐντείληται αὐτοῖς. *Ipſe circuitus transuertet*, *peruertet in Theebulathot*, *in opera eorum omnia*, *quæ mandauerit eis*. Symmachus, αὐτὸς κυκλόθεν ἀναστρέφεται, ἐν τῇ κυβερνήσει αὐτοῦ εἰς τὸ ἐργάζεσθαι αὐτά. *Ipſe per circuitum vertitur*, *in gubernatione ſua*, *ut ipſa operentur*. DEUM Nauarcham ſiſtit vel πηδαλιοῦχον, qui בְתַחְבּוּלֹתוֹ, ἐν ϑεεβουλαθώϑ, *in conſiliis ſuis*, vel ἐν τῇ κυβερνήσει αὐτοῦ, in Rectoratu ſuo, pro lubitu ſuo, ventos huc illuc, ut naues in pleno mari mouet, dirigit, quamuis unicè ad uſum terræ & terricolarum. Eſt ſanè nubium motus ex uno loco in alium, ex una Prouincia in aliam, diuinæ ſapientiæ ac bonitatis euidentiſſimum τεκμήριον. Si ibi duntaxat ſuſpenſæ hærerent, (ita Philoſophor in *Meteorol. Helv*. p. 11.) ubi generantur, ſolis inſeruirent illarum terrarum, quæ ſubjacent, incolis, imò hiisdem majori eſſent nocumento, quàm emolumento. Inundarent imbres nubibus effuſi, ſegetes proſterneret grando. Quæ ex mari & lacubus ſurgerent exhalationes, reciderent ibidem: Deforet humidum maximæ terræ parti, ſiti contabeſcerent animalia ac vegetabilia, & tantò quidem magis, quod careremus neceſſario tegumento, quod

  hyeme

hyeme præſeruat à rigido gelu, æſtate ab æſtu ardenti. Dant, quæ ſequuntur, Loca Commentarium Textui noſtro. Pſ. CIV. 3. *Poſuit nubes ſuum vehiculum, & volat pennis venti.* (*Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Gen. IX. 14. *Obnubam nubem ſuper terram.* (*Obduxero nubibus cœlum.*) Nubibus ipſis inſcriptum legite, quotquot adeſtis attenti, elogium DEI Job. XXXVII. 22. *Ad* DEUM *reuerendiſſimum pertinet confeſſio*, i. e. *DEO debetur gloria*, (*ad DEUM formidoloſa laudatio*,) preſſius Vernacula & ἐμφατικωτέρως, *die Herrlichkeit GOTTES iſt erſchrecklich.* Adoremus ſupremum numen ſancto tremore, ut qui non aërem ſolum, ſed & *Solem obducit nubibus.* Ezech. XXXII. 7. Qui olim *feneſtras cœli aperuit, ut pluuia fuerit ſuper terram quadraginta dies, & quadraginta noctes.* (*Cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.*) Gen. VII. 11. 12. A cujus nutu pendet, ut *denſæ nubes nimbos depluant, nubes tonitru edant, & ſagittæ diſcurrant.* (*Multitudo ſonitus aquarum: vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt.*) Pſ. LXXVII. 18. Vel, ut Elihu v. 13. qui *uni tribui, ſiue terræ ſuæ, ſiue homini alicui beneficium confert.* Vulgata מְסִבּוֹת מִתְהַפֵּךְ reddit, *luſtrant per circuitum*, Arias, *in circuitibus voluens ſe*; quæ Verſiones, uti quoque Græcæ ſupra allegatæ, indicare videntur periodicam quandam nubium ventorumque circulationem. Hujusmodi quid ſubodoratus eſt *Plinius* L. II. c. 47. ubi de ventis: *Cum proximi cadentibus ſurgunt, à læuo latere in dextrum,* (id eſt, ab Ortu ad Meridiem & Occaſum,) *ut Sol ambiunt.* Et, qui *Plinio* non dignitate & genere duntaxat, ſed ſcientiâ longè major, Solomo Eccleſ. I. 6. *A diuerſis mundi plagis venti ſurgentes meant, & in ſuos circulos venti re*[...]*uertuntur.* (*Luſtrans uniuerſa in circuitu perg*[...] *ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.*) Hujus[...]modi circulum, & plenum quidem, abſolu[...] generalis ille *Eurus* ſub Æquatore, circumci[...]ca fluens terram; circuitus quoque ſub Zon[...] torrida faciunt *Motiones*, *Mouſſons*, ventiqu[...] Periodici alii. Obſeruaſſe quoque ſibi viden[...]tur Circulum extra Zonæ torridæ limites, i[...] Europæ Climatibus noſtris ſeptentrionaliori[...]bus, *Mariotte* & *Sturmius*, ut zephyrum ple[...]runque ſequatur Aquilo, hunc Eurus, Eurum Auſter. Qui tamen circulus nondum eſt a[...] certitudinem ſuam redactus. De Circulo i[...] generali ſignificatione accepto nullum eſt dubium. Non eſt in Horizonte punctum, ex quo non ſpirare poſſint, ſpirentque venti. *Seneca L. V. Nat. Quæſt.* c. 16. 17. 18. *Totidem ventorum ſunt, quot cœli diſcrimina: nulla enim propemodum Regio eſt, quæ non habeat aliquem flatum ex ſe naſcentem, & circa ſe cadentem.* Legimus in Epiſtola Jeremiæ, quæ inter Apocryphos extat Libros v. 60. 61. *Spirare ventum in omnes regiones, & in circulos volui nubes, pro voluntate DEI.* Cæterùm pertinent huc, quæ de ventorum nubiumque uſibus ſcribit *Seneca Quæſt. Nat. L. V.* c. 18. *Inter cætera prouidentiæ opera — ex una cauſa ventos aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit: ſed primùm, ut aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilem redderent vitalemque tracturis: deinde ut imbres terris ſubminiſtrarent, iidemque nimios compeſcerent: nam modò adducunt nubes, modò diducunt, ut per totum orbem pluuiæ diuidi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit: Eteſiæ non patiuntur apud nos nubes conſiſtere: iidem totam Indiam & Æthiopiam continuis per id tempus aquis irrigant.*

Job. Cap. XXXVII. verſ. 15. 16.

15. Sciebasne, quum DEUS (a) iſtis leges imponeret, ac proferret lucem ſuæ nubis?

(a) In ponendo DEUM ſuper ea.

16. Num intelligis (b) mixturas nubis, & illa miracula perfectiſſimæ ſcientiæ?

(b) Quidam legunt miphleſe, librationes, i. temperaturam ex variis coloribus.

15. Nunquid ſcis, quando præcepit DEUS pluuiis, ut oſtenderent lucem nubium ejus?

16. Nunquid noſti ſemitas nubium, magnas & perfectas ſcientias?

Peregrinationem ſuſcipit Elihu Literariam cum Jobo, ſed non in aſtriferum cœlum, inquiſiturus diſtantias Fixarum ab inuicem, Cometarum naturam, orbes atque reuolutiones, imo ne quidem ad cœlum Saturni, Jouis, aliusue Planetæ; non extendit ſe vel deambulatiuncula, vel Iter, ultra dimidium vel unicum milliare, in cœlum noſtrum aëreum. Non quærit Neo-Profeſſor res remotiſſimas, quæ non deteguntur niſi teleſcopiis, ſed viſui ordinario quotidie obuias. Sic capiuntur ex Literatis, qui imaginationis plus habent quàm ſcientiæ, altos ſibi ſumentes ſpiritus: Theologi, qui virgulâ orthodoxiæ cenſoriâ perſtringunt & viuos, & remotiſſimorum à nobis ſeculorum homines, vix

per

tranſennam notos, ipſi ne quidem ex Claſ-
rima τῦ γνῶθι σεαυτὸν promoti: Politici, qui
ana omnium Principum veluti digito tan-
t, patriarum rerum ignari: Philoſophi, qui
etiſſima naturæ penetrare prætendunt, ea
:m, quæ pedibus quotidie premunt, oculis
ia nudis, tanquam vilia contemnunt: Bo-
ci, qui digitis enumerare norunt Indiæ
usque vegetabilia, ſed plantas in proximo
uis prato naſcentes ignorant: Digni hujus-
di ἀυθάδεες, qui ex ſcamno Literatorum pro-
ueantur ad imæ plebis ſubſellia, cujus eſt
iirari rara, quum contra verè eruditi admi-
one rapiantur eorum, quæ aliis vilia viden-
, & attentione indigna. Egregia ſunt, quæ
et *Seneca Qu. Nat.* L. VII. c. 1. *Quamdiu
a decurrunt, magnitudinem rerum conſuetudo
lucit: ita enim compoſiti ſumus, ut nos quoti-
ia, etiamſi admiratione digna ſunt, tranſeant:
ra minimarum quoque rerum, ſi inſolitæ pro-
unt, ſpectaculum dulce fiat. Hic itaque cœ-
Aſtrorum, quibus immenſi corporis pulchritu-
liſtinguitur, populum non conuocat. At cum
uid ex more mutatum eſt, omnium vultus in
o eſt. Sol ſpectatorem, niſi cum deficit, non ha-
Nemo obſeruat Lunam, niſi laborantem.
quid turbatum eſt, aut præter conſuetudinem
cuit, ſpectamus, interrogamus, oſtendimus.*
Sciebasne, ita Elihu ad Jobum, *quum DEUS
leges imponeret?* בְּשׂוּם, *ſcies in ponendo*,
X. οἴδαμεν ὅτι ὁ ΘΕΟΣ ἔθετο ἔργα αὐτῦ, *ſcimus,
a poſuit DEUS opera ſua;* ſic Symmachus
ηματικῶς, ἆρα γνώσῃ, πότε ὁ ΘΕΟΣ ἔταξεν περὶ αὐ-
; *nunquid noſces, quando conſtituet DEUS
ipſis?* quam quæſtionem non tam efficaci-
proponit Vernacula noſtra, quàm Latina,
iſſeſt du auch, wann GOTT dieſe Dinge thut?
nti nominis, famæ tantæ Philoſophus atque
eologus, qualis tu tibi, Jobe, videris, ne
ges quidem noſti generales motus, guberna-
nis atque conſeruationis mundi? ne Meteo-
quidem, in atmoſphæræ magnifico theatro
otidie obuia? *Sciebasne, quum proferret lucem
e nubis?* LXX. φῶς ποιήσας ἐκ σκότυς, *cum face-
t lumen de tenebris?* eo tempore, quo juſſu
EI *fieri* debebat *lux, & facta eſt lux.* Gen. I. 3.
oſtine, ex AbenEzræ aliorumque Doctorum
ebræorum mente, quo modo, ordine, qua
tione DEUS terram nunc operiat nubibus,
imque obſcuritate inuoluat, nunc diſſipando
aria illa pendula radiis Solis aditum conce-
at, juxta quas leges hæc fiant? Vel, ex Vul-
ata, quandonam DEUS pluuiæ præcipiat, ut
ſe effundat ſuper terram, aëremque reddat
ſerenum? Vel, ex *Vatabli, Cocceji* interpretatione, quomodo DEUS rutilas per nubila flammas ſpargat, & acutis fulminis ignibus concutiat celſas à vertice turres? Vel, juxta *Pinedam*, rationem cœlorum illorum pulcherrimorum, quibus ſuperbit Iris Thaumantidis filia, pluuiæ nunc præcedanea, nunc ſubſequa? *Lucret.* L. VI.

Hinc ubi Sol radiis tempeſtatem inter opacam
Aduerſa fulſit nimborum aſpergine, contra
Tum color in nigris exiſtit nubibus arqui.

Num, mi Jobe, *intelligis mixturas nubis?* LXX. ἐπίςαται δὲ διάκρισιν νεφῶν, *ſcit autem differentiam nubium.* Textus originalis מִפְלְשֵׂי, *libramenta*, à פַּלֵּס, *librare, ad libellam dirigere;* optimè ſic Vernacula noſtra, *wie ſich die Wolcken in der Waag halten.* Hoc ſenſu occurrit Prov. IV. 26. *Librato* פַּלֵּס *orbitam pedum tuorum.* Chaldæus, מְבַשׁ קַרְנֵי, ἐξετάσεις, Targum, *quæſtiones, inuolutiones* à פַּלַשׁ *inuoluere, miſcere, conſpergere*, hinc Latina noſtra, *mixturas nubis:* Complutenſes, *extenſiones, expanſiones.* Rabbini multi cum Græcis *varietates, differentias;* ſic reddi poteſt τῶν LXX. διάκρισις, quæ vox notat etiam diſſolutionem, ſeparationem. Reciprocent contentionis ſerram, quantum quidem lubuerit, Critici & Lexicographi circa genuinum vocis מִפְלְשֵׂי ſignificatum. Id monuiſſe mihi, ὡς ἐν παρόδῳ, ſufficit, ſummâ utique admiratione dignam eſſe nubium in libero aëre, tenuiſſimo elemento, natationem, nubium, inquam, quarum particulæ ſunt aëre ſpecificè grauiores: æquilibrium grauioris corporis in leuiori ſemper idem, mutatum ſemper; Nubium porrò varietates, mixturas, colorum diuerſitates & elegantiſſimos ordines, omnibus pictoribus inimitabiles: vias tandem vel *ſemitas*, ut Vulgata habet in Textu, non facilius perſcrutabiles, quàm eſt *via aquilæ in aëre, via ſerpentis ſupra petram, iter nauis in pelago; (via aquilæ in cœlo, via colubri ſuper terram, via nauis in medio mari.)* Prov. XXX. 19. Sunt omnia hæc מִפְלְאוֹת תְּמִים דֵּעִים, *mirabilia perfecti ſcientiis*, θαύματα ὀρθογνώμονος, v. 16. Verſiones noſtræ, *miracula perfectiſſimæ ſcientiæ, Wunder deſſen, der eine vollkommene Wiſſenſchafft hat.* Verbo; nemo eſt adeò ſtupidus, qui non, ſi ratione eſt præditus, ex nubium miraculis euidentiſſimè perſpiciat DEI infinitam ſapientiam, potentiam, attributa alia perfectiſſima.

Job.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 17.

Ut tuæ veſtes caleant, cum terræ quietem ac tranquillitatem inducit à Meridie?

Nonne veſtimenta tua calida ſunt cum perflata fuerit terra Auſtro

PErgit in aëris elemento volare, vel natare, ſaltem verſari Elihu. Quod conſideravit hactenus tempeſtuoſum, ventis agitatum, nunc aſpicit placidum, mite, calidum: Spirabat hactenus improbus, gelidusque boreas, ruebant unà Eurusque Notusque, flat nunc Auſter lenis; vel &, ſi Notus aduerſa prælia fronte geſſit, redit aëri tranquillitas, terræ, vegetabilibus atque hominibus calor: Qui aër antea fuit denſus, compreſſus, elaſticus, nunc leuis eſt, tenuis, ut eo prædominante poſſit internus, in extremis vaſculis animatorum corporum & plantarum contentus, ſeſe extendere, & fluida circulos ſuos abſoluere. Sol namque ex ſignis hyemalibus ad æſtiua tranſiens aëri ipſi majorem conciliat caloris gradum, majoremque ſemper, quò altius aſcendit ad noſtrum Zenith. Luc. XII. 55. Νότον πνέοντα λέγετε, καύσων ἔσαι, καὶ γίνεται. Hanc aëris ab Auſtrinis ventis dilatationem non ſequitur ſemper ſerenitas, ſed potius, Vere noſtro teſte, pluuioſum, bullulis aqueis propius propiusque coeuntibus, & collabentibus in guttas. Audite *Senecam* L. IV. *Nat. Qu.* c. *Cum ver cœpit, major indignatio aëris ſequitu[r] & calidiore cœlo majora ſunt ſtillicidia, ideo,* ait *Virgilius,*

Cum ruit imbriferum ver,

vehementior immutatio eſt aëris undique patef[a]cti, & ſoluentis ſe, ipſo tempore adjuuante. [O]b *hoc nimbi graues magis vaſtique, quàm pertin[a]ces deferuntur; Bruma lentas pluuias habet* [&] *tenues. Auſtro imber improbior eſt, & gutt[æ] pleniores ſunt.* Et nuncupat *Plinius* L. II. c. 47 cum Elihu noſtro *Auſtrum æſtuoſum, Italiæ h[u]midum: Auſtro majores fluctus adduntur, quà[m] Aquilone, quoniam ille infernus ex imo maris ſp[i]rat, hic ſummo, ideoque poſt Auſtros præcipui te[r]ræ motus.* Loquitur Elihu de *calefactione v[e]ſtium*, innuens, in Orientalibus Regionibus aëre à calore dilatato, veſtes ipſas hominibu[s] reddi graues, augere calorem, quo aliàs fer[e] diffluunt, ob quam etiam rationem nudi pen[e] incedunt homines.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 18.

An cum ipſo extendebas æthera in ſolidum, ut videatur res fuſilis?

Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſ[i] ſunt.

FAuet hic Textus, ſi literali Textui inhæreas, Philoſophiæ illi decrepitæ, quæ dudum extremum ſuſtinuit fati, & ſtellas tum fixas, tum erraticas, orbibus affixit, infixitque, ſolidis cryſtallinis. Quid enim, ſi hi non, ſunt שְׁחָקִים חֲזָקִים, *æthera fortia, æthera in ſolidum*, LXX. ςερεώσεις, *firmationes?* Vel, quid aliud ſibi vult Aquilæ expoſitio, αὐτὸς ἐςερέωσε τὸν ὀυρανὸν εἰς τροπὰς, *ipſe firmauit cœlum in verſionibus*, & Scholiaſtæ *congelationes*, κρυςαλλώσεις? Ita ſanè ſumſere plerique Commentatorum veterum. Sed obſeruandum probè, Elihu cum Jobo in itinere ſuo nondum perueniſſe ad cœlum aſtriferum, non ultra aëreum. שַׁחַק heic idem notat, quod שָׁמַיִם, & hæc vox ſæpe ſæpius in Sacris aërem, vel atmoſphæram, denotat, ſiue ipſum רָקִיעַ, *expanſum, die Ausdehnung, die Veſte.* Gen. I. 6. 7. 8. *Expanſum* minimè ſolidum, ſed ſubtilis tenuitatis fluidum. Ita & de cœlo *Plinius* L. II. c. 38 *Hoc cœlum appellauere majores, quod alio nomine aëra, omne, quod inani ſimile.* Elihu oculis mentique, obuerſatur cœlum hoc aëreum, apertum id poſt grauem tempeſtatem, longè lateque expanſum, cœrula cœli, qui color non cum plebe quærendus venit in aſtrifero cœlo, ſed in optica aërei elementi condenſatione. Hocce nunc cœlum ſerenum comparat Elihu pereleganter cum רְאִי מוּצָק, *ſpeculo fuſo.* LXX. ἰσχυραὶ ὡς ὅρασις ἐπιχύσεως, *validæ, ut viſio effuſionis*, Aquila, ἐνισχύουσαι ὡς ὅρασις συγχύσεως, *validæ, ut aſpectus fuſionis.* Chaldæus habet *ſpecularia*, R. *Leui vitrum*, ob pelluciditatem. Occurrit & apud Poëtas veteres profanos χάλκεος ὀυρανὸς, & χαλκοβατὲς δῶ. *Homerus* πολύχαλκος ὀυρανὸς, *æreum cœlum*, & LXX. רָקִיעַ, ςερέωμα, *firmamentum*, quod verbum etiam Germanica Lingua transfert. Iſtæ comparationes certum,

natu-

uræque rerum conformem ſenſum habent. n carent hæ locutiones ſuo ſenſu, eoque æquato. Habet ſanè cœlum ſpeciem ſpei fuſi, vel fornicis ſpecularis concaui. Eſt lum hoc aëreum fluidum, imo fluidiſſimum, tamen firmum; fluidum, quia ejus partes icem perpetuò mouentur; firmum, quia li- es à DEO ſibi poſitos non excedit, firmum n minimis ſuis particulis, ſummè elaſticis. tanta elementi hujus elaſticitas, expanſiua , מוצק, quæ in terræ motibus, actione pul- is pyrii, ædes, urbes, montes ſuccutit at- e ſubuertit. Audite *Senecam* L. IV. *Qu. Nat.* . 7. 8. ubi inter alia: *Conſideremus, quàm in- tem vim per occultorum agant paruula admodùm ſemina; & quorum exhalatus in commiſſura lapidum vix locum inueniat, in tantum conualeſcunt, ut ingentia ſaxa diſtrahant, & in momenta diſſoluant ſcopulos, rupesque radices minutiſſimæ, ac tenuiſſimæ. Hoc quid eſt aliud, quàm intenſio ſpiritus,* (hæc ipſa eſt vis, quam elaſticitatem vocamus hodie) *ſine qua nihil validum, contra quam nihil validum eſt. Quid eſt autem, quod magis credatur ex ſemetipſo habere intenſionem, quam ſpiritus? hunc intendi quis negabit, cum viderit jactari terram cum montibus; tecta, murosque plures, & magnas cum populis urbes, cum toties maria littoribus? Oſtendit intenſionem ſpiritus velocitas ejus & diductio.* Vid. *Calceol. Muſ.* p. 445. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 361.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 21.

Jam verò quum lucem non viderunt, hoc eſt, ſerenitatem in æthere, ventus flans ſerenabit eum.

(a) Et nunc non viderunt lucem, ſerenum ipſum in æthere, & ventus tranſiuit.

At nunc non vident lucem: ſubito aër cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas.

Eſt hoc Thema moralis potius quàm Phyſici uſus. Serenaſcente aëre, nubibus diſſipatis à ventis, flagrantiſſimam Solis faciem nudis oculis intue- haud poteſt homo, absque quod patiatur ſus organon. Inter lucem & oculum pro- ortio adſit neceſſe eſt. Hinc qui per niues r facit, vel ex tenebricoſo carcere ſubitò in as prodit luminis auras, cœcitatis incurrit riculum. Ita Jobum docere vult Elihu, non poſſe nos terrellæ miſeros vermiculos ſufferre ſplendidiſſimum Diuinarum Perfectionum jubar. *Cogitationes meæ non ſunt cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit* DOMINUS. *Sed quemadmodum cœli terra ſublimiores ſunt, ita excedunt viæ meæ vias veſtras, & cogitationes meæ cogitationes veſtras.* (*Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*) Jeſ. LV. 8. 9.

Job. Cap. XXXVII. verſ. 22.

enitque à ſeptentrione ſerenitas auro ſimilis: (a) ad DEUM reuerendiſſimum pertinet confeſſio.

(a) Super DEO reuerendo gloria ſiue confeſſio, i. e. ei debetur gloria.

Ab aquilone aurum venit, & ad DEUM formidoloſa laudatio.

SI quis eſt, qui dubitat, aërem eſſe aurum, & aurum auram, eum ſcrupulo liberabunt verba Textus noſtri, מִצָּפוֹן זָהָב *ab aquilone aurum;* nam hæc ipſa à Judæis, Interpretibus & Verſionibus benè mul- is, quas inter ſunt Tigurinæ, Anglica, red- luntur per *ſerenitatem,* ſic nos, *à Septentrione ſerenitas auro ſimilis, von Mitternacht kommet helles Wetter.* LXX. ἀπὸ βοῤῥᾶ νέφη χρυσαυγοῦντα, *ab aquilone nubes coloris aurei.* In tanto ſen- tentiarum diuortio id ſolatio nobis eſt, quod aſſentiri poſſimus utrique. A Borea certè ſe- renitas, aſcendunt aquilone regnante barome- tra, diſperguntur vapores aquei in aëre longè lateque. Sed animaduertendum, reſpondere regulam hanc hemiſphærio terræ ſeptentrionali, meridionalis quippe oppoſita eſt ratio: trans Tropicum Capricorni ſunt aquilonares venti humidi, boreales frigidi, ab his ſerenaſcit aër, regnantibus autem illis effunduntur imbres. Differuit Philoſophus noſter applicatiuè ad patriam ſuam, ſed quoque extendi poteſt hoc Geoponicum præceptum ad totum hemiſphærium terræ boreale, regiones cumprimis trans Cancri Tropicum ſitas. Verum item, *ab aquilone venire aurum:* quodſi vocabula Textus in genuino ſumenda ſint ſignificatu, quod *Relandus* vult *Diſſ. de Paradiſo* p. 24. digitum inten- dit

dit Elihu ad Colchicum illud *Aurum* ſeu *Heuilah*, Gen. II. 11. & potius ad Colchicum hoc, quàm ad Hungaricum, quoniam Colchis Arabiæ & Palæſtinæ reſpectu ſita eſt ad Septentrionem, imò & reſpectu Græciæ, ut huc trahi poſſint Jaſonis illa apud *Valerium Flaccum* L. V. *de Colchide.*

- - - - *Nec fama fefellit*
Soligenam Aeeten media regnare ſub Arcto.

De hoc Colchidis auro plura videas ad Gen. II. 11.

Claudit Elihu Meteorologiam ſuam hoc conſectario עַל אֱלוֹהַּ נוֹרָא הוֹד, *ſuper DEUM terribilem decoris.* LXX. ἐπὶ τούτοις μεγάλη ἡ δόξα, καὶ τιμὴ παντοκράτορος, *in his magna eſt gloria & honor omnipotentis*, Theodotio, ἐπὶ τῷ ΘΕΩ μεγάλη ἡ δόξα, *in DEO magna eſt gloria*, Symmachus, ἐπὶ δὲ ΘΕΟΥ φοβερὸς αἶνος, *de DEO autem terribilis & admirabilis eſt laudatio.* Vulgata *ad DEUM formidoloſa laudatio.* Eſt ſanè res ut majeſtatis reſpectu DEI, ita timoris reſpectu noſtri, plena, ſicubi nubes atræ obtegunt horizontem, fulgur rumpit nubes, & terque quaterque tremulum ingeminat jubar, tumultus ætherei reſonant, & horrorem incutiunt irato numine terris fulmina; ſi tremit abdita murmure tellus, concuſſi collabuntur montes, & poſt hæc omnia purgatus nitet diſcuſſis nubibus æther. In his omnibus certe gloria omnis & ſola ſoli debetur DEO, potentiam ſuam, ſapientiam, bonitatem clariſſime manifeſtanti. Teſtes ſint omnes Scriptores Sacri, Dauid cumprimis Pſal. XVIII. Vid. *Wilkins Vertheid. Copernic.* P. II. p. 33.

TAB. DXXIX.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 4. 5. 6.

4. Ubi eras, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ?
5. Quis adhibuit ei menſuras? ſi modo noſti. Quis eam ad regulam extruxit?
6. In quo fundamento fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem ejus angularem?

4. Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam?
5. Quis poſuit menſuras ejus? ſi noſti? Vel quis tetendit ſuper eam lineam?
6. Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus?

Conduxerat, quod vidimus, Elihu Jobum in cœlum aëreum, demonſtraturus DEI potentiſſimam ſapientiam, & ſapientiſſimam bonitatem in nubibus, fulgure, tonitru, fulmine, cœlo ſereno. Nunc ducit Altiſſimus pientiſſimum patientiæ infractæ virum propius ad terram, Planetam mole quidem magnum, utpote cujus capacitas 2662560000. milliarium Cubicorum, ſed qui cum aliis corporibus totalibus mundi collatus vix pulviſculi nomen meretur: Globum ingentem, in medio aëre ſuſpenſum, liberè in cœlo natantem: qui ſeſe portat ipſum, ſibi tamen haud grauis: quem Creator poterat momento producere ex nihilo, ſed pro liberrimo ſuo arbitrio ex Chaotica congerie, vel Atmoſphæra Cometica, elaborauit Hexaemeri ſpatio. *Erat* enim *terra inculta ac vacua, tenebræque ſuper abyſſum.* Gen. I. 2. vaſtiſſimæ molis ædificium, omni ad vitæ voluptatem, commoditatem, neceſſitatem ſuppellectili inſtructum: pulviſculum, quod ipſe DEUS dignatus eſt elogio *ſcabelli pedum ſuorum*, ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ. Eſai. LXVI. 1. Act. VII. 49. 50. imo ἐν πληρώματι καιρῶν perſonali ſua & corporeâ præſentiâ, prolapſum in turpem ἀποστασίαν & miſerrimè deperditum genus humanum ſanguine ſuo redempturus.

Terræ hoc ædificium in theatrum producit DEUS ipſe ἀρχιτέκτων, & Phraſibus quidem Architecturæ propriis. *Ubi eras, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ?* LXX. Ποῦ ἦς ἐν τῷ θεμελιοῦν με τὴν γῆν; ἀπάγγειλον δὲ μοι εἰ ἐπίστῃ σύνεσιν. Ex Creationis Hiſtoria conſtat, conditum eſſe hominem non primo ſed ſexto demum die, habitaculo ſuo jam tum plenè cum omnibus ſuis partibus elaborato, magnificè exornato, & omni ſupellectili ad vitæ tum commoditatem, tum neceſſitatem, inſtructiſſimo. Procul eſſe debebat ab homine jactantia de vel minimo ad tantum opus concurſu, vel conſilio. DEO ſoli optimo & ſummo jure competit hæc *creatæ terræ* gloria. Gen. I. 1. Exod. XX. 11. Pſal. XC. 2. & in innumeris aliis Scri-

IOB. Cap. XXXVIII. v. 4. 5. 6.
Terra Dei ἀρχιτεκτόνημα.

Buch Hiob Cap. XXXVIII. v. 4. 5. 6.
Die Erde Gottes Kunſt = Gebaude.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

ꝛturæ locis. *Ubi eras* igitur, impotentiſ- homo, eo tempore, quo Potentiſſimus partes terræ non ſolùm preſſionis arctiſſi- vinculo colligaui inuicem, ſed quoque lo- ita, ut extra orbitam ſuam ne latum qui- unguem diuagari poſſit, & tamen in flui- no cœlo promoueri ſemper? quo *terram* aui *ſuis* jam nominatis *baſibus*, *ut ſempiter-* ꝛmporibus non moueretur. (*Qui fundaſti ter- ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in* um *ſeculi.*) Pſal. CIV. 5. Nonne eras tunc nmenſo illo Nihili abyſſo? vel potentiali- reſpectu nempe ad Me, in maſſula terræ me creatæ? *Ubinam eras*, commixtis ad- inuicem terræ & aquæ elementis, tunc n *abyſſum occultaui, quaſi veſtimento, ut ſu-* montes *ſtarent aquæ?* (*Abyſſus ſicut veſtimen- amictus ejus: ſuper montes ſtabunt aquæ.*) CIV. 6. antequam *aſcenderunt montes, & in* ꝛs *deſcenderunt*, (*aſcendunt montes, & de-* lunt *campi in locum, quem fundaſti eis,*) ibid.

Vel, priusquam Ego *dixi*: *Congregentur* e *ſub cœlis unum in locum, ut appareat con-* ꝛs. Gen. I. 9. Non duntaxat in Sacris ex- ꝛitur, & clarè quidem, chaoticum hoc flui- um ſolidorumque Μίγμα, ſed memoratur que Scriptoribus profanis. *Anaxagoræ* d *Laërtium*. Πάντα χρήματα ἦν ὁμȣ͂. Ἔιτα Νȣ͂ς ꝛν ἀυτὰ διεκόσμησεν. *Omnes res erant unà; Tum* it *mens, easque diſtinxit, ordinauitque.* Cla- adhuc oſtendit *Epicharmus* apud citatum rtium in vita *Platonis* ex una parte æterni- m DEI & omnipræſentiam, τὸ ἀεὶ παρῆναι, ltera mundi, imò Chaos ipſius, à DEO de- dentiam.

Ἀλλ᾽ ἀεί τοι Θεοὶ παρῆσαν, καὶ ὑπέλιπον ȣ̓ πώποκα.
Τάδε δ᾽ ἀεὶ πάρεσθ᾽ ὅμοια, διὰ δε τῶν ἀυτῶν ἀεί.
Ἀλλὰ λέγεται μὰν χάος πρῶτον γενέσθαι τῶν θεῶν.
Πῶς δ᾽; ἀμήχανόν γ᾽ ἀπό τινος μηδὲν ὅ,τι πρᾶτον μόλοι.
Ουκ ἄρ᾽ ἔμολε πρᾶτον ȣ̓δὲν, ȣ̓δὲ μὰ Δία δεύτερον.

Semper adfuit DEUS, neque ullo tempore ab- fuit.
Ita ſemper permanent eadem, nec altero modo,
Dicitur quidem Chaos primum extitiſſe numi- num.
Qui pote? haud quicquam venit primum exiens a quopiam.
Ergò primum vel ſecundum venit indubiè nihil.

ꝛne, *Arcades* illos fuiſſe, quod arrogantes ja- ꝛbant, Proſelenas, teſte *Plutarcho Quæſt. Rom.* . imo *Præadamitas* concede *Peirerio*: id in- iari haud poteris, haud fuiſſe vel hos, vel il- s ante terram conditam. Inconcuſſa manet mper DEI ad Jobum directa quæſtio; *ubi* as, *quum terræ fundamenta jacerem?* ad quam uæſtionem vellem reſponderent glorioſuli illi *thenienſes*, qui *Terrigenæ* per excellentiam uent, tanquam mortalium primi ex terra pro- nati. De quibus *Cicero de Orat. De quorum vobis poſſeſſione propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt, quæ vetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur, ut eorum eadem terra parens, altrix patria dicatur.* Et *Plato* in *Menexeno*. *Eo tempore, quo tellus omnia animalia omnigena producebat, feras, & armenta, terram duntaxat illam adhuc ſterilem, agreſtibusque animantibus vacuam, propriè verò ex omnibus animantibus hominem genuiſſe, qui cæteris intelligentia præſtat, ſolusque jus ac Deos colit. Auſonius* in *Catalogo Urbium nobilium.*

Nunc & terrigenis Patribus memoremus Athenas
Pallados - - - -

Parallelum eſt quæſtioni, quam enodandam ſumſimus, & inconcuſſæ veritatis alloquium Eliphazi ad Jobum XV. 7. *Omniumne hominum tu primus natus es? & formatus es ante colles?* Eſt locutio in Textu obuia petita mutuò ab ædificio omnibus aëris injuriis expoſito, firmiſſima ſede locato, ſolidiſſima baſi fundato, tempeſtatibus quibusuis inuicto. Manet ſemper terra ſolida, firma, fundata, mota licet conſtanter ex Copernicanorum mente: fixa in centro ſui vorticis, in eadem ſemper orbita, usquedum inde excuſſa Cometæ induitura erit naturam, ſectatura vias. Eccentrici fiunt ipſi Ptolemaici, ſiquidem ex Textu noſtro probare conantur, eſſe terram uniuerſi centrum, tectum hujus tugurioli cœlum totum aſtriferum.

Quis adhibuit ei menſuras? ita porrò DEUS ad Jobum v. 5. *ſi modo noſti? quis eam ad regulam extruxit?* LXX. τίς ἔθετο τὰ μέτρα ἀυτῆς, εἰ οἶδας; ἢ τίς ὁ ἐπαγαγὼν σπαρτίον ἐπ᾽ ἀυτῆς; *Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? aut quis eſt, qui induxit ſuper eam funiculum?* Pro σπαρτίον Aquila habet κανόνα, *canonem, regulam*, Symmachus χοινίον μέτρȣ, *funiculum menſuræ*. Non hæc meteorica adlocutio Geometræ, Architecti & Mechanici ſummi eò tendit, ut interdicat nobis terræ emenſurationem, ſed id terricolas docet ὁ παντοκράτωρ, quod terr-aqua-aërium Syſtema omnipotenti ſuo nutu creauerit conformiter ideis ſapientiſſimis, quas in mente ſua diuina habuit πρὸ καταβολῆς κόσμȣ: ut Architecti prudentis eſt, ædificio quærere ſpatium debitæ longitudinis atque latitudinis, deſignare id protographicè, fundamenta jacere, muros perpendiculares extruere, conclauibus ſuum cuiuis locum aſſignare. Pari namque ratione placuit Supremo Numini, quod nutu ſuo temperat orbem, terræ & vorticis terrei longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem exactiſſimè dimetiri, partium ſolidarum ad fluidas proportionem, aquarum, montium, aëris, diſtantiam Terræ à Sole, caloris & lucis largiſſimo fonte, & ſic quoque Planetarum reliquorum,

rum, præciſiſſimè determinare, omnia certo numero, pondere, menſura. Poſtquam nunc terra hæc noſtra, habitaculum noſtrum, per tot annorum Chiliades ſtetit inuariata, & tamen mutata in dies, non ſolùm licet nobis eam conſiderare probè ac dimetiri, ſed docet nos terricolas, imo injunctus eſt labor tendens ad gloriam ſummi Architecti: qui nondum quidem, adhibitâ licet omni induſtriâ, ad perfectionis ἀκμὴν eſt deductus; quæ imperfectionis labes adhæret omni corporum non ſolùm totalium, ſed minimorum ſcrutinio. Hunc qui ſuſcipit laborem, is fundamentis non ſolùm Geometriæ, ſed & Aſtronomiæ imbutus ſit neceſſe eſt. Quantus autem ille ſit, quanta ſit adhibenda ἀκρίβεια, quanti impendendi ſumtus, teſtari poſſunt Ludouici XIV. cognomento Magni, Galliarum Regis, Mathematici, qui tanti momenti opus felicibus & Regiis auſpiciis, præterito ſeculo, ſuſcepere audacter, & finiere feliciter. Haud extra rhombum fore judicabit beneuolus Lector, ſiquidem Geometriæ hujus magnæ ſuccinctam, quàm fieri poterit, dedero relationem Hiſtorico-Mathematicam, mutuò petitam inprimis ex Opere Regio, *Meſure de la Terre*, Pariſiis A. 1671. edito, ſubjunctis, quæ ex poſt ſecuta fuere.

Figuram terræ globoſam judicarunt veteres quoque Mathematici ex variis indiciis, quorum enumeratione ſuperſedeo. Magni fuit auſus aſſertum hominum, quibus non licuit circumnauigare orbem. Globoſa figura poſtquam ſemel fuit ſtabilita, in id incumbere neceſſe habebant illi, ut determinarent gradum terræ in milliaribus, menſurisue aliis: dedit namque hic 360.[es] multiplicatus peripheriam. Hac baſi nixus *Ptolemæus* gradui uni aſſignauerat ſtadia 500. ſiue 66⅔. Milliaria Arabica. Poſt eum manum admouere Mathematici juſſu *Almamonis* in campis *Sinear*, & factâ exactâ dimenſione gradui verſus Septentrionem adſignarunt 56. verſus Meridiem 56⅔. milliaria, quod conſtat ex *Abulfedæ Prolegomenis*. Sunt autem ſtadia Ptolemæo Alexandrina, quorum ratio ad Græca ut 144. ad 125. & horum ad Milliaria Italica vetera ut 7. ad 1. erunt proin 500. ſtadia æqualia 61½. milliaribus Italicis, ſiue 47188. Hexapodis Pariſinis. Inde ab illis Ptolemæi & Almamonis temporibus jacuit terræ dimenſio ſepulta quaſi ad usque, vel verſus, fertiliſſimum Seculum XVII. quo manum operi reuerà magno adhibuere *Fernelius* & *Snellius*, quorum ille gradui terræ tribuerat 56746. Hexapodas cum 4. Pedibus Pariſinis, hic 55021. *Ricciolus* 62900. Sed tandem A. 1669. & annis ſequentibus majori quàm antea cura atque dexteritate terram matrem dimenſuri Mathematici, de quibus ſupra, Regii, & lineam ducturi per totum Galliæ Regnum pinnulis inſtrumentorum applicarunt teleſcopia cum filis ſubtiliſſimis ſeſe cruciatim interſecantibus. Hoc medio verſus Maluoiſine & Ambianum dimetientes pro gradu uno inuenerunt 57060. H[exapodas], quibus æquantur 58481. Paſſus B[o]nonienſes, 29556. duodecempedales Pertic[æ] Rhinlandicæ, 28¼. Leucæ Pariſinæ 2000. H[e]xapodis conſtantes ſingulæ, 25. Leucæ medi[æ] Hexapodarum 2282, 20. Leucæ marinæ 285[3] perticarum, 73 7/200. Milliaria Anglica 5000. p[e]dum, 63 7/10. Milliaria Florentina 3000. cubit[o]rum ſingula. Judicarunt inde, peripheria[m] terræ eſſe 20541600. Hexapodarum Gallic[o]rum, ſiue 9000. Leucarum Gallicarum medi[o]rum: Diametrum 6538594. Hexapodarum [ſi]ue 2864 56/71. Leucarum mediarum. Labore[m] hunc ſuſceperat *Piccartus*, lineam emenſura[m] undecies majorem eâ, quam emenſus fuit *Snellius* Alcmariam inter & Bergopzoom. Sed hæ[c] nihil fere ſunt, ſi conferas cum labore Caſſ[i]niano, juſſu Regis ſuſcepto ſub initium Secu[]li XVIII. Prolongauit quippe ſummus hic V[ir] Lineam Meridianam Pariſinam ad finem u[ſ]que Regni, ſummas nempe Alpes Pyrenæa[s] Ruſcinonenſi Prouinciæ & Catalauniæ conte[r]minas, confirmando ubique Geometricas ob[]ſeruationes cum Aſtronomicis, Jouis in ſpeci[e] & Satellitum Eclipſes. Ita nunc primum, ſe[d] maximo labore, maximisque ſumptibus, in ter[]ræ ſuperficie linea ducta 8. graduum, medi[a] inter 40. & 48. latitudinis. Et dum Geome[]triâ hac magnâ fuere occupati viri magni, de[]tecta ſimul fuit haud leuis momenti veritas, in[]dicata quidem jam ante per Obſeruationes Pen[]dulorum ſub Æquatore, quæ quia ad rem præ[]ſentem ſpectat, ſilentio prætereunda haud eſt. Sunt nempe gradus terræ inæquales, ſequen[]tes quilibet inde ab Æquatore 1/800. minores ver[]ſus Polos. Inde ab Obſeruatorio Pariſino ver[]ſus Septentrionem dat gradus 57055. Hexapo[]das, verſus Meridiem 57126½. Æquationem [ſi] inſtituas totius peripheriæ, gradui uni tri[]bues 57292. Hexapodas, Semidiametro terræ 19695539. Pedes Pariſinos. Sed dant hæ obſeruationes terræ figuram ſphæroideam, verſus Polos compreſſam, ut Diametri æquatorealis ad Polarem ratio ſit ut 230. ad 229. Stabilita ſic terræ ſemidiametro 19695539. pedum ſiue 3939. Milliarium, (quæ 5000. ſint pedum ſingula,) eleuatior erit terra ſub Æquatore 85820. pedes ſiue 17⅙. milliaria, quàm quidem eſt ſub Polis. Plura de hac re lege in Protophiloſophi *Newtoni Philoſoph. Math.* p. 378. *Mem. de l'Acad. Roy.* 1701. p. 169. Ducit nos iterum exacta hæc quàm fieri poteſt terræ dimenſio, atque inuenta figura ſphæroidea, iterum ad Creatorem. Manetque inconcuſſæ veritatis DEI ipſius ad Jobum alloquium. *Ubi eras, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ? Quis adhibuit ei menſuras? ſi modo noſti? Quis eam ad regulam extruxit?* Sunt verba Textus מִי־שָׂם מְמַדֶּיהָ: *Quis poſuit menſuras ejus*, emphatica valde, non referenda duntaxat ad generalem illam terræ dimenſionem, ſed extendenda quoque ad ſingulas partes,

, montes, valles, campos, cauernas ſub-
aneas, maria, lacus, flumina, ad harum
ı toto & inter ſeſe exquiſitiſſimum æquili-
ım, id quod ulterius exemplo Heluetiæ no-
montoſæ comprobare poſſem, ſi per tem-
liceret. Notat מִדָּה non ſolùm *menſuram*,
quod extruitur menſurari debet, ſed men-
ım plenam, exactam, perfectam, magnam.
n. XIII. 33. ſunt אַנְשֵׁי מִדּוֹת, *viri menſura-*
, ſtaturæ proceræ homines, *Leute, die das*
iß haben, Hiſpanis *des medidos y des meſura-*
, qui communem menſuram excedunt. Eſt
ſenſu terra, uti ſupra vidimus, ampliſſimæ
enſionis, immodicæ menſuræ, imò perfe-
ſimæ, ædificium. קָו eſt *linea, regula, amuſ-*
filum menſorium, Aquilæ κανὼν, Symmacho
ίον μέτρȣ, LXX. σπαρτίον, nobis Tigurinis *re-*
ı, eine Schnur; quo titulo venit non ſolùm
endiculum, ad quod altitudines ſtructura-
ı perpendiculares examinari ſolent, ſed
que *regula, norma, linea*, libella, ad quam
æ horizontales, addo & *Perticas* menſo-
, ad quas longitudines linearum emenſura-
Præcipiunt architectandi Magiſtri longitu-
es ad regulam & lineam, altitudines ad per-
diculum, angulos ad normam reſpondentes exi-
Cicer. L. II. Academ. Connotant omnes
loquendi modi & termini, ex Architectura &
ometria petiti, ſummam in ædificio ἀκρίβειαν,
od quidem primâ facie horridum apparet
næquale, ruderibus ædificii collapſi ſimile,
in ipſa irregularitate regulariſſimum eſt.
jusmodi ſtructuram graphicè deſcribit *Bar-*
Ricreat. del Sauio. L. I. c. 8. cui titulus: *Il*
ndo con nuovo ordine d'Architettura Scompo-
, e perciò piu artificioſamente compoſto. Sou-
mmi, ita Philoſophus Rhetor, *d'aver veduto*
un palagio di ricreatione d'un Principe, fra le
re belliſſime una particolar camera tutta finta
capriccio di rovine, con un nuovo ſtile d'Ar-
itettura, che ben potrebbe chiamarſi l'ordine
ompoſto, e da adoperarui non meno ingegno,
iudicio, che ne gli altri, dovendoſi dare unità
diſſipato, gratia al deforme, regola allo ſcon-
, ſimmetria allo ſconcertato, e arte al caſo.
entrarvi cagiona horrore, è diletto, il vederſi
roccata in ſul capo una fabbrica rouinante, ſe
n che, nel cadere ſcontrateſi a ventura, come
ſtra lo ſtrano andamento delle pendenze, l'una
rte slogata con l'altra, tutta in piè ſi ſoſtiene,
ſando bizarramente ſopra membra non proprie,
pur coſi ben adatte, che l'occhio non che riſen-
rſene come a monſtruoſità, ſommamente gode,
ovata una non piu veduta ſpecie di proportione
di bellezza, nella deformità, e nella ſproportio-
. Jo per me credo, che chi ne formò il diſegno,
i ſtudiaſſe intorno il doppio piu, che a una fa-
rica ben ordinata: mà non e da ognuno l'inten-
erne il magiſtero.

Reſtat explicandus v. 6. עַל־מָה אֲדָנֶיהָ הָטְבָּעוּ
uper quo baſes ejus ſubmerſæ ſunt? LXX. ἐπὶ τί-
νος οἱ κρίκοι αὐτῆς πεπήγασι; τίς δέ ἐςιν ὁ βαλὼν λίθον γω-
νιαῖον ἐπ' αὐτῆς; *ſuper quo circuli ejus fixi ſunt?*
quis eſt autem, qui miſit lapidem angularem ſuper
eam? alii pro κρίκοι habent αἱ βάσεις, οἱ κατάπηγες,
baſes, pali, Auguſtino placent ἀναβαςακτῆρες, *li-*
bramenta. Noſtræ Tigurinæ: *In quo fundamen-*
to fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem
angularem ejus? Worauf ſtehen ſeine Säulen?
oder, wer hat ſeinen Eckſtein geleget? Verbo,
cuinam fundamento inædificata eſt terra? qua-
nam baſi nixa? Phraſes iterum petitæ ex Ar-
chitectura ciuili, ubi notum, ſolidam eſſe de-
bere ac firmam imam hanc cujusque ædificii
partem, utpote cui tota ædis moles inſiſtit:
Fundamentum hocce ſi non ſit firmum, ſed la-
xum, ſubſidat ſtructura, rimas paſſim agat, &
tandem collabatur neceſſe eſt. Fundationem
terræ ſi conſideremus, neque adeſſe videmus
ſolidas petras, neque terram firmam, ne qui-
dem rudera collapſa, ne paludoſam quidem
terram, imo ne aquam. Immenſæ molis æ-
dificium ſuſpenſum videmus in libero aëre, vel
cœlo. Singulare prorſus, ſui generis, & mi-
randæ ſtructuræ habitaculum, cui deſunt mu-
ri, contignationes, conclauia, ſolum adeſt te-
ctum, hominum animantiumque ſedes. Et ta-
men mentio fit λίθȣ γωνιαίȣ, *angularis lapidis*,
אֶבֶן פִּנָּתָהּ, quo nomine intelligere poſſumus
ſpeciatim ſaxa illa magnæ molis quadrata, in
angulis fundamentorum reponi ſolita, duos ve-
luti muros connectentia ſimul & ſuſtinentia.
Sed ubinam locorum nunc eſt angularis hic
terræ lapis? Quære diu, inuenies nusquam,
vel in ipſo terræ meditullio, ad quod acceſſus
non datur, ubi omnis vis grauitans ſeſe con-
centrat, & quæuis grauitationis lineæ, radii
quiuis cum quibuscunque aliis formant angu-
los: vel, per me licet, per λίθον γωνιαῖον intelli-
ge firmam partium omnium terræ, vel & to-
tius vorticis terrei compagem. Lapidi huic
contraponi poteſt commodè illud תֹהוּ וָבֹהוּ, *ſo-*
litudo & inanitas, ſtatus terræ chaoticus, quo
vacua fuit & *inanis*, Gen. I. 2. Ita & combi-
nat Jeſaias XXXIV. 11. קַו תֹהוּ & אַבְנֵי בֹהוּ *regu-*
lam inanitatis, & *lapides vacuitatis*. Haud le-
uis eſt ponderis genuinus lapidis angularis in
quauis ſtructura ſenſus, ex principiis Archite-
cturæ eruendus, ſi quidem clarum velimus for-
mare conceptum de *lapide* illo *probato, angula-*
ri, pretioſo, ſolidiſſimo fundamento, quod *in*
Zion fundauit DOMINUS. Jeſ. XXVIII. 16. cui
inædificati ſunt fideles, λίθοι ζῶντες. 1. Petr. II. 5.
Eph. II. 20. Lapis angularis non ſolùm cædi de-
bet ad normam, & læuigari, ſed in angulo
(unde nomen habet) ædificii reponi, ut ei in-
ædificata moles ſit firma. Quæ applicatiue
pertinent ad CHRISTUM, aliis altioris ordinis
Interpretibus explananda lubens linquo. Id
unicum addens, manere lapidem terræ angu-
larem non minus in Copernicano Syſtemate,
quàm in Ptolemaico. Exegeſin hanc claudo
egregiis *Nazianzeni* verbis *Orat.* 34. *Quo pacto*

terra firma & immota conſiſtit? Quidnam pro vehiculo habet? cujus rei adminiculo fulcitur? quidque rurſus futuram illam ſuſtinet? neque enim rationi quidquam, cui innitatur, occurrit, diuinam voluntatem exceperis. Vid. *Wilkins Ve[r]theid. Copernic.* p. 29.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 7.

Quum ſimul jubilarent ſtellæ matutinæ, & exultarent omnes filii DEI.

Cum me laudarent ſimul aſtra ma[tutina], & jubilarent omnes fil[ii] DEI.

FOntibus errorum accenſeri merentur jure Cabbaliſmus, & literalis Sacræ Scripturæ ſenſus ad ſuperſtitionem usque ſeruatus. Ibi ex quauis literula, accentu, puncto cuduntur μεγάλα μυςήρια, quæ hominum captum tranſcendunt, iis ſolis exceptis, qui ea in cerebro ſuo fingunt, fabricantue. Heic ſancta ſemper & verax Scriptura tegmen ſit ignorantiæ eorum, qui ſententiæ ſuæ nimium ſunt tenaces. Deridiculo eſt Europæis nobis Formoſanorum, (vid. *Pſalmanazar deſcript. de l'Isle Formoſa*,) aliorumue Indorum opinio, qua animæ hominum, potentum inprimis & diuitum, qui pomis aureis argenteisque ſacrificulos ſibi deuinciunt, collocari dicuntur in cœlo aſtrifero, & in ſidera ipſa commutari, pleno jubare fulgentia. His ſubſidio venire poteſt ipſe Textus noſter, ſi literali inhæreamus ſenſui. כֹּכְבֵי בֹקֶר, *ſtellæ matutinæ jubilant, & exultant omnes filii DEI.* Ἄςρα (LXX.) ſi in proprio & literali ſenſu jubilant, ratione prædita ſint neceſſe eſt. Si *militiæ cœlorum imperare* DEUS dicto ſenſu dicendus eſt Jeſ. XLV. 12. Si *cœli ipſi enarrant gloriam DEI, & extenſio opus manuum ejus annuntiat: dies diei ſuccedens eloquitur ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam. — Sol lætus velut heros quiſpiam decurrit viam.* (*Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam. — Sol exultauit ut gigas ad currendam viam.*) Pſ. XIX. 2. 3. 6. Rationis compotes eſſe debent cœli, extenſio, dies, nox, ſol. Quis proin miretur, fuiſſe *Hieronymi* temporibus, qui ſtellis tribuerunt intellectum? *Philonem* ipſum Judæum, & Rabbinos literarum, ſi qui ſunt alii, tenaciſſimos hac opinione fuiſſe imbutos, quod cœli in horas articulata vo[-]ce ad DEI laudes modulamina cantent? anhe[-]lare ſidera ad vitam æternam, eaque fore fru[i]tura, qui *Origenis* fuit error? Patet ὡς ἐν παρόδ[ῳ] quàm ceſpitarint miſerè tum optimi Patres, d[e] reformanda Eccleſia magis, quàm de excolen[-]da Philoſophia ſolliciti, tum Rabbini, ſicubi a[d] fulcienda ridicula ſæpe commenta ad Scriptu[-]ram confugêre veluti ad anchoram ſacram. Excuſaui illos, & excuſat *Acoſta de Nat. Nou[i] Orbis L. I. c. 2. Facile condonandum eſt Patri[-]bus, ſi cum cognoſcendo colendoque Creatori to[ti] vacarent, de creatura minus aptè aliqua ex par[-]te opinati ſunt.* Sit Prologus hic, quem facio Exegeſeos loco. Vidimus hactenus, quâ ration[e] DEUS Jobo conſiderandam proponat creatio[-]nem ſiue fundationem terræ. Nunc ſiſtunt ſeſe i[n] magnifico theatro ſtellæ matutinæ, participan[-]tes de gaudio, quod inſpirat Muſica cœleſtis. Hæ ſi ſint vel fixæ, vel erraticæ, locutio hau[d] carebit Metaphorâ; ſi intelligendi veniant an[-]geli, ſenſus manere poteſt literalis, naturæ ho[-]rum entium adæquatus. Laudant illæ DEUM per cogitata angelorum, linguaſque hominum. Et ſanè vero eſt ex variis circumſtantiis ſimile ſtellarum nomine heic venire angelos, qui i[n] eodem verſiculo cluent בְּנֵי אֱלֹהִים, *filii DEI*. Habent & LXX. cum Chaldæo Paraphraſte ἀγγέλους. Pſaltes ipſe Pſal. CXLVIII. præcipuas creaturas excitaturus ad decantandum elogia DEI, præponit angelos: *laudate* DOMINUM, *omnes angeli ejus, laudate eum, omnes exercitus ejus.* Quid quod Satanas ipſe *Lucifer* audit. Latius hæc diducere mei non eſt inſtituti.

Vid. *Wilkins Vertheid. Copernic.* P. II. p. 41.

Job.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 8. 9. 10. 11.

Et (quis) cohibuit mare valuis, quum erumperet, ut egrederetur ex utero?
Quando nubem ei pro veſtimento appoſui, & caliginem pro faſcia?
Protulique meum decretum in illud, & obicem atque valuas appoſui.
Ac dixi: Hucusque prouenies, nec ulterius, (a) & hic depones tuos tumentes fluctus.

(a) Ponet in tumore fluctus tuos: mutata eſt perſona ſecunda in tertiam.

8. Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens?
9. Cum ponerem nubem veſtimentum ejus, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?
10. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia.
11. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

N recenſione operum DEI pergit DEUS ipſe à terra ad mare, qui ipſe eſt ordo creationis. Terrâ fundatâ, aëreque depura- to, *congregari* debebant *aquæ ſub cœlis unum ocum*, & hæc ipſa *collectio aquarum marium* inuit nomen. Gen. I. 9. 10. Eſt mare unum magnificis DEI operibus, & omnino affirre licet, conſtare terræ integrum globum terra & mari. Sanè DEO ſoli in tota S. Scriura tribuitur maris ut creatio, ita diuiſio, & alitates aliæ. *Fecit* DOMINUS *mare*. Exod. . 11. Neh. IX. 6. Act. IV. 24. Unde & plem Ei competit in mare, ut omnes alias creaas, dominium. *Suum eſt mare*. Pſ. XCV. 5. *rminum præſtituit aquis. (Terminum circumde- aquis.)* Job. XXVI. 10. *Congregat aquas ma- ut cumulum, reponit in penetralia abyſſos. ongregans ſicut in utre aquas maris: ponens in ſauris abyſſos.)* Pſ. XXXIII. 7. *Poſuit mari em ſuam, & aquis, ne transgrederentur littus um. (Quando circumdabat mari terminum ſuum, legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.)* ov. VIII. 29. *Poſui ego*, ait DOMINUS, *enam terminum mari*, *idque perpetuo decreto*, gibus in Naturam introductis, *ne transgreatur eum; ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil ſſunt, tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum. oſui arenam terminum mari, præceptum ſempirnum*, *quod non præteribit: & commouebunr, & non poterunt: & intumeſcent fluctus ejus, non tranſibunt illud.)* Jer. V. 22. Eſt itaque Iare Organum, quo utitur omnipotens DEUS ratioſus iratusue. *Sola increpatione exiccat elagus*. Jeſ. L. 2. Nah. I. 4. Et en quomodo is pleni in mare dominii exercuit ὁ παντοκράτωρ n tranſitu illo miraculoſo Iſraelitarum per Mae Rubrum! Exod. XIV. 21. *Mutando mare n aridam*. Pſ. LXVI. 6. *Increpando Mare Ruvrum, ut exareſceret, & traducendo eos per abyſſum, tanquam per deſertum*. Pſ. CVI. 9. *Exiccando mare, aquas abyſſi immenſæ, pelagi profunda peruia faciendo, ut tranſirent redempti*. Jeſ. LI. 10. Potentiſſimum hoc DEI brachium, ſemper quidem exertum, tunc demum agnoſcunt, qui maria nauigando ſulcant, quando *ſua potentia ſcindit mare, & intelligentia ſua compeſcit ejus ferociam. (In fortitudine illius repente maria congregata ſunt, & prudentia ejus percuſſit ſuperbum.)* Job. XXVI. 12. Quando DOMINUS Exercituum *increpat mare, ut tumultuentur fluctus ejus*. Jeſ. LI. 15. Tunc demum ſtupore pleni exclamant mortales: Ποταπός ἐςιν ἔτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακέουσιν αὐτῷ, quando nempe ex increpatione facta ſubitò compeſcuntur & venti & fluctus, fitque γαλήνη μεγάλη. Matth. VIII. 26. 27. Marc. IV. 41. Luc. VIII. 24. 25. Omnia hæc, quæ Prologi loco adduxi, affirmat Scriptura Sacra, confirmat ſana ratio. Pergo nunc ad explicationem Textus.

Verſ. 8. *Quis cohibuit mare valuis, quum erumperet, ut egrederetur ex utero?* LXX. ἔφραξα δὲ θάλασσαν πύλαις, ὅτε ἐμαίμασσεν ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτῆς ἐκπορευομένη, *concluſi autem portis mare, cum fremeret ex utero matris ſuæ egrediens*. Ubi notari meretur ἔμφασις vocis ἐμαίμασσεν. Τὸ ἐμαίμασσεν (alii Codices ἐμαιῦτο) ἀντὶ τῦ ὄιςρα ὁρμητικῶς εἶχε καθάπερ τὶ βρέφος ἀποκυηθῆναι τῆς Ἀβύσσε ἠπείγετο. Quæritur nunc, quandonam id factum fuerit? quando proruperit veluti ex utero, in partu difficili? ubinam ſit abyſſus, ex quo proruperit? Suſpicabantur tale quid ipſi Gentiles. Statuerat *Archelaus* apud *Laërtium*, τὴν θάλατταν ἐν τοῖς κοίλοις διὰ τῆς γῆς ἠθεμένην συνεςάναι, *clauſum fuiſſe alueis ſuis mare, colatum veluti per terram*. Preſſis ſilentio variis variorum ex Veteribus Interpretum explicationibus, quæ Lectorem ſæpe confundunt magis, quàm informant, abs-

que ambagibus exegeſin meam produco, qua Textus noſter indicare videtur duplicem terræ fundationem Gen. I. & VII. In prima creatione aqua poris terræ veluti expreſſa & cribrata collecta fuit unum in locum: an verò & tunc proruperint aquæ ex hydrophylaciis ſubterraneis nuclei abyſſini ampliſſimis, præcisè determinare non audeo. Sed in diluuio certum, *erupiſſe mare*, *cohibitum* antea *valuis*, *ut egrederetur ex utero*. Eſt hoc idem, quod legimus Gen. VII. 11. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. De facto nemo habet, quod dubitet. Sed crucem figit τὸ διότι. Qui inter συστηματοποιοὺς collocari & volunt & merentur, Scripturam ſinguli in ſua caſtra trahunt, & ſæpe in gyrum rationis ſuæ cogunt. Theoriſtæ *Burnetio* videntur allegata loca ita quadrare Syſtemati proprio, ac ſi vidiſſet oculis ſuis prorumpere aquas inter ſuperiorem terræ orbem, laxiorem, hiulcum, ad ruinas pronum, & inferiorem nucleum ſolidum medias, collabi orbem habitabilem, & vel ſolo hoc fortuito collapſu formare inſulas, montes, valles, campos, lacus, maria, quæ omnia primæ terræ deerant. Vident *Cluueri* aliorumque oculi, teleſcopiis armati, tranſeuntem Cometam prope terram, qui apertis cœli feneſtris non ſolùm denſiſſimos effuderit nimbos, ſed preſſione ſua ita in anguſtum coegerit terram, ut hæc ampliſſimas ubique egerit fiſſuras, aquæ proruperint cum impetu ex abyſſo, & terra ipſa ſphæricam ſuam figuram commutauerit in ſphæroideam, de qua re fuſius egi in Hiſtoria Cataſtrophes diluuianæ.

Verſ. 9. *Quando nubem ei pro veſtimento appoſui, & caliginem pro faſcia.* LXX. ἐθέμην δὲ αὐτοῦ νέφος ἀμφίασιν, ὁμίχλῃ δὲ αὐτὴν ἐσπαργάνωσα. Quadrant hæc verba iterum creationi, diluuio, imo omni tempori. Gen. II. 6. legitur: *Vapor adſcendebat è terra, & irrigabat uniuerſam ſuperficiem terræ*. Aquis nempe tertio die collectis in maria, ex vaſtiſſimo hoc hydrophylacio copioſiſſimi ſurrexere vapores in aëra, qui formarunt nubes, & his ipſis *nubibus* inuoluta fuit mox terra veluti *veſtimento*. Huic explicationi haud obſtat creatio nubium, ſiue aquarum ſuperiorum, ſecundo die facta. Differentia ſpectat magis & minus. Eo tempore, quo terra chaotica fuit particularum terrearum & aquearum mixtura veluti pultacea, ſurgere quoque poterant vapores, & nubes formare in expanſo aëreo, ſed plures numero, poſtquam aqua fuit collecta in maria, & maximo proruperat impetu ex abyſſis, ſicque coire iterum in nubes, easque denſiſſimas, ut nunc quoque conſtat, maximam nubigenarum exhalationum partem ſurgere ex maribus. Nubes hæ ſingulari emphaſi comparantur *veſtimento* & *faſciæ*. Ad id ſeruiunt & veſtimenta & faſciæ inprimis, ut corpore exhalans calor haud diſſipetur, ſed corpori circumfluus maneat: ut proin veſtes propriè loquendo non calefaciant corpus, uti vulgo creditur, ſed auolaturum retineant calo rem: par ratio eſt lectorum. Ita aëre ſeren & undique patulo majus imminet vegetabil bus à pruina & congelatione periculum, quàr nubibus tecto, obſcuris noctibus, quia ibi ca lor terrâ exhalans diſpergitur, heic retinetu In creatione debebat ita diſponi terra, ut ipſ tertio die *progerminaret herbam ſeminificanter ſemen, lignum frugiferum*. Gen. I. 11. Fieri i haud poterat commodè cœlo ſereno, frigido ſed debebat ſub nubium tegmine. Animad uertendum præterea, prorumpentes cum fre mitu ex abyſſo aquas haud debuiſſe ebullire la ctis ad inſtar, terramque aridam inundare, ſed quod mox videbimus, certis limitibus claudi & veluti reſerari, talibus proin conſtare parti culis, quæ ſeparabiles ab inuicem auolent fa cile in auras. Et intra hos limites continen tur adhucdum partim à graui premente aëre partim à nubibus mari terræque inſidentibus Viuit, regitque adhuc prouidentia illa ſumma quæ omnia adeò ſapienter diſpoſuit in prima creatione. In Diluuiana Cataſtrophe iterum fuit *nubes mari pro veſtimento appoſita*, & *caligo pro faſcia*, vel caliginoſa faſcia. Triſtiſſima utique erat rerum facies. Nubes denſiſſimæ, obſcuræ, quæ aquas plenis amphoris effundebant: Mare cum fremitu eleuatum in fluctus ſpumantes: Aquæ ex omnibus terræ fiſſuris prorumpentes, quibus ſenſim & ſenſim fuit inundatus terræ orbis, & unà cum animantibus, hominibusque datus ruinæ. Sed poſtquam deſtructus fuerat primus ille orbis, & ſub undis jacebant infuſo ſtagnantes æquore campi, verſus inundationis fatalis finem, ſtratis juſſu diuino eleuatis, terraque de nouo conditâ, iterum opus habebat hæc, habetque adhuc *veſtimento & faſciis*, pro vegetabilium reſuſcitatione.

Verſ. 10. & 11. coercitionem ſiſtunt maris intra certos limites. *Protuli meum decretum in illud, & obicem atque valuas appoſui. Ac dixi: Hucusque prouenies, nec ulterius, & hic depones tuos tumentes fluctus.* LXX. ἐθέμην δὲ αὐτῇ ὅρια, περιθεὶς κλεῖθρα καὶ πύλας. Εἶπα δὲ αὐτῇ, μέχρι τούτου ἐλεύσῃ, καὶ οὐχ ὑπερβήσῃ, ἀλλ᾽ ἐν ἑαυτῇ συντριβήσεταί σου τὰ κύματα. De veritate hujus rei conuictus erit, quicunque ad littora maris, tempeſtate cum primis ſæua, ſed quoque in æſtu ordinario, in arena videt abſorberi ſpumantes fluctus: qui ipſi in alto Oceani ſuam habent, quam non tranſcendunt, certam altitudinem; & finita quauis horridâ tempeſtate, inſigni Nautarum ſolatio, cum malacia redeunt in gratiam. *Ego*, ait DOMINUS, *poſui arenam terminum mari, idque perpetuo decreto, ne transgrediatur eum: ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt: tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum.* (*Ego poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt, & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud.*) Jer. V. 22. Prætereo, quæ mei fori

i non eſt, applicationem moralem ad Pyr-
ɔolynices feroces, vel diuitiis, vel potentia
:os, ad Tyrannos, qui non niſi fulmina ſpi-
t & ignes, quàm & hi *deponere* teneantur
ientes ſuos *fluctus* in arena, & à ſæuitie ab-
hi mediis ſæpe vilis momenti. Redeo ad
re, de quo ſenſus literalis. Obtinuit hoc
pſa quidem creatione æquilibrium cum ter-
ſicca, ſed cumprimis in diluuio, orbe ab
iis inundato, & montibus tectis, ut 15. cu-
s altius fuerit fluidum elementum, valebat
d Edictum: *Hucusque prouenies, nec ulte-
ſ, hic depones tuos tumentes fluctus.* Debe-
ɪt hi tempore exacto reſorberi intra caua
ræ: tunc fuere limites de nouo terminati,
& immoti ad hæc noſtra usque tempora.
*are Domini vocem littoribus inſcriptam cum
uitum fuerit, curuatis fluctibus termini poſito-
ɪ adorat. Ambroſ. Hexaem.* L. III. c. 2. Fue-
equidem ex pientiſſimis primæ Eccleſiæ Pa-
ɪus, *Baſilius in Hexaem. Hom. IV. Nazian-
. Orat.* 34. *Ambroſ.* l. c. ſed quoque ex po-
ioris æui magnis Theologis, *Aquinas* P. I.
æſt. 69. *Art.* I. *Lutherus Comm. in Pſalm.*
:IV. CXXXVI. 6. *Caluinus*, alii, qui limi-
n horum eandem ſemper conditionem &
ɪſtantem continuum volunt eſſe miraculum,
ɪre altius exiſtimantes terrâ, & adeò altum,
ſunt ipſi montes, inundaturum terram quo-
momento, ni retineretur miraculo. Et fa-
facile quis ſibi id perſuaderet, qui ex littore
ɔſpicit in altum mare. Sed deceptionem
ɪc Opticam enodabit facile, qui vel primis
ncipiis Matheſeos, Opticæ in ſpecie, eſt
butus. Recepta eſt veritas, circularem eſſe
ɔerficiem maris, ſed horizontalem cum lit-
:e, non cum eleuatioribus terræ partibus.
la autem hæc conſideratio cauſas exhibet
turales hujus Non plus ultra, fluctuum alli-
ſuo ad ſcopulos ſeſe rumpentium, ferociæ
rminatæ in arena littorali. Comprobant ve-
atem Textus maria quæcunque, ea in ſpecie,
ɪæ 6. horis ſucceſſiuis patiuntur affluxum, 6.
bſequentibus refluxum, & adeò quidem re-
ılaribus veluti paſſibus, ut æſtus hic ad Lu-
e motum 48. circiter tardius redeat, & poſt
ɔſeruationes benè multas, ſumma cum ἀκρι-
ίᾳ inſtitutas, determinari præciſè poſſit ad ho-
s & minuta, & Calendariis ipſis inſcribi, in-
gni Nautarum commodo. Meretur hæc ma-
ria, Textui noſtro accommoda, diduci paulò
tius.

Eſt *æſtus maris* motus certus, quo aqua 6.
orarum ſpatio à Manè ad Meridiem, & ab
ɔccaſu Solis ad Μεσονύκτιον usque affluit, ſuper
planum littus ſeſe diffundens, & ad ſcopulos
littorales ſeſe altius eleuans. Vocatur hic mo-
tus *fluxus*, *affluxus*, *le flux*, qui ſi ſummum at-
tigerit gradum Gallis nuncupatur *la haute Mer*,
la pleine Mer. In hoc ſtatu valet illud, *huc us-
que prouenies, nec ulterius*. Inde refluit iterum
mare per 6. horas, bis intra νυχθήμερον; eſt hic
refluxus, *le reflux*, ſi imum attigerit gradum,
la baſſe Mer. Craſtina luce eadem, quæ ho-
die agitur, ſcena, ſed 12. minutis tardius omnia,
totidem ſcilicet, quot progreditur Luna in ſua
orbita, quæ obſeruatio ſpecialis, & cum Lunæ
motu harmonia fulcrum eſt præcipuum Carte-
ſiani Syſtematis de preſſione Lunæ in hanc
terram.

Sed notandum probè, non eundem eſſe
æſtum in omnibus maribus, fortem cumpri-
mis 1. in Zona torrida, inter binos Tropicos:
2. iis in maribus, quæ ab Ortu protenduntur
ad Occaſum: 3. in ſinubus non latis ſed lon-
gis: 4. ubi paucæ Inſulæ, vel Promontoria.
Exemplo ſint China, Cambaja, & Cambaicus
Sinus, Surata, Malacca, Panama Americæ,
Littora Maris Auſtralis. Sed nullus eſt, vel exi-
guus, Æſtus in Balthico Mari & Mediterraneo,
Venetiis exceptis, ubi tantillus. Petendæ au-
tem veniunt rationes partim ab elongatione di-
ctorum Marium à via Lunæ, partim à proten-
ſione ab Occaſu ad Ortum, partim & ab In-
ſulis & prominentibus terris.

Neque eſt Æſtus per totius anni dies ſem-
per idem, & inuariatus: maximi ſentiuntur cir-
ca Plenilunium & Nouilunium, & quidem non
in ipſa Luna ſeu plena, ſeu noua, verùm bi-
duo circiter poſt: minimi in quadraturis. Quò
nempe diſtat magis Luna à terra, eò eſt ejus
preſſio in hanc terram minor, minor proin &
æſtus: quò propior terræ, eò major illa, ma-
jor & hic. Majores quoque obſeruantur æſtus
circa æquinoctia. Complicatas proin habet
cauſas Phænomenon hocce, & attendendum
eſt 1. ad ipſas Lunæ Phaſes, 2. diſtantiam Lu-
næ à terra, quæ quia non ſemper minima in
Nouilunio vel Plenilunio, tunc etiam minores
dat æſtus, 3. ad Declinationem Lunæ, 4. à
Sole ipſo, qui ſi eſt in Apogæo, & Solſtitio æ-
ſtiuo, minores quoque reddit æſtus. Legan-
tur plura hanc in rem *dans les Memoires de
l'Acad. Roy.* 1710. p. 318. 1712. p. 86. (Edit.
Gall.) 1713. p. 17. 357. 1714. p. 321. (Edit.
Belg.) Vid. *Bartoli Ricreaz. del Sauio* p. 137.
Burnet. Archæol. Philoſ. p. 412. *Cluuer. Geo-
log.* p. 174. *Wilkins Vertheid. Copernic.*
P. II. p. 39. *de Mey Phyſ.
Sacr.* p. 373.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 12.

Tune ſtatim, ut extitiſti, matutino tempori dediſti præcepta, & auroræ ſuum locum aſſignaſti?

Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?

Ducit Jobum DEUS ad viciſſitudines dierum ac noctium, ad motum Solis per Eclipticam, quo ſplendidum hoc ſidus, & cum eo Aurora, indies locum mutat, tandemque ad *Auroram* ipſam, שַׁחַר, ἑωσφόρον LXX. ὄρθρον aliis. *Crepuſculum* dicimus, quod duplex eſt, *matutinum* & *veſpertinum*, utrumque magnificum Sapientiæ atque Potentiæ Diuinæ Theatrum, absque quo neque homines neque animalia commodè viuere poſſent ſaluo oculorum uſu, de quo alibi. Non debebant nempe denſæ noctis tenebræ mutari ſubitò in plenum diem, ſed dies accreſcere per gradus, ſenſim & ſine ſenſu, nempe Atmoſphæra mediante, in qua radii Solis mox orituri, & jam occidui, refringuntur ita, ut colluſtretur ante aër & terra, quàm ipſe compareat Sol, & poſtea, quàm comparuit. Hinc eſt, quod aëre condenſato, & aqueis vaporibus repleto crepuſcula ſint longiora, ſereno breuiora. Et ſunt hæc ipſa crepuſcula ſcala, quâ Aſtronomi ſuperiora aëris ipſius conſcendunt, refractiuum nempe dimetientes, cujus altitudinem communiter ad 4. computant milliaria, quamuis aliquando, in Climatibus præcipuè Septentrionalibus, & noſtris ipſius Zonæ temperatæ per hyemem ſeſe ad tria demittat & duo. *Weigel. Sphær. Euclid.* p. 344. *Funcc. de Colorib. Cœli.* p. 134. Conſpicui ſæpe ſunt colores crepuſculini, Sole jam exiſtente ſupra Horizontem, vel nondum occiduo, generanturque à Sole, non à Luna, unde eſt, quod halonibus ſolaribus lumen ſit debilius longè, quam crepuſculis. Deeſt his color albus, & cœruleus, quia ille copioſiſſimos poſcit radios, hic aërem ſerenum, à Sole valde colluſtratum: prædominantes colores ſunt flauus & ruber, qui minus lucis poſcunt. Cœlo denſis nubibus tecto, penetrare equidem valent tot radii, quot opus eſt ad formandum diem, ſed qui non ſufficiunt generandis coloribus crepuſculinis. Id autem admiratione eſt dignum, quod idem ille locus, qui manè nobis apparet flauus vel ruber, aliis populis Orientalioribus albus conſpicitur, vel cœruleus, una proin eademque in medio aëre ſuſpenſa pictura non una eademque omnibus ſpectatoribus appareat formâ. Atque ſic progreditur veluti æquis paſſibus crepuſculum ab una Prouincia in aliam, ab uno populo ad alium, circumambulando totam terram. Alia proin ratio eſt nubium, quæ quia ſæpe vix ultra 2000. paſſus à nobis diſtant, ab iis populis, qui 30. milliarium interuallo à nobis ſunt remoti, conſpici nequeunt, uti ex Trigonometrico Calculo id demonſtrat *Kepler. Aſtron.* p. 23. Variant crepuſcula non ſolùm ratione loci, reſpectu Horizontis, ſed & ratione durationis. Sole tranſeunte per Æquatorem in vere mediocris eſt durationis crepuſculum, poſtea longioris, quo altius aſcendit ſol ad ſolſtitiale punctum, ubi per totam fere noctem durat, hinc iterum decreſcens ſenſim usque ad æquinoctium autumnale, & porrò ad ſolſtitium usque hybernum, à quo termino iterum accreſcere incipit. Sed non eſt hic Ordo inuariatæ conſtantiæ: mutationes ſubeunt crepuſcula eodem in loco, eodem anni tempore, pro varia mutatione aëris: hic ſi ſit calidior, & rarefactus magis, prolongat crepuſcula, abbreuiat, ſi frigidior & contractior: hinc fit, quod uno eodemque die crepuſculum veſpertinum altius quandoque ſit matutino. Plura de hac materia dicenda forent, ſi omnes & ſingulas crepuſculorum circumſtantias explanare vellem. Adeat Lector *Nonium de Crepuſculis*, *Knorrii Diſſ. de Crepuſculis*, *Funccium de Coloribus Cœli.*

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 16.

…m perueniſti ad guttas maris ? & in perueſtigationem abyſſi penetraſti ?

Nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti ?

D E DEO enuntiat Jobus IX. 8. Eum *incedere per ſummitates maris*, (*gradi ſuper fluctus maris*.) Nunc Jobo ipſi oſtendit DEUS, ſe incedere & abyſſos, per profunda maris: heic quo… omnia ſubeſſe prouidentiæ ſuæ, nuda & …lata omnia oculis ſuis.

נבכי ים reddunt LXX. πηγὴν θαλάσσης, *fontes maris*. Commodè redderemus *fundum …is*, R. *Leui* עמקי ים, *profunda maris*, R. …*mo* מסגרי ים, *clauſtra maris*. Deriuat *A… Ezra* originalem vocem à lacrymis, expli…ue per *undas*, alii habent *fleta maris*, intel…ntque fontes maris ex abyſſo ſurgentes, & …ymarum ad inſtar profluos ex ditiſſimis hy…phylaciis, imo inexhauſtis. Huc quadrant …rinæ Verſionis & *Caluini guttæ*, *lacrymæ*. …mnia hactenus expoſita comprehendit vox …*en*, qua utitur Vernacula noſtra, ſed expo…da diſtinctius. Deducit DEUS Jobum non …m ad fundum maris, ſed ad ipſam abyſ…, ad תהום, in viſceribus terræ imis laten… profunditatem, hydrophylacia infra fun…n maris ſita, centro terræ propiora, in ipſo …tro potiori fortè jure locanda quàm Carte…gnis. Commouit mortales tum nauigatio… ſecuritas, tum ſciendi cupido, tum diuitias …quirendi deſiderium, ut in fundum maris …uirerent. Docuit autem eos experientia, … eum inæqualem, ut eſt terra montoſa, in …fundos hiatus ſcopuloſque eminentes diui…n: communiter equidem eſt deſcenſus à lit…ibus ad imum fundum gradualis, veluti per planum inclinatum, ſed ſubinde, & longo à littore interuallo eleuat ſeſe fundus in ſcopuloſos colles, imo arenoſos montes: aliquando ad ipſa littora ingentem explorare licet, imo vix licet, profunditatem. Ut nil dicam de mari in fundo magis, quàm in ſuperficie, ſalſo; nîl de fontibus aquæ dulcis ſcaturientibus ex ipſo fundo, unde per machinas illa hauriri poteſt: nihil de ingenti aquæ totius in fundum preſſione, quam tamen non ante ſentiunt urinatores, quàm ſanguinem ore, naribus, auribus vident expreſſum: nihil de malacia, quæ in fundo maris eſt, ſæuiente deſuper & in fluctus ſpumantes agitato æquore. Legendus eſt de his & aliis profunda maris attinentibus circumſtantiis *Ill. Boyle Diſſ. de Fundo Maris*, cumprimis Ill. Comitis *Marſiglii Hiſtoria Maris*. Quamuis autem multa hactenus, multa arte, cum & ſine bolide, experti fuerint homines de maris fundo, fateri nihilominus cogimur, maximam partem eorum, quæ ſcimus, minimam eſſe eorum, quæ ignoramus, nec dum ſolutam eſſe DEI ad Jobum factam quæſtionem: *Num perueniſti ad guttas maris ?* & parum vel nihil nos reſpondere poſſe ad alteram: *Num in perueſtigationem abyſſi penetraſti?* Dubium haud eſt, quin in fundo maris ſint animalia, plantæ, mineralia, nobis prorſus incognita, ſit incognita planè & noua terra: Et forſan ad Phyſicam ſubmarinam pertinent præter Ammonis cornua, mirè variantia, teſtacea multa inter diluuii reliquias obuia, quorum analoga hactenus reperire haud potuit hominum induſtria.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 17.

…ntne tibi oſtenſæ portæ mortis ? aut num vidiſti portas (*a*) umbræ mortis ?

(*a*) Zalmaueth ſignificat extremas tenebras & denſiſſimas.

Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti ?

Q Ui hoſpiti amico ædificium contemplandum ſimul & admirandum oſtendit, ſed id ad Architecturæ regulas exquiſitiſſimè elaboratum, ducit eum in abditiſſima quæque con…auia. Ita DEUS Jobo. Verſiculo proximè præcedenti duxit eum ad fundum usque maris, imo ad penetralia ipſa abyſſi, aquarum ampliſſima reſeruatoria. Nunc introſpicere pientiſſimum virum jubet cauitates ſubterraneas, quæ in Textu noſtro vocantur שערי־מות, πύλαι θανάτου, & שערי צלמות, πυλωροὶ ᾅδου, *portæ mortis*, *jani-*

janitores inferni. Notum, mortuos reddi terræ matri, & veteribus Orientis populis fuiſſe cauernas ſubterraneas pro ſepulchris, rectiſſimè proin caua quæque ὑπόγαια vocari poſſe portas mortis. Sed heic, quod quidem judico, aperit illa DEUS non ut ſepulchra, ſed tanquam conclauia, ſtructuræ terræ attinentia, uſus multiuarii, ſtructuræ miræ & artificioſæ. Teſtes aduoco Regiones montoſas, quarum juga præcelſa ſolidis quidem inædificata ſunt columnis, ſed intus cauis, tum ut per cauitates haſce veluti veſicæ aut cucurbitæ collum ſurgere queant copioſiſſimi vapores in Alembicum, & ſymbolam ſic conferre ad fontium, fluminum, nubium origines, tum ad ſeruandum inter Regiones montoſas & planas æquilibrium, ne illæ præponderarent. Et in genere poſſunt πύλαι θανάτȣ, & πυλωροὶ ᾅδȣ denotare *viſcera terræ*, habitaculi noſtri totam ſtructuram internam, de qua omnes omnino Philoſophi fateri coguntur, minimam partem e[...] perſpectam: vermiculi cochleæue terræ, q[...] proreptatu ſuo per 6000. penè annorum d[...] curſum non emenſi ſunt plus quàm dimidiu[...] milliare, idque pauciſſimis duntaxat locis, [...] proin reſtet conficiendum iter $1719\frac{1}{2}$. Milli[...] rium Germanicorum in diametro. Proin ad n[...] quoque directa eſt quæſtio DEI, *ſuntne ti[...] oſtenſæ portæ mortis? aut, num vidiſti port[...] umbræ mortis?* Id interim nobis, quouſque pe[...] netrare licuit, conſtat, ſtructuram eſſe organ[...] cam, ex ſtratis ordinatiſſimis, diuerſimodè qu[...] dem, veluti per præcipites lapſus, inclinatun[...] in quibus paſſim ſepultæ jacent alieni generis ſeu diluuianæ inundationis, reliquiæ, ſolidiſſ[...] mæ ipſi ſaxorum ſubſtantiæ immerſæ, ut v[...] ex hoc ſolo indicio judicare liceat, fuiſſe, [...] non totam terram, ſuperiorem ſaltem ejus cru[...] ſtam reſolutam in Cataſtrophe illa, & hinc d[...] nouo conditam.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 18. 19. 20.

18. Num conſiderando aſſecutus es terræ latitudinem? Ediſſere, ſi hoc uniuerſum noſti.

19. Qua (a) parte mundi habitat? & ubi eſt locus tenebrarum?

(a) Via.

20. (b) Ut ea reuoces intra ſuos terminos, utque noueris vias, quæ ducunt ad domum eorum.

(b) Quia capies eum ad terminum ſuum.

18. Nunquid conſideraſti latitudinem terræ? indica mihi, ſi noſti, omnia.

19. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit.

20. Ut ducas unumquodque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus ejus.

Attinet, ſi *Olympiodorum* audimus interpretem, quæſtio hæc ad Jobum facta in examine rigido atque decretorio, de *latitudine terræ*, terræ diametrum, quæ tantò minus cognita eſſe poterat Jobo, quia recentiſſimæ obſeruationes diuerſam ſtatuunt Æquatorealem à Polari, de qua re ſupra. Sed vero videtur ſimilius, loqui DEUM de ſuprema hac terræ ſuperficie, inæquali valde, aſpera, & in montes valleſque diuiſa, quam ne peritiſſimi quidem Geometræ emenſurabunt unquam, & de qua magnæ portiones adhucdum ſunt incognitæ, magnæ etiam Europæis inacceſſæ. Fatebuntur, quotquot hodie viuunt, Mathematici, nondum reſolutam eſſe hanc quæſtionem. *Ediſſere, ſi hoc uniuerſum noſti.* Νενȣθέτησαι τὸ εὖρος τῆς ὑπ' ȣ̓ρανὸν, ἀνάγγειλον δέ μοι, πόση ἥτις ἐςίν.

Eſt quoque v. 19. intelligendus applicatiuè ad terram, ejuſue illuminationem atque obſcurationem ſucceſſiuam. Quæſtio namque eſt, *quâ parte mundi habitet* lux, vel lumen? & *ubi ſit locus tenebrarum?* Ποίᾳ δὲ γῇ αὐλίζεται (al. σκηνοῖ, ἠρεμεῖ, habitat, quieſcit,) τὸ φῶς, σκότȣς δὲ ποῖος ὁ τόπος; LXX. Quibus loquendi formulis, ad literam intellectis, fulciri poſſet opinio illa Veterum, quâ Sol occiduus ſubmergatur in mari, vel ſeſe alicubi abſcondat in cauo ſubterraneo. Somnia hæc legas paſſim apud Poëtas, qui binas Soli adſignarunt domos, ortiuo unam, occiduo alteram. *Seneca in Herc. fur. act.* 4.

Feruide Titan, obitus pariter
Tecum Alcides vidit, & ortus,
Nouitque tuas utraſque domos.

Ita erat & nocti & tenebris certa & propria domus, eaque retrò montes præaltos ultimi Septentrionis, quod conſtat ex *Ariſtot. L. II. Meteor.* c. 1. *Virgil.* L. VI.

Umbrarum hic locus eſt ſomni noctiſque ſoporæ.

Nocte proin ingruente, aſcendunt ex antris ſuis tenebræ ad nos; ſurgunt & imminente graui tempeſtate, cœlo denſis atriſque nubibus tecto. *Lucret.* L. VI.

Quod

RPJCB

IOB. Cap. XXXVIII. V. 22. 23.
Thesauri Nivis.

Büch Hiob Cap. XXXVIII. v. 22. 23.
Schnee-Schätze.

I. G. Pintz sculps.

uod tunc per totum concreſcunt aëra nubes,
ndique ut tenebras omnes Acheronta reamur
iquiſſe, & magnas cœli compleſſe ruinas.

ent & Chinenſes hujusmodi fabulas de lu- tenebris. Sed errorum fontes ſunt ſen- oſi noſtri externi, qui Solem occiduum no- xhibent vel retro montes ſeſe abdentem, vel in ipſum mare ſeſe immergentem. Quam viſus fallaciam facile ſoluit Optices principiis vel leuiter imbutus. Nobis interim ſunto viciſſitudines adeò ordinatæ lucis ac tenebrarum, dierum ac noctium, nixæ vel motu Solis circa terram, vel gyratione terræ circa proprium centrum, diuinæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis τεκμήριον euidentiſſimum. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 736.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 21.

besne cognitum tempus, quo naſcebaris, & quantus ſit numerus dierum tuorum?

Sciebas tunc, quod naſciturus eſſes? & numerum dierum tuorum noueras?

Endet vita noſtra ab unione animæ & corporis. Euidens autem, & animam hominis pendere à DEO, & corpus; potiori proin jure utriusque hujus en- liuerſiſſimi unio pendebit à ſolo ſupremi il- entis nutu. Nouit nos ante DEUS, quàm us nati, prouidet, poſtquam prodiimus in luminis auras. Conſcientiâ noſtrâ, & nium mortalium experientiâ teſte nihil no- us ante conceptum noſtrum, nihil quam- carceribus uteri ſumus clauſi, nihil nati, nihil per benè multos infantiæ annos. timus ipſe Saluator optimum prouidentiæ næ regimen demonſtraturus argumentis utitur à vita noſtra depromptis: Μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε καὶ τί πίητε· μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν, τί ἐνδύσησθε. Ὀυχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐςι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τȢ ἐνδύματος; Matth. VI. 25. Eſt itaque ſapientiſſimæ prouidentiæ opus, naſci hos his parentibus, aliis alios, hos hoc tempore, alios alio: & *quantus ſit numerus dierum.* Sana quæuis ratio peruidet illicò, in manu DEI eſſe vitæ initium, progreſſum, finem. Si omni curâ noſtrâ impoſſibile nobis προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν ἡμῶν πῆχυν ἕνα, Matth. VI. 27. in noſtra poteſtate minimè erit, exuere vitam. Sed quidem patienter hæc ferenda ad usque momentum illud, quo DEO placet illam tollere.

TAB. DXXX.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 22. 23.

. Perueniſtine ad theſauros niuis, aut theſauros grandinis inſpexiſti?
. Quæ reſeruaui ad tempus hoſtis (perſequendi), ad diem conflictus & belli.

22. Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti?
23. Quæ præparaui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?

Per אֹצְרוֹת שָׁלֶג, θησαυρȢς χιόνος, *theſauros niuis*, & אֹצְרוֹת בָּרָד, θησαυρȢς χαλάζης, *theſauros grandinis*, intelligimus, ambagibus omnibus remotis, *atmoſphæram*, ditiſſimum non ſolùm niuis & grandi- s, ſed omnium aliorum Meteororum, ſeu ërea ea ſint, ſeu aquea, ſeu ignea, ſeu vera, u emphatica, Gazophylacium: officinam un- ique apertam, & tamen Laboratorium ex ſe- retiſſimis, in quo expanduntur nubes, pluuia eneratur & ros, cuduntur fulmina, elaborantur innumera, ſed omnia & ſingula ſumma attentione admirationeque digna. Quid *theſaurorum* nomine Veteribus venerit, conſtat ex *Gellio* L. II. c. 10. *Quos theſauros græco nomine appellaremus, priſci Latini flauiſſas dixere, id eſt, cellas quasdam & ſpecus, ad cuſtodiendas res veteres religioſas.* Amplas Satyrorum fauces *theſauros* vocat *Plinius*, *theſauros maxillarum*, *in quos Satyrorum & Sphingiorum genus cibum condit.* *Virgilius Georg.* IV. Apum fauos ſeu aluearia, *mellis theſauros*. Pſal. XXXIII. 7. *Congre-*

 gat

gat DEUS *aquas maris ut cumulum, reponit in penetralia* בְּאֹצָרוֹת *abyſſos.* (*Congregans ſicut in utre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.*) Propius adhuc ad Textum noſtrum Deut. XXVIII. 12. *Aperiet tibi* **DOMINUS** *theſaurum ſuum* אוֹצָרוֹ *bonum, nempe cœlum, ut det pluuiam terræ tuæ ſuo tempore.* In cœlo nempe aëreo theſauri ſunt boni, optimi, absque quibus neque homines, neque animantia, neque vegetabilia viuere poſſunt; neque vindemia eſt, neque meſſis. Hoc ſenſu ſanè eſt aër inſtructior longè Cimeliotheca, quam ipſa terræ viſcera cum omni ſuo, eoque pretioſiſſimo, apparatu, auro, argento, gemmis; ditior ipſo maris fundo coralliis & margaritis obſito, quandoquidem his carere commodè poſſumus, illis non item. His nunc atmoſphæræ theſauris accenſetur *nix*, infiniti artificii productum, cujus regulariſſima figura ἀςεροειδὴς, & uſus ampliſſimus anſam dedere integro opuſculo, quod publicauit *Eraſmus Bartholinus*, cui tamen non licuit eſſe adeò felici, ut reſerare potuerit theſauros hosce, abſconditos adhucdum perſpicaciſſimis quibusque naturæ ruſpatoribus. Tenta vires, tende ingenii lacertos, quisquis es, Philoſophe, inſpice, quas peculiari Tabulâ dignas judico, niuis à me obſeruatas miræ varietatis figuras; ſint hæ Problemata totidem, quæ Te exerceant, imo docimaſtica Themata. Reſolue, & magnus eris Apollo. Figuris his, quas ſummo ſtudio delineari juſſit Cl. *Kanoldus* A. 1718. & ego A. 1721. *Breſl. Sammlung.* III. *Verſuch* p. 672. uti & meas XV. *Verſuch* p. 176. junge Fig. A. & B. Dendritas niuoſos atque glaciales, quos jucundiſſimo ſpectaculo obſeruaui rigidiſſimâ, quæ annum 1728. & 1729. interceſſit hyeme in valuis Uſterianæ, quæ Tiguri eſt, domus. Conclaue eſt nouiter extructum, ejusdem cum terra ima Horizontis, fornace inſtructum, cui injecti ſubinde calidi cineres agitarunt vapores per aëra hypocauſti non habitati copioſè volitantes, ſed blando adeò & regulari motu, ut forte fortunâ apertæ valuæ ligneæ quantæ quantæ totæ conſpectui exhibuerint hujusmodi ornamenta foliacea, quæ facile plantarum reuerà reſuſcitatarum titulo veniſſent Adepto cuidam, vel Philoſopho per ignem, ſi quidem laboratorium ibi fuiſſet ſeu parandorum ex vegetabilibus ſpirituum, aquarum, eſſentiarum officina. Inte ſperſa Dendritis hisce obſeruaui numeroſiſſim copiâ hexagona glacialia, veluti tenues orbicu los priſmatibus reſectos, talia, qualia rigidiſſ mâ illâ hyeme anni 1709. obſeruaui in orbiu vitreorum feneſtris, deſcripta in *Herbario* me *Diluuiano* p. 40. Tab. VIII. fig. 4. Edit. Belgicæ obſeruauit quoque, imo ex glacie germinatio nes in Septentrione Cl. *Swedenborgh. Obſ. M ſcell.* p. 129. Merentur hæ obſeruationes a tentius examen, experimenta omni ſtudio inſt tuenda, judicium penetrans, ut tandem in hæ gazophylacii niuoſi ſecretiora introſpicere l ceat. Conſiderauimus jam ſupra niuem tan quam veſtem, ſed frigidam, quâ fouentur plan tæ per hyemis decurſum, & retento terræ ca lore promouetur harum fœcunditas, conſer uatur vita. Eſt officina, de qua hactenus, aë ris rarior tantò & curioſior, quoniam latente in ea theſauri, qui ſereno cœlo viſum effugiun pluuia nempe, *nix* & *grando*, non longâ dige ſtione, circulatione elaborantur, ſed momen to; momento quippe conuertuntur labente ex alto guttulæ, bullulæue, in grandinem & ni uem, imo eodem tempore in pluuiam, gran dinem & niuem: haud raro quippe in vallibu pluit, in editioribus montibus ningit & gran dinat. Hosce ſuos theſauros *reſeruat* DEU *ad tempus hoſtis* (*perſequendi,*) *ad diem conflictu & belli*, εἰς ὥραν ἐχθρῶν, εἰς ἡμέραν πολέμων καὶ μάχη Ita nunc ſeſe ſiſtit atmoſphæra ſub idea arma mentarii inſtructiſſimi, *armamentarii cœli*, qu termino utuntur *Appianus* & *Suidas*. Inſupe rabilem hanc armorum vim experti fuere olim Ægyptii, quos forſan tangunt verba Textus quando nempe DOMINUS *edidit tonitrua & grandinem, diſcurritque ignis per terram, & de pluit* **DOMINUS** *grandinem ſuper terram Æ gypti;* — quæ grando *percuſſit in uniuerſa ter ra Ægypti omne, quod fuit in agro, tam homi nes, quàm jumenta, ſed & omnem herbam agri* Exod. IX. 24. (23.) 25. Canaanitæ illi, ſuper quos *dejecit* DOMINUS *lapides grandinis, u mortui fuerint multò plures eorum, qui lapidibu grandinis interierunt, quam quos interfecerant fi lii Iſrael gladio.* Joſ. X. 11. Arma itaque in manu DEI non ſunt ſola triſulca fulmina, ſed & grando, & nix, quarum materia aliàs terricolis maximo venit uſui.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 24.

Qua parte lux (fulguris) erumpet, quam ventus orientalis in terram diſpergit?

(*a*) Qua via diuidetur lux.

Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram?

ANſam dare poſſet ampliſſimo Commentario æquiuocus vocis אור, *Or* ſenſus, ſi quidem diffuſo eſſe liceret. Si intelligas Pyrophylacium illud ma-
ıæ & molis & virtutis, Solem, conſidera-
ıi huic præſenti ſubjicere poſſem mirificam
m caloris & lucis in omnes terras, & va-
ıtia anni tempora diſpartitionem, per con-
uens & caloris graduale incrementum de-
mentumue in eadem quauis regione. Si
ıè reddidit אור Latina noſtra per *fulgur* (in
enthesi) occaſio iterum commoda foret lo-
endi de penetrantiſſimæ lucis hujus accen-
ne in nubibus, eruptione ex iis, & mira per
um, quà latè patet, Horizontem diffuſione.
אור, πάχνη, *pruina* eſt, quod LXX. volunt,
egram iterum ſiſtere poſſem παχνολογίαν. Id
ntio præterire non poſſum, manſurus in *lu-*
, diſpartitam eſſe lucem ſolarem omnibus
netis, & ſingulis horum ſufficientem, id quod
nſtat ſatis ſuperque, & ad conuictionem no-
am, exemplo terræ, quæ eum præcisè ob-
uit ad Solem poſitum, eam diſtantiam, quæ
ceſſitati lucis & caloris eſt adæquata. Pro-
or ſi eſſet fonti illi, vel remotior ab eo, quàm
ıera eſt, conſiſtere haud poſſet. Agnoſci-
us ſtabilitam in moderna Philoſophia fun-
mentalem legem, qua *calor eſt ut radiorum*
nſitas, hoc eſt, reciprocè ut quadratum diſtan-
e locorum à Sole. Unde πρωτοφιλόσοφος noſter
ewtonus Philoſ. Nat. Princ. Mathem. p. m.
6. judicauit de æſtu ſeu calore Cometæ
. 1680. fuiſſe ad calorem terræ æſtiuum ut
00000. ad 36. ſiue 28000. ad 1. nempe die
Dec. in Perihelio, quo à Centro Solis diſta-
t duntaxat $\frac{6}{1000}$. diſtantiæ terræ ab eodem
entro. Calor feruentis aquæ quoniam per
perimenta ter ſuperat terræ aridæ calorem
nceptum à Sole æſtiuo, & candentis ferri
r vel quater calorem feruentis aquæ, ſequi-
r ex neceſſariæ inductionis regulis, Cometam
illum in Perihelio ſuo æſtum concepiſſe 2000.[e] majorem, quàm eſt candentis ferri. Ex æquabili hac & proportionatiſſima lucis per verticem ſolarem diſtributione ſequitur diuerſa Planetarum ipſorum denſitas, major eorum, qui Soli ſunt viciniores, minor remotiorum. Congelaſcerent aquæ noſtræ in Saturni orbita, & protinus in vapores abirent in orbita Mercurii, quandoquidem heìc radii Solis ſeptuplo ſunt denſiores, quàm in terra; ebullit enim feruens aqua, quæ calorem æſtiuo ſepties majorem concipit. De ratione autem denſitatis, quam inter ſe habent Planetæ, & ad Solem, verba plura facere nolo, ne nimium recedere videar ab arctis Commentarii limitibus. Quodſi intendat Textus meus variam ipſius lucis ſolaris conditionem, aperiet ſeſe iterum in *Newtoni* Philoſophia ampliſſimum θαυμάτων theatrum; nouimus quippe, experimentorum indubiorum fide, non eſſe radios Solis ejusdem generis omnes, ſed diuerſimodè, ut ita loquar, coloratos, variè refrangibiles & reflexibiles, & qui magis ſunt refrangibiles, magis quoque reflexibiles: conſtare proin Solem ex radiis, in philoſophico ſenſu, flauis, rubris, viridibus, cœruleis: eosdem hos radios in ipſa interiori corporum ſubſtantia multifariam diuidi, refringi, reflecti, inflecti quoque & incuruari, de quibus admirandis lucis luminisue proprietatibus integra legi meretur *Newtoni Optica*, edita A. 1706. quæ nouam prorſus luci accendit lucem. *Diſperſio* tandem *venti Orientalis in terram*, διασκεδάννυσις Νότȣ (Auſtrum nempe vertunt LXX.) εἰς τὴν ὑπ' ȣ̓ρανὸν, applicari poteſt percommodè *vento* illi *generali* Orientali, qui ſub Zona Torrida obſeruatur per totius anni decurſum, & præſertim in Indico Mari ſeſe *diſpergit* in varias *Motiones*, *Mouſſons*, de quibus alibi. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 378.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 25. 26. 27.

25. Quis corriuauit aquæductum inundationi? & quis viam aperuit fulgetræ, cum (a) qua eduntur tonitrua?

(a) Et viam fulgetræ tonitruum.

26. Ut pluat in terram, in qua vir non eſt: & in deſertum, in quo nullus homo verſatur.

27. Ut copioſè inſtruat locum vaſtum & deſolatum, ac prouentum herbæ producat.

25. Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui?

26. Ut plueret ſuper terram, absque homine, in deſerto, ubi nullus mortalium commoratur.

27. Ut impleret inuiam & deſolatam, produceret herbas virentes.

Eſt DEUS non ſolùm gentium moratarum DEUS, Conditor & Conſeruator, ſed & barbararum, Scytharum, Tartarorum, non ſolùm animalium manſuetorum, ſed & ferorum; Prouidentiâ optimâ rectrice vigent florentque agri noſtri, pomaria, horti, vineæ, ſed & plantæ creſcentes in deſertis, injuſſa quæ vireſcunt gramina. Τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. Matth. V. 45. Sed diſpartitio aquarum per uniuerſum terræ orbem, quâ vegetabilia opus habent, non fit caſu quodam fortuito, ut quondam præjudicio captus cecinit *Ouidius:*

Et nunc ad fontes, nunc ad mare verſus apertum
Incertæ feruntur aquæ.

Imo plerique mortalium ſibi perſuadent. DEUS *corriuat aquæductum inundationi*, לַשֶּׁטֶף תְּעָלָה, ἡτοίμασεν ὑετῷ λάβρῳ ῥύσιν, *præparauit fluxum validæ pluuiæ*, Aquila, διεῖλεν, *diuiſit*, alii, ἔξεῖλε τῷ κατακλυσμῷ ὑδραγωγὸν, *diuiſit inundationi aquæductum.* Sunt conſideratione inprimis digni aquæductus hi ſui prorſus generis, non lignei, metallici, lapidei: fluidiſſimum aëris tum ſubterranei tum ſupraterranei elementum canalium præbet vicem, & tamen, quod demonſtratum abundè alibi, adeò ordinatiſſima eſt hæc vel pluuiarum ῥύσις, vel fluminum, riuorum, fontium ὑδραγωγία, ut tranſcendat longè aquarum per aquæductus deriuationes regulariſſimas quasque. Et attendi meretur hoc ſpeciale naturæ præceptum, quo aqua communis ſolâ aëris preſſione eleuari nequit ultra pedes 32. & preſſione aquæ non ſupra horizontem labentis fontis. Altius ſi cogi debeat, arte opus eſt hydraulica. Sed heic eleuatur aqua ex immenſo maris alueo non ſolùm ad 9. vel 12000. pedes, ſiue altiſſima montium culmina, ſed plus ultra, idque circum totam terram circa.

Pergit erotematicè DEUS ad Jobum, *quis, niſi DEUS, viam aperiat fulgetræ, cum qua eduntur tonitrua?* דֶּרֶךְ לַחֲזִיז קֹלוֹת, ὁδὸν κυδοιμῶν, *viam tempeſtatum*, Aquila, εἰς κτύπον φωνῶν, *in ſtrepitu vocum*, Symmachus, ψόφον βροντῆς, *ſonitum tonitrui.* Scilicet non cœcis paſſibus volant fulgura, ſonantia feruntur tonitrua, jaciuntur fulmina: vias habent ſibi præfixas, uſus, ſcopos certos. Tonitruante aëris tremore coeunt propius bullulæ aqueæ, & confractæ pluuiales formant guttas: & inſeruiunt fulgura ac fulmina depurando aëri ab halitibus ſulphureis aliisque noxiis.

Elucet porrò immenſæ bonitatis diuinæ ὑπερβαίνων πλῆθος ex eo, quod *pluat in terram, in qua vir non eſt, & in deſertum, in quo nullus homo verſatur; ut copioſè inſtruat locum vaſtum, & deſolatum, ac prouentum herbæ producat.* LXX. τοῦ ὑετίσαι ἐπὶ γῆν, οὗ οὐκ ἀνὴρ, ἔρημον οὗ οὐχ ὑπάρχει ἄνθρωπος ἐν αὐτῇ. Τοῦ χορτάσαι ἄβατον καὶ ἀοίκητον, καὶ τοῦ ἐκβλαστῆσαι ἔξοδον χλόης; Videtur heic digito veluti monſtrarier deſertum Arabiæ Jobo conterminum, & in paralleliſmo poni fœcunda Ægyptus, de qua notum, non irrigari de cœlo, ut illud, ſed fertilem reddi à Nilo. *Nemo aratorum in Ægypto aſpicit cœlum*, ait *Seneca L. IV. Nat. Quæſt. c. 2. & Claudianus:*

Ægyptus ſine nube ferax, imbresque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloque redundat.

Et *Plinius in Panegyr. Ægyptus alendis augendisque ſeminibus ita gloriatur, ut nihil imbribus cœloque deberet.*

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres
Arida, nec pluuio ſupplicat herba Joui.

Sunt verſus *Tibulli.*

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 28.

ıbetne parentem pluuia? aut quis genuit guttas roris?

Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris?

Tίς ἐστιν ὑετοῦ πατὴρ; *Habetne parentem*, alium ſcilicet præter me, *pluuia?* τίς δὲ ἐστιν ὁ τετοκὼς βώλους δρόσου; *aut quis genuit guttas roris?* Singularis prorloquendi formula, quâ DEUS pater dici t pluuiæ, mater roris. DEUS ſolus an pamatrisue vice defungitur, num gignit ſil & parit, excluſâ, quam adeò extollimus, urâ? Sunt Phraſes hæ Orientis. Pater maque idem ſonant, quod Creator benigniſſis, Diribitor ſapientiſſimus, rerum terricolis ımè & utilium & neceſſariarum. Ita πατὴρ φώτων DEUS cluet. Jac. I. 17. πατὴρ τῆς δόξης. h. I. 17. πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν. 2. Cor. I. 3. Ex ctenus dictis abundè conſtat, manifeſtare & rcere DEUM ſuam erga nos beneficentiam uiæ beneficio: βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. Matth. 45. Emollitur terra ex ditiſſimo hyetophyio, humectantur agri, prata, vineæ, aquas ıriunt arida & ſitibunda loca, recreantur hones, animalia, vegetabilia. Imo eſt hæc ga adeò & ordinata aquarum pluuiam diſpartitio diuo Paulo bonitatis diuinæ μήριον. Καίτοιγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, ἀγαθοῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους. t. XIV. 17. Ita & Jobo noſtro: *Illis judim exercet in populos, ut det cibum copia maa.* (*Per hæc judicat populos, & dat eſcas mulmortalibus.*) XXXVI. 31. Ut ſanè exercet ternæ ſuæ dominationis jus, quoties pluım filiis rebellibus pœnæ loco mittit, gentes gionesque inundat, pagos & oppida perdit, nentem peſſundat, imbribus nempe vel imodicâ copiâ effuſis, vel & longo temporis ıctu retentis, imò apertis cœli feneſtris tom terræ orbem aquis tegit. Obſeruandum ic, Gentiles ipſos ſummo DEO patris matrisıe, imo Μητροπατρὸς, *Matripatris*, titulum deſſe. Apud *Clem. Alexandrin.* V. *Stromat.* letur ex *Orpheo:*

Exitii expers, Matripater, voluuntur ab ira
Cui omnia: qui ventosque moues, atque omnia nimbis
Contegis, &c.

c ſi Jobi Commentator fuiſſet Orpheus. En araphraſin ipſam *Clementis! Per illud quidem Matripater non ſolùm ſignificauit generationem, d etiam dedit occaſionem iis, qui introducunt roductionem, ut Dei quoque conjugem excogitaent. Paraphraſticè autem Scripturas illas exonit Propheticas, nempe & eam, quæ dicitur per Iſaiam: Ego ſolidans tonitru, & creans Spiritum, cujus manus exercitum cœli fundauerunt; & eam, quæ per Moyſem: Videte, quod ego ſum, & non eſt alius DEUS præter me. Valerio Sorano* apud *Auguſtinum de Civ. DEI.* L. VII. c. 9.

Jupiter omnipotens Regum, rerumque Deûmque
Progenitor, genitrixque Deûm, Deus unus & omnis.

Quæ hactenus de pluuiæ generatione & uſu diſſerui, repetere heic nolo, ſed quidem operæ duco pretium nonnulla adferre Phænomena, quorum mentio non fuit facta hactenus.

Inſtante pluuia leuior redditur aër, hinc & barometrum deſcendit. Conceptu autem eſt facile, quod leuiori reddito aëre ſeſe ex alto demittere debeant veſiculæ natantes, in ipſo deſcenſu allidi inuicem, confringi, & in guttulas conuerti. Sic Antlia pneumatica artificialem exhibet pluuiam, exſucto dimidio aëre. Ratio autem, cur pluuia imminente alleuetur aër, & per conſequens minus validè premat in barometrum, & totam terram, expoſita alibi, ſpeciatim ex Leibnitiana Hypotheſi.

De denſis nimbis obſeruari meretur, minus prodeſſe plantis, quàm æqualem per tenues pluuias effuſam aquæ quantitatem; illæ enim mox in riuos, flumina, lacus, ſeſe exonerant, vel & promptius ab æſtiuo calore Solis eue-huntur in altum, dum hæ commodius vegetabilibus nutrimentum præbent.

Cadunt communiter, in noſtris oris, copioſæ pluuiæ menſibus æſtiuis, Junio, Julio, Auguſto, eo nempe anni tempore, quo vegetabilia forti gaudent tranſpiratione, adeoque vehiculo aquæ copioſiori opus habet nutrimentum.

Ex Obſeruationibus Hyetometricis conſtat, plus cadere pluuiæ in regionibus montoſis, & maritimis, quàm planis. Pariſiis ordinaria fere menſura eſt 12. digitorum. Inſoliti quid eſt, ſi ad 25. 2. lin. usque aſſurgat, quod A. 1711. accidit. Quo eodem anno heic Tiguri duplum fere obtinui, nempe digitos 45. cum 1. linea, ſed communis fere menſura eſt 25. ad 30. digitorum. Plura vide in *Meteorologia* mea *Heluetica*.

Nobilioris adhuc, quàm pluuia, proſapiæ eſt *ros*, de cujus geneſi formatur quoque ad Jobum quæſtio. Conſtat excellens hoc natu-

ræ productum, DEI potius donum, non duntaxat ex partibus aqueis, paucisue terreis, ſed & ſulphureis, balſamicis, ſalinis volatilibus, aliis, quæ interdiu ex plantis ipſis exhalant, ſeſe nocturno aëre iterum demittunt, & plant[as] ipſas reficiunt. Veritatem hanc non agnoſcu[nt] ſoli coloni, ſed confirmant varia experiment[a] & mannæ rorisque mellei geneſis.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 29. 30.

29. E cujus ventre egreſſa eſt glacies? Et quis genuit pruinam cœli?
30. (a) Aquæ in ſpeciem lapidis vertuntur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur gelu.

(a) Sicut lapis aquæ ſeſe abſcondunt, & facies abyſſi à ſeſe capiuntur. Loquitur de glacie.

29. De cujus utero egreſſa eſt glacies & gelu de cœlo quis genuit?
30. In ſimilitudinem lapidis aqua[e] durantur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur.

EST & *pruina* Meteorum, aliud nihil quàm conglaciatus ros. Hoſpes vegetabilibus ingratus, ſi vel præcox cadat autumno, vel imminente æſtate, fructibus, inprimis tenerioribus, quales ſunt uuæ, nondum plenè maturis, vel progerminantibus vere tenellis foliis atque ſurculis. Sed haud caret uſu ipſa pruina. Claudi debet per hyemem terra, & plantæ, frumenta, gramina perſiſtere in ſtatu, quo fere fuere exeunte autumno; ad hoc autem, ut ſub dio per aliquot menſium decurſum perſiſtere queant gelido aëre inuicta, præparatione, &, ut ita dicam, graduali aſſuefactione opus habent, lenta nempe tubulorum & pororum occluſione, quod officium commodiſſimè præſtant pruinæ.

Hac pruinæ occaſione mentionem quoque facit DEUS, alloquio ſuo Jobum dignans, *glaciei*, quæ mira fluidiſſimæ ſubſtantiæ commutatio in ſolidam crucem hactenus fixit præſtantiſſimis quibusque Philoſophis. Integrum ſi conſideremus terræ ſyſtema, aſcendendum nobis eſt, veluti per ſcalæ gradus, inde ab Æquatore ad Polos: ſic eadem fere proportione creſcere videbimus glaciem, qua latitudinis gradus. Sub Æquatore ipſo eſt glacies rarior albo coruo, exceptis forte ſummis Andium jugis, verſus Polos autem integri occurrunt montes glaciales: in Moſcouia adſtringitur gelu aqua ad 6. vel 10. pedum profunditatem. Si cui ſcalam hanc 90. graduum ſcandere haud volupe eſt, ei conſulo iter per Heluetiæ noſtræ juga: Loca inueniet, ubi non eſt aqua frigore nexa in glaciem, hinc autem à digitali & ſemipedali craſſitie glaciei adſcendere poterit ad moles montesque glaciales, centenos aliquot pedes altos, qui Gletſcherorum nomine veniunt, & media æſtate jucundiſſimum præbent ſpectaculum. Multa heic, ſi diffuſo eſſe liceret, dicenda forent de glaciei initio atque progreſſu, variis duritiei gradibus in diuerſis regionibus, glaciei vernæ fragilitate, fragoribus horrendis, quos edunt vere appropinquante conglaciati lacus, & media æſtate, inſtante cumprimis mutatione tempeſtatis, Gletſcheri: de congelatione variorum corporum & ſolution[e] eorundem: de conglaciatione artificiali, qua[e] ſiſti poteſt in hypocauſto, & media æſtate: de congelatæ aquæ vi dilatante, quâ pondus 56 Librarum eleuari poteſt in cylindro 5. digitos alto & $1\frac{3}{4}$. lato: de vino gelu conſtricto, ac centrum vaſis generoſiori reddito; de pluribus aliis hujus generis Phænomenis, quibus recenſendis, explicandisue nunc ſuperſedeo. Vid. *Phyſ.* T. I. c. 23. & de Gletſcheris paſſim *in Schweitzeriſchen Natur-Geſchichten.* Sunt tamen nonnulla alleganda occaſione Textus, qui ita ex Verſione noſtra ſonat: *Aquæ in ſpeciem lapidis vertuntur, & ſuperficies abyſſi conſtringitur gelu*, ex originali, יִתְחַבָּאוּ, *abſcondent ſeipſas*, id eſt, formam ſuam & naturam mutant ita, ut conglaciatæ non ſint amplius, quod fuerunt ante: ex fluidis redditæ ſolidæ: inteſtino particularum motu, eoque confuſaneo, mutato in quietem. Quæ ceſſerant ante vel minimo tactui, nunc reſiſtunt maximis etiam viribus: pellucidæ antea, nunc albæ: Aqua ante, nunc lapis: ex quo genere ſingulari prorſus ſaxorum extrui teſtatur muros in Septentrione *Olaus Magnus Hiſt. Sept.* L. XI. c. 20. 21. De hac fluidæ ſubſtantiæ in ſaxeam ſoliditatem commutatione pronum eſt philoſophari, ſed tamen occurrunt difficultates benè multæ: facile eſt dicere, partes antea inteſtino motu agitatas nunc quieſcere; vel ſenſus id docent: ſed explicare, quomodo id fiat, hoc opus, hic labor. Verum ſi fateri velimus nos naturæ myſtæ, ne perſpectam quidem habemus veram particularum aquearum figuram, an ſerpentiformes eæ ſint, vel anguilliformes, flexiles, ut concepit *Carteſius*, an ſphæricæ, vel ſphæroideæ, ut alii voluere poſt eum: conſtat equidem nobis, inter particulas aqueas eſſe aëreas, ſed eſt & harum figura incomperta; nec conſtat, an non interfluat ſubtilior alia materia, quæ aquæ certum quendam communicet caloris gradum, hyeme absque circulatione auolans. Haud diſplicet hypotheſis, quæ extat *dans les Memoir.*

de

RPJCB

IOB. Cap. XXXVIII. v. 31.
Orion, כְּסִיל Ceſil.

Büch Hiob Cap. XXXVIII. v. 31.
Der Orion.

I. G. Pintz scu

revoux m. Jan. & Febr. 1701. p. 90. quæ tem particularum aquearum deducit par- ab aëre interno per frigus hybernum ad orem elaſticitatis gradum eleuato, partim xterno incumbente, qui illas in anguſtias it. Contra quam hypotheſin extant obje- nes m. Sept. & Oct. p. 271.

Conjectat doctiſſimus Jobi Commentator *da* P. II. p. 801. quem *Coccejo* præfero, in- heic *Cryſtalli* geneſin: & ſanè pro glacie, λλον habent LXX. ἐκ γαςρὸς δὲ τίνος ἐκπορεύεται ύςαλλος, *de cujus utero procedit glacies. Pi-* e namque inhæret illa veterum Scholaſtico- de Cryſtalli ex glacie origine opinio erro- , quæ non Jobum noſtrum Authorem ha- , ſed *Plinium* L. XXXVII. c. 2. *Cryſtallum gelu vehemens concretum. Non alicubi cer- eperitur, quàm ubi maximè hybernæ niues ri- : Glaciemque eſſe certum eſt, unde & nomen ci dedere.* Verùm enim verò *Plinium* ipſum imputato errore liberaui in *Hiſtoria* mea *urali Heluetiæ*, ubi oſtendi, alium admit- ſenſum Pliniana verba, ſcilicet, nec eſſe iem Cryſtallum, nec fuiſſe, ſed quidem ibi cipuè reperiri, atque ex ſaxis ipſis effodi, hybernæ niues, imo & glaciales montes rni, rigent. Certum interim hoc, fuiſſe & n Cryſtallum fluidum quid, ſed ſui generis, im poſt inundationem diluuianam in cauis orum concretum in Cryſtallos, ad eum mo- dum, quo in officinis Chymicis fiunt Cryſtalli- ſationes.

Num Textus noſter comprehendat quoque *aquas* ita dictas *petrificantes*, quæ omnia inje- cta corpora vel cruſta tartarea, lapideâ, obdu- cunt, vel prorſus lapidificant, determinare præ- cisè nolo. Ad literam ſaltem prioris generis *aquæ in ſpeciem lapidis vertuntur*; ſic & in cry- ptis ſubterraneis, ubi deciduæ ex fornicibus aquæ mirarum figurarum *Stalactitas* formant. Quadrat huc aqua, cujus meminit *Seneca Quæſt. Nat.* L. IV. poſtquam in proſcenium duxit *Oui- dianum* illud carmen:

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea red-
dit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Hæc, inquit *Seneca*, *aqua ſi ſolidum tetigit, hæ- ret, & aſtringitur; inde eſt, quod res abjectæ in eundem lacum lapideæ ſubinde extrahuntur, quod in Italia quibusdam locis euenit, ſiue virgam, ſiue frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies ex- trahis.* De hujusmodi aquis, quibus abundat Heluetia, legatur *Hiſt.* mea *Natur.*

Superſunt verba v. 30. *Superficies abyſſi con- ſtringitur gelu*, ubi originalis Textus, פְּנֵי תְהוֹם יִתְלַכָּדוּ *facies voraginis capientur.* Eſt *facies* ſiue *ſuperficies abyſſi* haud dubiè *ſuperficies maris*, quæ & ipſa conſtringitur gelu, ſpeciatim in Septen- trione. Vid. *Sim. Majol. Colloq.* 1. & 10. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 382.

TAB. DXXXI.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 31.

um vinculis colligabis Plejades? aut cohærentes ſtellas cynoſuræ dis- junges?

Nunquid conjungere valebis micantes ſtellas Plejadas, aut gyrum arcturi poteris diſſipare?

UT multis Phænomenis, iisque diffi- cillimis ſoluendis percommoda fo- ret mappa generalis primi orbis, qualis fuit ante diluuianam cata- ſtrophen; ita magnæ foret & deſi- ratæ utilitatis globus cœleſtis ex ipſius Jobi uſeo, ut conſpici poſſint conſtellationes illo- m temporum, earumque legi nomina, atque im Textu noſtro conferri. Tabulis hujusmo- cœleſtibus deficientibus, ſubſiſtendum erit bis vel in traditionibus, vel eruditis erudito- im Interpretum conjecturis. Introductus ty- Jobus à DEO ipſo Magiſtro in ſcholam na- ræ ſimul & crucis, examen ſuſtinet decreto- um, & ut Nauarcha ille *Palinurus* apud *Vir- lium III. Æneid.* 514.

Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sydera cuncta notat, tacito labentia cœlo,
Arcturum, pluuiasque hyadas, geminosque
triones,
Armatumque auro circumſpicit Oriona.

Prima conſtellatio, cujus in Textu fit mentio, eſt כִּימָה *Cimah*, LXX. πλειὰς, & ex communi Interpretum ſenſu *plejades.* Præfixum Epithe- ton, quod emphaſi haud caret, מַעֲדַנּוֹת *maa- dannoth*, LXX. δεσμὸς πλειάδος, *nexus plejadis*, A- quila vel Symmachus, Μόρια πλειάδος, *partes ple- jadis.* Vernacula noſtra, *die Gluck-Henne mit ihren Hünlein, Gluckere*; eſt enim congeries plurium ſtellarum, delineata in TAB. LXXV. hujus operis. R. *Solomon* habet קְשׁוּר כִּימָה,

conſtrictio plejadum, Chaldæus שִׁירֵי *catenas*: Manilio hæc conſtellatio audit *glomerabile ſydus*, Senecæ *denſi plejadum greges*. Alii Interpretes prædicatum illud reddunt aliter, Arias *delicias*, Coccejus *amœnitates*, Vulgata *micantes ſtellas plejades*, Pagninus *fructus delicatos*. Eſt autem conſtellatio hæc ypſiloides in *tauro*, à Weigelio in gratiam mercatorum commutata in Abacum Pythagoricum, agnita olim à Mythologis pro *atlantis* filiabus, quarum ſex Diis fuere maritatæ, ſeptima *Siſypho*. *Siebengeſtirn* Germanis, *vergiliæ* Romanis. Aquoſæ indolis ſydus, terræ pluuias niuesque inferens, ſi Aſtrologis fides, *niuoſum* hinc dictum *Statio L. V. Sylv.* & L. IV. *Thebaid.*

- - Neque enim violentior exit
Amnis humo, cum taurum ait plejades hauſit aquoſas.

Alterum, de quo Jobus, ſydus eſt כְּסִיל, cui & affigitur prædicatum מוֹשְׁכוֹת, LXX. Φραγμὸς Ὠρίωνος, *Septum Orionis*, Arias vertit *contractiones*, Latina noſtra *cohærentes ſtellas cynoſuræ*, Vernacula *den Zeug des Heer-Wagens*, alii *prolongationem*, alii *fructus ſerotinos Orionis*, Coccejus *rudentes funes*. Pulcherrimum hoc omnium ſydus, infra Taurum & Geminos ſitum, commutarunt *Schickardus* in *Joſuam*, *Schillerus* in S. *Joſephum*, Diuæ Virginis ma[...] tum, *Weigelius* in *Aquilam* S. Romani Impe[...] duplicem, & *Cingulum* in Trabem Inſigniu[...] Auſtriacæ Domus transuerſam.

Scopus allocutionis diuinæ ad Jobum h[...] procul dubio eſt, ut demonſtretur DEI omn[...] & ſoli-potentia, ut in cœlo noſtro aëreo, i[...] & illo ſydereo; unicum eſſe ut Creatorem, i[...] Conſeruatorem; ab illius nutu pendere uni[...] ut quarundam ſtellarum congregationem, qu[...] lis eſt in plejadibus, ita aliarum majorem a[...] inuicem diſtantiam, omnium fixum, unde [...] Fixæ vocantur, ſitum; neque à Jobo pender[...] neque à quoquam mortalium, disgregare ill[...] ab inuicem, aut propius has colligere. U[...] notandum, Fixas quasuis totidem eſſe Soles in centris ſuorum vorticum locatas, proin no[...] in eadem reſpectu noſtri peripheria ſitas, ſe[...] unas aliis altiores, per conſequens præciſè d[...] terminari non poſſe, an quæ ſibi ſunt prox[...] mæ, reuerà tales ſint, nec remotiores ab i[...] uicem, quàm quæ diſtantiores videntur. I[...] campo aperto ſi lux ponatur 20. pedum inte[...] uallo ab alia, ſed reſpectu noſtri in recta ſe[...] linea retro hanc, propior videbitur huic, quàn[...] tertia 5. duntaxat pedibus ad latus, vel angu[...] lum rectum poſita. Vid. *de Mey Phyſ. Sacr[...]* p. 300.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 32.

Tune hyades ſuo tempore produces, & reges arcturum cum ſuis filiis?

Nunquid producis Luciferum i[...] tempore ſuo, & veſperum ſupe[...] filios terræ conſurgere facis?

In theatro mundi producit DEUS ſydera ſua, tum erratica, tum fixa, ut ad paſcua ducit Paſtor ſuas oues, Imperator in campum milites. Horum ſiderum bina vidimus verſiculo proximè præcedenti. Succedunt nunc & Horizontem conſcendunt bina alia, de quorum nominibus & certitudine eadem heic valent, quæ ſupra attulimus, dubia.

מַזָּרוֹת diuerſam admodùm, ſi quod aliud vocabulum, admittit explicationem, ignotam eò usque ipſis LXX. ut maluerint ſeruare vocem originalem Μαζερὼθ. Ita & Auguſtinus, ſed quoque *arcturos*, Symmachus τὰ σκορπισθέντα, *quæ ſparſa ſunt*, Chryſoſtomus *collectiones ſyderum*, dictæ ζώδεια, quaſi *parua animalia*, alii *ſidereum canem*. *Nicetas*, *Pagninus*, alii omnia Zodiaci ſeu *cœleſtia ſigna* duodecim. *Targum*, *R. Abraham*, *R. David Planetas*: Vulgata, & Vernacula noſtra, *Luciferum*, *den Morgenſtern*, ut עַיִשׁ *Veſperum*, *den Abendſtern*, ubi Germanica noſtra prorſus non conformis eſt Latinæ, quæ pro מַזָּרוֹת ſiſtit *hyades*, pro עַיִשׁ *arcturum*: non, inquam, conformis, quia totâ naturâ differt Planeta *Venus* à *Fixis*, opaca illa, vortici Solis incluſa, errans per ſigna Zodiaci, vicin[...] nunc huic Fixæ, nunc alii, quum hæ ſint na[...] turâ lucentes, reuerà fixæ, propriorum vort[...] cum centra. Sed premitur alia inſuper diff[...] cultate Vernacula noſtra, dum Lectori offer[...] eandem Venerem, tanquam à ſe ipſa diuerſam[...] Idem Planeta *Phoſphorus* audit, ſi manè præ[...] eat Soli, *Veſperus*, ſi ſolem ſequatur occiduum[...] *Piſidias*:

Quisue unum & idem ſydus aëri lumine
Modo Phoſphorum, modò veſperum ſi perſpi[...]cit,
Hoc neſciat binorum opificem curſum,
Lucis prophetam, noctis eſſe nuntium.

En igitur errantes per totum cœlum opiniones ſed commodè quadrant verba Textus *Veneri* Ducis ad inſtar totum cœli exercitum ducenti[...] & reducentis. *Seneca in Medea Act.* 4.

Mergat diem timendum dux noctis Heſperu[...]go.

E[...]

ı *Herc. fur.*

Jam rara micant ſidera prono
Languida mundo, nox victa vagos
Contrahit ignes, luce renata
Cogit nitidum Phoſphoros agmen.

lius L. II. Metam.

\- *Diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit*
ucifer - - - -

:o, quæ de hoc Planeta fingunt naſutuli A-ogi', hiisque remitto, quibus delectantur, es, regimen ſpeciale in amplexus amoris. oris momenti ſunt, quæ Aſtronomi de hoc ıeta obſeruant; de ejus Phaſibus pro ſitu ;olem terramque vario, nunc plena, nunc a, creſcente, decreſcente, ut eſt Luna, opa-:is ſigno certiſſimo: de motu circa Solem, m conficit hic à primo ſecundus Planeta io dierum 224. horarum 18. de motu ejus c progreſſiuo, nunc retrogrado, nunc ſta-ıario ſitu, quorum Phænomenωn cauſas ɜgiè explicant Copernicani: de elongatio-ıb Ecliptica ad usque 9. gradus: de motu ationis circa proprium centrum intra 14. as, qui motus ex macularum circuitu de-nſtrandus, uſui venit Venericolis, utpote absque illo ex una parte torrerentur nimio u, ex altera nocte premerentur continua, ue gelida: ibi, inquam, torrerentur, quia netæ hujus diſtantia à Sole non major eſt

8300. terræ Semidiametris ſiue 1427000. Milliaribus Germanicis. Juxta *Hugenium* Diameter Veneris ſeſe habet ad Solis diametrum ut 1. ad 84. unde infertur magnitudo 592754.es minor Sole, $2\frac{1}{3}$.es major terrâ.

Digreſſione hac in fauorem Veneris facta redeo ad עַיִשׁ עַל־בָּנֶיהָ, & obſeruo fundamento ſuo haud carere Latinam noſtram, quæ à Vortice Solis ſeſe attollit ad Fixas usque, & nobis ſiſtit *arcturum cum ſuis filiis*: *nas* Arabibus notat *feretrum*; *feretrum* autem *majus* in cœlo eſt *Urſa major*, *minus Urſa minor*, quæ utraque cum quatuor ſuis ſtellis primariis feretrum repræſentat, vel 4. currus rotas, unde & nobis cognomen *Heer-Wagen*; tres autem reliquæ ſtellæ in cauda utriusque erunt equi, vel & funeris efferendi comites, בָּנֶיהָ, *filii* vel *filiæ*. Hinc *Alcamus*, Scriptor Arabs: *Filiæ feretri majoris, quarum quatuor ſunt feretrum, & tres ſunt filii. AbenEzra* quoque עַיִשׁ noſtrum explicat de 7. ſtellis ſeptentrionalibus, Aſtronomis *Urſa*, *Plauſtrum*, *Helix*, *Septentriones* dictis. Hæc in gratiam Tigurinæ Latinæ. Vernaculæ fauent LXX. Καὶ ἕσπερον ἐπὶ κόμης αὐτȢ ἄξεις αὐτὸν, *& veſperum an comâ ſuâ duces illum?* quâ ipsâ comâ egregiè alludere videntur hi ad ſplendorem illum, quem ſpargit Venus, Cometis comatis fere ſimilem, qui ipſe in cauſa eſt, quod ſtella hæc erratica nudo viſui major appareat, & fulgentior, quàm armato teleſcopiis. Plura de hac ſtella עַיִשׁ vide ad Job. IX. 9. Abundet quilibet ſuo ſenſu. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. I. c. 16. p. 113.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 33.

ıisne leges cœli? aut dominium ejus terræ imponis?

Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?

ARias vertit חֻקּוֹת שָׁמַיִם, *chykkoth ſchamajim*, *ſtatuta cœlorum*, LXX. τροπὰς ȣρανȢ, *commutationes cœli*, Scholiaſtes, τὰς τȢ ἀέρος τροπὰς, *verſiones aë-*, Aquila ἀκριβείας, *exquiſitas rationes*, *leges*: ılgata *ordinem cœli*, Tigurinæ *leges cœli*, *des immels Lauff.* Clarum ex his, variantibus lit Verſionibus, intelligi debere conſtantiſſias illas leges, ſiue ſtatuta æterna, quibus tos cœlorum exercitus, corpora omnia cœlea, Sol, Stellæ Fixæ & Erraticæ, terra non exɜptâ, in ſua orbita quæuis, mouentur, & quiɜm in fluidiſſimo cœlo, vacui æmulo, adeò ɛquiſitè, ut nulla illarum vel latum, ut loquunır, unguem inde ab exordio mundi ad hæc oſtra usque tempora fuerit diuagata, adeò conɛanter, ut locus & ſitus prædici poſſit & calulo prædeterminari in omnia quæque tempoa futura. Ejus eſt latifundii hæc DEI ad Joɔum quæſtio, ut Commentarii loco inſeruire

poſſit tota, quanta quanta eſt, Aſtronomia, quæ ex ipſo Textu noſtro percommodè nuncupari poteſt חֻקּוֹת שָׁמַיִם, cœli ordines, leges, motus. Sed non eſt hæc mea intentio, & deficeret fortè Lectori attentio. Id ſilentio præteriri nequit, præſupponere, imò demonſtrare, conſtantiſſimas hasce cœlorum, & corporum totalium in iis locatorum, atque motorum leges infinitæ ſapientiæ pariter atque potentiæ Architectum, non fundatas cauſis mechanicis, ſed liberrimo Creatoris nutu. En graphicam ſimul & compendioſam deſcriptionem Ill. *Newtoni*, Philoſophi omnium, quos unquam orbis vidit, acutiſſimi, qui proſtratâ vorticum hypotheſi ita in *Philoſ. Nat. Princip. Math.* p. m. 482. *Perſeuerabunt quidem (corpora cœleſtia) in orbibus ſuis per leges grauitatis, ſed regularem orbium ſitum primitus acquirere per leges hasce minimè potuerunt. Planetæ ſex principales reuoluuntur circum ſolem in circulis Soli concentricis,*

Xxx xxx xxx *eadem*

eadem motus directione, in eodem plano quàm proximè. Lunæ decem reuoluuntur circum terram, Jouem & Saturnum in circulis concentricis, eadem motus directione, in planis orbium Planetarum quàm proximè. Et hi omnes motus regulares originem non habent ex cauſis mechanicis, ſiquidem Cometæ in orbibus valde excentricis, & in omnes cœlorum partes liberè feruntur. Quo motus genere Cometæ per Orbes Planetarum celerrime & facillime tranſeunt, & in Apheliis ſuis, ubi tardiores ſunt, & diutius morantur, quàm longiſſime diſtant ab inuicem, & ſe mutuò quàm minime trahunt. Elegantiſſima hæcce Solis & Planetarum & Cometarum compages nonniſi conſilio & dominio entis intelligentis & potentis oriri potuit. Et, ſi ſtellæ fixæ ſint centra ſimilium ſyſtematum: hæc omnia ſimili conſilio conſtructa, ſuberunt unius dominio; præſertim, cum lux Fixarum ſit ejusdem naturæ ac lux Solis, & ſyſtemata omnia lucem in omnia inuicem immittant. Hic omnia regit, non ut anima mundi, ſed ut uniuerſorum Dominus, & propter dominium ſuum Dominus DEUS παντοκράτωρ *dici ſolet.*

Adſcripſere Gentiles ipſi dominium in cœlum & cœleſtia corpora Joui. *Deus perpeti cura, quamuis compoſitum, gubernat Imperium, atque hanc tantam molem infatigabili manu voluit, omnium quoque rerum ordines ac vices peruigil ſeruat. Neque enim tunc tantummodo commouetur, cum tonitrua incutit, & fulmina jacit, ſed, etiamſi tumultuantia elementorum officia pacauit, nihilominus tamen & ipſas, quæ tacite labuntur, auras placido ſinu fundit, & in aduerſa cœli nitentem impetu rapit Solem. Claud. Mamertin. Panegyr.* III. *Maximian.* c. 3.

Non poſſum, quin commodâ hac occaſione aſcendam ad ſecula illa media ignorantiæ, nominatim ad Seculum XIII. ubi occurſat vir, qui non ſolùm ad quæſtionem Jobo factam: *Scisne leges cœli?* affirmatiuè reſpondiſſet, ſed & eò usque perrexit audaciæ, ut cenſoriâ perſtrinxerit virgulâ ipſum Creatorem, creationisque opera. *Alphonſus* hic eſt X. Caſtellæ & Legionis Rex, Ferdinandi III. & Beatricis filius, qui lucem vidit A. 1203. & extremum diem pœnitens ſimul & opum indigus obiit A. 1284. *Hic Alphonſus*, ita *Sanctius*, Hiſtoricus Hiſpanus P. IV. c. 5. *diuina opera, quæ perfectiſſima ſunt, & cum ſumma ſapientia, pondere, menſura, & numero creata, judicare quippe & emend*[…] *conatus eſt; ore enim blaſphemo dicebat palàm* […] *à principio Creationis humanæ DEI altiſſimi c*[…] *ſilio interfuiſſet, nonnulla melius ordinatius*[…] *condita fuiſſe. O vana, o funeſta, o ſuperf*[…] *atque inutilia verba! Non ſic Dauid ſentieb*[…] *dicens: Mirabilia opera tua, DOMINE,* […] *quis cognoſcet nimis? & iterum: Quàm magn*[…] *cata ſunt opera tua, DOMINE, omnia in* […] *pientia feciſti.* Verba illa ſi ad literam, uti […] cent, accipiantur, à crimine Atheiſmi & h[…] rendo blaſphemiæ vix liberari queunt. S[…] forſan hæretificomaſtix *Arnoldus* quispiam […] phonſum Catalogo Hæreticorum expung[…] conaretur, hac nempe explicatione, quòd […] ſtronomus ille Rex, à quo *Tabulæ Alphonſ*[…] nomen habent & famam, Syſtema Mundi P[…] lemaicum, in Quodlibeticis illis Seculis re[…] ptum, riſu explodere voluerit, tanquam inco[…] gruum, ἀπροσδιόνυσον, quale & nunc conſide[…] tur, præſuſpicans fortè, diu ante Copernicu[…] ſapientiorem longè & ordinatiorem eſſe mun[…] διακόσμησιν, quam finxerat Ptolemæus. Sed ha[…] ſi fuit mens regis, virgulâ cenſoriâ perſtringe[…] debuiſſet homines diuinorum operum inſulſ[…] interpretes, non DEUM Conditorem ſapie[…] tiſſimum.

Ultima, quæ ſequuntur, Textus verba, *a*[…] *dominium ejus terræ imponis?* ἢ τὰ ὑπ' οὐρανὸν ὁ[…] θυμαδὸν γενόμενα (ἐπίςασαι;) *aut quæ ſub cœlo ſim*[…] *facta (ſcis?)* LXX. variam patiuntur ἐξήγησ[…] מִשְׁטָר *miſchtar* notat propriè dominium, reg[…] men, adminiſtrationem Principis aut Præf[…] cti, fundatam poteſtate legislatoria. Hoc nun[…] *dominium* ſi terram attinet, reſpicit dubio pr[…] cul uſus ſiue commoda, quæ Planeta hic, do[…] micilium noſtrum, habet à motu & ordine co[…] ſtantiſſimo cœli, & numeroſiſſima ſimul ſun[…] atque maxima. Inde enim inuariata illa & o[…] dinatiſſima dierum & noctium, menſium, an[…] norum, anni temporum viciſſitudo, imo ipſ[…] plantarum, animalium, hominum vita. U[…] planè non habeamus neceſſe cum 'Αστρομάντα[…] ſtatuere, aut in cerebro fingere Planetarum in[…] fluxus in corpora noſtra & mentes, in intelle[…] ctum & voluntatem, respublicas, regna, eorumque origines, mutationes, ruinas, Regum & Principum vitam & ultima fata.

Job.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 34. 35.

Clamabisne ad nubem altâ vo-
ce, ita ut aquarum inundatio te
operiat?
Tune fulgura emittes, ut eant,
ac tibi dicant: Ecce adſumus?

34. Nunquid eleuabis in nebula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?
35. Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi: Adſumus?

Eſt vox DEI ipſum potentiſſimum, nulliſque limitibus circumſcriptum dominium, velle ſuum eſt mandare, præcipere eſt efficere. Voci huic obe-
ıt in momenta creaturæ omnes, animatæ
ıanimatæ. *Euocauit famem, ut ea labora-*
terra. (*Et vocauit famem ſuper terram*, *&*
ıe firmamentum panis contriuit.) Pſal. CV. 16.
vocauit ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, ſuper frumentum, & vinum, ſuper oleum, & ſuper uniuerſum, quod terra profert, ſuper homines, & ſuper jumentum, & ſuper uniuerſum laborem manuum. Hagg. I. 11. Ezech. XXXVI. 29. Sibi ſanè ſoli reſeruat ὁ παντοκράτωρ vocationem ſuper pluuiam, imo ſuper שִׁפְעַת־מַיִם *redundantiam aquarum*, ὕδατος λάβρον, nimbos, imò & *fulgura*, & fulmina, κεραυνὲς, de quibus alibi.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 36.

Quis indidit renibus ſapientiam?
aut quis indidit cordi intelligen-
tiam?

(*a*) Hieron. Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel, quis dedit Gallo intelligentiam? voces variè apud Judæos etiam intellectas reddidi, ut Chald. interpres.

Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?

Eſt ſine dubio labor Scripturæ Sacræ exegeticus difficilior tantò, ſi vocabula originalis Textus duplicem admittant ſenſum, vel multiplicem. E-
ıplo ſit Textus hic, in quo unum idemque
cabulum his notat renes, illis viſcera, iſtis
:tricem: aliud his cor ſignificat, aliis gallum
llinaceum. Ex hujusmodi labyrinthis extri-
re ſe difficile eſt.

Eſt combinatio *cordis* & *renum* haud infre-
ıens Sacræ Scripturæ. Pſal. VII. 10. DEUS
ſtus cluet *explorator cordium & renum.*
XVI. 2. *Explora me*, DOMINE, *& tenta me*,
:coque renes meos, *& cor meum.* LXXIII. 21.
fferueſcebat fermenti inſtar cor meum, *& renes*
ei acuebantur. (*Inflammatum eſt cor meum*, *&*
ınes mei commutati ſunt.) Prov. XXIII. 15. 16.
ili mihi (mi) *ſi ſapiens fuerit cor tuum, gaudebit*
ıoque cor meum. Exultabunt denique renes mei,
ıum labia tua rectè loquentur. Jer. XVII. 10.
go DOMINUS *& cor perſcrutor*, *& renes ex-*
oro. XX. 12. *Tu* DOMINE *Exercituum, ex-*
lorator juſti, *videns renes & cor.* Sed in alle-
;atis locis vocantur *renes* ut plurimum כְּלָיוֹת
: *cor* לֵבָב. Verùm in Textu noſtro *renes* au-
liunt inuſitato ſatis vocabulo טֻחוֹת à טוּחַ *illi-*
ıere, *obducere*, quoniam obducti ſunt pinguedine; & *cor* שֶׂכְוִי à שָׂכָה, *cogitare*, *imaginari.* Collocarunt nempe Judæi animam hominis in corde potius & renibus, quàm in cerebro. Quum nobis hodie Metropolis animæ ſit cerebrum, neruoſi totius ſyſtematis, per conſequens & ſenſus & motus omnis fons. Fuit, de quo perſuaſus ſum, Judæorum Lingua Poetica potius quàm Philoſophica. *Cordis* & *renum* nomine intellexerunt intimos corporis receſſus, intima, in quibus hominum cogitationes, vel ſapientia, lateant, penetralia. Hinc fortè conciliare licet Latinæ noſtræ *renes* cum Vernacula, quæ habet ſapientiam occultam, *heimliche Weißheit.*

Difficilior longè eſt Interpretum conciliatio circa alterum Textus noſtri lemma. Nos, *quis indidit cordi intelligentiam? wer hat dem Hertzen Verſtand gegeben?* Vulgata autem, *quis dedit gallo intelligentiam?* Primus, qui vocabulum שֶׂכְוִי hoc ſenſu ſumſit, eſt R. *Simeon*, filius *Lakis*, in Talmudico Tractatu de *Capite Anni* f. 26. a. Secuti eum Doctores ex Judæis alii, Interpretes quoque nonnulli poſt *Hieronymum*. *Plinium* ſi audimus L. X. c. 21. eſt *gallus* ex animalibus irrationalibus rationaliſſimum. *Gloriam ſentiunt hi noſtri vigiles nocturni*, *quos excitandis in opera mortalibus*, *rumpendoque ſomno*

natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu: cum Sole eunt cubitum, quartaque caſtrenſi vigilia ad curas, laboresque reuocant: nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere. Imperitant ſuo genere, & regnum, in quacunque ſunt domo, exercent. Ælianus L. XIV. c. 28. *Gallinaceum exoriente Luna quaſi Diuino quodam Spiritu afflatum bacchari atque exultare ferunt: Oriens quidem vel ipſum nunquam fallit.* Eſt namque gallus procubitor à DEO expoſitus ſtationarius, ſiue horologium ſonans, quod homines ex ſomno excitat, & ad labores ineundos mouet. Num verò is hoc ſuo defungatur munere ἐκ προαιρέσεως, ita ſecum ratiocinans: Procubitoris ſparta mihi impoſita, ergo hoc meo functurus officio cantu meo hâc præcisè illaue horâ excitare debeo homines, iisque ſomnum excutere, aſſerere non audeo, nec volo. Informatus aliquando melius de brutorum Commercio Epiſtolico (*Moſcheno Lettere miſſive e reſponſorie delle beſtie,*) certi quid prolaturus ſum. Ampliandæ galli gloriæ conducet plurimùm, ſi eo mediante inuenientur locorum terræ longitudines, adeò anxie & diu quæſitæ, de quo ſpem fecit *Rouille de Meslay*, ut e. g. Gallus Luſitanicus, circa Μεσονύκτιον cantare ſolitus, in Gallia horâ primâ cantaturus ſit. Vid. *Breſl. Samml.* Ann. 1717. m. Sept. p. 146.

Reſtat, ut nonnulla dicamus de LXX. virali, cui pro gallo fœminæ placent. Ita ea ſonat: τίς ἔδωκεν γυναιξὶν ὑφάσματος σοφίαν, ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; *Quis autem dedit mulieribus texturæ ſapientiam aut variegandi ſcientiam?* Legerunt hi pro בַּטֻּחוֹת *in renibus* בַּטְּווֹת *in netricibus*, quod vocabulum deſcendit à טָוָה *nere*; ſed ipſam nendi artem commutarunt LXX. in ὑφάσματος σοφίαν, *texturæ ſapientiam*, Græci namque νῆμα & ὕφασμα indifferenter adhibent, quod ex *Homero*, *Heſychio*, *Euſtathio* conſtat. Facile videbant, ut videre poterant, Græci I[...] tres muliebrium laborum incongruam in[...] opera DEI magnifica collocationem, unde r[...] rè ſe torquent *Seuerus*, *Olympiodorus*, *Chry[...] ſtomus*, *Nazianzenus*, ut coloribus fucatis o[...] nant illam Seniorum Verſionem. Audi *N[...] zianzenum*. *Dum, quæ in cœlo, terriſque ſu[...] enumerat, attexuit: Ecquis mulieres, genus c[...] teroqui infirmum, texendi artificio inſtruxit, [...] que ad opificii varietatem infectas lanas, color[...] que ut adhiberent, oſtendit? Miſcet autem par[...] magnis Diuina Scriptura.* Sed quoque id ha[...] diffitendum, Gentiles ipſam nendi & texen[...] artem Diis attribuiſſe, nominatim Palladi. *H[...] merus Odyſſ.* L. XII.

- - Pallas docuit variare labores,
Pingere acu veſtes, opera ardua intexere [...]
lis.

Et *Hymno in Venerem.*

Hæcque virgines mollicarnes in domibus
Præclara opera docuit. - - - -

Præclara hæc mulierum opera recenſione d[...] gna judicat Solomo Prov. XXXI. 13. *Quæ[...] lanam & linum, & operatur cum voluptate m[...] nibus ſuis.* (*Quæſiuit lanam et linum, et opera[...] eſt conſilio manuum ſuarum.*) v. 19. *Manum ſ[...] am colo admouet, et volæ ejus torquent fuſu[...] (Manum ſuam miſit ad fortia, et digiti ejus a[...] prehenderunt fuſum.)* Pulchrè *Plinius* L. VI[...] c. 56. *Textricis artis ſtudium neque contemptu[...] neque ſuperuacaneum eſt, in quo diuinæ ſapient[...] extant impreſſa veſtigia; quam ipſam artem n[...] DEUM puduit, ut ſibi propriam adſciſceret, cu[...] non alium, ac ſe ipſum ejus auctorem eſſe confi[...] mauit.* Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. I. c. 1[...] p. 114. it. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 365.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 37. 38.

37. (a) Quis ſapientia ſua ætheri dictabit, quæ faciat? Et lagenas cœli quis (b) ſiſtet?

(a) Quis recenſebit æthera in ſapientia?
(b) Faciet jacere, id eſt, quis repellit nubes, quum terra ſatis compluta eſt?

38. Quum puluerem fundunt ad ſolum, & glebæ velut conglutinatæ cohæreſcunt?

37. Quis enarrabit cœlorum ratio[...]nem? & concentum cœli qu[...] dormire faciet?

38. Quando fundebatur puluis in ter[...]ra, & glebæ compingebantur?

Inferre licet ex iis, quæ de Meteoris expoſita hactenus ſunt, per שְׁחָקִים *ſchechakim* intelligi debere non *ætherem* illum tenuiſſimum, qui immenſa inter ſtellas tum fixas tum erraticas replet ſpatia, & *cœlorum* nomine vulgò venit, ſed potius *aërem* ætheri illo mixtum, Meteororum Theatrum. Latina no[...]ſtra habet *æthera*, ſed Vernacula *Wolcken*, *n[...]bes*, quæ longè diuerſum quid ſunt ab æthere ita & LXX. νέφη. Aërem ſi dico, vel, ſi mauis atmoſphæram, comprehendi poteſt continen[...] & contentum, aëris ipſius elementum abſtra[...]ctum

1, ſed quoque nubes. Senſus itaque pro-
tæ ad Jobum quæſtionis : *Quis ſapientia*
ætheri dictabit, quæ faciat? eò redit, ut vel
is, vel quis alius enuntiet, ſi poſſit, quis-
i ita diſponat elementum aëris, vapores &
us varios eo concinno ordine, juſta pro-
ione, certo numero & pondere, adæqua-
aloris frigorisue gradu, præciſa grauitate
uitate, denſitate & raritate, qua qualitates
omnes inſeruire queant terricolis, vegeta-
bus, animalibus, hominibus? ut pluuiæ ca-
tis quantitas neque nimia ſit, nec pauca ni-
, hyems neque contracta neque protracta
ium? Confirmant hunc ſenſum, quæ pro-
è ſequuntur verba: *Lagenas cœli quis ſiſtet?*
X. τίς ȣ̓ρανὸν δὲ εἰς γῆν ἔκλινε; *cœlum et terram*
inclinauit? Symmachus, ὄργανα ȣ̓ρανȣ̃ τίς κοσ-
; *organa cœli quis ornabit?* Auguſtinus, *or-*
a cœli in terram declinauit? Aliis, gloſſæ
, τὰ νέφη συνίςαϑαι παρασκευάζων, ȣ̓ρανὸν δὲ εἰς γῆν
ίνων, *qui parat nubes concreſcere, et cœlum in*
am declinans. Vernacula noſtra, *wer ſtillet*
Waſſer-Brüche des Himmels? Græcos ſi ſe-
ris, inſtabit aquarum effuſio ex collectis,
æque propius adductis nubibus, non *ſiſte-*
. DEUS namque eſt, qui natantia in libero
e maria in terram effundit, ſed & nimbis
ecipit menſuram & modum: Huc, nec plus
ra. Colligi poteſt hic vel ſimplex, vel du-
plex ſenſus inſuper ex v. 38. *Quum pulverem fundunt ad ſolum, et glebæ velut conglutinatæ cohæreſcunt?* LXX. Κέχυται δὲ ὥσπερ γῆ κονία, κεκόλληκα δὲ αὐτὸν ὥσπερ λίϑῳ κύβον. *Diffuſus eſt autem, ſicut terra, cinis, et agglutinaui eum, ſicut lapide, cubum.* Quæ verſio obſcura. Conglutinari debet ab effuſis nimbis terra, ſed quoque ſuccus in ea nutritius diffundi, ſolui, ut extrema radicum oſcula intrare queant. Quadrant huc, quæ *Plinius* habet L. VI. c. 65. *Ita formaſſe artifex naturæ credi debet, ut cum terra arida et ſicca conſtare per ſe ac ſine humore non poſſet, nec rurſus ſtare aqua ſine ſuſtinente terra, mutuo implexu jungerentur, hac ſinus pandente, illa verò permeante totam intra, extra, ſupra, venis ut vinculis diſcurrentibus, atque etiam in ſummis jugis erumpente.* Humectanda eſt terra, & probe perfundenda partim ab aquis Oceani, per ſubterraneos ductus terram perreptantibus, à fluminibus, riuis, fontibus, partim deſuper à pluuia. Et eſt hæc ipſa ratio, cur DEUS *ſuper maria fundauit terram, et ſuper flumina præparauit eam.* Pſ. XXIV. 2. In Textu perbellè exprimitur formatio glebarum per בְּצֶקֶת עָפָר, *in fundendo pulverem*, ubi עָפָר propriè notat pulverem aridum, ſubtilem, non cohærentem, יָצַק verò *fundere, infundere, conflare*, ut quod concretum eſt, poſtea globoſum maneat.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 39. 40. (XXXIX. 1. 2.)

. An tu leænæ venaberis prædam, & paſtum ſufficientem exhibebis catulis leoninis?
o. Quum in cubilibus jacent, atque inſidiantur in luſtro.

1. Nunquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis?
2. Quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur.

[Lluxit hactenus oculis noſtris ſummi DEI ſapientiſſima, optima, atque potentiſſima de atmoſphæra & Meteoris prouidentia. Patebit ex ſequentibus, pendere & ani-
alium conſeruationem, motum, operationes
nnes à ſolo illo ente infinitè perfecto, quod
a creauit; Automata eſſe quadrupeda, vola-
ia, natantia, repentia, ſed artificii infiniti.

Primum animal, quod in theatrum produ-
it Conditor, eſt *Leo*, binis heic nominibus in-
lytus, quæ alibi ſunt plenius expoſita. לָבִיא *la-*
i propriè eſt *Leæna*, quam & habet Latina no-
ra: כְּפִיר *Cephir Leunculus*, ſed quoque *Dra-*
o, vel *Serpens*, unde LXX. ψυχὰς δὲ Δρακόντων
μπλήσεις, *animas Draconum replebis?* Exprimun-
ur & Leonum latibula duplici nomine, סֻכָּה
ſyccah, quod propriè notat *tugurium, tabernacu-*
um, & מְעוֹנָה *meonah*. Agitur heic non tam
de Leonibus, qui prædatum eunt, quàm de
prouidentia circa Leones decrepitos, viribus
imbelles, vel & Leænas, quæ catulos ſuos
alunt in antris. Apud *Ælianum* legimus *Hiſt. Anim.* L. IX. c. 1. Leones juniores ire prædatum, & clamoroſo rugitu veteres, in luſtris manentes, inuitare ad prædæ, cujus potiti fuere, communionem. Quadrant huc illa Amos III. 4. *Num Leo in ſaltu rugit, ſi non ſit præda? Num catulus Leonis vocem ſuam edit de luſtro ſuo, quum nihil (prædæ cepit?)* (*Nunquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit?*) Idem proin eſt, ac ſi dicat DEUS Jobo: Anne tu curam geris Leonum decrepitorum? vel, venarisne tu pro catulis? Sed eſt & hoc ſpeciale Prouidentiæ Diuinæ Κριτήριον, quod voraciſſimus licet & ſæuiſſimus Leo, ſaturatus ſemel, jejunare poſſit, prædâ deficiente, per biduum vel triduum. DEUS igitur eſt, qui fortibus Leonibus dat appetitum, qui eos ad venandum incitat, imò certo ſenſu venatur ipſe. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 2. p. 737. P. II. L. III. c. 3. p. 376.

Job. Cap. XXXVIII. verſ. 41. (XXXIX. 3.)

Quis parat ſuum venatum coruo, quum ejus (a) pulli ad DEUM clamant, & cibo carentes oberrant?

(a) Filii ejus.

Quis præparat coruo eſcam ſua quando pulli ejus clamant DEUM, vagantes, eo quod n habeant cibos?

NOtatu eſt maximè, imo adoratione digna ſpecialis DEI pro *coruo*, bruto turpi, vel quoad externam ſpeciem, ſed & quoad victum, contemto, ex Ceremoniali Lege immundo, cura, quam paſſim teſtatam reddit in Sacris. *Dat pecori ſuum paſtum, & pullis coruorum, qui eum vocant.* Pſ. CXLVII. 9. Κατανοήσατε, ita dulciſſimus Saluator Luc. XII. 24. τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οἷς οὐκ ἔστι ταμεῖον, οὐδὲ ἀποθήκη, καὶ ὁ Θεὸς τρέφει αὐτούς. *Pulli* coruini *ad DEUM clamorem*, cujus in Textu fit mentio, intelligunt ad literam veteres Judæi. Nonnulli ex Patribus, *Hilarius in Pſ.* CXLVI. *Hieronymus in Pſalmos*, id concoquere nequeunt, quia propriè ſic dicta inuocatio DEI animam præſupponit rationalem. *Auguſtinus: Hoc fortè putabimus, quia corui DEUM inuocant, ut det illis eſcam? Ne hoc cogitetis, irrationalem animam inuocare DEUM*, &c. Hinc eſt, quod Patribus placuerit ſenſus figuratus, quo *corui* ſunt Gentiles, *pulli coruorum* Chriſticolæ. Mallem ego, ſi ἀλληγορίζειν licet, voluiſſe DEUM in exemplum ſiſtere ex volucrium genere non pulcherrimas aſpectu & coloribus, non delicatiſſimas in cibis, non jucundiſſimas cantu, non robore vel magnitudine præ aliis inſignes, ſed immundum, atro carbone notatum, coruum, & digito veluti monſtrare nos homines, naturâ immundos, contra DEUM rebelles, ejusque optimam ſemper & prouidentiſſimam curam demonſtrare. Seligat Allegoriam hanc ipſam qui volet; nihil ea præjudicat ſenſui, quem nos præferimus, literali, qui non minus heic conuenit coruis, quam alibi leonibus, onagris, equis, aquilis, ſtruthionibus. Pondus addit locus ex parallelis Matth. VI. 26. ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά, & quæ ſequuntur tum in hoc loco, tum Luc. XII. 24. velut conſectarii loco: οὐχ᾽ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν; Neque ſoli pulli coruini clamant ad DEUM. *Leonis* quoque *catuli rugientes ad prædam quærunt cibum ſuum à DEO ſibi paratum.* Pſ. CIV. 21. *Beſtiæ agri vociferabuntur ad Te, quod exaruerint torrentes aquarum, & quod ignis abſumpſerit amœniſſima loca deſerti.* (*Beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.*) Joel. I. 20. De c more coruino pulchrè *Theodoretus*: Ου λογ τῶν κοράκων ἡ φύσις, οὐδ᾽ ὅτι λογικῶς ἐπικαλεῖται τὸν π τὴν, ἀλλ᾽ ἡ διὰ τὴν χρείαν κραυγὴ μιμεῖται τὴν αἴτη *Non rationalis eſt coruorum natura, neque tionaliter inuocant Conditorem, ſed, quem exeru clamor petitioni eſt ſimilis.* Eſt metaphori hæc locutio elegantior tantò, quod dum au aliæ canoræ elogia decantant DEO & grati pro acceptis beneficiis, coruus alta ſuâ & cla goſa voce clamitans agat mendicum. Sic *lianus Hiſt.* L. II. c. 48. de Ægypti Coruis N colis, quod importuno clamore à præterna gantibus nautis quaſi eleemoſynam flagiter Κόρακες Αἰγύπτιοι, ὅσοι τῷ Νείλῳ προσδιαιτῶνται, τ πλεόντων ἐοίκασιν ἱκέται εἶναι, λαβεῖν τι αἰτοῦντες. apud *Heſychium* κοράζοι, voce à coruo deriua idem eſt quod ἄγαν προσλιπαρῆσαι, ſupplicibus i plorare precibus, coruorum ad inſtar, qui d mos circumuolitant, nec ante diſcedunt, quà aliquid arripuerint, ἀπὸ τῶν περὶ τὰς θύρας κορακ περιπετομένων, καὶ μὴ ἀποχωρούντων.

Agitatur in Rabbinorum & Arabum ſch lis inanis, meo judicio, quæſtio de coruis, c apud Jobum & Dauidem non adulti, licet ipſi famelici, corui ad DEUM clament, ſed p li? En quas formant gloſſas! R. *klieſer in C pitulis* c. 21. Parentes ſi pullos aſpiciant rece natos, nec dum atros, non pro ſuis agnoſcu fœtibus, ſed ſerpentinis, derelinquunt pro eos, & perirent hi, niſi DEUS ipſe pararet c bos, & quidem, ut R. *Solomo*, muſcas vel c lices, ex ipſo parentum fimo prognatos, qu ſua ſponte faucibus pullorum inuolant. Ita philoſophantur *AbenEzra*, *Kimchi*, ex Arab bus *Haririus*, *Alkazuin*, *Damir*; Quos ſecu ex Patribus *Chryſoſt. Serm. de Elia. Olympio in Job. Gregorius in Job.* L. XXX. *Iſidor. Ori gin.* L. XII. c. 7. *Caſſiodorus in Pſalmos*, cui *Hie ronymi* nomen fuit affictum, amplificat mira culum, pullis coruinis rorem pro alimento ad judicans. Quis, ſodes, crediderit, tot in cor ui nido pronaſci vel muſcas vel culices, quo pullis alendis ſufficiant? Muſcas has ipſas ſpon te ſua inuolare in fauces pullorum? Odio pro ſequi parentes pullos ſuos propter coloris non dum ad ſaturatæ nigredinis punctum euecti de fectum, omnium aliarum auium pullis com munem? redire genitores, atratis ſatis juniori bus? Quum nemo non ſciat, animal quoduis

præ

: aliis amare ſuos, ſui generis, pullos. *Epi-rmus* apud *Laërtium* in *Platone*.

- - - Καὶ γὰρ ὁ κύων κυνὶ
Κάλλιϛον εἶναι φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ,
Ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιϛον, ὗς δ' ὑΐ.

icero L. I. de Nat. Deor. *An putas, ullam eſſe â marique belluam, quæ non ſui generis belluâ ;imè delectetur? Quod ni ita eſſet, cur non ge-t Taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? tu Aquilam, aut Leonem, aut Delphinum ul-anteferre cenſes figuram ſuæ?* Quin imò Jo-Textum probè inſpicientibus pateſcet, non *os* recens natos *clamare ad* DEUM, ſed *qui carentes oberrant*, per conſequens adultio-jam factos; corruere ſic omnem Legenda-1 atque Interpretationum Judaicarum, Ara-irum, &, quas fouere Patres, apparatum. :ent nos quoque Ornithoſophi, non pul-ſed eos coruulos derelinqui à parentibus, euolare cœperunt. *Ariſtot. Hiſt. L. IX. c. 31.* :όρακες τοὺς ἑαυτῶν νεοττοὺς, ὅταν οἷοί τ' ὦσιν ἤδη πέτεσθαι, τὸ μὲν πρῶτον ἐκβάλλουσιν, ὕϛερον δὲ καὶ ἐκ τοῦ τόπου ἐκδιώκουσι. *Plinius L. X. c. 12. de Cornice: Sola hæc etiam volantes pullos aliquamdiu paſcit. Ceteræ omnes ex eodem genere pellunt nidis pullos, ac volare cogunt, ſicut & corui, qui robuſtos quoque fœtus ſuos pellunt longius.* Hi proin, qui circumuolitando oberrant, eſcam quæſituri clamant, quaſi de ἀϛοργίᾳ parentum querelas fundant. In hac autem dura famis neceſſitate auxilio venit DEUS, non per miraculum, ſed juxta leges in natura ſtabilitas. Superuacanea tandem eſt quæſtio, cur pullorum mentio fiat in Textu, non coruorum adultorum? CHRISTUS Luc. XII. 24. de coruis, absque ætatis diſcrimine, quod nec ſeminent, nec metant, & tamen à DEO nutriantur: & Matth. VI. 26. de auibus omnibus; imò extendit ſeſe ſpecialis hæc DEI prouidentia ad paſſeres, auiculas omnium contemptas maxime. Matth. X. 29. οὐχὶ δύο ϛρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται, καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν, ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν; Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 11. p. 203.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 1 - 4. (4 - 7.)

Noſtine tempus, quo pariunt ibices? Obſeruaſtine fœturam ceruarum?

Num poſſes numerare, quanto ſpatio menſes ſuos impleant? aut noſtine tempus, quo pariunt?

Et incuruatæ (a) hinnulos ſuos enituntur, ac fœtus ſuos cum dolore edunt?

(a) Incuruabuntur, filios ſuos findent, dolores ſuos emittent.

Hinnulique earum pingueſcunt, & creſcunt à frumento, ut diſcedant, nec reuertantur ad eas.

4. Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel paturientes ceruas obſeruaſti?

5. Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum?

6. Incuruantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

7. Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

N Theatro Operum DEI magnifico comparet heic primùm quadrupes animal יָעֵל *jaal*, ex quo nonnulli faciunt *ceruum*, alii *hinnulum*, alii *damam*, *capreolum*, *rupicapram*, *capram ſyluaticam*. Hujusdem imalis mentio fit quoque 1. Sam. XXIV. 3. Pſal. CIV. 18. ubi Plurale legitur יְעֵלִים *jee-*ı. Pro *ibice* ſtat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. 23. Rationes expoſui ad 1. Sam. l. c. ut iis nc recenſendis commodè ſuperſedere queam. Alterum animantium genus, cujus mentio in Textu, ſunt אַיָּלוֹת *ajaloth*, *cerui*. Circa os verſatur examen, quod ſuſtinet, Jobus, & eciatim circa tempus partus, de quo ſcienım, eſſe id utique cognitum, & forſan fuiſſe otum ipſi Jobo. Sed intelligi heic debet non m ſcientia Jobi aliorumue hominum, ſed ſcientia DEI, & prouidentiſſima Ejus in generationis negotio cura atque diſpoſitio; unde Græci verba hæc חֹלֵל אַיָּלוֹת תִּשְׁמֹר, *obſeruaſtine fœturam ceruarum?* ita reddunt, ἐφύλαξας δὲ ὠδῖνας ἐλάφων; *cuſtodiſtine partus ceruarum?* שָׁמַר *ſchamar* quippe *obſeruare* notat & *cuſtodire*, *gewahren und bewahren*. Tot quippe inſidiis atque periculis expoſita eſt cerua, toties quæſita à venatoribus, tot ſaltibus ſeſe ipſam exponens & fœtum, ut miraculi loco eſſet cerua vel viua, vel non abortiens, vel hinnuli vitam ſeruantes, nî DEUS ſpeciali ſuâ adeſſet prouidentia & cuſtodiâ. Ita pulchrè *Chryſoſtomus*: Καλῶς δὲ εἶπεν, ἐφύλαξας; ἐπειδὰν γὰρ ἀεὶ ἐν φυγῇ καὶ φόβῳ καὶ ἀτονίᾳ (al. ἀγωνίᾳ) τὸ ζῶον, ἀεὶ πηδῶν, καὶ ἐναλλόμενον, πῶς, φησὶν, οὐκ ἀμβλώσκει, ἀλλὰ πλήρης ὁ τόκος ἐξέρχεται. *Rectè autem dixit*, cuſtodi-

ſtodiſti? *Cum enim hoc animal ſemper ſit in fuga, & metu, & formidine, ſemper ſaliat, & ſubſultet, quomodo non patitur abortum, ſed maturus fœtus editur?* Adoranda utique eſt prouidentiſſima hæc non in ceruis ſolis, ſed omnium aliorum animantium hominumque partu cuſtodia, ut non opus habeamus recurrere ad pudendas Judæorum, quas R. *Leui* & R. *Solomon* afferunt, Legendas, eſſe orificium internum matricis adeò in ceruis anguſtum, ut partus foret non ſolùm difficilis, ſed impoſſibilis prorſus, nî adductus à DEO ſerpens, embryulciam ſcilicet probè edoctus, illud irrependo ampliaret. Tradunt equidem Zoologi, promouere ceruas difficilem aliàs partum *Seſeli* herba. Ita *Cicero II. de Nat. Deor. Ceruæque paulò ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ Seſelis dicitur.* Subſcribunt *Plinius* L. VIII. c. 33. XXV. c. 8. XX. c. 5. *Ælianus Var.* L. XII. c. 35. Taceo alios, & lubentius tantò, quia traditiones illæ ſunt infidæ. Sanè ſi adeò neceſſarium fo ret partui Seſeli, annon actum foret de omni bus illis ceruis, quæ herbâ illâ deſtituuntur aut in Regionibus viuunt, ubi non creſcit? an non hanc ob cauſam omnes in antemurali no ſtro Tigurino ceruæ parturientes occumb rent?

Verſ. 4. *Hinnuli* dicuntur *pingueſcere*, & *creſcere à frumento.* In Textu originali legit בַּבָּר, quod Latina noſtra reddit, *à frument* Vernacula melius *vom Futter;* conſtat quipp hinnulis non venire in cibum frumenta, ſed gr mina: alii reddunt, *in agro*, alii *foràs*, *foris*, ſenſus ſit, *foràs ire* hinnulos, extra locum, u fuere vel enixi, vel lactati. Hujus ætatis hi nulus *Sadin* vocatur Arabibus, Græcis νεβρ ille autem, qui adhuc lactatur à matre, κεμ Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 17. 889-892. c. 23. p. 915. &c. it. *de Mey Ph Sacr.* p. 396.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 5. 6. 7. 8. (8. 9. 10. 11.)

5. Quis liberum dimiſit aſinum ſilueſtrem? & qui onagri vincula ſoluit?

6. Cujus domum ſolitudinem poſui, & cubilia ejus locum ſterilem.

7. Ridetque turbam oppidanam, nec audit clamores agaſonis.

8. Paſcua illius ſunt, quod in montibus conquirit, omniſque generis virentes herbas ſectatur.

8. Quis dimiſit onagrum liberum? vincula ejus quis ſoluit?

9. Cui dedi in ſolitudine domum, tabernacula ejus in terra ſalſug nis.

10. Contemnit multitudinem ciuita tis, clamorem exactoris non au dit.

11. Circumſpicit montes paſcuæ ſua & virentia quæque perquirit.

Duplici nomine venit *onager* in Sacris פֶּרֶא *pere* & עָרוֹד *arod.* De illo egimus ad Job. VI. 5. hic nomine ſuo clamorem indicat; ſtatim enim rudit, atque hominem conſpicit, teſtibus *Leone Africano* & *Marmolio.* Affinia ſunt Arabum *æjr*, fœm. *æjret*, Plur. *æ-jar*, *ujuret*, *yarat*, *mæjura*, quæ aſinum tum domeſticum, tum ſylueſtrem ſignificant, *Men. Lex.* 3361. Vernacula noſtra ex עָרוֹד facit *mulum*, ſeruare autem potuiſſet Latinæ paraphraſin, quæ onagrum habet; certum quippe, bina expoſita vocabula unum idemque denotare animal. In Textu *liber* cluet onager. *Quis liberum dimiſit aſinum ſilueſtrem? & qui onagri vincula ſoluit?* Non enim eſt, ut domeſticus, hominum mancipium, ſed ſui juris, adeò liber, ut ex quorundam Interpretum mente nedum domari queat. *Chryſoſtomus* in *Catena:* ἰσχυρὸν τὸ ζῶον, καὶ ἀδάμαστον, κἂν μυρία φιλονεικῇς, οὐκ ἄξεις ὑπὸ τὴν χεῖρα τὴν σήν. *Validum eſt animal, & indomitum, quod poteſtati t non ſubmittes, licet vel millies tentaueris. Oly piodoro* & *Polychronio* ἀνυπότακτον, in ordine redigi neſcium. Hanc ſententiam adoptat *Vi centius* in *Doctrinali* L. XVI. c. 97. *Deodatus Gloſſis.* Sed aliter naturæ periti. *Varro R Ruſt.* L. II. c. 6. *Ad ſeminationem onagrus id neus, quod è fero fit manſuetus facilè, & è ma ſueto ferus nunquam. Plinius* L. VIII. c. 43. *G nerantur (mulæ) ex equa & onagris manſue ctis. Anatolius* in *Hippiatricis* c. 14. Ἔνιοι καλ ποιοῦντες καὶ τοὺς ἀγρίους (ὄνους) ἡμεροῦσι, καὶ ἔστιν αὐτῶ παιδοποιΐα καλλίστη. *Benè agunt, qui manſuetos re dunt onagros, inde enim optima redditur fœtur vel progenies.* Conſentiunt Rabbini: nec ali vult Jobus, quàm, *domum* huic animali *eſſe litudinem, & cubilia ejus locum ſterilem*, quan diu nempe ſui manet juris, & in ſtatu eſt libe tatis.

Occu

Occurrunt heic duo vocabula, quæ em-ſi ſua haud carent; עֲרָבָה arabah, & מְלֵחָה עֲרָבָה arabah melechah notant propriè agrum ıltum, terram inhabitatam, unde *Symmacho* c πεδινὴ, nunc ἀνοίκητος vocatur, & fortè voca-i hoc originem ſuam arceſſit ab ipſa Arabia, : quoad maximam partem eſt inculta. מְלֵחָה go eſt, *terra ſalſuginoſa*, quæ & ipſa ſterilis. c Pſal. CVII. 34. *vertit* DEUS *terram frugi-m in ſterile ſolum* לִמְלֵחָה. Jer. XVII. 6. *In-tabit torrida loca in deſerto, in terra ſalſa* מְלֵחָה, *& inhabitata*, addit Chaldæus Inter-s, *qualis eſt Sodoma inhabitata*, mari ſalſo ıcens. Non deſunt teſtimonia, experientiâ i ſuffulta, de terræ ſalſuginoſæ ſterilitate. ı. L. XXXI. c. 7. *Omnis locus, in quo repe-r ſal, ſterilis eſt, nihilque gignit.* Et *Virgil.* rg. L. II.

alſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
rugibus infelix (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſer-uat.)

ɔent equidem plantæ omnes ſal ſibi eſſen-e, quod partem conſtituit ipſius ſubſtantiæ, non eſt hoc ſal idem cum communi, ve-n ſui generis, reliquis partibus in certa pro-tione admixtum: incongruæ ſunt commu-ſalis particulæ, tubulos tenerrimos plantæ diſrumpere aptæ. Appoſitè Deut. XXIX. 23. DOMINUS *illam* terram *languere facit, ſulphu-re & ſale exurentibus uniuerſam terram ejus, ut ſeminari non poſſit, non germinante neque exo-riente in eo ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ*, &c. Zephon. II. 9. *Viuo ego, dicit* DOMINUS, *quod Moab futurus erit ut Sodo-ma, & filii Ammon ut Gomorrha, reliquiæ urti-carum, & foſſa ſalis, vaſtitasque perpetua.* (*Vi-vo ego, dicit* DOMINUS *exercituum, DEUS Iſrael, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Am-mon quaſi Gomorrha, ſiccitas ſpinarum, & acer-ui ſalis, & deſertum usque in æternum.*) Huc quoque facit, quod Abimelech *ciuitatem* Si-chem *diruit, & ſale eam ſeminauit.* Jud. IX. 45. nempe in deſolationis perpetuæ ſignum, vel, ut R. *Leui*, ut nullo unquam tempore ibi ſint agri colendi, vel vineæ plantandæ. Erit proin hic ſenſus Textus: Melius viuere & commodius onagrum in locis ſterilibus atque deſertis, ex paucis obuiis forte plantis, quàm in urbibus pleno victu, ſed duro ſeruitio. Intulerit quis fortè ex v. 8. contrariam huic expoſitionem; ibi enim dicitur onager *paſcua in montibus con-quirere, omnisque generis virentes herbas ſectari.* Sed priorem ἐξήγησιν confirmat Jerem. XIV. 6. *Onagri ſteterunt in verticibus (montium) ventum haurientes inſtar draconum, deficientibus oculis eorum fœni penuria.* Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 16. p. 871.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 9. 10. 11. 12. (12. 13. 14. 15.)

Voletne (*a*) rhinoceros tibi ſeruire? an morabitur ad præſepe tuum?

(*a*) Al. monoceros.

. Alligabisne rhinocerotem loro, ut arando porcas faciat? num te ſubſequens in profundis ſulcis glebas franget?

. Fidesne illi, quia multùm habet roboris? num ei permittes labo-rem tuum?

2. An credes ei, quod (*b*) ſementem tuum conuehet, ac (fruges) areæ tuæ congregabit?

(*b*) Redire faciet ſemen tuum.

12. Nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi? aut morabitur ad præſepe tuum?

13. Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum, loro tuo? aut con-fringet glebas vallium poſt te?

14. Nunquid fiduciam habebis in ma-gna fortitudine ejus, & derelin-ques ei labores tuos?

15. Nunquid credes illi, quoniam ſe-mentem reddat tibi, & aream tuam congreget?

Occaſionem dedit locus Num. XXIII. 22. multiuarias exponendi ſententias de ſignificatu vocis רְאֵם reem, & decidendi, quod pro *unicornu*, *mo-ıocerote*, *Einhorn*, termino vago, Verſionibus Germanicis inſeri commodè poſſit *Nashorn*, quemadmodum & Latina noſtra habet rhino-ceros. Fuit hoc animal, deſertis Africæ, Abyſ-ſiniæ, Bengalæ, Patanes familiare, quod *Lu-dolfus* defendit contra *Bochartum*, *Ariſtoteli* ignotum. Primus, qui id deſcripſerat, fuit *Agatharchides*, qui vixit ſub Ptolemæo VI. Se-cuti eum *Artemidorus*, *Diodorus*, *Strabo*, *Pli-nius*, alii. Naſo inſidens habet cornu validum, duos ad tres pedes longum, ſemipedem craſ-ſum ad radicem, colore nigrum vel cinereum,

idque unicum : ut mirum omnino ſit, cur geminum ei affinxerit *Martialis Spectaculorum Epigr.* 22.

Namque grauem gemino cornu ſic extulit urſum,
Jactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

In quem locum & ejus correctionem prolixius ſcribit *Bochart. Hieroz.* Lib. III. c. 26.

Magnitudine æquat ferme Elephantem, ſed crura habet breuiora, craſſæ eſt cutis, nigro nereæ, rugoſæ, præſertim in dorſo & late bus: Roſtrum ut porci, oculi parui: Gram viuit & fructibus, ſed non ruminat. Viſi A. 1684. & 1685. in Anglia pro raro ſpecta lo: & Auguſti temporibus in theatris public frequentius in Hiſpania & Luſitania. Anin validum, indomitum, quod Emanuel, Rex I ſitaniæ A. 1515. pugnare vidit cum Elephan Vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 27. 948.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 13 - 18. (16 - 21.)

13. Penna (a) ſtruthiocameli primatum obtinet, ſi ei conferas alam aut plumam ciconiæ.

(a) Penna exultantium aut jubilantium afficitur lætitia. Periphraſis eſt pennæ ſtruthionis, ex qua criſtam ſibi faciunt homines jubilantes vel læti.

14. Quum in terra deſerit oua ſua, (b) in puluere calefacere ſolet.

(b) In arena enim calida fouentur. Vel, num tu calefacies, vel fouebis incubando?

15. Ac obliuiſcitur, quum pes prouoluit, ac fera conculcat ea.

16. Duriterque tractat pullos ſuos, perinde atque non eſſent illius: & ſecura eſt, perinde quaſi labor ejus ſuperuacaneus foret.

17. Quoniam DEUS eripuit ei cogitationem de ſapientia, neque imperitus (impertitus) eſt ei intelligentiam.

18. (c) Poſtquam verò adultus alas attollit, ridet equum, & illum, qui eo vehitur.

(c) Secundum tempus, in altum attollet.

16. Penna ſtruthionis ſimilis eſt pe nis herodii & accipitris.

17. Quando derelinquit oua ſua terra, tu forſitan in puluere c lefacies ea?

18. Obliuiſcitur, quod pes conculc ea, aut beſtia agri conterat.

19. Duratur ad filios ſuos, quaſi no ſint ſui: fruſtra laborauit, nul timore cogente.

20. Priuauit enim eam DEUS ſapien tia, nec dedit illi intelligentiam

21. Cum tempus fuerit, in altum al erigit: deridet equum & aſcen ſorem ejus.

DEſcribitur verſiculis hiſce 6. *Struthionis* indoles, ſed & primus horum, nempe 13. obſcurus valde, & δυσνόητος, ſi quis Sacri Codicis alius. LXX. ita: πτέρυξ τερπομένων νεέλασσα, ἐὰν συλλάβῃ ἀσίδα, καὶ νέσσα. *Ala lætantium neelaſſa, ſi conceperit, aſida & neſſa.* Aquila, πτερύγιον αἰνούντων συναναπλέκει —— —— ἐρώδιος, καὶ ἱέραξ. *Alam laudantium ſimul implicat —— —— —— ardea & accipiter.* Symmachus, πτερὸν ἀγλαϊσμοῦ περιφύεται, εἰ ἐναγκαλίσεται ὁ κύκνος πτίλους αὐτοῦ. *Ala nitoris circumnaſcitur, ſi ulnis complectatur cygnus pennas ſuas.* Qui Græca intelligit, illicò videt, Interpretes hoſce neque conformes eſſe in conſtructione, neque in auium ipſarum denominatione. LXX. habent ignotas prorſus, *ardeam* & *accipitrem* Aquila, *cygnum* Symmachus. Hieronymus: *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis erodii & accipitr* Ita & differunt Veteres, Syri, Chaldæi, ex r centioribus *Caſtalio*, *Arias*, *Junius*, Verſion Anglicæ, Germanicæ, Belgicæ, Italicæ, La na noſtra à Vernacula. Concilient hos omne qui volent.

Græci Interpretes vocem רְנָנִים *renani* legerunt abſque punctis pro *ronenim*, *canta tes*, *laudantes*, *exultantes.* Sed ex Syrorum Chaldæorum, Judæorum ſententia ſignific hæc vox auem, licet circa eam iterum in d uerſas abeant partes. Chaldæo *Gallus Gall naceus* placet, qui DEI laudes deprædicet. parallelo is locat Job. III. 7. XXXVIII. 36. Pſa L. 11. *AbenEzra* vocem *renanim* deriuat à [*ranan*, *cantare*, hinc alii apud *Pomarium* vo lunt *Luſciniam*, *Pomarius* ipſe *Pauonem*, Junc nian

m illam volucrem, quæ cauda ſidera por-
Subſcribunt poſt *Kimchium* Verſiones ple-
que ex Europæis, & has inter Tigurina no-
Germanica. *Wer hat dem Pfauen die ſtol-
i Flügel — gegeben?* Pennis ſuis ſuperbire
ıc auem nemini non notum. *Ouidius* L. I.
Arte:

Laudatas oſtendit auis Junonia pennas:
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.

de medicamine faciei:

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & formâ multa ſuperbit auis.

Metamorph. L. XIII. *Fab.* 8. *de Galatea:*

Laudato pauone ſuperbior - - -

uadrat pauonis ſymbolum in Juuenem quem-
, qui gerit nimio ſtolidiſſima pectora faſtu,
non in adoleſcentulam, quæ ſibi videtur
erare reliquas forma præſtante puellas. Si-
io premo magnum teſtimoniorum de auis
erbæ ſuperba indole numerum. Lege *Bo-
rtum Hieroz.* P. II. p. 240. &c. tantò autem
entius, quoniam רְנָנִים minus rectè vertun-
per pauones. Rationes en! Conſtat ex 1.
. X. 22. & 2. Paralip. IX. 21. eſſe pauonem
icam auem, diu poſt Jobi tempora à Claſſe
omonea unà cum mercibus aliis exoticis Ju-
æ illatam, quod certè haud contigiſſet, ſi jam
e vel Judæis, vel Arabibus vicinis fuiſſet co-
ta. Seriùs adhuc innotuit Græciæ. Ex *Æ-
ni Hiſt. Anim.* L. V. c. 21. conſtat, monſtra-
n fuiſſe tanquam rari quid pro pecunia, par
niſſe 1000. drachmis, Athenas veniſſe Lace-
monios & Theſſalos multos, miram volu-
m videndi ergò. Ex eodem *Æliano*, & *Cur-*
L. IX. innotuiſſe Græcis demùm Alexan-
M. temporibus, & quidem occaſione Indi-
um expeditionum. Sed breui ita increuit
merus, ut, *Antiphone* Poëta teſte, frequentiâ
tauerint pauones cum coturnicibus.

Τῶν ταῶν μὲν ὡς ἅπαξ τις ζεῦγος ἤγαγεν μόνον,
Σπάνιον ὤν τὸ χρῆμα, πλείȣς δ' εἰσὶ νῦν τῶν ὀρτύγων.

nt & rationes aliæ, quæ pauonem Textu no-
o excludunt. Non tam ſuperbit *alis* ſeu *plu-
s* quàm caudâ. *Lucret.* L. II.

Caudaque pauonis larga cum luce repleta eſt,
Conſimili mutat ratione obuerſa colores.

uid. L. XV. *Metam.* *Fab.* 35.

Junonis volucrem, quæ caudâ ſidera portat.

Statius Syluar. L. II. *in Pſittaco Melioris:*

Quem non gemmatâ Volucris Junonia caudâ
Vinceret aſpectu.

Quærenda proin auis ſuperbiens alis. Eſt hæc autem *ſtruthio*, eaque fœmina, alibi יְעֵנִים *jeenim* dicta, in Plurali, heic רְנָנִים *renanim;* accedit, quod radices עָנָה *anah* & רָנַן *ranan* unum eundemue cantum ſiue clamorem indicent, & fœminæ quidem vox acutior ſit, maris craſſior, & grauior. Diſtinguunt quoque Alitis hujus voces Arabes; fœminæ vocatur *zimar*, *zamara*, maris *arra*. Pro faciliori autem Jobiani Textus intellectu ſciendum, alas ſtruthioni haud inſeruire ad volatum, ſed ad curſum, veli ad inſtar expanſi. Hoc ſimili utitur *Xenophon* in *Cyro minore* L. I. ταῖς πτέρυξιν ἄρασα, ὥσπερ ἱςίῳ χρωμένη, *alis ſublata tanquam velo uſa.* Et *Diodorus* L. III. ὅταν κατ' ἀνέμȣ πνοὰς ἐξάρῃ τὰς πτέρυγας, ὑπερεξάγει καθαπερεί τις ναῦς ἱςιοδρομȣ̃σα. *Quodſi vento ſecundo expandat alas, actutum volat ut nauis velis expanſis.* Hinc eſt, quod ceſſante vento, & alis ſudore madidis haud difficulter capiatur hæc auis à venatoribus. Quamuis *Ælianus* L. II. c. 27. & IV. c. 3. idem atteſtetur, nondum tamen à me obtinere poſſum, ut ſubſcribam huic alarum & velorum ſimilitudini. Sequeretur inde, quod ſtruthio perſecutorum manus effugere non poſſet, niſi vento valido ſecundo, qui *equitis vincat celeritatem*, id quod facit ſtruthio teſte *Plin.* L. X. c. 20. Nullus foret fugæ locus vento aduerſo, nullus cœlo tranquillo. Non conueniunt hæc modernorum de ſtruthionum venatione relationibus. Notum, pendere velocem alitis hujus curſitationem ab alis, & harum vires à muſculis. Volat ſimul auis & currit. Huc faciunt, quæ *Plautus* habet in *Perſa Act.* 2. *Scen.* 2.

Vola curriculo. P. Iſthuc marinus paſſer per circum ſolet.

Ubi nota, *marinum paſſerem* eſſe ſtruthionem. Suppetit præter aptitudinem ad curſum alia alis ſuperbiendi ratio. Sunt harum plumæ venuſtæ, albedinis niueæ, militum quondam ornamenta galeis impoſita, uti & noſtræ ad Arietem tribui Tigurinæ ſolenne eſt. Memorat *Plinius conos bellicos, & galeas adornatas pennis.* Et *Theophraſtus Hiſt. Plant.* L. IV. c. 5. Indicæ arboris *folium longum, alis ſtruthionum ſimile, galeis imponi ſolitum.* τὸ φύλλον τὴν μὲν μορφὴν πρόμηκες, τοῖς τῶν ςρȣθῶν πτεροῖς ὅμοιον, ἃ παρατίθενται παρὰ τὰ κράνη. Suppeditant autem elegantiſſimas hasce plumas tum alæ, tum cauda. Prædicatur porrò admiranda plumarum harum æqualitas, vix in alia aue obuia, in ſymbolum juſtitiæ ab Ægyptiis adoptata, quod ex *Horo* L. II. conſtat. Ἄνθρωπον ἴσως τὸ δίκαιον ἀπονέμοντα βȣλόμενοι σημῆναι, ςρȣθοκαμήλȣ πτερὸν γράφȣσι. Τȣ̃το γὰρ τὸ ζῶον πανταχόθεν ἴσα ἔχει τὰ πτερυγώματα παρὰ τῶν ἄλλων. Quæ cir-

circumſtantia gloriam plumarum ſtruthiocamelinarum exaltat haud parum. Conſiderandum præterea, deſcribi in hoc & ſequenti proximè capite decem diuerſa animalia, & ſingula eodem prope prologo, XXXVIII. 39. *An tu Leænæ venaberis prædam?* 41. *Quis parat ſuum venatum coruo? (quis præparat coruo eſcam ſuam?)* XXXIX. 1. *Noſtine tempus, quo pariunt ibices? (Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris?)* 5. *Quis liberum dimiſit aſinum ſilueſtrem? (Quis dimiſit onagrum liberum?)* Quandoquidem autem certum, totam hanc, de qua nunc, deſcriptionem ſpectare ad ſtruthionem, & non ad aliam auem quamcunque, dubium eſſe nequit, præpoſuiſſe Scriptorem Sacrum ipſum alitis nomen, quod abeſſet, ſi ▭ רְנָנִים non denotat ſtruthionem. Nam ▭ חֲסִידָה *chaſidah* certò ſignificat *ciconiam*, & ▭ נֹצָה *notſah* non auem, ſed plumam. Conſtat id ex Ezech. XVII. 7. ubi auis mentio fit, *magnis alis, & multas habentis plumas* ▭ רַב נֹצָה. Ex his omnibus tandem inferre id licet, locum hunc noſtrum ex Hebraico ita, quod *Bochartus* fecit, reddi poſſe: *Ala ſtruthionum exultat, verè ala ciconiæ & pluma.* Vernaculè nos: *Die Strauſſen ſtoltzieren mit ihren Flügeln, und haben wahrhaftig Flügel, und Federen, wie der Storch.* Illuſtrandæ explicationi id porrò facit, quod ſtruthio medium quaſi ſit inter quadrupedia & volucria animal, quod & obſeruat *Ariſtot.* L. IV. *de Partib.* Cum illis id habet commune, quod in altum non euolet, piloſas habeat plumas, ab auium plumis diuerſas, ſupercilia, caput caluum, pedem veluti ungulatum, fiſſum: Cum his, quia eſt plumoſus, bipes; unde *Diodorus* L. II. *de Arabia* ex eo mixtum quid facit ex anſere & camelo, τοῖς τύποις μίγματα χηνῶν καὶ καμήλων, ubi pro χηνῶν rectius legeris πτηνῶν, mox enim ſequitur, χερσαῖον ἅμα φαίνεσθαι καὶ πτηνὸν, animal ſimul eſſe terreſtre & volatile. *Plinius, penè beſtiarum generis: Tertullianus, beſtia quædam magis quàm auis.* Hinc Arabum prouerbium de homine vel perplexo, vel ſimplici, qui bonum à malo vix diſcernere valet. *Struthio neque auis eſt, neque camelus.* Nos alio ſenſu. *Er iſt weder Hund noch Leutſch.* Ales hæc licet in capite præſente Jobi inter quadrupeda locetur, &, ut modò dictum, multa habeat his communia, dicitur tamen habere ▭ אִם ▭ אֶבְרָה *reuerà plumas*, quæ particula ▭ אִם nunc denotat *ſi*, nunc *an*, nunc etiam *verè*. Deſcriptio, quam *Marmolius*, Hiſpanus, ſtruthioni dat, paraphraſis dici poteſt verſiculi hactenus dilucidati. *En las alas, y en la cola tiene grandes plumas negras y blancas, come las de la ciguenna.* Ex modernis ſtruthionis nominibus non inuenio, quæ accedant ad noſtrum ▭ רְנָנִים, niſi huc traxeris Turcarum *reel, ral.* Pl. *rial, rilan, er-iil, rialet*, quæ pullum denotant, vel & *remda, remdam*, apud *Meninzk. Lex.* 2264. 2360.

Pergimus nunc ad ſpecialiorem ςρουθιοκαμελογραφίαν.

Verſ. 14. *In terra deſerit oua ſua, in puluer[e] calefacere ſolet.* Quadrant hæc nulli alii aui[…] ſolus ſtruthio crudelem hanc indolem habe[…] Referunt præter *Damirium* Scriptores alii Ara[…]bes, (qui circa hanc rem inprimis ſunt conſu[…]lendi, & potius quàm vel Græci, vel Romani[…]) ſtruthionem à venatoribus pulſum ad oua ſua[…] quæ deſerit, redire nunquam, ſed potius ali[…] ouis forte obuiis incubare; & *Ælianus* L. IV. c. 7. effodere hanc alitem foueam in arena pr[…] recondendis ſuis ouis, eaque iterum arena d[…] ſuper injecta contegere, ne damno ſint pluuia[…] Arabes & Hebræi ouum hoc, omnium max[i]mum, vocant ▭ בֵּיצָה *bitſah*, quod à colore alb[…] deriuant. Sed ſunt Arabibus alia quoque no[…]mina, quibus hoc ouum deſignant, *Thaum[…]* quod Linguâ Græcâ miraculum ſignificat[…] *tewmet, türwmet, tümet. Meninzk. Lex.* 148[…] *tharicha*, ſi pullus jam fuerit excluſus: *neth[…]* ouum aqua repletum, in deſerto defoſſum[…] Nidus *udcha, udchua, udchia.* Verba illa, [*in*] *puluere oua ſua calefacere ſolet*, non ita intell[i]genda ſunt, ac ſi ſolus Sol, hujusue in arena[m] agens efficacia, abſque matris incubatu, fou[e]ret ad maturitatem, ut in Ægypto arte, p[er] moderatum calorem, excluduntur gallinaru[m] oua. Verbum ▭ תְּחַמֵּם *thechammem* id ſimp[li]citer vult, *calefieri illa*, foueri in arena & ib[i]dem excludi, veluti in nido. Arabibus ſi fide[…] pereunt oua à matre derelicta, & putreſcun[t] ut proin fallant & fallantur *Iſidorus, Albertu[s]* *Cardanus*, alii, qui ſolo vel ſolis vel arenæ c[a]lore excludi aſſerunt. Legitur præterea in *D[a]mire*, deponere ſtruthiones oua ſua juxta long[i]tudinem in linea recta, & ſufficere, ſi unu[m] horum foueatur calore fœminæ, maturari re[…] qua per contactum virtutis, ut magnes ann[…] los aliquot ferreos ſuſpendit. Hæc credat J[u]dæus Apella, vix Arabs.

Verſ. 15. *Obliuiſcitur, quum pes prouoluit, […] fera conculcat ea.* Scriptoris ſacri mens ha[…] eſt, adeò leuem eſſe alitis hujus pro pullis c[u]ram, ut ſimpliciter oua ſua in arenam depona[t] non tanta, quâ aliæ aues, ſollicitudine cuſt[o]diat, fouenda ſpeciali DEI prouidentiâ.

Verſ. 16. *Duriter tractat pullos ſuos, perin[de] atque non eſſent illius; & ſecura eſt, perinde a[c]que labor ejus ſuperuacaneus foret.* Græci ἀπ[…]σκλήρυνε τὰ τέκνα αὐτῆς, i. e. *obdurat cor ſuum er[ga]* *pullos*, τὴν περὶ τὰ τέκνα φυσικὴν ςοργὴν. *Olympio[…]* Huc faciunt Thren. IV. 3. *filia populi mei crud[e]lis, ut ſtruthiones in deſerto.* Nil illos curans [ſine] *cura eſt*, בְּלִי פָּחַד, *abſque metu, abſque pauor[e]* quæ verba iterum reſpiciunt deſertionem: pe[r]hibetur aliàs meticuloſa admodùm hæc auis[…] unde & apud Arabes nomen obtinuit *Igphil*, […] in prouerbium abiit formidine plenus hom[o] qui vel umbram ſuam metuit, timidiorem e[ſt] ſtruthione. Aliarum auium metum gignit c[u]ra pro pullis:

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Oui[…]

d. in *Epiſt. Penelopes.* Non mirum hinc
γον eſſe quoque ἄφοβον. Conſtat ex hacte-
dictis, vix fidem mereri *Ælianum Hiſt.*
IV. c. 7. ubi tantam ſtruthioni tribuit ϛοϱγὴν
ediens ad pullos mater, & cinctos videns
eis uncis ipſa rabida veluti ſeſe iis transfi-
dam exponat: Sed errauit idem Zoogra-
s alibi, 80. ouorum depoſitionem aui huic
buens, cui non plura quàm 12. dant Scri-
es recentiores, & fide digniores, *Leo Afri-*
s, *Marmolius*, alii.

Verſ. 17. *DEUS eripuit ei cogitationem de*
ntia, neque impertitus eſt ei intelligentiam.
icauerit quis inde, eſſe omnes reliquas aues
entes, utpote pro pullis ſollicitas, ſtultum
m ſtruthionem. Notandum heìc, brutis
ui paſſim rationem in Sacris. *Serpens cal-*
r erat omni beſtia agri. (Serpens erat calli-
cunctis animantibus terræ.) Gen. III. 1. Ju-
nur à Saluatore eſſe φϱόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις. Matth.
6. DEUS populum ſuum ablegat ad ſcho-
brutorum. Jeſ. I. 3. *Agnoſcit bos dominum*
n, & aſinus præſepe heri ſui, at Iſrael non agno-
, populus meus ſeſe non intelligit. Jer. VIII. 7.
nia in aëre nouit ſua ſtata tempora, turtur,
& hirundo obſeruant tempus profectionis ſuæ,
opulus meus non cognouit judicium DOMINI.
iluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur
hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus ad-
tus ſui: populus autem meus non cognouit ju-
um DOMINI.) Solomon ad ignauum Prov.
6. *I ad formicam, o piger, inſpice vias ejus, ut*
ens ſias. (Vade ad formicam, o piger, & con-
ra vias ejus, & diſce ſapientiam. Rex idem
ientiſſimus *ſapientia ſuperare vel prudentiſſi-*
dicit *formicam, cuniculum, locuſtas, araneam.*
v. XXX. 24. &c. Sunt utique animalia hæc
alia omnia ſapientia, peragunt, quod vel ad
facit conſeruationem, vel homini cedit in
m, exquiſito ordine, nidos parant ſummâ
â, accedunt & redeunt ſtatis temporibus,
nent ſummo artificio ſubtiliſſima. Quæri-
id duntaxat, num ſapientia hæc quærenda
in ipſis, vel extra ipſas? Compara, liberatu-
te à dubiis, horologii fabricam, videbis ut
dinatiſſimis motibus indicet dies, horas, mi-
ta, ipſa ſecunda, Lunæ & Planetarum cur-
n: Molendini ſtructuram, quod tenuiſſimam
lit farinam. Aſt nemo, niſi mentis inops,
ientiam quæret in his ipſis machinis, ha-
mque rotis, tribuent omnes inuentori, vel
tomatopœo. Attamen DEUS denegauit ſtru-
ioni, quam aliis auibus dedit, ſapientiam, id
, pro pullis curam, quam reſeruauit ſibi ipſi,
gloriæ ſuæ. *Ælianum* ſi conſulimus *Hiſt.*
IV. c. 37. *Philen de Animal. Damirem, Al-*
zuinum, alioſque Scriptores Arabes, contra-
m legimus ei, quod Textus docet, inſignem
pientiam, ſollicitam & prouidam pro pullo-
m conſeruatione curam. Tradunt illi, di-
nguere ſtruthionem oua ſua in tres ordine
aſſes; ſeruare, quæ primi ſunt ordinis, pro
excluſione fœcunda pullorum: Soli exponere, quæ ſecundi ſunt, & dirupto cortice nutrire pullos tum albumine, tum vitello; defodere tertii generis oua profundè ſub terra, ut vermes ex putrilagine illorum nati inſeruire queant nutriendis pullis paulò adultioribus, vel & refodere illa, ut apertis inſideant muſcæ, formicæ, inſecta alia, quæ iterum in cibum veniant pullis. Quis eſt, qui non crediderit, fuiſſe Arabes illos in ipſa ſtruthionum ſchola probè edoctos? Nos traditiones haſce ſuis Authoribus linquimus, redeuntes ad ſtruthionem ipſum. *Bocharto* inſipientiæ hoc eſt indicium, quòd, dum aliæ aues cibos aſſumunt nutritioni & conſeruationi congruos, hæc ſine diſcrimine obuia quæuis, ferrum, oſſa, vitrum, lapides, terram, carbones, ligna, deglutiat, imò concoquat. Eſt & hæc materia indagine noſtra digna. Prædicat ipſe *Plinius* L. X. c. 1. *concoquendi ſine delectu deuorata miram naturam. Ælianus* L. XIV. c. 7. digerendi lapides vim: *Auerrhoes* in *Porta Cœli* f. 22. d. ventriculi aurum liquandi potentiam; *Alkazuinus* lapides in aquam redigendi vires, & carbones ignitos deglutiendi. Extra controuerſiam id eſt, deglutire ſtruthiones varia, etiam τϱέφει inidonea. Offendit Clar. *Vallisnerius (Notomia del Struzzo nelle Oſſervazioni & Eſperienze.* p. 165.) in ſtruthionis ventriculo clauos, lapides, funes, vitrum, monetas, plumbum, ſtannum, æs, aurichalcum, oſſa, ligna, fructus varios: in alio clauum ferreum, muſculis ipſius ſtomachi infixum, & ex parte corroſum. Recepta vulgò eſt opinio, deglutire aues lapillos, aliaque dura, ut ex hujusmodi corporum attritu digerantur grana, cibiue alii: ſed quoque conjectare licet, cum laudato Profeſſore Patauino, inſeruire poſſe prædura illa corpora, ferrum cumprimis, temperandæ acrimoniæ liquoris ſtomachalis (quæ ſola potis eſt, abſque lapillorum auxilio adſcito, reſoluere cibos,) ut nos Medici acrimoniam acidam fermenti illius temperare ſolemus abſorbentibus, terreis, martialibus, ipsâ quoque limatura Martis; vel &, extrahi tincturam è ferro, aliti huic ſalutarem, & tonicam. Quicquid horum ſit, certum id eſt, deglutire ſtruthiones hujusmodi heterogenea non ex ſtolida vorandi duntaxat lubidine, ſed ad certum à DEO ipſo præordinatum finem. Major longè *ſtoliditas*, ſi vera, *in tanta corporis altitudine, cum colla frutice occultauerint, latere ſe exiſtimantium. Plin.* & *Claudianus* in *Eutropium* L. II.

- - - - - ſtat lumine clauſo
Ridendum reuoluta caput, creditque latere,
Quæ non ipſa videt.

Sed Apologiſtam agit *Diodorus*, prætendens, occultare ſtruthionem caput, tanquam nobiliſſimam corporis ſui partem. Refutante eum *Tertulliano*: *Dum in capite ſecura eſt, nuda, quâ major eſt, capitur tota cum capite.* Exiſtimo

 ego,

ego, de hac re nihil nobis certò eſſe compertum, proin neque accuſationi eſſe locum, neque Apologiæ. Eſt id inter alia obſeruante *Bocharto* ſtoliditatis ſtruthiocamelinæ indicium, quòd *Strabone* teſte Lib. XVI. decipi ſe facile patiatur hæc auis à venatoribus, qui pellibus ſtruthionis undique inuoluti fructus vel ſemina deuoranda offerunt, vel ſpargunt. Sed poſito hoc ipſo ſimpliciores haud erunt auibus illis & aſinis, qui ad Zeuxidis & Brunii picturas affabrè factas aduolarunt fructus manducaturi: imo multis hominibus, qui ſcire ſibi perſuadent, quid Jupiter Junoni in aurem dixerit, & tamen ex leuiſſimis quibusque cauſis abripi ſe patiuntur ad abſurdas, imo impias, actiones. Omnium ibimus ſecuriſſimi, ſi præeunte Textu ſtruthionis ſtolidam inſipientiam ponamus in eo, quod ἄςοργος *duriter tractet ſuos pullos, perinde atque non eſſent illius.* Proponitur namque hæc ipſa ἀςοργία inter res abſurdas & incredibiles penè. Jeſ. XLIX. 15. *Num obliuioni tradit mulier infantem ſuum, quo minus miſereatur filii uteri ſui?* Arabibus tandem craſſam ſuam linquimus Philoſophiam, inſipientiæ cauſam quærentibus in paruo nimis capite & cerebro, cujus ſexcenta numero in unica menſa apponi juſſit Heliogabalus. Docet nos experientia, in hominum genere non reſidere ſapientiam, vel prudentiam, ordinariè in craſſis capitibus, obeſis corporibus, vaſta cerebri mole; hoc ſi foret, Tribunalia & Eruditorum Societates componi deberent ex macrocephalis, & dignitatibus excludi oligocephali. Neque quadrat hæc alia, quam Arabes producunt, ratio, quod ſtruthiones perpetua fere capitis motitatione imaginationis vim perturbent. Admitti poſſet ex Arabum Schola δυσηκοΐα vel ἀνηκοΐα ſtruthionum, quam atteſtantur Zoographi & Itineratores.

Reſtat explicandus v. 18. *Poſtquam adul[...] alas attollit, ridet equum, & illum, qui eo ve[...] tur.* בַּמָּרוֹם תַּמְרִיא reddit Latina noſtra, *a[...] attollit*, Hieronymus *alas erigit*, melius qu[...] Vernacula, *wann er in die Höhe fleuget*; N[...] ſtruthio quidem eleuat alas, ſed non in altu[...] euolat. Loquitur proin Jobus de alarum ſ[...] leuatione, vel & auis ipſius procera ſtatu[...] qua omnes alites longè ſuperat, & æquare [...] citur equitem equo inſidentem. Hic nem[...] ſtruthio *ridet equum*, ejusque ſeſſorem, aut ſ[...] turâ ſuâ longa, & robore, ut Scholiaſtes Gr[...] cus explicat, καταφρονȣ̃σα ἵππȣ σὺν τῷ ἀναβάτη [...] τὴν ἰσχὺν, ὥς φασι, καὶ τὸ μέγεθος, vel curſu velo[...] quem eques aſſequi haud valet. *Altitudin[...] equi inſidentis equo excedunt, celeritate vincu[...] Plinius. Xenophonte* teſte L. I. *Anabaſeos* C[...] equites in Arabia aſſequebantur quidem o[...] gros & capreas, ſed ſtruthiones nunquam. [...] pud *Marmolium* L. I. c. 23. legas, aureis mi[...] vel centum camelorum pretio æſtimari equu[...] Arabem ſiue Barbarum, qui curſu ſuo atting[...] re valet Animal Lamten dictum, vel & ſtr[...] thionem. *Cavallos Barbaros ſon llamados [...] toda Europa los, que vienen de Berberia: m[...] ay una eſpecie de cavallos en Africa, y en Eg[...] pto, y en las Arabias, y en toda Aſia, que llam[...] cavallos Arabes, que ſon de caſta de cavallos ſ[...] vages, que ſe crian por los deſiertos de Ar[...] bia, &c. ſon eſtrannamente ligeros, y la ma[...] experiencia, que ſe haze de ſu ligereza es, qua[...] do alcancan una fiera llamada Lamte, on un a[...] ſtruz. Porque eſte tal cavallo es apreciado [...] mil ducados de oro, o en cien camellos.* Imo, [...] Arabibus fides, non eſt animal, quod ſtruthi[...] ni quoad velocitatem curſus ſit par, vel ſup[...] rius, unde aui huic competunt diuerſa, ſed veloci curſu deſumta, nomina. Vid. *Bochar[...] Hieroz.* P. II. L. II. c. 16. & 17. p. 238 - 262.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 19 - 25. (22 - 28.)

19\. An tu equo dediſti, ut ſit generoſus & bellator? num collo ipſius hinnitum accommodabis?

20\. Num excitabis eum ut locuſtam, (a) cujus nares etiam ferociam ſpirant?

(a) Decus naris ejus terror.

21\. Foditque in valle, ac gaudet fortitudine, ut obuiam vadat aduerſus arma.

22\. Deridet (quoque) timorem, nec paueſcit, neque retrocedit ob gladium.

23\. Quumque pharetra apud eum reſonat, & micat haſta, ac geſum.

22\. Nunquid præbebis equo fortitu[...] dinem, aut circumdabis collo eju[...] hinnitum?

23\. Nunquid ſuſcitabis eum quaſi lo[...] cuſtas? gloria narium ejus te[...] ror.

24\. Terram ungula fodit, exultat a[...] dacter: in occurſum pergit a[...] matis.

25\. Contemnit pauorem, nec ced[...] gladio.

26\. Super ipſum ſonabit pharetra, vi[...] brabit haſta & clypeus.

24\. Dum

, Dumque fremitus & tumultus o-
ritur, fodit terram, nec credit eſ-
ſe tubæ ſonum.
Quum tubæ ſigna canunt, dicit:
Hæha; & eminus bellum & cla-
morem ducum, & claſſicum odo-
ratur.

27. Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem.
28. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah; procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

re duco, imo neceſſe, ante præmo-
nere nonnulla de conuenientia cere-
bri equini & humani, quàm ad
generoſas equi qualitates explanandas
accingo. Ad Arteriarum Carotidum in-
ſſum in cerebrum formatur ab earundem
ıulis mirè intertextis *rete* ita dictum *mirabi-*
ſellæ equinæ inſtratum, conſpicuum inpri-
in animalibus ſtupidioribus, ex genere bo-
o, ouillo. Aſt in homine & equo trans-
ſim eunt pauci duntaxat, iique majores ra-
, ad carotidum anaſtomoſin neceſſarii. En
chaniſmi ſcopum & rationem! Ad ſangui-
ex corde bouillo in omnes corporis partes
ulſionem requiritur valida admodùm hy-
contiſterii illius vitalis vis, valida muſculo-
n cordis contractio; & contuliſſet multùm
rizontalis ferè capitis bouilli ſitus ad cerebri
ndationem, quæ metuenda minus in capite
ıi erectiore, & minus adhuc in capite ho-
nis, utpote perpendiculari ſitu locato; de-
bat proin ibi ſanguinis motus mediante ſtru-
rà retis mirabilis ad temperaturam redigi,
rapidi fluminis velocitas diminuitur per ca-
es laterales. Sed attinet hæc ipſa conſide-
io paſſiones hominum atque brutorum, bru-
rum inquam, utpote quæ etiam ſuas habent
ſſiones, licet mechanicas, irrationales. Sta-
n atque affectus in animo hominis excitatus
mmunicatur cordi, contractum id vel velo-
ıs tantò, vel tardius, ſanguinem propellet
cerebrum vel aucta vi, vel diminutâ. Sta-
n atque mens exæſtuat irâ, corripit ignis te-
contignationem, rubore ſuffunditur facies,
icant oculi, tremunt labia, euomit os iras.
anc, aliasue hujus generis paſſiones ſi conſi-
eres, non occurret ex brutorum genere ho-
ini ita cognatum, ut eſt equus; & ex hoc fon-
deriuabis mecum equinam virtutem, gene-
ſitatem, alias in Textu memoratas qualitates,
que laudatas, ordine nunc explanandas, ſed
nicè ad Creatoris laudes. Quod pluribus
onſpiciendum fuiſſet ex B. Domini Doctoris
e Meyenburg tractatu, quem de rete mirabili
editabatur, nondum vero luci publicæ expo-
uit.

Verſ. 19. *An tu equo dediſti, ut ſit generoſus
& bellator? num collo ipſius hinnitum accommo-
abis?* Hebræa vox גְּבוּרָה *geburah* notat &
ortitudinem & *robur*, corporis & animi. Utra-
ue virtus heic locum inuenit, hoc ſemper ob-
eruato diſcrimine, quod paſſiones equi intelligendæ veniant ſenſu brutis adæquato. Apud Poëtas prædicantur *equi fortes*, fortes utroque ſenſu, *ſtarcke und tapfere Pferde*, ſed *validi & robuſti tauri. Lucret.* L. III.

- - quidnam tremulis facere artubus hædi
Conſimile in curſu poſſint ac fortis equi vis?

Et L. IV. v. 984.

Quippe videbis equos fortes, cum membra jacebunt,
In ſomnis ſudare tamen. - -

Virgilius Æneid. L. XI.

- - Quid tam egregium, ſi fœmina forti
Fidis equo?

Auſonius de *Auguſti equo in Heroum Epitaphiis.*

Improperanter agens primos à carcere curſus,
Fortis prægreſſis ut potereris equis.

Hinc & apud Ægyptios ut *Leo* (Clemens Lib. V. Stromat.) ſymbolum fuit roboris ἀλκῆς καὶ ῥώμης, ita *equus* fortitudinis, ἀνδρείας τε καὶ παῤῥησίας. Sed equo haud deeſt fortitudo corporis, uſui ea inſeruit geſtatorio, tractorio, curſorio.

Num tu, ita DEUS ad Jobum porrò, *collo ipſius hinnitum accommodabis?* Vox רַעְמָה variam iterum admittit ſignificationem, Arias cum plerisque, itemque Tigurinii, in propria *tonitru*, heic *fremitum*, *hinnitum*, qui tonitru ad inſtar erumpit ex faucibus equi. Interpretationi huic oppoſuerat ſe primùm *Bootius*, quia vocis organum propriè non eſt צַוָּאר *collum*, ſed גָּרוֹן, *guttur*, *fauces*. Pſal. CXV. 7. *non ſonum edunt ſuo gutture*, בִּגְרוֹנָם Jeſ. LVIII. 1. *Clama ex gutture* בְּגָרוֹן. Neque in tota S. Scriptura legitur ullibi loquela prodire ex collo propriè ita dicto, niſi Pſal. LXXV. 6. ubi admonentur impii, ne *collo* בְצַוָּאר *præfracto loquantur*; ſed notandum heic, *collo duro*, *præfracto*, *feroci* loqui non ſpectare organa vocis, ſed animum ſuperbum, peruicacem; nos Germani emphaticè *halsſtarrig*. Attendendum porrò venit vocabulum הֲתַלְבִּישׁ, quod propriè ſignificat, *an induiſti*, equum nempe, quæ phraſis cum hinnitu nullam prorſus connexionem habet: Potiori proin jure per רַעְמָה intelligimus non hin-

hinnitum, ſed jubam, quæ collum equi exornat. *Ouid. Metam.* L. XIII. *Fab.* 8.

Turpis equus, niſi colla jubæ flauentia velent.

Radix quoque רַעְם ſignificat non ſolum *tonare*, ſed & *altum eſſe*. Sic juba equina Græcis vocatur λοφίη, quia eſt ἐν τῷ λόφῳ, *in vertice*. Ita quoque Jobianum Textum intellexiſſe videntur Interpretes Græci, ἐνέδυσας τραχήλῳ αὐτȣ̃ φόβον; *induiſtine collo ejus metum?* ubi forte pro φόβον legendum φόβην, eſt autem φόβη juba equi vel leonis. Et ſanè præſumi poteſt facile, Scriptorem Sacrum in tam graphica equi deſcriptione jubæ haud fuiſſe oblitum, utpote quæ inſigne eſt equo ornamentum, unde & Græcis paſſim equi cluent Καλλίτριχες, ὄτριχες, κυανότριχες, πυῤῥέτριχες, βαθύτριχες, βαθυπλόκαμοι, κυανοχαῖται, χαιτήεντες. Neque olim duntaxat juba nota fuit pulchri & generoſi equi characteriſtica, ſed eſt adhuc. *Non anguſta juba, crebra, fuſca, ſubcriſpa, ſubtenuibus ſetis implicata in dexteriorem partem*, apud *Varronem de Re Ruſt.* L. II. c. 7.

Denſa juba, & dextro jactata recumbit in armo.

Virg. Georg. L. III. *Coma & cauda profuſior. Pallad.* L. IV. c. 13. Hinc fabula *Sophoclis* in *Tyro*, præ mœrore mori equum elata ceruice ſuperbum, ſi priuetur jubâ. Ex quibus omnibus conſtat, reddi ita commodius potuiſſe Textum, *num collo ipſius jubam accommodabis?* vel *induiſtine collum jubâ? Haſt du das Pferd mit ſeiner Halsmäne bekleidet?*

Verſ. 20. *Num excitabis eum ut locuſtam, cujus nares etiam ferociam ſpirant?* Propriè, & ad literam: tune ſaltare illum facis ut locuſtam? quæ ab ipſa ſua ſaltatione apud Gallos & Italos nomen obtinuit, *ſauterelle, ſalterella*. Græci adhibent vocem σκαίρειν (unde forſan Germanorum *ſcharren*,) de equo ſaltando quatiente terram, quadrupedante putrem ſonitu quatiente ungula campum. Unde equi Neptuni apud *Homerum Iliad.* ν́. vocantur ἐΰσκαρθμοι. Fundatur autem paralleliſmus quatientis equi cum ſaltante locuſta non in eo ſolo, quod ille pedibus inſiſtens poſterioribus μετεωρίζει, Phraſi *Xenophontiana*, ſed & corpore toto ſubleuato in aëre ſubſultet. Id vocant Græci ἀναπηδᾷν, σκιρτᾷν, ἀνασκιρτᾷν, *inſultare* Latini. *Virgilius Æn.* L. XI.

- - - - *fremit æquore toto*
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis.

Et *Georg.* L. III.

- - *equitem docuere ſub armis*
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

In Textu proin noſtro exprimi poſſunt duplicis generis ſaltus, qui vel utilitati inſeruiunt vel pompæ: in priori ſenſu tranſilit equus foſſ[a]
aut ſepem, in poſteriori ſaltibus ſe exercet
gis, vel, ſi Gallieiſmus placeat, cabriolizat.
nus placet Lexicographis Vernacula noſtra V
ſio, *kanſt du das Pferd erſchrecken, wie ei*
Heuſchrecken? quoniam הַתַרְעִישׁ propriè
notat terrefacere, ſed concutere, mouere, h
melius Latina noſtra, *excitabis?*

Imo *nares etiam ferociam ſpirant*. נַחַר
Hieronymum, Pagninum, Ariam, Münſter
Mercerum, Caſtalionem, Druſium, alios rec
tur per *nares*. Eſt proin הוֹד נַחְרוֹ *decor nar*
ejus terribilis, fremendo quippe & nares
tando anhelat. *Lucret.* L. V.

Et fremitum patulis ſub naribus edit ad arm

Virgilius Georg. L. III.

Collectumque premens voluit ſub naribus ign

Nemeſianus in Cynegetico:

Fumant humentes calida de nare vapores.

Claudianus in IV. Conſulatu Honorii.

Igneſcunt patulæ nares. - - - - -

LXX. ita: Δόξα δὲ ςηθέων αὐτȣ̃ τόλμη, vel, δόξη
θέων αὐτȣ̃ τόλμην, intelligunt proin per נַחַר *pe*
equi, quod & Arabes hodie vocant *nach*
Notum ἱπποσόφοις, eſſe pectus latum, validu
amplum, expletum indicium roboris equi
Virgil. Georg. L. III.

Luxuriatque toris animoſum pectus. - -

Collaudat *Xenophon in Hippico* Στέρνα πλατ
ρα, καὶ πρὸς κάλλος, καὶ πρὸς ἰσχὺν, καὶ πρὸς τὸ μὴ ἀπ
λὰξ, ἀλλὰ διὰ πολλȣ̃ τὰ σκέλη φέρειν εὐφυέςερα. *Va*
de Re Ruſt. L. II. c. 7. *pectus latum & plen*
Columella L. VII. c. 28. *latum & muſculorum t*
numeroſum pectus. Plura de hac re legas ap
Buxtorffium, qui verba Textus explicat *per*
bementiam fremitus, frementes in prælio g
ſus, commendatos paſſim Scriptoribus profan

Verſ. 21. *Fodit in valle, ac gaudet fortitu*
ne, ut obuiam vadat aduerſus arma. Eſt h
iterum boni equi indicium, ſi *pede terram feri*
exultat & fremit, τῷ ποδὶ κατακροαίνων τὴν γῆν, γ
ριᾷ καὶ φρυάττεται, apud *Chryſoſtomum. Apollon*
L. III. *Argonaut.*

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀρήϊος ἵππος, ἐελδόμενος πολέμοιο,
Σκαρθμῷ ἐπὶ χρεμέθον κρȣ́ει πέδον. ——

Ut bellator equus, pugnæ ſuccenſus amore;
Hinnit, humumque graui pulſat pede.

Hujusmodi equum κοππατίαν dici volunt, q
pedibus κόπτει καὶ κοιλαίνει, *pulſat & cauat.* כַּח

:tu notat non ſolùm *fortitudinem*, ſed & alias
ıerofi equi qualitates. Hebræum יִשִׂישׂ *gau-*
, LXX. benè reddunt γαυριᾷ, quod vocabu-
ı *Demoſthenes*, *Ælianus*, *Apollonius*, Græci
, uſurpant de equo feroci, unde inter alia
s ſynonyma γαῦρος, γαυρούμενος, γαυριώμενος; for-
& à voce Græca γαῦρος deſcendit Germano-
ı *Gaul*: quemadmodum affinis τῷ γαῦρος Per-
ım *gürre*, *kürre*, cognata & Germanorum
re, *gurren*. *Men. Lex*. 3079. 3906. Mul-
paſſim laudant Scriptores de equi glorioſa in-
.e,. quam commonſtret cumprimis, ubi de
portanda laurea vel victoria agitur. Notum
d *Ouidii de Ponto* L. III. *Eleg*. 11.

Acer, & ad palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

nius Lib. VIII. c. 43. *In circo ad currus juncti*
ı dubiè intellectum adhortationis, & gloriæ
entur. *Lactantius Lib*. III. c. 8. *In equis glo-*
: cupiditas experimento deprehenditur: victo-
: enim exultant, victi dolent. τὸ *obuiam vadere*
ui *aduerſus arma* conuenit cum illis *Oppiani*
rbis *Cyneget*. L. I. v. 203.

— Μάλα θαρσήεντες
Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινὴν ῥῆξαί τε φάλαγγα

— *quia cominus audent*
Occurſare armis, mediosque irrumpere in ho-
ſtes.

: *Ouidii* in *Halieut*.

- - *aduerſis infert ſua pectora telis.*

Verſ. 22. *Deridet quoque timorem, nec paue-*
it, neque retrocedit ob gladium. Aliud fortitu-
inis militaris ſignum יִשְׂחַק, LXX. καταγελᾷ, *deri-*
et timorem, ad omnes periculorum caſus ſe
bjicit absque metu. Riſu heic metaphoricè
ımto.

Verſ. 23. *Quum pharetra apud eum reſonat,*
& micat haſta, ac geſum. אַשְׁפָּה eſt pharetra,
ua reconduntur ſagittæ, mutuo alliſu ſonantes,
i veloci agatur curſu eques, quod Poëtis pha-
etram aut corytum ſonare, & ſtridere. *Virgil*.
L. VI. *Æn*.

- - *pharetramque fugâ ſensêre ſonantem.*

Silius L. XII.

- - *plenâ tenet & reſonante pharetrâ.*

Et alibi:

Turba ruunt, ſtridentque ſagittiferi coryti.

Elegantius adhuc *Homerus* de *Apolline Iliad*. ά.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,
Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο.

Arcum humeris, tectamque gerens utrimque
pharetram,
Iratique ſuper tergum ſonuere ſagittæ.

Quadrat melius adhuc Jobiana phraſis ſagittis ipſis per aëra cum ſtridore vel ſibilo latis. Tribuitur porrò ipſis haſtis ac geſis ſonitus. *Ennius Annal*. L. XI.

Miſſaque, per pectus dum tranſit, ſtriderat ha-
ſta.

Virgilius Æn. L. X.

- - - *ſtridentemque eminus haſtam*
Conjicit.

Hebræum כִּידוֹן *cidon* reddit Latina noſtra *geſum*, Vernacula *Schild*: ita & Hieronymus, LXX. Aquila, Symmachus, ἀσπίδα, θυρεὸν, *clypeum*. Latinæ noſtræ *gæſum*, *geſum*, eſt LXX. γαῖσον in Joſua, *lancea*. Aliis ἐπωμίς, *humerale*, vel ἐπιτραχήλιον, lamina ænea, aliaue metallica, qua collum & dorſum defenditur. Sed præſtat manere in geſo, vel lancea. Fuſius hanc interpretationem roborat *Bochart*. *Hieroz*. P. I. L. II. c. 8. ex collatis locis Joſ. VIII. 18. 1. Sam. XVII. 6. 45. Job. XLI. 21. Equum autem nîl curare ſonitum pharetræ, ſagittarum ſtridores, clypeorum & lancearum ſplendores, vel, ſi cum modernis loqui ames, tormentorum ac ſclopetorum exploſiones, quotidiana teſtatur experientia. In promptu ſunt & veterum Scriptorum teſtimonia. *Oppianus Cyneget*. L. I. v. 208.

Ἦ πῶς ἀναδέδορκεν ἀσκαρδαμύκτοισιν ὀπωπαῖς
Αἰζηοῖσι λόχον πεπυκασμένον ὁπλίτῃσι,
Καὶ χαλκὸν σελαγεῦντα, καὶ ἀστράπτοντα σίδηρον.

Qui fit, ut intrepidis acies nunquamque retor-
tis
Luminibus videat denſatas milite multo,
Nec timeat fulgorem æris, ferrique coruſci?

Virgilius L. III. *Georg*.

Nec vanos horret ſtrepitus —

Et *Columellæ* L. III. c. 28. id fortis equi eſt indicium, *ſi hilaris*, *ſi intrepidus*, *neque aſpectu nouæ rei terretur*. Hinc veteribus in more fuit, δοκιμασίαν inſtituere τῷ τοῦ Κώδωνος ψόφῳ *tintinnabuli ſono*, id quod vocabant κωδωνίζειν, διακωδωνίζειν. Hodie altioris ordinis requiruntur ſonitus vel fremitus. De aſſuefactione priſcis uſitata legantur *Virgilius*, *Philoſtratus* L. II. c. 5. *Ælianus Hiſt*. L. XVI. c. 25. *Greg. Nazianz. Epiſt*.

242. 213. Imo peculiari Deaſtro, *Taraxippus* dicto, ſacrificia obtulere olim in Ludis Olympicis pro equis, ne aſpectu vel auditu nouarum rerum, & multarum, terrerentur.

Verſ. 24. *Dum fremitus & tumultus oritur, fodit terram, nec credit eſſe tubæ ſonum.* In originali Textu legas בְּרַעַשׁ וְרֹגֶז יְגַמֶּא־אָרֶץ: *Cum impetu & ira effodiet terram, mouendo & quatiendo deglutit quaſi;* ubi alluſio fit ad equum non ſtando, ſed currendo, terram quatientem, qualem graphicè depingunt Poëtæ. *Ennius Annal.* L. VI.

Explorant Numidæ, totam quatit ungula terram.

Et L. XVII.

It eques, & plauſu caua concutit ungula terram.

Virgil. L. IV. *Æn.*

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Vocabulum יְגַמֶּא variam ſuſtinet ἐξήγησιν. Latina noſtra & *Junius effodiet*, vel, *fodiet terram*, Germanica noſtra adhibet vocem *ſcharren*, ita & *Münſterus* poſt R. *Solomonem*, *foueam facit in terra; Hieronymus*, *ſorbet terram; Symmachus*, ὡς καταπίνων, quaſi abſorbere vellet terram: LXX. ἀφανιεῖ τὴν γῆν, diſparere faciet terram. Rabbini plerique id intelligunt de curſu veloci equorum, quem & Germani & Galli vocant *galop*. Ita & interpretantur Arabes. Galli de hujusmodi equo, *il mange beaucoup de chemin.* Id *Virgilio Georg.* L. III. eſt

- - - - - - *acri*
Carpere prata fugâ. —

Statius Theb. L. VIII. de equis in aduerſas partes currentibus:

- - *Spatiis utrimque æqualibus acti*
Aduentant, mediumque vident decreſcere campum.

Poëta quidem Gallus:

Fait decroitre la plain, & ne pouvant plus etre
Suivi de l'œil, ſe perd dans la nue champeſtre.

Quæ proximè ſequuntur verba, *nec credit eſſe tubæ ſonum, es trauet auch nicht, wann der Schall der Poſaunen gehöret wird*, in originali Textu incipiunt ita, לֹא יַאֲמִין, *non credet*, & explicari poſſunt ita, quod equus tubæ ſonitum audiens adeò ferueat ineundi prælii deſiderio, ut ne quidem ad illum attendat, ne ſonu quidem credat, id quod nobis accidit perſa ex gaudio inſperato. Ita *vacillabat cor* Jaco ex nuntio de vita Joſephi allato, *non enim debat illis*, Joſephi fratribus. Gen. XLV. Sed alii reddunt, *non conſiſtit firmus. Virg.* L. *Georg.*

- - *tum ſi quâ ſonum procul arma deder*
Stare loco neſcit. —

Verſ. 25. *Quum tubæ ſigna canunt*, *dicit: ha; & eminus bellum & clamorem ducum, claſſicum odoratur.* Hebræus Textus מַר הֶאָח *dicet euge, evax*, præ gaudio ſubſultans: ſpondet Æthiopum *oho*, Germanorum *ha Statius Theb.* L. XI.

- - *ad lituos hilarem, intrepidumque tu rum*
Proſpiciebat equum.

Quod Jobus de equo, *odorari bellum emin* id *Plinius* L. VIII. c. 42. *Iidem præſagiunt gnam.* Ubi notandum ὡς ἐν παρόδῳ, ſumſi Hebræos odoratum pro ſenſatione omni. Jo XIV. 9. *Attracto humore aqueo* (ab odore aqu rum) *iterum germinat arbor.* Jud. XVI. 9. *pit* Simſon *funes illos, ut rumpi ſolet funicu ſtuppeus, dum ignem ſentit*, olfacit. *(Qui ru vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtup tortum ſputamine, cum odorem ignis acceperi* Per רַעַשׁ *ſtrepitum* haud dubiè intelligit omne illum, qui oritur ex congreſſu partium prælia tium, acclamationes ducum, & ſubofficialiu fremitum clypeorum & haſtarum; & quis g phicè ſatis exprimeret hodie tonitruantes f mitus tormentorum, ſclopetorum? *Plutarch* de Pericle milites adloquente, βροντᾷν μὲν ἀστράπτειν, δεινὸν δὲ κεραυνὸν ἐν γλώσσῃ φέρειν, qu idem de *Cicerone* prædicarunt Romani. Germanis *Tacitus: Affectatur præcipuè aſperi ſoni, & fractum murmur, objectis ad os ſcut quò plenior & grauior vox repercuſſu intumeſc* Sic & Romani hoſtes adorti dicuntur imma ululatu, unde Joſephus Jotapenſibus ſuis mandatis dedit, ut aures obturarent, πρὸς τὸν ἀλ λαγμὸν τῶν ταγμάτων ἐπιφράξαι τὰς ἀκοὰς, ὡς μὴ κα πλάγειεν. Eſt & Turcarum *allah, allah*, ἀλαλαγμ *ululatus.* Et apud *Plutarchum* in *Craſſo* de Pa this legitur, immanes excitaſſe fremitus p *clauas ex corio compactas & concauas ſono æramentis*, ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείναν ἠχείοις χαλκοῖς, quibus æquiparari poſſent ty pana noſtra bellica, ſi tintinnabulis æneis u dique eſſent circumdata. Videntur quoq Judæi hujusmodi clamore bellico fuiſſe del ctati. *Audiens Jehoſua vocem populi cum jubil ait ad Moſen: Vox bellica eſt in caſtris.* S reſpondit Moſes: *Vox hæc non eſt eorum, q reſpondeant fortiter, nec vox eſt eorum, qui r ſpondeant infirmiter, quin vocem cantantium cis*

m audio. (*Audiens Joſue tumultum populi vo-rantis, dixit ad Moyſen: ululatus pugnæ au-r in caſtris.* Qui reſpondit: *Non eſt cla- adhortantium ad pugnam, neque vociferatio pellentium ad fugam: ſed vocem cantantium audio.)* Exod. XXXII. 17. 18.

Quæ de equi indole deprædicauit hactenus iptor ſacer, parallela ſunt iis *Oppiani* L. I. γετ. v. 203.

\- - - ἐπεὶ μάλα θαρσήεντες
Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινήν ῥῆξαί τε φάλαγγας,
Θηρσί τ' ἐνυαλίοισιν ἐναντία δηρήσασθαι.
Πῶς μὲν γάρ τε μάχαισιν ἀρήϊος ἔκλυεν ἵππος
Ἦχον ἐγερσίμοθον δολιχῶν πολεμήϊον αὐλῶν;
Ἤπως ἀναδέδορκεν ἀσκαρδαμύκτοισιν ὀπωπαῖς
Ἀιζηοῖσι λόχον πεπυκασμένον ὁπλίτῃσι·
Καὶ χαλκὸν σελαγεῦντα καὶ ἀστράπτοντα σίδηρον.
Καὶ μάθεν εὖτε μένειν χρειὼ, πότε δ' αὖτις ὀρέειν,
Καὶ μάθεν εἰσαΐειν κρατερῶν σύνθημα λοχαγῶν.

\- - - Hic ardet fortibus armis
Obuius irruere, & denſas lacerare phalanges,
Immaneſque feras furit ille laceſſere bello.
Ut media feruens acie campoque gemente
Audit equus vocem litui ſonitumque tubarum,
Aut contra armatis confertam ferre cohortem
Lumina palpebris non conniuentibus audet,
Atque æris radios, & puri fulgura ferri!
Siſtere dura gradum jubeant ſi tempora belli,
Seu ruere, &, claris ducibus, quæ teſſera,
ſentit.

Vid. *Boot. Sacrar. Animaduerſ.* L. III. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 8. p. 115-152. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 403. *Schook de Sternut.* p. 11.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 26. (29.)

umquid per tuam intelligentiam factum eſt, ut accipiter alas moueat, ac verſus auſtrum pennas ſuas extendat?

Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?

Est Hebræorum נֵץ *nets* ex omnium Interpretum mente *accipiter*: congruit Syrorum *nitſa, natſa*, Chaldæorum & Samaritanorum *netſatſa*, & deſcennt omnia hæc vocabula ab Hebræo נָצָה *tſah, volare*. De auis hujus celeri volatu ferri poſſunt præter experientiam teſtimonia nè multa. *Homero Iliad.* ό. v. 237. audit ὠκυπετεινῶν, & *Odyſſ.* ν'. v. 86. ἐλαφρότατος πετεινῶν, lociſſima & leuiſſima auium. *Thuanus de Re cipitraria:*

Vix credas paruo quàm tempore longa locorum
Interualla volans ſuperet, quàm multa peragret
Æquora.

inc ventorum fuit ſymbolum Ægyptiis apud *orum* L. II. c. 14, & ignis apud Tentyritas, ſaa hinc Soli apud *Euſtathium in Odyſſ.* ό. Imo ortis pœnam luebat, qui vel ibin occidit vel ccipitrem, quod legitur in *Herodoti Euterpe*. iſtingui ſolent accipitres in nobiles, qui venaoni deſtinantur, & ignobiles, qui cicurari neii; apud *Willoughbyum Ornithol.* p. 36. in maropteros & brachypteros. Ad accipitrum laſſem rediguntur præter Falcones Niſi, quoum nomen haud dubiè originem debet Heræo נֵץ. De tota autem accipitrum familia alet quæſtio ad Jobum facta: *Numquid per uam intelligentiam factum eſt, ut accipiter alas moueat, ac verſus auſtrum pennas ſuas extendat?* Hebræorum יַאֲבֶר reddit *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 19. per *plumeſcit*, & ita quoque Hieronymus, Geneuenſes. Sciendum quippe, deplumeſcere ſubinde accipitrem, & de nouo replumeſcere; atque in *Demetrii Hieracoſophio* Capitula equidem extant de modis, quibus nouarum pennarum ſiue plumarum protruſio promoueri poſſit, attamen jure ipſius creationis à Jobo quærit DEUS, num ejus prudentiæ ſeu intelligentiæ debeatur noua replumeſcentia? Jure inquam creationis, licet enim perſpecta fuiſſet perſpicaciſſimo Philoſopho plumarum generatio, & vel remedia, vel alimenta nota, quibus deficientes protrudi poſſent, formare tamen illas haud potuiſſet. Eſt hoc Creatoris opus, non creaturæ. Supra Medicinæ vires non ſunt remedia, quibus dentium protruſio, vel pilorum procreſcentia promoueri poteſt, neque extra agriculturæ regulas & leges, maturare plantas, floreſque propellere ante tempus: ſed Medicorum atque Agricolarum captum infinitis paraſangis tranſcendit formarum fabricatio. Eſt nunc eadem prorſus ratio pennarum, quæ dentium, deliteſcunt jam hi formati, nempe creati, in gingiuis, illæ in cute, & ſub ea. Ut omnino aſſerere liceat, fabricam unius pennæ ſuperare omnes naturæ vires. De hac re alibi abundè dictum. Singularem attentionem meretur alterum quæſtionis à DEO propoſitæ lemma, quod ſpectat *pennarum extenſionem verſus auſtrum.* Merentur heic adduci

verba *Gregorii*: *Domeſticis accipitribus*, *quò melius plumeſcere debeant*, *humida ac tepentia loca requiruntur. Agreſtibus verò moris eſt*, *ut flante auſtro alas expandant*, *quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concaleſcant. Cum vero ventus deeſt*, *alis contra radios ſolis extenſis atque percuſſis*, *tepentem ſibi auram faciant*; *ſicque capta (l. captato) tepore*, *apertis poris vel veteres exſiliunt*, *vel nouæ ſuccreſcunt.* Et quæ habet *Petrus Creſcentienſis Lib. de Animalib. Accipitres mutantur ſingulis annis. Debent autem poni menſe Martio vel Aprili*, *in gabia (caueâ) magnâ de induſtriâ ad hoc facta*, *expoſita ad Solem in loco calido*, *ut juxta muros plagæ meridionali oppoſitos.* Congruunt hæc perapte cum Philoſophiæ modernæ principiis. Per hyemis decurſum veſtitus ſit accipiter, & ſic aliæ quæque aues, plumis neceſſe eſt, ut præſeruetur contra frigoris injurias. Huc ſymbolam confert frigus ipſum, hyberni aëris vis major grauitatiua, conſtringendo poros cutis, & firmando pennas in iis. Sed verno calore redeunte reaperiuntur pori ac ampliantur, ampliatis his vacillant & excidunt plumæ veteres, accedente inprimis humiditate, quæ fibras relaxat: Auſtro inſuper ſpirante minuitur aëris preſſio, expandit ſeſe aër in tubulis ſanguineis contentus, & ampliatis magis adhuc poris facilitatur pennarum lapſus. Hæc omnia, remittens frigus, rediens calor blandus vernalis, auſter rarefaciens ſi haud ſuffecerint, in auxilium vocant accipitres Solem, *verſus* eum, per conſequens & verſus *auſtrum*, *pennas ſuas extendunt*, ut tantò magis incaleſcat corpus, promoueatur ſanguinis circulus, aperiantur & dilatentur cutanei pori; vel & caueas ſuas exponunt ὀρνιθόφιλοι Soli, ubi vel maximè ardet. Illuſtrari poſſent hæc exemplo depilationum in homine & brutis, imò & cutis ipſius renaſcentia, ſed ea in commodiorem ſeruamus occaſionem.

Verſio noſtra Germanica ita ſe habet: *Iſt es aus deiner Fürſichtigkeit*, *daß der Habich fleugt*, *und ſeine Flügel gegen Mittag ausſtrecket?* Reſpicit proin, poſt Rabbinos *Kimchium*, *Leui*, *AbenEzram*, non replumeſcentiam, ſed migrationem auis, quæ ingruente hyeme in alias migret terras calidiores. Neque ſpernenda ſunt, quæ *Budæus* ſcribit in *Philologia. Ex accipitrum genere ſunt*, *quos ſublimivagos dicunt*, *qui neglectâ interdum prædâ*, *cum diſſerenauit*, *ad Meridiem plerunque apricatione delectati*, *in nubes licentius ſubuehi ſolent*, *&* *diu ex hominum proſpectu auferri*, *quaſi quidam emanſores.* Quæ illuſtrandæ verſioni noſtræ conducunt.

LXX. ita: Ἐκ δὲ τῆς σῆς ἐπιςήμης ἕςηκεν ἱέραξ, ἀναπετάσας τὰς πλέρυγας, ἀκίνητος, καθορῶν τὰ πρὸς Νότον; Videntur hi eò collimaſſe, quod accipiter, ut Aquila, apertis oculis & immotis Solem fulgentiſſimum aſpiciat, indeque haud lædatur. Teſtatur id de accipitre *Ælianus* L. X. c. 14. & hinc forſan eſt, quod Ægyptii eum ſacrum fe-

cerint Horo, ſiue Apollini, id eſt, Soli. H
traditio ſi vera, quod mihi haud conſtat, f
tioris longè ſtructuræ ſint neceſſe eſt accipit
ni oculi, quàm veſpertilionum & noctuarum
quæ ob ſubtiliorem oculorum ſtructuram
diurnam quidem lucem ſufferre queunt; in
robuſtioris quàm hominum, qui Solem abſq
viſus damno intueri nequeunt.

Intelligit R. *Selomo* heic per accipitrem a
gelum ἱερακόμορφον, qui extenſis pennis & alis a
ſtri vim retundat, ne is totum deſtruat mu
dum. Hic ſi in rerum natura eſt, meruiſſet
dum ſacellum ſibi ſacrum, cui vota offerre
Uranii, Glaronenſes, Alpicolæ alii, utpote
haud rarò à valida auſtri, inprimis per dies
quot continui, vi non modica patiuntur inco
moda atque damna. Sed releganda eſt h
à literali ſenſu nimiùm abſcedens ἐξήγησις ad
dæorum fabulas, horizonte ingenii mei ſu
riores.

Format heic *Chryſoſtomus* quæſtionem m
judicio ſuperfluam, cur DEUS in theatro ſi
animalia inutilia fere, imò noxia, τὰ ἄχρηςα,
εἰκῆ δοκοῦντα εἶναι, nullâ prorſus mentione fa
boum, ouium, aliorumque generi humano u
liſſimorum? Reſponſi loco ſciendum, non e
animal, ne contemptiſſimum quidem, qu
careat certo ſuo uſu vel fine. Accipitrum u
deprædicent, qui illis mediantibus alia br
venantur. Apud *Cteſiam*, Scriptorem ex an
quiſſimis, legas in *Photii Excerptis*, Indos
num loco ad perſequendos lepores & vul
uti coruis, niſis, cornicibus, aquilis: & ap
Ariſtotelem in *Mirabilibus*, pueros Amphipo
tanos in Thracia accipitribus ad capiendas au
Lepidum lege *Martialis Epigr.* 216. L. XIV.

Prædo fuit volucrum, *famulus nunc aucup*
idem
Decipit, *&* *captas non ſibi mœret aues.*

Attamen videtur hæc venandi ratio *Chryſoſt*
temporibus vel minus fuiſſe frequens, vel
utilibus temporis transactionibus adſcrip
Proſper equidem, qui haud diu poſt Chryſoſ
mum vixit, *de vita contemplatiua* L. III. c.
hæc habet: *Utuntur accipitribus ac ſaginatis*
nibus ad venandum. Et *Sidonius* in *Panegyr*
ad Auitum ſocerum, qui Conſul fuit & Im
rator A. 416.

Quid volucrum ſtudium, *dat quas natura*
paces
In vulgus prope cognatum? Quis doctior i
Inſtituit varias per nubila jungere lites!
Alite vincit aues, *celerique per æthera pla*
Hoc nulli meliùs pugnator militat unguis.

Sed poſterioribus temporibus adeò inualuit
natio, quam caninam dixeris, vel accipitrina
Clero inprimis, cui animas venari ſatius
quàm bruta, uſitata, ut Seculo VI. neceſſe
xer

int Concilia venationis illius uſum interdi-
e, in Gallia cumprimis: Ita *Agathenſe* A. 506.
ı. 55. *Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconis*, *canes*
venandum, *aut accipitres habere non liceat.*
ıonenſe A. 517. *Can.* 4. *Matiſconenſe* ſecun-
dum A. 585. *Can.* 13. Falluntur proin *Leander*, & *Pancirollus*, qui inuentionem venationis hujus Friderico Barbaroſſæ adſcribunt, & *Pandulphus Collenutius*, qui Henrico VI. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 19. p. 265 - 272.

Job. Cap. XXXIX. verſ. 27 - 30. (30 - 33.)

'. Numquid ad tuum imperium aquila volat in altum, & in ſublimi loco nidulatur?

:. Habitatque in petra (a), & moratur in præruptis ſaxis, & loco inacceſſo.

(a) Super dente petræ.

. Indeque ſpeculatur, ut cibum nanciſcatur, cujus oculi proſpiciunt longinquas res.

. Ejusque pulli ſanguinem lambunt, (b) & ubicunque ſunt cadauera, eum locum frequentat.

(b) Et in quo vulnerati, ibi ipſa.

30. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?

31. In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.

32. Inde contemplatur eſcam, & delonge oculi ejus proſpiciunt.

33. Pulli ejus lambunt ſanguinem: & ubicunque cadauer fuerit, ſtatim adeſt.

A ετογραφίαν en omni attentione digniſſimam! Eſt *aquila* ex auibus rapacibus, iisque diurnis, maxima & nobiliſſima, in hoc præcipuè differens
ulture, quod roſtrum ab initio ſtatim fiat re-
ruum, ab accipitre craſſitie & magnitudine
ſtri majore. *Aquila* hæc, de qua nunc, *in*
edam ſupernè ruit fulminis vice. Apulej. Flo-
l. L. I. Hinc & ἀετὸς nonnullis deriuatur ab
σσειν, & Hebræum עיט, quo omnis auis rapax
dicatur, ab הֵעִיט, quæ utriusque linguæ radi-
s notant irruere. Hinc & juxta *Feſtum Aqui-*
ventus, *à vehementiſſimo* nempe *volatu inſtar*
uilæ. Et irrumpentes in terram hoſtes com-
ratos videas paſſim cum aquila. Deut.
XVIII. 49. *Excitabit contra te* DOMINUS
ntem è longinquo ab extremitate terræ, quæ in-
labit ut aquila, ὡσεὶ ὅρμημα ἀετοῦ. *(Adducet* DO-
INUS *ſuper te gentem de longinquo, & de ex-*
emis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ vo-
ntis cum impetu.) Apud *Homerum Iliad.* Φ'.
252. in Trojanos irruens Achilles, αἰετοῦ ὄιματ'
ων *aquilæ impetus habens.* 2. Sam. I. 23. Saul
que Jonathan *leuiores* audiunt *aquilis.* Jer.
LVIII. 40. *Ecce inuolabit (hoſtis) veluti aqui-*
, *& expandet alas ſuas ſuper Moab.* Circa
olatum porrò auium obſeruanda eſt non per-
icitas ſolùm, ſed & conſtantia: non quippe
elaſſatur ſtatim hæc auis, ſed iter, etiam lon-
inquum, proſequitur alacris. Nota Poëta-
um fabula de binis aquilis, Jouis nuntiis, una
b Ortu, ab Occaſu altera, quæ non ante ceſ-
arunt, quàm Delphis, vel in Parnaſſo, fixerint
edem. Nec eſt auis, quæ altius ſeſe in altum
vibret aquilâ; huc quoque collimat v. 27. *numquid volat in altum?* adeò altè nempe, ut viſum noſtrum effugiat? Unde Oraculum illud ad Athenienſes:

'Αιετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσαι - -

Apulej. Florid. L. I. Aquila enimuerò cùm ſe nubium tenùs altiſſimè ſublimauit, euecta alis, totum illud ſpatium, quo pluitur & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus eſt, in ipſo, ut ita dixerim, ſolo ætheris, & faſtigio hyemis. Hinc alitis hujus Epitheta, ὑψιπέτης, ὑψιπετήεις, *altiuolans.* Hinc Aquilæ ἀποθεώσεις, Aquila in ſinu Jouis, fulmina cum alis aquilinis, Numi frequentes, quibus à prona parte Caput Imperatoris vel Cæſaris demortui, ab aduerſa CONSECRATIO. S. C. & Aquila in media area. Intentis fixisque oculis præſtolari ſolebant Romani aquilam è rogo comburendi Principis euolantem, & animam in cœlum euehentem, quod in funere Auguſti contigiſſe narrat *Dio* L. XVI. Et Prov. XXIII. 5. comparantur diuitiæ cum aquila οὐρανοπέτει. *Sumunt ſibi alas diuitiæ, & velut aquila in aërem euolant.* Jam quærit à Jobo DEUS, num ejus juſſu vel ordinatione aquila eam obtinuerit ſtructuram, quâ adeò altè euolare poſſit? num ipſe formauerit pennas, adeò tenuiter excauauerit oſſa, ut in æquilibrio eſſet cum aëre? Num ipſe figurauerit ungues, & roſtrum, quibus prædam arriperet & diſcerperet? vel, nonne tu, mi Jobe, & tecum quiuis alii, etiam acutiſſimi Φυσιοσόφοι, fatebimini lubentes, *ſupra captum* veſtrum eſſe

 viam

viam aquilæ in aëre? Prov. XXX. 19. vel, *numquid ad tuum imperium in ſublimi loco nidulatur aquila?* LXX. ἐπ' ἐξοχῇ πέτρας, καὶ ἀποκρύφῳ, forſan ἀποκρήμνῳ. Teſte *Ariſtotele Hiſt.* L. IX. c. 32. non ſolent aquilæ nidificare in humilibus locis, verùm ἐν ὑψηλοῖς μάλιστα μὲν, καὶ ἐν πέτραις ἀποκρήμνοις, locis præaltis, & in rupibus præruptis. *Nidificant in petris. Plin.* L. X. c. 3. Binas allegat DEUS nidulationis hujus præaltæ cauſas: una harum extat v. 28.

Habitat in petra, & moratur in præruptis ſaxis, & loco inacceſſo, ἐν ὀχυρώματι, *in munimento.* Sic de aquila *Aquila.* Sunt ſcilicet præaltæ rupes, in quibus aquila nidulatur, reuera ὀχυρώματα, fortia naturâ, licet propugnaculis, operibus internis externiſue, armamentario, præſidio deſtituta. Loca inacceſſa, ubi & pulli abſentibus parentibus in tuto ſunt collocati, licet nullis prætorianis militibus cincti. Hinc Poëta Arabs *Beſar, Jazidi* filius, apud *Damirem*, interrogatus, qualenam eſſe cuperet, ſi ſelectus daretur, Animal; vota ſua dedit *alokab*, *Aquilæ*, quod ea iis habitet locis, quo aliæ beſtiæ feræ non pertingunt.

Altera ratio altæ adeò habitationis exprimitur v. 29. *Inde ſpeculatur, ut cibum nanciſcatur, cujus oculi proſpiciunt longinquas res.* Ita & *Ariſtoteles* l. c. Ὑψοῦ δὲ πέτεται, ὅπως ἐπὶ πλεῖστον τόπον καθορᾷ, *altè volat, ut ad plurima loca deſpiciat. Apulejus, inde cuncta deſpiciens ---- & quærit, quorſus potiſſimum in prædam ſupernè ſeſe ruat.* Ad hunc igitur finem veluti in præaltâ ſpecula locatur hic alitum princeps, ut inde in latiſſimum proſpiciat horizontem, ubi fortè cunque ſit præda, ad quem ipſum finem ſupremus conditor acuto ipſum armauit viſu. *Homerus Iliad.* ῥ. v. 674.

---- ὥς τ' αἰετὸς, ὅν ῥά τε φασὶν
Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν.

Ut aquila, quam inter aërias volucres acutiſſimè cernere dicant. Ælianus Hiſt. L. I. c. 42. Ἀιετὸς δὲ ὀρνίθων ὀξυωπέστερος. *Horatius Serm.* I. *Sat.* 3.

---- tam cernit acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

Phile c. 1.

Πλὴν ὀξυδερκὴς ἐστιν ὁ πτηνοκράτωρ,
Καὶ μέχρι γητὸς ἐκ νεφῶν πάντα βλέπει.

Sed acuti viſus eſt auium rex,
Et ad acarum usque ex nubibus omnia vide

Alia teſtimonia lege apud *Senecam de Bene* L. II. c. 29. *Apulejum Florid.* L. I. *Iſidor. O* L. II. c. 7. *Sidonium* L. VII. *Epiſt.* 14. Fabu autem Arabibus inuentoribus linquo, qui aq læ viſum ad 400. paraſangas protendunt in *I mire.* Continet paraſanga juxta *Herodotum Strabonem* 40. ad 60. ſtadia, quoduis autem dium 49. perticas Rhenolandicas & 6. pe Erunt proin ex minimo computo 400. paraſ gæ 594000. pedes, ſiue milliaria 120. Mill ſumto pro perticis Rhinlandicis 396. pe bus 7.

Verſ. 30. *Aquilæ pulli ſanguinem lambunt,* præda nempe, quam genitores nido inferu Caro nempe cruda δύσπεπτος tenello ventri lo, ut foret infanti. Lac & juſcula tenuia, q bus nutriuntur infantes, confer cum ſangui qui aquilarum pullis dat cibum & potum. ſtimonia præbent Scriptores quoque profa *Oppianus* in *Ixeuticis* apud *Geſsnerum. Sang animalium, quæ ceperint, illis ſufficit, ſed aqu omninò non guſtant. Horus Apollo* de accipit Ὕδωρ οὐ πίνει τὸ καθόλου, ἀλλ' αἷμα. *Aquam non pr ſus bibit, ſed ſanguinem. Ælian. Hiſt.* L. X. c. Σαρκῶν δὲ ἅπτεται βορᾶ, καὶ πίνει αἷμα, καὶ τὰ νεόττια ἐκτρέ τοῖς αὐτοῖς. *Carnibus viuit, ſanguinem bibit, eo pullos nutrit.* Apud *Heſychium* memoratur vul ris ſpecies τόργος, quæ ſanguinem bibit, αἱ τορρόφας. Conciliare proin licet Zoologos, de aquila tradunt, eſſe πάμπαν ἄποτον, δίψας ἀ γωνα, ὑπερφρονοῦντα τῶν ὑδάτων, *nil bibere prorſus, eſſe ſuperiorem, nihili æſtimare aquam.* Ita *A ſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 3. 18. *Ælian. Hiſt.* L. II. c. Eſt namque aquilæ, aliiſue auibus carniuo ſanguis pro aqua.

Superſunt ultima v. 30. verba: *ubicun ſunt cadauera, eum locum frequentat;* parall prorſus illis optimi Saluatoris, ὅπου τὸ πτῶμα, συναχθήσονται οἱ ἀετοί. Matth. XXIV. 28. L XVII. 37. Eſt namque alitum hic princeps c niuorus, præditus ad hunc ipſum finem ve triculo membranoſo, olfactu ſubtili, viſu ac to. Haud vacat nunc, nec volupe eſt, exp nare horum verborum ſenſum myſticum. L bens linquo iis, qui altiora ſapiunt, & myſti Theologiæ ſua vota dant, conciliationem ſe tentiarum è diametro pugnantium, vel alte utrius ſelectum. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 2. p. 169-176.

TAB

RPJCB

IOB. Cap. XL. v. 10-19.
Behemoth, Hippopotamus.

Buch Hiob Cap. XL. v. 10-19.
Behemoth, Waſſer-Ochs, See-Pferd.

I. G. Pintz sculp

TAB. DXXXII.

Job. Cap. XL. verſ. 10 - 19.

Ecce quæſo te, Elephas, quem (a) æquè ut te condidi, fœnum comedat ritu bouis.

(a) Tecum, vel tum creaui, quum genus hominum creaui, vel ut homini ſeruiat. Deſcribit Elephantem, quem Behemoth, id eſt, bruta vocat, ut Græci frequenter θῆρα. Et quidem plurali numero deſignatur vaſtitas ejus.

Ecce, virtus ejus exiſtit in lumbis ejus, & robur illius in umbilico ventris ſui.

Stringit caudam ſuam ut Cedrum, & nerui teſtium ejus perplexi ſunt.

Oſſa ejus (referunt) fiſtulam æris, & ſolidiora oſſa baculum ferreum.

(b) Is prima rerum origine à DEO conditus eſt, & qui fecit eum, admouet ei gladium ſuum.

(b) Ipſe principio viarum DEI, faciens eum admouebit gladium ſuum, id eſt, DEUS illum domat.

Ei enim montes ferunt pabulum, & omnes feræ ludunt (c) apud eum.

(c) Ibi, id eſt, non timent.

. Jacetque (ferè) ſub arbuſtis, in latibulo arundinum & paludis.

. Quem arbuſta tegunt umbra ſua, eumque circumdant ſalices ad torrentem ſtantes.

. Ecce, fluuium hauriet, nec præcipitanter aget, ſperans etiam Jordanem in os ejus influxurum.

. (d) Et tamen oculorum læſione capitur, & vincula trajiciuntur per ejus promuſcidem.

(d) In oculis ejus capiet eum, in vinculis perforabit naſum.

10. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.

11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

12. Stringit caudam ſuam quaſi Cedrum, nerui teſticulorum ejus perplexi ſunt.

13. Oſſa ejus velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ.

14. Ipſe eſt principium viarum DEI, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ludent ibi.

16. Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.

17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum ſalices torrentis.

18. Ecce, abſorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.

19. In oculis ejus quaſi hamo capiet eum, & in ſudibus perforabit nares ejus.

POſt multas terrâ marique factas venationes, piſcationes, Hiſtoricos inter, Zoographos & Lexicographos, inita conſilia, *Bocharti* cumprimis *Hieroz.* .II. L. V. c. 15. & *Ludolfi Hiſt. Æthiop.* L. I. 11. & *Comment.* p. 155. demonſtrationes vos penè unanimibus agnitus eſt pro *Behemoth lippopotamus*, Jobo in τεκμήριον potentiæ diuiæ propoſitus, quem & nos tum in icone ſiimus, tum juxta filum Textus, præſertim ex Hiſtoria Naturali moderna deſcribemus, præmiſſuri immanis belluæ ſtructuram, qualem confecit *Fab. Columm. Aquatil. & Terreſtr. Obſ.* c. 15. ex Originali condito, quod *Federicus Zerenghi*, Narnenſis Chirurgus, ex Ægypto Italiæ intulit, licet ea beſtia nondum fuerit ex maximis. Corporis figura ad bubulinam vel potius urſinam accedere videtur: magnitudine bubulum excedit. A. capite ad caudam pedes 13. longus erat; latitudo ſiue diameter corporis

ris ped. $4\frac{1}{2}$. altitudo $3\frac{1}{2}$. ut planum potius quàm carinatum ventrem habeat. Ambitus corporis longitudini æqualis. Crura à terra ad ventrem ped. $3\frac{1}{2}$. ambitus crurum ped. 3. Caput, quod grande reſpectu corporis, oculorum & aurium, latum ped. $2\frac{1}{2}$. longum 3. craſſum ambitu $7\frac{1}{2}$. oris rictus 1. Roſtrum craſſum carnoſum. Oculi exigui, unciam lati, duas longi. Aures tenues paruæ, breues non excedebant uncias 3. Dentes habebat in inferiore maxilla 6. quorum bini exteriores è regione longi ſemipedem, lati & trigoni uncias $2\frac{1}{2}$. per ambitum ſemipedem, (aliàs pedali longitudine, & pro ratione craſſi,) Aprorum modo parum retrorſum decliues, non adunci, non exerti, ſed admodum conſpicui, aperto ore. Durities dentium ſilicea, vel major, cultelli ſiquidem coſta ignis excitantur ſcintillæ. Corpus obeſum admodum omni ſua parte. Caput grande, bubulino proximum. Pes latus & in 4. ungulas diuiſus. Ungulæ nigræ & biſulcorum ſimiles, non tamen bifidæ, ſed quadrifidæ; talus biſulcorum modo calloſus atque latus. Mandibula ſuperior Crocodili modo mobilis. Cauda teſtudini aut urſo proximior eſt quàm apro, craſſa ab origine, breuis, & ſtatim in acutum deſinens, nec ſemipedem æquat, nec inuolui aut torqueri ob breuitatem & craſſitiem poteſt. Cutis admodum craſſa, dura, colore pullo. Roſtrum habet, ut in leone & fele, pilis aſperum, pluribus è poro prodeuntibus, nec alii præterea in toto corpore conſpiciuntur. Non natat hæc beſtia, ſed in fundo fluminum incedit, ut lutra & fiber, degitque in Nilo, Nigro, Zaire Africæ, Indo Aſiæ fluminibus. Addam & deſcriptionem ex *Theuenot Voyag.* P. II. c. 72. *Cet animal eſtoit de couleur quaſi tannée, il avoit le derniere tirant fort a celuy de buffle, toutes fois ſes jambes eſtojent plus courtes & groſſes; ſa grandeur eſtoit ſemblable a celle du chameau, ſon muffle a celui d'un bœuf. Il avoit le corps deux fois gros comme un bœuf, la teſte pareille a celle d'un cheval, mais auſſi groſſe, les yeux petits, ſon encelleure eſtoit fort groſſe, l'oreille petite, les naſeaux fort gros, & les pieds tres gros, & presque ronds, & avec 4. doigts chacun, comme ceux du Crocodile, petite queue comme un Elefant, & peu ou point de poil ſur la peau, non plus que l'elephant. Il avoit en la machoire d'enbas quatre dents groſſes & longues d'un demi pied, dont deux etoient crochues & groſſes comme des cornes de bœuf, & y en avoit une a chaque coſte de la gueule, les deux autres droites, & de meſme groſſeur que les deux crocs eſtoient entre les ſuſdits deux crocs, & avancoient en long en dehors. Pluſieurs diſoient d'abord, que c'eſtoit un* buffle marin, *mais j'ay reconnu avec quelques autres, que c'eſtoit un* cheval marin, *veu la deſcription, qu'en font ceux, qui en ont eſcrit. Il fut amené mort au Caire par des Janiſſaires, qui le tuerent a coups de mouſquet en terre, ou il eſtoit venu pour paitre. Il luy tirerent pluſieurs coups ſans le faire*

tomber, car a peine la balle paſſoit elle toute
peau, comme j'ay remarque, mais ils luy en ti
rent un, qui luy donna dans la machoires &
jetta bas. Digna quoque ſunt, quæ inſuper
bet Cl. *Kolb. Cap. Bon. Spei* p. 168. &c. O
ratu pollere acutiſſimo, & hujus auxilio
præſeruare ab hoſtium inſidiis; colore pu
rhinoceroti eſſe ſimilem, eique neque longi
dine corporis cedere, neque grauitate, ſed
dem altitudine. Capite eſſe potius equ
quàm bubulino: ſed rictum oris eſſe bouill
potius. Foramina narium ampla, è quib
aquam deglutitam forti projiciat halitu, t
nempe, ſi ex fluminibus ad paſcua it. Ad c
dæ finem prodire paucos pilos, ut fere E
phantes. In inferiori maxilla dentes adeſſe
validos, longos, inciſores, quibus gramina
metunt, ſed dehinc molaribus mandenda u
rius tradunt: binos ex illis aliquantum rec
uos, binos alios rectos, craſſitie cornu bu
lum æquantes, ſemipedem, vel cubitum l
gos, 10. librarum, vel plurium, ſingulos, e
re pretioſiores, utpote candoris nitidi. Ub
parua inter pedes poſteriores, mammillis p
uis prædita, è quibus alimentum ſugunt cat
quorum pondus ad 100. libras accedit. Cu
pollicaris craſſitiei ſclopeti globulis pleriſ
locis imperuiam. Carnem delicati ſaporis,
inter cupedias apponatur, axungia loco but
ſeruata pro parandis cibis, & condiendis.

Primus, qui τῷ *Behemoth Hippopotami*,
Leuiathani Crocodili jura tradidit, eſt *Bochart*
vir omni laude major. In præcedenti nem
capite comparuere in theatro animalia ter
ſtria & volatilia, in hoc autem ſiſtuntur aqu
lia duo, imo, ſi rem ille tetigit acu, utraq
quadrupeda, tremendæ magnitudinis, in
mitæ indolis, ἀμφίβια, γαυλιώδη, καὶ ἀνθρωποβ
ζῶα, Nili incolæ, non una proin cognatio
juncta. *Plin. Lib. XXVIII. c. 8. Eſt Crocod*
cognatio quædam amnis ejusdem geminique vic
cum Hippopotamis. In una etiam eademque
cietate locantur Behemoth & Leuiathan Sc
ptoribus pleriſque. *Hippopotamo* benè conu
nit nomen בְּהֵמוֹת *Behemoth*, tanquam uni
quadrupedibus maximis, nam בְּהֵמָה *behem*
in genere notat animal quadrupes. Conſtat
deſcriptionibus, quas ſupra jam dedimus, n
tantùm aſini eſſe magnitudine hunc, ſed bo
& rhinocerotis, juxta *Ariſtotelem; Herodo*
ὅσον ὁ βοῦς ὁ μέγιστος, *bouis maximi, Diodoro* οὐκ ἐλ
τονα πηχῶν πέντε, *non infra cubitos quinque, Ach*
li Statio κατὰ μὲν τὴν ἰδέαν καὶ τὴν θέσιν ὡς ἵππος, τὸ
μέγεθος ὡς τριπλασίωνα, *forma & ſpecie equo ſim*
lem, ſed triplo majorem. Unde hæc beſtia i
Ægyptius Elephas cluet. Imò ſunt, qui E
phante ipſo majorem faciunt. Certum id,
ſe ex quadrupedibus maximis, κατ᾽ ἐξοχὴν pro
mereri nomina *Behemoth*, θηρίον, *bellua.* Ar
bibus *Bahima* commune eſſe nomen quadr
pedibus in terra non ſolùm, ſed & aqua viue
tibus, quod ex *Alkamo* & *Giaubari* probat G
liu

Obſeruat inſuper *Bochartus*, Behemoth eſſe plurale, ſed ſingulare, & benè multa bula ſingularia apud Ægyptios terminari h, ut τωθ, φαωθ, φαμενωθ, menſium nomi- Sotb, *Sothi* canis &c. *Anthol.* L. I. c. ult. ed pergimus ad ipſas Nili ripas, viſuri im- em belluam conformiter ad Textum.

Verſ. 10. *Ecce, quæſo te, ut* בהמות, *quem æ- ut te condidi, fœnum comedat ritu bouis.* Ita n DEUS ad Jobum: Demonſtraturus tibi itam meam potentiam haud opus duco tiari tecum ad immenſa illa ſpatia corpo- e cœleſtia, vel ultimos terræ fines, vel in npla ſiſtere res tibi inuiſas, ducam te dun- t ad Nilum, fluuium tibi vicinum, oſtenſu- Behemoth belluam, quæ עמך *juxta te* eſt. ruiat nobis alloquium hocce diuinum pro na demonſtrationum, ſi quando & quoties ır de infinitis DEI perfectionibus. Non ni ruſtico licet adire Corinthum, ſcalas ſcan- : Aſtronomicas ad ultima tantùm non cœli ra erectas, capere immenſas Solis & Fi- um magnitudines atque diſtantias, imo ne dem naturæ miracula in extremis Indiis, ul- ue Thule obuia. Fidem non habent ra- , quæ ille non videt. Debent argumenta adæquata captui, viſibilia, palpabilia. Du- dus is ad propria ſua ſtabula, ad boues, os, oues, capras, gallinas, in agros, pra- ſyluas, ad arbores, frumenta, pabulum: verò captanda obuia quælibet & circum- itans muſca, aut papilio; vel & ad ſeipſum, corporis ſui infinitum artificium, ad animam, præditus eſt, immortalem, eſt manu du- idus. *Fœnum comedit* Behemoth *ritu bouis.* nuenit hoc prædicatum *Elephanti* quoque, em Latina noſtra, *Franzius de Animalibus*, plures alii pro Behemoth agnoſcunt, neque mirum: in terra viuit & ſyluis, & unde tan- molis animal viueret, niſi vegetabilibus? d id admiratione dignum, quod Hippopota- is, in fluminibus degens, bouis ad inſtar ex- aquis in paſcua, κατανεμόμενος τόν τε σῖτον καὶ τον *Diodoro. Nicander Theriac.* v. 569.

Χίλοι ὅτε χλοάζωσι νεὸν δ' ἀπεχάνετο ποίην.

Pabula cum incipiunt herbâ florere recenti.

ddit *Diodorus*, breui totam Ægyptum depo- latum iri, ſi bellua hæc quotannis pareret, el ſæpius, vel plures numero catulos. *Plinius . VIII. c. 25. Hippopotamus depaſcitur ſegetes. Elianus L. V. c. 53. Segetum ut maturitas ve- t, & flauent ſpicæ, agros ingrediuntur & pa- unt. Ammian. Marcellin. L. XXII. Inter arun- ines celſas & ſqualentes nimia denſitate hæc bel- a cubilibus poſitis, otium peruigili ſtudio circum- pectat, laxaque copia ad ſegetes depaſcendas egre- itur. B. Tellez.* L. I. c. 6. p. 14. *Os cavallos narinos ſabem a paſcerna terra em alguns luga- es mays razos, & fazem nelles grande de ſtrui- cam nos mantenimentos.* Comparatio cum boue, quæ molem inprimis pro fundamento habet, & pabulum, *bouis marini* cognomen huic belluæ dedit, *Bomarin.*

Verſ. 11. *Ecce virtus ejus exiſtit in lumbis ejus, & robur illius in umbilico ventris ſui.* Primum verſiculi hujus lemma nulla indiget explicatione: Lumbis robur dant validi muſculi, & craſſa oſſa. Nah. II. 2. *Obſirmare* jubetur Niniue *lumbos.* Pſal. LXIX. 24. *Obtenebrentur oculi eorum, ne videant, & lumbos eorum fac ſemper labaſcere. (Obſcurentur oculi eorum, ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua.) Elumbes* dicuntur, qui præ debilitate cruribus inſiſtere nequeunt, *delumbare* idem quod *debilitare. Robur*, quod in Textu ſequitur, *in umbilico ventris* Elephanti planè non quadrat, utpote qui in dorſo prædurâ tegitur cute, ſed molli eſt ventre, quem perforat facile Rhinoceros, ſi quando μονομαχίαν init cum Elephante. *Ejus aluum maximè petit, quam ſcit eſſe molliorem. Plin.* L. VIII. c. 20. Idem atteſtatur *Ælianus Hiſt.* L. XVII. c. 44. Et eſt culicis ſpecies יתוש *jattus*, ἐμπὶς, maximæ huic belluæ formidabilis, quia ventrem illius pungendo dolores infert maximos, deditque ea Judæis prouerbium. Illuſtrant, quæ de ventris Elephantini mollitie diximus, generoſam illam fortis *Abaron* actionem, qui in pugna cum Antiochi exercitu *Elephanto ſe ſuppoſuit, & interfecit eum, quo ſuper ipſum humi collapſo ibidem occubuit.* 1. Maccab. VI. 46. Is nempe, *Gorionide* explicante L. III. c. 2. mollem belluæ umbilicum pugione transfixerat. Clarum proin, Elephantem non reſpondere allatæ τοῦ Behemoth qualitati, ſed quidem Hippopotamum, cujus cutis ejus eſt craſſitiei per totum corpus, ut lædi occidiue non poſſit, niſi globo ſclopeti per caput trajecto, teſte Kolbio. *Diodoro* cluet cutis hæc *omnium animalium fortiſſima*, πάντων τῶν θηρίων σχεδὸν ἰσχυροτάτη. Et *Ptolemæus* L. VII. c. 2. *Leptas* ſiue Latrones Indiæ extra Gangem deſcripturus comparat cutim horum illi Hippopotami, τὸ δέρμα ἔχοντες παραπλήσιον ἵππων ποταμίων, ὡς μὴ διακόπτεσθαι βέλεσιν, ſagittis ſiue jaculis imperuiam.

Verſ. 12. *Stringit caudam ſuam ut Cedrum, & nerui teſtium ejus perplexi ſunt. Bochartus* vocem יחפץ reddit, *retorquet* caudam ſcilicet, ut porci. Ita *Ariſtoteles*, ἔχει δὲ χαυλιόδοντας ὑποφαινομένας, κέρκον δὲ ὑός. Et *Plinius: In eodem Nilo Hippopotamus editur caudâ & dentibus aprorum. Solinus: Hippopotamus in eodem flumine ac ſolo naſcitur, apruginëis dentibus, cauda tortuoſa.* Sed hæc interpretatio non conuenit cum modernorum deſcriptionibus, quæ caudam habent craſſam, ſed breuem, flecti vel retorqueri neſciam. Ut proin comparatio caudæ hujus cum cedro intelligi debeat de tereti figura, imo conica, læuitate, craſſitie, robore, rigiditate. *Euſtathius* quoque *Antiochenus* in *Hexaemeron* illam deſcribit, ut παχεῖαν καὶ ψιλὴν τριχῶν, craſſam & glabram, ubi *Leo Allatius*

 pro

pro παχεῖαν legit βραχεῖαν, breuem, ſic & *Achilles Statius*, ὀυρὰ βραχεῖα καὶ ψιλὴ τριχῶν, *Bellonius*, *cauda breuis*, *craſſa*, *rotunda.* Præponenda proin Verſio utraque Tigurina, quæ יַחְפֹּץ reddit, *ſtringit*, *ſtrecket*, correctioni Bochartianæ. Per גִּידֵי פַחֲדָיו intelligit *Bochartus* neruos crurales, vel lumbares, ſic & Arabes & Syrus; יְשֹׂרָגוּ *Arias* reddit *ramificati erunt*, *Bochartus*, *perplexi ſunt*, ut ſenſus ſit, eſſe neruos, à quibus robur, ſenſus & motus corpori accedunt, ramorum ad inſtar in arboribus implexos, ut ſanè paſſim in corpore *plexus* neruorum obſeruant Neurographi. Sed forſan aliæ intelligendæ ſunt implexæ ramificationes, quales obſeruantur in vaſis ſeminalibus & corpore pampiniformi. Deeſt nobis, ut heic, ita in aliis Hippopotamicæ deſcriptionis circumſtantiis Anatome hujus beſtiæ, quæ haud dubiè nouam toti Textui noſtro affunderet lucem, quapropter rogatos velim eos, quibus belluam hanc propius inſpiciendi occaſio datur, ut ejus Anatomen comparatam velint habere ſibi commendatam.

Verſ. 13. *Oſſa ejus referunt fiſtulam æris, & ſolidiora oſſa baculum ferreum.* LXX. pro מְטִיל σίδηρος χυτὸς, *ferrum fuſile;* Symmachus, συμβλήματα σιδήρυ, *commiſſuræ ferri:* Hieronymus, *laminæ ferri*, unde Vernacula noſtra, *eiſerne Schinnen.* Senſus eſt, oſſa Hippopotami non eſſe, ut in piſcibus, cartilaginea, mollia, ſed æri & ferro contra dura, & quadrant egregiè tum *fiſtula æris*, tum *laminæ ferri* ſtructuræ ipſi oſſium, utpote quæ cylindri ſunt caui, & ex meris tubulis laminiſque compoſita. Inprimis autem intellige crurum oſſa. Superantur longè ſoliditate ac duritie oſſa equi ac bouis ab oſſibus Behemothi, & tamen cluent illæ beſtiæ Poëtis Græcis χαλκόποδες, χαλκοκρότοι, *æripedes*, *æriſoni.* Haud ignota duritiès eboris, ſed ſunt, quod ſupra vidimus, duriores longè Behemothini dentes. *Odoardus Barboſa: Hanno gli Ippopotami i denti, come gli Elefanti piccoli, & e migliore avorio di quello de gli Elefanti, e più bianco, è più forte, e di maniera, che non perde il colore.* Quod etiam teſtatur *Scaliger* in *Cardan. Exercit.* 2. Et memorat *Pauſanias* in *Arcadicis*, formaſſe Proconneſios faciem Cybeles ſeu terræ matris aureæ ex Hippopotami dentibus.

Verſ. 14. *Is prima rerum origine à DEO conditus eſt, & qui fecit eum, admouet ei gladium ſuum.* Heic *prima rerum origo* intelligi ita poteſt, quod dum quadrupeda alia fuerint creata ſexto die, Behemoth lucem viderit quinto, quo *ſcaturierant aquæ reptile animæ viuentis*, Gen. I. 20. vel, quod Behemoth ſit τὸ ἐξαίρετον, ex præcipuis DEI operibus unum: uti Num. XXIV. 20. *Amalec* dicitur *principium gentium*, רֵאשִׁית גּוֹיִם, *timor DEI principium ſapientiæ*, i. e. potiſſima ejus pars. Mel Siracidi ἀρχὴ γλυκυσμάτων, dulcium rerum principium, ſiue potiſſimum. In admirationem cumprimis nos rapere debet belluæ hujus magnitudo, for... do, voracitas, aſtutum, ſi ita loqui fas eſt... genium. *Ammianum* audi L. XXII. *Poſt ſegetes abundè depaſtus eſt, cumque jam cæ... redire diſtentus, auerſis veſtigiis diſtinguit tr... tes multos, ne unius plani itineris lineas in... tores ſequuti repertum ſine difficultate confod... Cum auiditate nimia extuberato ventre pigr... ſuper calamos recens exectos fœmora conuolu... crura, ut pedibus vulneratis cruor egeſtus ſa... diſtentum faciat leuem, & carnes ſaucias ... oblinit, quamdiu in cicatrices conueniant p...* Hinc apud *Plinium* L. XXVIII. c. 8. & L. ... c. 26. Hippopotamus audit *repertor detra... ſanguinis*, *magiſter medendi.* Imo ſacer fui... bitus Papremitanis, *Herodoto* & *Plutarcho* ... bus. Quæ proximè ſequuntur verba, *qu... cit eum, admouet ei gladium ſuum*, obſcur... haud carent. *Bochartus* חַרְבּוֹ reddit *ha... ejus*, alii *gladium ſuum*, erit proin clarior ... ſio, ſi eam ita adornaueris, *qui fecit eum ... ſtruxit eum falce*, *der ihn gemachet hat*, *ha... verſehen mit einer Senſe.* Ἅρπη Græcorum, ... à Phœnicio *harba*, notat propriè *falcem.* ... ſus igitur eſt, demetere Hippopotamum de... bus ſuis acutis veluti falce gramina aut ... cui & Græci Poëtæ tribuerunt Harpen. *Ni... der Theriacôn* v. 566.

Ἢ ἵππυ τὸν Νεῖλος ὑπὲρ Σάϊν αἰθαλόεσσαν
Βόσκει, ἀρύρησιν δὲ κακὴν ἐπιβάλλεται ἍΡΠΗΝ...

Aut fluuialis equi, Nilus quem paſcit aduſ...
Trans Sain, atque HARPEN damnoſam ...
mittit in agros.

Ubi *Scholiaſtes* ſequentem explicationem ſup... ditat: Ἅρπη σημαίνει μὲν δρεπάνην, νῦν δὲ τὺς ὀδό... λέγει. δεικνὺς ὅτι ὅλυς τὺς ςάχυας τρώγει. Hoc ... *Harpe denotat quidem falcem: hîc vero den... quibus hoc animal omnia ſata demetit.* Et *N... nus Dionyſiacôn Lib.* XXVI. etiam de Hippo... tamo:

Αἰχμῇ κ' ἀρχαρόδοντι διαχίζων ῥάχιν ὅλης,
Καὶ διερὴν ἀχάρακτον ἔχων γένην ἅρπαγα καρπῶ...
Μιμηλῇ δρεπανῇ ςαχυηφόρα λήϊια τέμνει,
Ἀμητὼρ ἀσίδηρος ἀμαλλοφόρυ τοκέτοιο.

Et *Achille Statio* teſte L. IV. atque *Diodoro* L... eſt animal hoc ἀδδηφαγώτατον, adeò vorax, ... Ægypto toti depaſcendæ ſufficeret, ſi quota... nis pareret. Patet ex hactenus dictis, Harpe... vel dentes harpiformes, falciformes, haud co... uenire Elephanti. Hinc qui pro Elephante m... litant, quos inter ſumus nos Tigurini, *der i... gemachet hat, greiffet ihn an mit ſeinem Schwert...* verba Textus ita explicant, quod DEUS be... luam hanc ſolus gladio ſuo, brachio ſuo omn... potenti, occidat, quum tamen de Elephan... conſtet, interfici à Tigride, Rhinocerote, Dr...

con...

ibus, Hominibus. Quadrant ſanè verba tus melius longè Hippopotamo.

Verſ. 15. *Ei enim montes ferunt pabulum, & es feræ ludunt apud eum.* Hunc ipſum nem- n finem obtinuit Behemoth à Creatore fal- rmes dentes, ut demeteret plantas monta- *Ferunt montes pabulum*, idque optimum, ſtantiſſimum, non ſponte ſua, & acerua- , ſed DEUS *producit fœnum in montibus.* . CXLVII. 8. *Meæ*, inquit DEUS, *ſunt es feræ ſylvarum, pecudes in mille montibus.* eæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in mon- s & boues.)* Pſal. L. 10.

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

id perrarum, & admiratione ſumma di- m, quod aquaticum animal, deſerto ele- nto ſuo natiuo, relictis piſcibus, & plantis aticis, pabulum quærat in montibus, vora- ti ſuæ facturum ſatis: ut rari quid eſt, ſi *is conchæ & buccinæ peregrinantur in monti-*, *Tertullian. de Pallio* p. 530. Edit. Baſil. 1521. rtos ſuos habent omnia fines. Ex aquis diens Behemoth paſcua quærit montana, eſtis ſit diuinæ potentiæ: ut ſunt piſces ma- , teſtaceaque ὀρυκτὰ teſtes juſtitiæ diuinæ per taſtrophen illam diluuianam manifeſtatæ, eptione omni majores. Audi *Ouidium*, ra- diluuii phænomena deprædicantem:

- Hic ſumma piſcem deprendis in ulmo,
Et modo, qua graciles gramen carpſere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt ſua corpora phocæ.

l per montes intelligi heic debent non præ- a & niuoſa juga, qualia ſunt Alpium Helueti- rum, ſed colles Nilo vicini, quorum memi- *Strabo* L. XVII. Ἐν δὲ ταῖς ἀναβάσεσι τοῦ Νείλου κλύπτεται πᾶσα (Ἀιγύπτου χώρα) καὶ πελαγίζει πλὴν τῶν ήσεων. αὗται δ' ἐπὶ λόφων αὐτοφυῶν ἢ χωμάτων ἵδρυνται. *Nilo inundatur omnis Ægyptus ad usque ædes edificatas collibus ſeu aggeribus editioribus.* Ita Ruſſia quoque aquis exit bellua *Mors* dicta, æ ipſe videtur Behemoth, memorata *Sigiſm. Herberſtein Moſcov.* & *Leonardo Nogarolæ* ud *Scaligerum* in *Cardan. Exercit.* 218. cui ec beſtia piſcibus accenſetur. *Omnes* tan- m *feræ ludunt* apud Behemothum, ſecurè ærentes pabulum ſuum in ſocietate cum il-

Verſ. 16. *Jacet ſub arbuſtis, in latibulo arun- num & paludis.* Hæc circumſtantia iterum ud quadrat Elephanti, ſed quidem Hippopo- mo. Illius eſt, in ſyluis degere & campis, boribus ipſis altior ſæpe, nedum arundini- us. Διὰ τῶν μεγίστων ἵεσθαι δένδρων, οἷον διὰ λήϊα, &c. ἢ δὲ αὐτὰς τῶν δένδρων εἶναι ὑψηλοτέρας. *Ælian. Hiſt.* VII. c. 6. Præterea rariſſimè jacet ſiue pro- umbit Elephas, imo ſunt, qui volunt, con- anitente licet experientia, dormire ſtantem. Quod heic apud Jobum legitur de Behemoth, id atteſtatur quoque *Marcellinus* L. XXII. *Inter arundines celſas & ſqualentes nimia denſitate hæc bellua cubilibus poſitis*, &c. Dant arundines belluæ noſtræ non ſolum κοιμητήριον, & lectum, ſed quoque cibum. *Bellonius: Viuit arundinibus, & cannis ſacchari, & foliis papyri herbæ.* Hinc eſt, quod venatores decipulas ſuas, quibus belluam hanc capiunt, arundine obtegant, ἐπικαλύπτουσιν ἄνωθεν καλάμῃ, ut *Achilles Statius* ſcribit in *Hexaemer.* Eſſe in tota Ægypto, & ad Nili ripas arundines copioſiſſimas, notoria res eſt; tot nempe, ut in iis latibula ſua inueniant non ſolùm Crocodili & Hippopotami, ſed & Latrones, τὸν πολὺν κάλαμον ἀντὶ χαρακώματος προβεβλημένοι, *Heliodoro* teſte. Obuallant nempe ſeſe arundine. Unde δονακώδης, arundine dives, audit Nilus ipſe Bacchylidi apud *Athenæum* L. I. Arundo in Textu vocatur קָנֶה *kaneh*, unde forſan *cannæ* vox arundineis plantis communis, quæ ad pleraſque Europæas linguas tranſiit. Affines ſunt Turcarum *kamys*, *kæmys*, & Perſarum *nei*, *naj*, *naje*, *nejek* apud *Meninzk. Lex.* p. 3598. 5123. 5125. 5294. 5301. ſi ibi m mutes in n, heic præfigas k. Et *kamma* gramen eſt Cyperinum paluſtre Japonenſibus. *Kæmpf. Amœn. Exot.* p. 900.

Verſ. 17. *Quem arbuſta tegunt umbra ſua, eumque circumdant ſalices ad torrentem ſtantes.* Habet *Geſſnerus* de Hippopotamo ſequentia ex Hamburgenſi Nauigatione de A. 1549. *Verſantur utplurimùm circa littora fruticoſa aut ſyluoſa, & hominibus inſidiantur, quos comprehenſos vorant. Quamobrem accolæ fruteta reſecant, ne in iis latitare poſſint.* עַרְבֵי נַחַל nobis ſunt *ſalices torrentis*, *Bandſtöcke an den Bächen*, ſcilicet *Nili*, qui intelligi neceſſariò debet, ubi in Scriptura cunque mentio fit *torrentis Ægypti*, uti Num. XXXIV. 5. Joſ. XV. 4. 47. Neque dubium videtur, deſcendere ipſam *Nili* vocem ab Hebræa נַחַל *nachal*: quam Veteres non expreſſerunt per *nachal*, vel *nahal*, ſed per νεὶλ, ut *Epiphanius* in *Hæreſi Manichæor.* Et ex νεὶλ fabricarunt Græci ſuum Νεῖλος. Ipſis Romanis Poëtis cluet vaſtum flumen Nilus *torrens*. *Lucanus* L. IX.

Atque alii Reges Nilo torrente natabunt.

Valerius Argonaut. L. IV.

Contra Nilus adeſt, & toto gurgite torrens.

Et optimo quidem jure, quia aliorum torrentium ad inſtar à pluuiæ lapſu variante vel accreſcit, vel decreſcit. Hinc eſt, quod *Homero Odyſſ.* δ. v. 471. 581. nuncupetur διιπετής, *ab Joue delapſus.* Ubi *Euſtathius*, *Homerum* à ſacerdotibus Ægyptiis edoctum primum fuiſſe, qui veram incrementi & decrementi aquarum Nili rationem adſcripſerit denſis in Æthiopia cadentibus imbribus, quam ſententiam adoptarunt poſtea *Ariſtoteles* & *Eudoxus*. *Strabo* L. XV. p. 692.

p. 692. τῷ Νείλῳ μὲν ἐκ τῶν νοτίων ὄμβρων ἐστιν ἡ πλήρωσις, & L. XVII. p. 789. Veteres conjecturis, ſed recentiores autopſiâ fretos Nili incrementa attribuiſſe imbribus Æthiopiæ æſtiuis. Hodie dixeris, hybernis; nemo quippe non nouit, in Æthiopia, & vicinis Prouinciis, quæ Nilo dant fontes, menſibus hybernis continuos cadere imbres, unde fœcunda redditur Ægyptus. Et cum Nilo, ſi parua licet componere magnis, conferas *Silam* noſtram, aliosque Heluetiæ torrentes, ab imbribus exundare ſolitos. Quemadmodum ad torrentes noſtros creſcunt *ſalices*, ita ad ripas Nili ἄγνος, *vitex*, & ἐλαίαγνος, *oleagnus*, teſte *Theophraſto* L. IV. c. 11. & à fruticis hujus copia ἄγνε κέρας, *viticis cornu*, Promontorium Ægypti inter Oſtium Bolbiticum & Sebennyticum nomen habet. Meminit ejus *Heſychius* poſt *Strabonem*. Hæc forſan eſt ratio, cur LXX. habeant κλῶνες ἄγνε, *ramos viticis*, non κλῶνες ἄγρε, ut nonnulla exemplaria. Ipſi Ægyptii *viticem* vocant *ſalicem marinum*, & v. 16. reddunt בְּסֵתֶר קָנֶה πάπυρον καὶ κάλαμον, quoniam papyrus copioſa in Ægypto, ſpeciatim circa Sain, ubi frequens inprimis degit Behemoth. Syrus & Arabs verba Textus noſtri reddunt ita, *circumdant eum corui torrentis*, legerunt ſcilicet עֹרְבֵי נָחַל pro עַרְבֵי נָחַל. Seruant *Aquila* & *Hieronymus ſalices torrentis*, quorum & alibi mentio fit in Scriptura, ut Leuit. XXIII. 40. *Primo die accipite vobis* — *ſalices torrentis*. Pſal. CXXXVII. 2. *Noſtras citharas ſuſpendimus in ſalices.* (*In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra.*) Jeſ. XLIV. 4. *Creſcent ut inter herbas, & ſicut ſalices ad riuos aquarum.* (*Et germinabunt inter herbas quaſi ſalices juxta præterfluentes aquas.*) Quoniam haud diſplicet vitex, apponere heic volui Fig. A. *Viticem foliis anguſtioribus Cannabis modo diſpoſitis* C. B.

Verſ. 18. *Ecce fluuium hauriet, nec præcipitanter aget, ſperans etiam Jordanem in os ejus influxurum.* יִבְטַח *confidet* ſibi exhaurire Jordanem, non metuit ſibi ab ingenti aquarum copia. Qui Elephantis partes defendunt, יַעֲשֹׁק נָהָר vertunt per *premet*, *comprimet fluuium*, ac ſi prægrandis illa bellua ingreſſu ſuo in flumen motum ejus ſiſtat, & veluti abſorbeat, Pythii illius Draconis ad inſtar, de quo *Statius* L. VII. *Theb.* v. 349.

Cephiſi glaciale caput, quo ſuetus anhelam
Ferre ſitim Phyton, amnemque auertere Ponto.

Et *Claudianus Præfat. in Rufinum.*

Qui ſpiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, ſanguineis tangeret aſtra jubis.

Sed hyperbolicæ hæ locutiones heic non quadrant. Nulla omnino veriſimilitudinis ſpecie Elephanti tribui poteſt, quod de Xerxis exercitu memorarunt Veteres, exhauſiſſe potu Scamandrum & Mæandrum in Aſia, Pontum Theſſalia, & Iliſſum Atticæ terræ fluuium, qua re ſatyrizat *Juuenalis Sat.* 10.

- - - - - *Creditur olim*
Velificatus Athos, & quicquid Græcia m
dax
Audet in Hiſtoria: conſtratum claſſibus
dem
Suppoſitumque rotis ſolidum mare: credin
altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſt
tus alis.

Naturaliſſima hæc eſt Exegeſis. הֵן יַעֲשֹׁק נָהָר, *ce premat fluuius.* LXX. ἐὰν γένηται πλημμύρα, undatio licet irruerit, & medio caput effe alueo flumen, לֹא יַחְפּוֹז, *non feſtinabit*, *non t pidabit*, οὐ καταπληγήσεται, *non conſternabitur*, n quæret in fuga ſalutem, ſecurus, licet vel in ger Jordan tranſiret per os. Sumitur aute Jordan heîc pro quouis alio, etiam maxim flumine, ut apud Scriptores profanos Ach lous pro omnibus aquis, pro montibus I Dici hæc nequeunt de Elephante, utpote q *Ariſtotele* teſte *Hiſt.* L. IX. c. 46. aquas ſaltem usque ſubintrat, ubi eſt in vado, & P boſcis, qua aërem haurit, ſuperior aquis. U de eſt, quod totus licet obtectus aquis Prob ſcidem ſupra eas extendat, aëre vitam tra rus. *Ælian. Hiſt.* L. VII. c. 15. Sic euaſere lephantes in trajectu illo Hannibalis per Rh danum, ſuffocatis, qui iis inſederant, Ind quod legitur apud *Polybium* L. III. Sed Beh moth noſter ſecurus degit ſub undis; artis tandi imperitus, in quo tamen refragatur *No nus Dionyſiacôn* Lib. XXVI. licet in fundo N totos tranſigat dies, noctu paſcua ſalutans, tu que ſimul aërem hauriens. De Elephante n nus adhuc dici poteſt, quod nando trajic queat flumina; degit quidem ad aquas is, non in aquis, ζῷον παραποτάμιον, οὐ ποτάμιον, *Ar Hiſt. Anim.* L. IX. c. 46. De metu ejus, ſi qua do trajiciendum eſt flumen, *Liuius* L. XXX c. 28. *Primis erat pauor, cum ſoluta rate in tum raperentur.* — *Trepidationem aliquant edebant, quietem ipſe timor circumſpicientib aquam fecit.* Natationi ineptum prorſus e contra *Strabonis* aſſertum ſcribit *Ariſtotele* νεῖν οὐ πάνυ δύναται, contrarium aſſerente *Nearc* apud *Strabonem* L. XV. p. 705. νεῖν δὲ κάλλιστα.

Verſ. 19. *Et tamen oculorum læſione capit & vincula trajiciuntur per ejus promuſcide* Germanica noſtra erotema format, rei v ſummam difficultatem exhibens, vel & impo ſſibilitatem. *Wer dörffte ſich unterſtehen, ihn o fentlich zu fangen? Wer dörffte ihm ein Lo durch die Naſen ſtechen, und einen Strick an gen?* בְּעֵינָיו, *in oculis ejus*, id eſt, quis adeo fo ti eſt pectore natus, ut aſpectum belluæ ſu eat, eam vi doloue capturus? Pro Latina f

RPJCB

IOB. Cap. XL. v. 20. ad fin. XLI.
Leviathan, balæna.

Büch Hiob Cap. XL. v. 20. Ende C. XL
Leviathan, der Wallfiſch.

G. D. Heümann s

RPJCB

TAB. DX

IOB. Cap. XL. v. 20. ad fin. XLI.
Leviathan, Crocodilus.

Buch Hiob Cap. XL. v. 20. ad fin. XLI.
Leviathan, das Crocodil.

I. G. Pintz sculp

eſtimonium *Achillis Statii* L. IV. & *Euſta-* *in Hexaemer.* capi Hippopotamum ἀπάτῃ, ›, nempe in foſſa ciſtaue profunda arundi- c arena obtecta, in quam decidat: vel, jux- *Albertum* & *Vincentium* in retibus ferreis, ıus irretitus occidatur malleis ferreis, σιδη-μβολίοις, ut *Diodorus* ſcribit, ſed non abs- πολυχειρίᾳ τῶν τυπτόντων. Romæ comparue- Iippopotami haud ſemel in ſpectaculis pu- s: primùm quidem à Scauro ædili exhibi- ›atre ejus, quem defendit *Cicero*. Poſtmo- ı ſub Antonino Pio & Heliogabalo; ſed ſub ıno Apoſtata in Ægypto ipſa rariores facti, e *Themiſtio Orat.* 10. En teſtimonium *Mar- ni Lib.* XXII. *Nunc inueniri nusquam poſſunt, onjectantes regionum incolæ dicant, inſectan- multitudinis tædio ad Blemmyas migraſſe com-* . Hodie quum amphitheatricæ illæ volu- es deſierint, nec capitur amplius viuus in ypto aut Africa, neque in Europam viuus transportatur, ſed quidem ſclopeti globis trajectus occiditur. Interim placet ex Hiſtoria antiqua adferre Nummorum quorundam teſtimonia.

Fig. I. ex Theſauro Brandenburgico Numum ſiſtit ſub Trajano percuſſum, quo Ægyptii abundantiam Nili commendant Imperatori contra Parthos belligeraturo. In auerſa parte Nilus jacet dextra arundinem, ſiniſtra Cornucopiæ præferens, cui adjicitur Hippopotamus.

Fig. II. Otaciliæ eſt Nummus exhibens SÆCULARES AUGG. & in area Hippopotamum.

Fig. III. iterum ſiſtit Nilum cum Cornucopiæ, Arundine & Hippopotamo.

Fig. IV. Collum & Dentes Hippopotami. Vid. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 15. p. 753-769. *Ludolf. Hiſt. Æthiop.* L. I. c. 11. *Ludolf. Comment. in eand.* p. 155. *de Mey Phyſ. Sacr.* p. 406. *Kirchmajer* & *Schade Diſſ. de Behemoth.*

TABB. DXXXIII. DXXXIV.

Job. Cap. XL. verſ. 20. ad fin. & XLI. tot.

. (a) Nunquid cetum hamo extrahes, & funem altè immittes linguæ ipſius?

(a) Belluam marinam ſiue balænam deſcribit.

. Imponesne uncum illius naſo? & ſpina perforabis maxillam ejus?

2. Et multis precibus eblandietur ex te beneficium? num verbis demulcebit te?

3. Ferietne tecum fœdus, ut eum tibi mancipes ſeruum perpetuum?

4. Ludesne cum illo, tanquam cum auicula? eumue alligabis puellis tuis?

5. Concident eum ſocii, & partientur inter mercatores?

6. Implebisne ſudes pelle ipſius, aut ejus capite fiſcellam piſcariam?

7. Memineris tibi eſſe bellum paratum, ſi ei manum admoliaris, ut non iterum velis facere.

8. (b) Spes eum capiendi fallax eſt, num etiam dejicietur, ut ſpes ejus oſtentat?

(b) Ecce ſpes ejus fallax eſt, an etiam ad aſpectum ejus dejicietur.

20. An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam ejus?

21. Nunquid pones circulum in naribus ejus? aut armilla perforabis maxillam ejus?

22. Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum?

24. Nunquid illudes ei quaſi aui? aut ligabis eum ancillis tuis?

25. Concident eum amici, diuident illum negotiatores?

26. Nunquid implebis ſagenas pelle ejus, & gurguſtium piſcium capite illius?

27. Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec ultra addas loqui.

28. Ecce, ſpes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

CAP. XLI. tot.

1. Nemo tam crudelis eſt, qui eum prouocet; *(c)* & quis ante me cum illo congreſſus eſt?

(c) Et quis ipſe, ante me ſiſtet?

2. Quis me anteuertit? & præmium dabo, *(d)* isque mihi omnium, qui ſub cœlo ſunt, præſtantiſſimus habebitur.

(d) Sub omni cœlo mihi ipſe.

3. Non ſilentio præteribo ejus membra, & quantum fortitudine polleat, ac quàm pulchrè inſtruat copias ſuas.

4. Quis detracto veſtimento eum nudauit? *(e)* Quis pertinget inter utramque maxillam ejus, ut frenum adhibeat?

(e) In duplicitatem freni ejus quis veniet?

5. Quis oſtia *(f)* oris illius aperuit? *(g)* quum ipſi ordines dentium ejus terrorem incutiant.

(f) Faciei ejus.
(g) Circuitus vel gyri dentium ejus terror.

6. *(h)* Superbit autem ſquamis continuis, ut alueorum fluctus continentes ſunt, quibus corpus inſtar clypeorum defenditur, ſuntque arctiſſimè concluſæ velut ſigno impreſſo.

(h) Superbia, alueorum, clypeorum, clauſum, ſignum arctum. Hier. pro gaaua legit geua corpus, ut etiam Chald.

7. Alteraque alteram attingit, ut ne ventus quidem inter eas penetrare poſſit.

8. Eſt una alteri commiſſa, & ſeſe mutuum complectuntur, nec ſeſe mutuum diuelli ſinunt.

9. In ſternutationibus ejus lumen collucet, ejusque oculi referunt palpebras auroræ.

10. E cujus ore lampades egrediuntur, & igneæ ſcintillæ promicant.

11. E naribus ejus prodit fumus, velut ab efferuente aheno & olla.

12. Cujus *(i)* halitus carbones ignitos reddit, flammaque egreditur ex ore ipſius.

(i) Anima.

1. Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum quis enim reſiſtere poteſt vult meo?

2. Quis ante dedit mihi, ut redda ei? omnia, quæ ſub cœlo ſun mea ſunt.

3. Non parcam ei, & verbis poten tibus, & ad deprecandum con poſitis.

4. Quis reuelabit faciem indumen ejus? & medium oris ejus qu intrabit?

5. Portas vultus ejus quis aperiet per gyrum dentium ejus formi do.

6. Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquamis ſe premen tibus:

7. Una uni conjungitur, & ne ſpira culum quidem incedit per eas:

8. Una alteri adhærebit, & tenente ſe nequaquam ſeparabuntur.

9. Sternutatio ejus ſplendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi.

10. De ore ejus lampades procedunt ſicut tedæ ignis accenſæ.

11. De naribus ejus procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ atque feruentis.

12. Halitus ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.

13. In

n cujus collo agit robur, (k) & gaudium ei affert, ſi timeatur.

(k) Et ante eum, vel ad faciem ejus gaudium afferet formido.

(l) Pulpæ carnis ejus cohærent, (m) ac in eo ſolidiores ſunt, ut non moueantur.

(l) Decidua, ſignificant carnem molliorem, quæ vacillat in cæteris animantibus, & mollis eſt.

(m) Fuſum, id eſt, durum, & æs fuſile.

Cor ejus durum eſt ut lapis, & durum ut inferioris lapidis molaris fragmen.

Quumque ſe commouet, fortiſſimi etiam expaueſcunt, ac (n) animis conſternati neſciunt, quò ſe vertant.

(n) A fractionibus ſeſe peccare facient.

Si quis eum aggrediatur, non reſiſtet gladius, aut haſta (o) penetrabilis, aut lorica.

(o) Maſſa, id eſt profectionis, id eſt, quæ per corpus adigi facilè poteſt, vel, quam geſtat iter faciens. Hier. vocem prætermiſit. Judæi putant genus eſſe armaturæ.

Ferrum (enim) æſtimat paleas, & chalybem lignum putridum.

Quem non fugabit (p) ſagitta, & lapides fundâ in eum excuſſi vertuntur in ſtipulam.

(p) Filius arcus.

Catapultæ habentur ei pro ſtipula, ridetque geſum frendens.

Cui ſubjecta ſunt acuta teſtarum fruſta, & luto inſternit rem acutam.

Ac profundum eruit, ut bulliat velut lebes, ipſumque mare (q) commiſcet velut mortarium.

(q) Ponet.

(r) Poſt ſe quoque relinquit veſtigium, ut quis putet abyſſum caniciе obductam.

(r) Poſt ſe illuſtrabit ſemitam, reputabit abyſſum ad caniciem, id eſt, ſpumam excitat.

4. Non eſt in terra (s) dominium, cui pareat, (t) ita factus, ut neminem metuat.

(s) Dominium ejus. Ita & Chald. interpres. Hier. poteſtas, quæ comparetur ei: quidam ſimilitudinem exponunt.

(t) Heaſu ſcriptum eſt, id eſt, quem fecerunt. Abr. Prezol admonet, eſſe apocopen, pro aſui. Abr. Eſr. refert aliquos accipere, quaſi ſcriptum ſit heaſehu, id eſt, quem fecit eum, ſcil. DEUS.

5. Quidquid eſt ſublime, id reſpicit,

13. In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egeſtas.

14. Membra carnium ejus cohærentia ſibi: mittet contra eum flumina, & ad locum alium non ferentur.

15. Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.

16. Cum ſublatus fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.

17. Cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit neque haſta, neque thorax.

18. Reputabit enim, quaſi paleas, ferrum, & quaſi lignum putridum, æs.

19. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ.

20. Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam.

21. Sub ipſo erunt radii Solis, & ſternet ſibi aurum quaſi lutum.

22. Ferueſcere faciet, quaſi ollam, profundum mare & ponet, quaſi cum unguenta bulliunt.

23. Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem.

24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret.

25. Omne ſublime videt, ipſe eſt (u) ipſe-

(*u*) ipſeque regem agit in feroces uniuerſos.

(*u*) Ipſeque rex ſuper omnes filios ferociæ.

rex ſuper uniuerſos filios ſupe biæ.

Ex præcedenti proximè tractatione conſtat, poſt longas diſceptationes pro *Behemoth* agnitum eſſe *Hippopotamum*. Et ex præſenti hac Diſſertatione conſtabit, nondum eſſe plenè deciſam controuerſiam de *Leuiathane*. Certant inter ſe & æqualibus prope viribus *Crocodilus* atque *Balæna*, amphibia cum piſcibus. Pro illo ſtant magno argumentorum numero & pondere magni viri, *Bochartus Hieroz.* P. II. L. V. c. 16. 17. 18. & *Ludolfus Hiſt. Æthiop.* L. I. c. 11. *Commentar.* p. 159. quorum authoritate & ampla eruditione commotus totus pene Literatorum Orbis Crocodilo vota dedit ad usque Celeberrimum *Theodorum Haſæum*, qui eruditiſſimo de *Leuiathane* Libro ad Piſces, & ſpeciatim Cetaceum genus beſtiæ maximæ & indomitæ jura transfert. Suſtinui & ego in *Phyſica Jobi* p. 446. ſqq. Crocodili partes, neque eas adhucdum planè deſero. Comparebit immanis hæc bellua in theatro præſentis tractationis, ſed in parallelo cum balæna, ut videat laudatiſſimus vir, me, ſi non prorſus in ſuas trahi partes, transuerſim ſaltem abripi & veritati litare potius, quàm ſuſceptæ ſemel opinioni.

Occurrit in Sacris paſſim לִוְיָתָן in ſocietate cum תַּנִּין, imo in ſequentibus proximè locis juxta *Aquilam* & *Arabes* pro ipſo תַּנִּין, de quo notum, notare nunc Draconem, nunc Cetum. Pſ. LXXIV. 13. 14. *Tu capita Draconum* תַנִּינִים *in aquis confringis. Tu confringis capita ceti grandis* לִוְיָתָן. *(Tu contribulaſti capita draconum in aquis. (Tu confregiſti capita draconis.)* Jeſ. XXVII. 1. *In die illa viſitabit* DOMINUS *gladio ſuo duro grandi & robuſto Leuiathan, ſerpentem vectem,* לִוְיָתָן נָחָשׁ, *& Leuiathan ſerpentem contortum, & trucidabit draconem* הַתַּנִּין, *qui in mari eſt.* Vocem ipſam quod attinet, oſtendit fusè & eruditè laudatus *Haſæus* p. 94. conſtare eam ex meris literis radicalibus, atque ſignificare immanis molis belluam לוי־ תן *augmentum ſiue additamentum thanis*, i. e. beſtiæ magnæ.

Aggrediamur deſcriptionem ipſam XL. 20. *Nunquid cetum hamo extrahes, & funem altè immittes linguæ ipſius?* hamo è fune pendente linguam perfodies, beſtiam hac illac tracturus? Quæ verba ſanè ceto communi vix quadrant, utpote qui ab Europæis Nationibus quotannis, facile, & magno numero capitur, tanto ſcilicet, ut ſoli Belgæ inde ab A. 1670. ad 1719. reportauerint 3352. Sed commodè applicari poteſt Textus ceto illi dentato, cujus iconem dedimus Tab. XVI. Fig. B. *tam immenſæ molis, grauitatis, & ponderis belluæ, quæ hamo fallaci, vel junco, vel ſpinâ, vel fune lædi: læſaue in nauem & terram extrahi, vel etiam naſo per rato circumduci nequit — imo omnia illa læſione faucium deglutit. Haſæi Leuiath.* p. 128. Potius certè Cetus hic in conſiderat nem venit, quàm Crocodilus, ſi verum quod unanimes fere tradunt Græci Romani Scriptores, eſſe ἄγλωσσον. Sed regerunt, pro Crocodilo ſtant, non quidem eſſe ei guam mobilem, hamo perforari aptam, extrahi queat, ſed linguæ loco cutim denſa validam, immobilem, mandibulæ inferiori fixam. ἐςὶ ἡ γλῶττα τῇ κάτω (σιαγόνι) συμφυής. *Ar de Partib. Animal.* L. II. c. 17. Idem L. IV. c. οὗτος δ' ἐκ ἂν δόξειεν ἔχειν, ἀλλὰ τὴν χώραν μόνην. nius L. XI. c. 37. *Lingua non omnibus eodem m do, &c. Piſcibus paulò minus quàm tota adl rens, Crocodilis tota.* Et alibi: *Unum hoc a mal terreſtre linguæ uſu (non linguâ) caret.* & deſcribitur *Cayman*, qui Crocodilus eſt Am ricæ, *Marcgrauio. Linguam habet nullam, tantum membranam, quæ mandibulæ inferiori terjacet, & linguæ figuram refert, quam tan ſuſtollere non poteſt.* Imo verò linguam habe cute illâ craſſâ clauſam, conſtat ex *Borrichii* ſcriptione anatomica apud *Blaſium Anat. A mal.* p. 275. *Lingua Crocodilo eſt etiam luſco m nifeſta, hæret illa loco ordinario, ſatis eminen ſed craſſâ quadam tunicâ obducta, diuiſâ illa nica in conſpectum prodit lingua juſtæ magnitu nis, ſubſtantiæ tenerrimæ, glanduloſa, albicar & compactâ pinguedine circumdata.* Debel nempe Crocodilus, quæ arripit, deglutire pr tinus, absque maſticatione præuia, fuiſſetq proin lingua mobilis, qualis hominum eſt quadrupedum, neque neceſſaria, neque co moda, quæ etiam ratio eſt, cur piſcium ling ordinariè ſit mandibulæ inferiori affixa. Co ſtat proin, non poſſe Crocodilum lingua exerere ad arripiendum aliquid, neque po hamo linguam perforari. Capi tamen, & h mis quidem, probant veterum atque recenti rum teſtimonia, quæ longa ſerie recenſet *Haſæus* p. 58. ſqq. ex *Herodoto* L. II. c. 51. *Dio Sic.* L. I. p. 31. *Heſſe Oſt-Ind. Reiſe.* c. 3. *Bre ning. Oſt-Ind. Reiſ.* p. 137. *Saar Oſt-Ind.* p. 7 *Rennefort Hiſt. des Ind. Orient.* L. II. c. 12. *L guat. voyag.* T. II. p. 94. *Leone Africano Afr deſcr.* p. 762. Imo verò adeò parum ſæuitie belluæ hujus curaſſe dicuntur Tentyritæ, Nil ticæ Inſulæ incolæ, ut inſidentes ei freno inj cto ad littora eam traxerint, teſtibus *Strabo* L. XVII. *Solino* c. 32. In *Tranſact. Anglic.* 1668. m. Nov. p. 689. de Crocodilis narratu *eos à quouis dextro & perito ſuperari & occi poſſe. Nimirum homo armatus valida, eaque lo ga claua eos inuadit à latere, nam ſi id fiat aduerſa fronte, velocitate ſuperant hoſtem, po ſun*

que aſſultu facto eum interimere. Sed ſi ponat *am ſuam ad humeros eorum, & poſt pedes* *riores, & eos ibi mutilat, animal eo ipſo ex-* *motus efficitur, & facili negotio ſuperatur.* e teſtimonia cauſæ Crocodili in foro præ- multùm præjudicant.

Verſ. 21. *Imponesne uncum illius naſo? &* *perforabis maxillam ejus?* Notat אַגְמוֹן *agmon* *uncum*, ſed *juncum*, χοῖνον, propriè funem unco. Notandum ὡς ἐν παρόδῳ, in Ægypto ue Regionibus Orientis ante uſum canna- & lini funes factos fuiſſe ex junco, dehinc parto, tandem ex papyro, arundinis ſpecie. *yraceæ naues* & *armamenta Nili* apud *Pli-* *n* non ſunt ex papyro conſtructæ naues, ſed es, aliaque nauium utenſilia, ὅπλα τῆς νεὼς α. *Ex ipſo papyro*, inquit Plinius, *nauigia* *unt, & è libro vela tegetesque, nec non &* *em, etiam ſtragula & funes.* Vid. *Salmaſ. in* *n.* p. 1116. Et adhuc hodie ex junco ple- itur funes & ſacci, cujusmodi juncum *ghær-* *ſe* nominant Turcæ, *ghyſe* Perſæ. *Meninzk.* . p. 3397. 3445. Sed noſtro Hebræo אַגְמוֹן ne eſt, ſi literas transponas, Perſarum *nemg*, , pro junco. Id. 5257. חוח *choach* notat & iam, & hamum ſpinæ ad inſtar acutum. Eſt in hic, isque clarus, literalis ſenſus, haud fa- Leuiathanem hamo poſſe capi, ut ſolent es. Dans les *Memoires de l'Amerique Se-* *ntrionale du Baron de la Hontan* p. 43. legi- s, capi ab Indis Crocodilum viuum, funi- nempe craſſis, factis ex cortice vel libro ar- is, colloque belluæ injectis, quibus & ven- n ligant & pedes, ſubjugatam autem palis vel 12. claudunt, clauſam firmius coërcent, terram projiciunt, atque excoriant. Quæ cumſtantia iterum parum fauet Crocodilo. onjectauerit quis hujusmodi capturam ex Cro- dilo per catenas palmæ alligato in Numo OLoniæ NEMauſenſis ſub Auguſto cuſo.

Verſ. 22. *Et multis precibus eblandietur ex te* *neficium? num verbis demulcebit te?* Proſopo- eia eſt nulla indigens explicatione. Senſus rum huc redit, non facile capi hanc belluam, l ſubjici; רַכּוֹת verba ſunt blanda, bona, nica, קָשׁוֹת è contra dura, ſuperba, moleſta. en. XLII. 30.

Verſ. 23. *Ferietne tecum fœdus, ut eum tibi* *ncipes ſeruum perpetuum?* Alluſio heic fit ad odum vitam redimendi à victore ſeruitute rpetua, veteribus uſitatum. Hinc *mancipia*, *ſerui*, quod *manu capti ſeruentur.* עֶבֶד עוֹלָם *ed olam* eſt *ſeruus ſæculi*, per totam vitam ſer- tio adſtrictus. Ut fœdera æterna, in æuum uratura. Formula eſt loquendi adhucdum in ctis, breuis ſæpe durationis, uſitata.

Seruiet æternum, qui paruo neſciet uti.

auet iterum hic Verſiculus Cl. *Haſæo* in cauſa ontra Crocodilum, de cujus haud indomita ndole teſtimonia extant apud *Ammian. Marcel-* *lin.* L. XXII. c. 15. *Plin.* L. VIII. c. 46. *Solin.* c. 32. *Diodor. Sicul.* L. I. *Herodotum* in *Euter-* *pe* p. 116. *Stephanum* voce Διόσπολις. *Ælian.* L. XVII. c. 6. *Strabon.* L. XVII. *Anderſen Itiner.* p. 12.

Verſ. 24. *Ludesne cum illo tanquam cum aui-* *cula? eumque alligabis puellis tuis?* ut nempe Leuiathanem veluti ludentes & jocantes cir- cumducant. *Catullus:*

Paſſer deliciæ meæ puellæ
Qui cum ludere, &c.

Plautus in Captiuis Act. 5.

- - *quaſi patritiis pueris, aut monedulæ*
Aut Anates, aut coturnices dantur, qui cum
luſitent.

Eſt certè res plena timoris & periculi, ludere cum Crocodilo, inprimis teneræ ætatis homi- nibus infeſto, quos ſæpe ad Nili ripas abſor- bet. Accidit id infortunium Ombitarum in- fantibus, & ipſius Regis Pſammuthi (ψαμμοῦθις, potius ψαμμιτίχυ vel ψάμμιος) filiæ apud *Ælia-* *num*; filiolo alii, quem Ægyptia mater educa- uit in eadem cum Crocodilo ſocietate, apud *Maximum Tyrium Serm.* 38. Allegat alia exem- pla *Haſæus* p. 71. eum nempe in finem, ut oſtendat, luſitari poſſe cum Crocodilis, quod nemo mortalium unquam tentauit tentabitque cum *Ceto dentato.*

Verſ. 25. *Concident eum ſocii, & partientur* *inter mercatores?* propriè יִכְרוּ *cœnabunt ſuper* *eum* piſcatores, carnem vel manducaturi, vel aliis vendituri?

- - *agitent conuiuia læti?*

Mercatores, ut nos vertimus, in Textu origi- nali ſunt כְּנַעֲנִים *Cananæi*, LXX. habent *Phœ-* *nices*, Aquila μεταβόλοις, *mercatores.* Conue- niunt hæc: fuere Cananæi & Phœnices & mer- catores. Si *Philoni Byblio* fides, qui Sanchu- niathonem, ſcriptorem ex Phœniciis vetuſtiſſi- mum, primus græcè vertit, primus χνᾶ, *Cha-* *naan*, Cananæorum parens, cognomen habuit *Phœnicis.* Hinc & *Phœnicia* χνᾶ apud *Stepha-* *num.* Vix quadrat circumſtantia hæc balænæ communi, utpote quæ inter mercatores totius Europæ diſtribuitur, & quotannis 300. explet Naues Belgicas, Hamburgenſes, Bremenſes, piſcationi balænarum Grœnlandicæ inhiantes, & ex 2500. piſcibus circiter adipem reportan- tes: ſed neque Crocodilo, qui ab integris na- tionibus comedi, imo inter cupedias apponi ſolet, adeps quoque præſtantibus accenſeri re- mediis.

Verſ. 26. *Implebisne ſudes pelle ipſius, aut ejus* *capite fiſcellam piſcariam?* In originali lingua ſunt שֻׂכּוֹת propriè *miſſilia*, & צִלְצַל דָּגִים *tela pi-* *ſcatoria:* proin verſio ita adornari deberet, *im-* *ple-*

plebisne cutem miſſilibus, & caput telis piſcatoriis? Kanſt du ſeine Haut mit Wurff-Pfeilen, und ſein Haupt mit Fiſcher-Pfeilen anfüllen? cujus quæſtionis negatiua congruit Crocodilo, hujusque cuti denſiſſimis duriſſimisque ſquamis tectæ, potius quàm balænæ, de qua nemo non nouit, ſauciari poſſe projectis uncis & jaculis, imò occidi & capi. Sed variant admodùm Verſiones. Syrum ſi conſulas, ita vertes: *implebisne cutem carne, & caput in umbra ignis?* LXX. πᾶν δὲ πλωτὸν συνελθὼν ὐ μὴ ἐνέγκη (al. ἐνέγκωσι) μίαν βύρσον ὐρᾶς αὐτῦ. *Olympiodorus:* πάντα τὰ πλωτὰ ὁμῦ συνελθόντα ὐκ ἂν ἐνέγκωσι μίαν λεπίδα τῆς ὐρᾶς αὐτῦ. *Omne nauigans conueniens non feret pellem unam* (vel *ſquamam*) *caudæ ejus.* Quæ verba, ſi ad literam ſumantur, fabulam ſapiunt, neque, *Bocharto* judice, unquam balænæ, imo nulli alii animali, applicari poſſunt. Sed ſtat Cl. *Haſæus* p. 136. pro LXX.virali, quæ βύρσαν habet, i. e. *pellem, corium*, ut ſenſus, isque clarus ſit, naues, quotquot piſcaturæ conueniunt, omnes vel nunquam, vel rariſſimè ſaltem, pellem reportare vel caput de Cetis dentatis: ἐνέγκη, ἐνέγκωσι, non verti debere per *ferre*, ſed *adferre:* βύρσαν ὐρᾶς apud LXX. & עוֹר apud Hebræos eſſe externam cutim. Eſt namque Orca illa, pro qua Haſæus militat, adeò ſæuæ indolis, & tanti roboris, ut nulla unquam eam ſuperarit, vel ceperit, aut reportauerit nauis, utpote quæ nulli uſui venire poteſt, vel lucro. *Capitis* autem ſpecialem fieri mentionem, quod ea potiorem Ceti illius dentati conſtituat partem. LXX. Καὶ ἐν πλοίοις ἁλιέων κεφαλὴν αὐτῦ, *& in nauigiis piſcatorum caput ejus* ferent? Aliam prorſus interpretationem dat loco huic noſtro vexato Cl. *Joh. Georg. Schelhorn, Memmingenſis*, in *Bibl. Brem. Claſſ.* IV. p. 572. צִלְצַל *tſiltſal* explicans per Cymbalum, Muſicum Inſtrumentum, quod conſtet ex 2. Sam. VI. 5. Pſal. CL. 5. ut ſenſus ſit, non poſſe Leuiathanem hujusmodi Cymbali vel Tintinnabuli ſonitu allici, ut ſolent Delphines aliaque bruta φιλόμυσα, non caput & aures illo impleri ac delectari. Quapropter is ita reddit comma noſtrum: *Kanſt du ihn (oder ſeinen Kopff) einnehmen mit dem Ton eines muſicaliſchen Inſtruments, wordurch ſich unterſchiedliche Fiſche ſonſten herbey locken laſſen?* Sed contra pro Interpretum Græcorum authoritate & cymba ſiue cymbula piſcatoria, quæ πλοῖον audit, militat Cl. *Jacobus Haſæus* in *Bibl. Brem. Claſſ.* V. p. 563. & argumentis quidem fortiſſimis, profunda literatura, ut ſolent Haſæana omnia, ſtipatis.

Verſ. 27. *Memineris tibi eſſe bellum paratum, ſi ei manum admoliaris, ut non iterum velis facere.* Interprete *Bocharto*, ſi vel tetigeris impenetrabilem Crocodili cutim, fugæ tibi conſules potius, quàm pugnæ ſuccedes. *Haſæus* de ſuo *Leuiathane* p. 161. *Pone tibi* (immanem illum piſcem) *ob oculos, cum primum appropinquare naues perſentiſceret, & clamore rudentum excitaretur, fluctus in vaſto mari horrendos mo-*
uentem, ducentem gyros, citatiſſimo curſu ſpum
tia æquora ſecantem, reſupinum hiantia ora
uertentem aggreſſoribus ſuis, eosque, & ipſum
grande nauigium ſerratorum dentium cuſpid
impetentem. Cogita

- - - - - - - - læſus
Vulnere quando graui modo ſe ſublimis in
ras
Attollit, modò ſubdit aquis: modo more f
cis
Verſat agri, quem turba canum circumſ
terret.

Producens inſuper teſtimonia *Joh. Smith,*
chardi Stafford, & Oldmixonii, tantam eſſe
ſci illi ferocitatem, velocitatem, tantumque
bur, ut nunquam fuerit à quoquam capt
necatusque.

Quæ iterum lucem fœnerantur v. 28. S
eum capiendi fallax eſt, num etiam dejicietur,
ſpecies ejus oſtentat? i. e. Excidunt ſpe captu
quotquot belluam perſequuntur. Quis e
qui non exanimatus terrore concidat? De O
id ex modo dictis clarum. De *Cnemone* le
mus apud *Heliodorum*, quod horror terrifi
ſubierit cor ſola tranſeuntis Crocodili umb
Σφόδρα ἐπτοεῖτο πρὸς τὴν ὄφιν, ὐδὲ ἀκριβῶς αὐτῷ τῦ
φανέντος, ἀλλὰ σκιᾶς αὐτὸν πλεὸν χθαμαλῆς ὑποδρα
σης. Majori adhuc horrore perculſus *Artemi*
rus Grammaticus, cui attonito ademit pro
rationis uſum jacens in arena Crocodilus. H
Cælius Aurelianus ex *Apollonio*.

Multus eſt in eo laudatiſſimus *Bochart*
ut conciliet indomitam Leuiathanis indol
cum Crocodili, quem defendit, qualitatibu
quum conſtet, belluam hanc capi poſſe han
artibusque aliis, imo & domari, & occidi, qu
ultimum prædicatum etiam balænis, iisque
rociſſimis, conuenit.

Ἀλλ᾽ ἔμπης καὶ τοῖσιν ἐπεφράσσαντο βάρειαν
Ἄτην ἡμερίων ἄμαχον γένος, ἐκ δ᾽ ἁλιίων
Ὄλλυνται, κήτειον ὅτ᾽ εἰς μόθον ὁρμήσονται.

Attamen his hominum genus inſuperabile
runt
Damnum inferre graue, & fato piſcator
maro
Afficit, ad cetea ſemel cum prælia ventum

Oppianus L. V. Halieuticôn.

Eſt quidem homo roboris intuitu & Croc
dilo & Cetis inferior, ſed ingenio præual
omnibus omnino animantibus. *Simonide*
Τραχὺ μὲν (leg. βραχὺ) σθένος ἀνδρὸς, ἀλλὰ ποικιλίᾳ π
πίδων, δεινὰ μὲν Πόντυ, χθονίων τ᾽, ἀερίων τε δάμνα
παιδεύματα. Haud opus eſt pluribus ex profan
Scriptoribus teſtimoniis. Experientiam hab
mus teſtem, ſed & Scripturam ſacram, trac
tum homini dominii jus in *piſcem maris, in v*
lucrem cœli, & in omnem beſtiam, quæ reptat ſ
p

erram. Gen. I. 28. idemque renouato poſt
nium fœdere confirmatum. *Pauor & tre-*
veſter erit ſuper omne animans terræ, & ſu-
mne volatile cœli; quidquid mouetur aut re-
i terra, quidquid eſt in piſcibus maris, tradi-
eſt in manus veſtras. (Et terror veſter ac tre-
ſit ſuper omnes volucres cœli cum uniuerſis,
mouentur ſuper terram: omnes piſces maris
i veſtræ traditi ſunt.) Gen. IX. 2. *Domi-*
eum operum, quæ manus tuæ parauerunt,
ituiſti, cuncta ejus pedibus ſubdidiſti; Greges
rmenta uniuerſa, etiam jumenta campeſtria;
icres, quæ in aëre, & piſces, qui in mari ver-
ır, & quidquid per maris itinera tranſit. (Et
ituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. O-
i ſubjeciſti ſub pedibus ejus: Oues & boues
erſos, inſuper & pecora campi, Volucres cœ-
& piſces maris, qui perambulant ſemitas ma-
Pſ. VIII. 7. 8. 9. Ab hoc jure vel domi-
vel feudi, non eſt exemptum ullum ani-
, non Behemoth, non Leuiathan, non Ele-
, non Hippopotamus, non Cetus, neque
codilus. Id proin alloquium DEI ad Jo-
i vult, Crocodilum non facile eſſe ſupera-
n, tum propter magnitudinem, tum pro-
robur, quo pollet. Animal, quod, *Ælia-*
eſte, ad cubitos 25. vel 26. excreſcit, *Petro*
tyre Dec. V. c. 9. ad pedes 42. Quæ lon-
lo inferior eſt belluâ illâ, quam mortuam
ipam Cicamæ amnis offenderunt Luſitani
edum, de qua *Voſſius ad Melam.* Et de
menſibus Crocodilis tradunt *Joh. de Lopez.*
Ind. L. VI. c. 1. *Joh. de Leri Americ.* c. 10.
ndere ad 100. pedum longitudinem. Ani-
, quod caudâ ſuâ profternit maxima quæ-
lia. Ut proin venatio crocodilea ſit una
ifficillimis, & periculis plena, inſtituenda
tam uncis & hamis, vel & ſclopetis, ſed
us retibus ferreis, quod legitur apud *Dio-*
m. Hinc Auguſtus, Ægypto ſubjecta, cudiſ-
icitur inter alios Numum, in quo Crocodi-
ut in Nemauſenſi, palmæ alligatus, cum
riptione: NEMO ANTEA RELIGAVIT,
Auguſtin. de Num. Dial. VI. ſect. 9. & ſym-
hoc innuiſſe, tam difficile ſibi fuiſſe, ſubi-
Ægyptios, quàm difficile eſt piſcatori, vin-
Crocodilum. Adhuc hodie, qui captam
belluam infert Cairo, in virtutis exercitæ
mium 10. reportat aureos. Pone tandem,
codilum longi temporis mora, magnoque
re domari, nil derogat quidpiam id veri-
diuini alloquii. *Multis precibus eblandietur*
e beneficium? num verbis demulcebit te? Fe-
ne tecum fœdus, ut eum tibi mancipes ſeruum
etuum? Eſt manetque τῶν ἀγρίων τὸ θηριωδέςα-
apud *Plutarchum* in *Iſide*, & apud eundem
ro, utrum animalia, &c. τὸ πάντων ἀμικτότατον,
ὸ θηριωδέςατον, ὧν τρέφȣσι ποταμοὶ, καὶ λίμναι, καὶ
ασσαι, ζῶον. Sed id diffiteri haud poſſumus,
omitam magis eſſe Ceti dentati, pro quo
Haſæus, ferociam. Pergimus ad caput pro-
è ſequens.

Cap. XLI. 1. *Nemo tam crudelis eſt, qui eum prouocet; & quis ante me cum illo congreſſus eſt?* Ita Gen. XLIX. 9. *Accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum?* Quæ verba iterum occurrunt Num. XXIV. 9. & conuenire videntur magis Crocodilo, quàm balænæ, quoniam, *Plinio* & *Solino* tradentibus, ex aſſumtis cibis ſatur ad ripas dormit. Sed & Ceto illi ferociſſimo dentato applicari poteſt hæc prouocatio; quis adeò audax, & vitæ ſuæ prodigus, ut eum laceſſat, vel cum eo congrediatur?

Verſ. 2. *Quis me anteuertit? & præmium dabo, isque mihi omnium, qui ſub cœlo ſunt, præſtantiſſimus habebitur.* Succinctior & clarior Vernacula: *Wer hat mir zuvor etwas gegeben, daß ich es ihm wiedergelte? Mein iſt, was unter dem Himmel iſt.* Jus nempe abſolutum, quod creationis jure ſibi debetur, vendicat DEUS.

Verſ. 3. *Non ſilentio præteribo ejus membra, & quantum fortitudine polleat, ac quàm pulchrè inſtruat copias ſuas. Ut armatus eſt unguibus, ſi haberet etiam pollices, ad euertendas quoque naues ſufficeret viribus magnis. Ammianus.* Exemplo nobis, quod argumenta pro DEI exiſtentia petere poſſimus & debeamus non ſolùm generalia, deſumta ex animalium figura, magnitudine, indole, ſed quoque ſpecialia & ſpecialiſſima ex conſideratione ſingularum partium, oculorum, aurium, cordis, ventriculi, &c.

Verſ. 4. *Quis detracto veſtimento eum nudauit? Quis pertinget inter utramque maxillam ejus, ut frænum adhibeat?* Eſt Crocodilo pro veſte lorica ſquamata, quam nunquam mutat; diſſimilis bellua hac ex parte ſerpentibus, qui quotannis fere ſuas deponunt exuuias. Quod diſcrimen Serpentes & Crocodilos intercedit. *Suidas in* Φοιδωτὸν, Φοιδωτὸς κροκόδειλος, καὶ τὸ τῶν ὄφεων πᾶν γένος. ταῦτα δὲ λέγεται κατά τινας καιρȣ̀ς τὸ γῆρας ἐκδύεσθαι, ὅδε κροκόδειλος τὸ γῆρας ȣ̓κ ἐκδύεται. *Utraque maxilla* pro *fræno*, vel, duplex maxilla dentibus armata fortibus, acutis. Ita deſcribit *Pollux* L. II. c. 4. *Sect.* 20. *fræna* tanquam partes utrinque maxillis adſitas, τὰ ἑκατέρωθεν αὐτῶν ἐπὶ τὰς γνάθȣς καταλήγονται χάλινοι. Intelligit Cl. *Haſæus* p. 167. per פְּנֵי לְבוּשׁוֹ *faciem veſtis, anteriora veſtis, anteriora cutis ſiue ſuperficies, anteriores partes in facie, ſiue capite, vel caput ipſum cum hianti rictu, quæ primùm in oculos incurrunt:* & per כֶּפֶל רִסְנוֹ *duplicaturam fræni, frænum duplicatum*, idem, quod verſiculo ſequenti vocatur סְבִיבוֹת שִׁנָּיו *circuitus, ordines dentium*, ut ſenſus ſit, neminem *tam projectæ futurum eſſe audentiæ, ut ſuſtineat vel fauces ejus diducere, vel iis patentibus ſe committere, niſi protinus vel deglutiri, ac in ventrem dejici, aut acutis ejus dentibus comminui velit.*

Eodem tendit v. 5. *Quis oſtia oris illius aperuit, quum ipſi ordines dentium ejus terrorem incutiant?* ubi *oſtia oris* ſine dubio ſunt ipſe Leuiathanis rictus, qui ſi ſeſe aperiat, metum incutit videntibus vel adſtantibus. Quadrant huc, quæ de Crocodili capite & rictu ſcribit *Achil-*

Achilles Statius : Κεφαλὴ δὲ αὐτῷ τοῖς νώτοις συμφύεται, καὶ εἰς μίαν στάθμην ἰθύνεται. ἔκλεψε γὰρ αὐτοῦ τὴν δέρην ἡ φύσις. ἔστιν δὲ τοῦ λοιποῦ βλοτυρώτερα τὰ χάσματα, καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐπὶ τὰς γένας ἐκτείνεται καὶ ἀνοίγεται πᾶσα, τὸν μὲν γὰρ ἄλλον χρόνον, παρ᾽ ὅσον οὐκ ἔχηνε τὸ θηρίον, ἐστὶ κεφαλὴ, ὅταν δὲ χένῃ πρὸς τὰς ἄγρας, ὅλος στόμα γίνεται. *Eſt caput immediatè connexum dorſo, absque interueniente collo, & eſt apertura ſeu hiatus faucium terribilis, oris rictu per totam fere maxillam educto, ut caput quidem conſpici poſſit ore clauſo, ſed diducto bellua prædæ inhians tota fiat os.* Meminit *Petrus Martyr* Crocodili, cujus fauces aperturam habuere 7. pedum. Hinc *Martialis* L. III. *Epigr.* 90. ampli oris anum Crocodilo confert.

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habet Crocodilus anguſta.

Et cur non *terrorem incutiant dentium ordines?* quorum 50. ſunt numero, *Æliano*, *Geſſnero*, *Damire* teſtibus, iique proportionem corporis reliqui penè ſuperantes, aliqui prominuli, alii ſerratim juncti, & quorum morſus non minus, quàm rabidorum canum, eſt venenatus. *Ordine dentium pectinatio, pernicioſis morſibus, quidquid contigerit, pertinaciter tenet. Marcellinus.* Sunt, qui ultra 60. ei tribuunt dentes. *Achilles Statius* tot, quot annus numerat dies. *Alkazuin* 200. *Abuhamed*, Hiſpanus, 80. Sufficiant 60. qui numerus apud *Ælianum* L. X. c. 21. tantùm non eſt myſticus, 60. quippe diebus dicit Crocodilum in utero gerere, 60. deponere oua, excludere ea diebus 60. 60. eſſe vertebras dorſi, 60. dies eſſe puerperii, vitam annorum 60. 60. dentes, quotannis jejunare per dierum 60. decurſum. His addit *Damir* coitus 60. Pleraque fortè hyperbolica. Sed non minus ordinibus dentium terrificis & amplitudine oris ſuperbit *Haſæi Cetus dentatus.*

Verſ. 6. *Superbit autem ſquamis continuis, ut alueorum fluctus continentes ſunt, quibus corpus inſtar clypeorum defenditur, ſuntque arctiſſimæ, concluſæ velut ſigno impreſſo.* Verſ. 7. *Alteraque alteram attingit, ut ne ventus quidem inter eas penetrare poſſit.* Verſ. 8. *Eſt una alteri commiſſa, & ſeſe mutuum complectuntur, nec ſeſe mutuum diuelli ſinunt.* Comparatas heic videas ſquamas, harumque arctiſſimas connexiones, clypeis, quibus totum dorſum contegitur. Eò redigunt anguſtiæ *Bootium* hæc verba, ut in procinctu ſtet deferendi Ceti, pro quo militat, caſtra, nec aliter ſibi conſulere ſciat, quàm allegorica ad ſecuram viuendi rationem, applicatione ſecuram adeò, ac ſi undique foret ille loricis ſquamisue clypeisue obtectus. Sed nemo non videt, ad literam intelligenda eſſe verba Textus. Quapropter *Haſæus* p. 171. aliud inuenit effugium, quo Cetum dentatum, ſed ſquamis prorſus deſtitutum, ſaluet. Sunt אֲפִיקֵי מָגִנִּים, *robora ſcutorum, valida, firma, robuſta ſcuta*, dentes nimirum, quorum ordines paulò ante dicti fue-

re horrifici : In his decoris, magnificis, p
minentibus, excellentibus decus, præſidi
& tutamen eſſe poſitum Ceto κατ᾽ ἐξοχὴν de
to, ut pugnaturis in ſcuto. Hos dentium,
52. numero ſunt & bilibres pondere, ord
tanquam ſignaculo eſſe clauſos, tam arctè
ctos, ut vix per eos ſpirare poſſit ventus
aura: ut applicare queas illud *Oppiani Hal*
L. V. v. 325.

Ἔνθ᾽ οἱ μὲν γενύων ὀλόας στίχας ἠγάσσαντο,
Δεινοὺς χαυλιόδοντας ἀναιδέας ἠΰτ᾽ ἀκόντας
Διστοιχεῖ πεφύωτας ἐπασσυτέρῃσιν ἀκωκαῖς.

Hic alius duplici mirarier ordine dentes,
Quorum duram aciem non vincit fulgidu
ſis,
Et ſeries denſa eſt ferratis æmula turmis.

Dentes hosce, qui in inferiori tantùm ma
ſunt, horumque connexionem cum ſuper
ita deſcribit *Cluſius* apud *Nierembergium* I
Nat. c. 61. ſed ex minori bellua : *Superior*
ſtri pars ab extimo ad oculos usque 15. pedum
perta eſt, ipſum in ea palatum quadraginta du
foraminibus ſeu alueolis prædictum erat, h. e
utroque latere 21. ad excipiendos totidem ma
bulæ inferiori adhærentes dentes, qui magnit
nem pollicis alicujus viri prægrandis & ro
habebant. Pondus huic interpretationi, &
Cetum applicationi, addit, quod à v. 4. ad
os & caput Leuiathanis, ejusque partes de
bantur. Eruditè hæc omnia, & appoſitè
quid obſtet dentium cum ſcutis compara
quibuscum ſanè melius conferas Crocodili ſ
mas. Verſ. 6. occurrit vox גַּאֲוָה, quæ var
admittit interpretationem ; ſunt, qui ver
per *elationem*, *ſuperbiam* ſcutorum, ut nos
gurini, *Pracht der Schilden.* *Aquila* & *Hi*
nymus σῶμα, *corpus*, dorſum ſquamarum,
dorſum ſquamoſum, uti quoque גֵּו Jeſ. XXXV
17. notat *tergum.* Sed *Haſæus*, quod vidim
robur ſcutorum, & *AbenEſra*, *robuſti ſunt de*
ſicut ſcuta. Dentes ſanè inter arma numer
docent paſſim Scriptores veteres. Comm
citato eſt חוֹתָם צָר, σφραγὶς στενὴ, *ſigillum arct*
Videntur LXX. pro *chotam tſar* legiſſe *cho*
tſur, lapidem ſigillarem, dum verterunt σμι
λίθον, cui olim frequenter ſigilla fuere inſculp
Sed oſtendetur alia occaſione, alio nomine
preſſum fuiſſe Smirin.

Verſ. 9. *In ſternutationibus ejus lumen co*
cet, ejusque oculi referunt palpebras auroræ.
eſt, ex una hypotheſi, ſternutat tanta violen
Crocodilus, ac ſi promicarent ſcintillæ; & c
ſcit, annon noctu halitus Leuiathanis cum
petu exploſus Phoſphori ad inſtar aërem v
num colluſtret, quod fieri videmus ex affri
felium, pectinatione capillorum in multis h
minibus, attritu variorum corporum. Et ſ
docent experimenta modernorum chymi
non eſſe animal, imò non partem animalis,

ementa usque, quod non phoſphoricam
ıtem habeat in receſſu. Et tantò frequen-
fortè ſternutat Crocodilus, quia ſæpe So-
reſpicit. Obſeruauit jam olim *Ariſtoteles*
ɔl. ſect. 32. L. IV. cieri ſternutationem ex
aſpectu, ὁι πρὸς τὸν ἥλιον βλέποντες πλάτρυνται
ν. Subſcribit & experientia, & ratio, fun-
conſenſu neruorum naſalium & ophthal-
ɔrum. De Crocodilo autem, quod Solem
us reſpiciat, imò fauces hoc ſitu diducat,
m habemus *Strabonem* L. XVII. ἡλιάζονται
ότες, *Ælianum*, alios. In Κροκοδειλοφθαλμο-
ια mirè conſentientes habemus vetuſtiſſi-
Ægyptiacarum rerum Scriptores cum Jo-
Hic, *oculi referunt palpebras auroræ*. Et
us Hieroglyph. L. I. c. 65. Ægyptios *Auro-*
repræſentaſſe *Crocodileorum oculorum* ſym-
), quoniam ante quis promicantes videt ex
lo aquæ belluæ hujus oculos, quàm cor-
ipſum. Ἀνατολὴν λέγοντες, δύο ὀφθαλμὲς κροκο-
ζωγραφῦσιν, ἐπειδήπερ (lege ἐπειδὴ πρὸ) παντὸς σώ-
ζῶε ὁι ὀφθαλμοὶ ἐκ τῦ βυθῦ ἀναφαίνονται. Ut in
ſpectum venit Aurora ante Solis ortum.
Herodotum, *Ariſtotelem*, *Plinium*, *Solinum*,
nianum ſi audiamus, debilitantur Crocodili
li in aqua, ut acriori gaudeat viſu extra
am. Ita & veteres Poëtæ de Sole, ex aquis
gere renouato fulgore. Animal hocce, ſi in
ro aëre acri pollet viſu, ἐν τῇ αἰθρίῃ ὀξυδερκέστα-
apud *Herodotum* in *Euterpe*, mirari ſubeat
ninem, quod oculi Crocodili conferantur
n Aurora. Minus quadrare videtur hoc,
quo nunc, comma balænæ, ſi verum eſt,
ɔd *Ælianus Hiſt.* L. II. c. 13. & alii de ea ſcri-
ıt, adeò non vel raro oculis ſuis uti, ut ab-
e ὁδηγῷ ſcopulis ſeſe allidat, vel in ipſa eji-
ur littora, *monſtrum horrendum, informe, in-*
s, cui lumen ademptum. Certum id eſt, par-
eſſe balænarum oculos pro ratione vaſtæ
lis corporeæ, & omnino hyperbolizare *Al-*
tum M. quando orbitam oculi ejus magni-
linis eſſe ſcribit, ut 15. homines in ea com-
ɔdè ſedere queant. Præciſam magnitudi-
n oculi vide TAB. XVII. Sed in ea Ceto-
n ſpecie, quam *Haſæus* pro Leuiathane agno-
, inuenit quid, quod Textui eſt accommo-
m, oculos pedales, eosque rutilos, quos
ɔin peraptè conferas Auroræ, utpote quæ
ſſim apud Poëtas cluet ῥοδοδάκτυλος, ῥοδόπηχος,
όπεπλος, ῥοδόχροος, *roſeo ſpectabilis ore, roſeis ca-*
lis, purpureis inuecta rotis, & quæ hujus ge-
ris ſunt epitheta alia. *Leuiath.* p. 190.
Verſ. 10. *E cujus ore lampades egrediuntur,*
igneæ ſcintillæ promicant. Verſ. 11. *E na-*
ıus ejus prodit fumus, velut ab efferuente abe-
& olla. Verſ. 12. *Cujus halitus carbones*
ıitos reddit, flammaque egreditur ex ore ipſius.
eic clarius ſeſe ſiſtit, cujus ſupra feci mentio-
m, Phoſphorus. Quamuis verbis hisce hy-
rbolici quid inſit, nec concipi queat, adeò
neum eſſe Leuiathani halitum, ut carbones
cendi queant, à literali tamen ſenſu haud ab-

ſcedendum, & ad allegorias ſolas exegeſin relegandam eſſe judico. Hujusmodi quid legimus de Hippopotamo in *Achille Statio*: μυκτὴρ ἐπὶ μέγα κεχηνὼς, καὶ πνέων πυρώδη καπνὸν, ὡς ἀπὸ πηγῆς πυρός. *Nares perquam patulæ, ac ignitum fumum tanquam ab ignis ſcaturigine ſpirantes.* Ita & *Euſtathius Antiochenus*: ἔχει κεχηνῶτα τὸν μυκτῆρα πυρώδη καπνὸν, ὡς ἐκ καμίνε πνέοντα. *Patulum habet naſum, ignitum fumum tanquam ex fornace ſpirantem.* Efflant bina hæc animalia, Hippopotamus & Crocodilus, poſtquam aliquandiu ſub aquis degerunt, reſpiratione carentes, halitum fortem, eumque citatum, & forſan ſimul ſcintillas phoſphoricas. De hac re nil quidem certi tradere poſſum, quia hujusmodi belluarum natura nobis nondum plenè eſt perſpecta. Cl. *Haſæo* p. 179-190. auxilio venit aqua, quam orca per fiſtulas 4. pedum ejaculatorias, quæ narium loco adſunt, magno impetu in altum ejicit; mucus item ille oleoſus, *ſperma Ceti* dictus, qui ſternutando egeratur. Reliquis phraſibus metaphorici quid ineſſe, quales apud profanos Scriptores occurrunt paſſim de hominibus animantibusue, motu vehementi vel ira concitatis, ardentibus, exardeſcentibus, æſtuantibus, calentibus, feruentibus, flagrantibus, incandeſcentibus, igneſcentibus. Porro *tam rapidum ac vehementem grandia Cete motum in mari excitare, ut cum vulnerata ſe eſſe ſentiunt, & fugam moliuntur, funiculus, cui telum, quo petita ſunt, adhæret, ignem concipiat illico, fumareque & exardeſcere incipiat, non ſine periculo incendii totius cymbæ, niſi tempeſtiue reſtinguatur. Adhæc tam feruidi temperamenti eſſe majores illos piſces, ut, ſi vel unum diem interfecti jacuerint, omnis caro nigreſcat confeſtim, non ſine teterrimo, quem exhalat, odore, & oculi ipſi nautarum inde inflammentur. Tandem in ipſa aqua marina ignei quid latere, & ex percuſſa baculo vel remis emicare ſcintillas.* Suggeret forte aliquando Hiſtoria Naturalis, quo, quod figuratum nunc manet, diſpelli queat, & ad genuinos naturæ fontes reduci omnia.

Verſ. 13. *In cujus collo agit robur, & gaudium ei affert, ſi timeatur.* Minus hæc quadrare videntur balænæ, utpote collo deſtitutæ, quàm Crocodilo, cui quidem etiam *Achilles Statius* collum denegat, ἔκλεψε αὐτῦ τὴν δειρὰν ἡ φύσις, *collum ei natura ſubtraxit*, ut & *Euſtathius* in *Hexaemer.* qui belluæ huic dat *caput dorſo contextum*, κεφαλὴν τοῖς νώτοις συνυφαινομένην. Sed potiori jure collum ei tribuit *Ariſtoteles de Part. Anim.* L. IV. c. 11. ἔχυσι καὶ αὐχένα διὰ τῦ πνεύμονος σχέσιν. *Habent etiam collum propter pulmonum conſtitutionem.* Ea ſanè animalia, quæ collo ſunt deſtituta, caput mouere vel flectere nequeunt, ſed Crocodilus *caput reſupinat ad morſum. Plin.* L. VIII. c. 55. Et de *Trochilo* animali paruo, quod belluæ huic dentifricii loco eſt, ſcribunt *Antigonus Mirab. Hiſt.* 39. & *Ariſt.* L. IX. c. 6. quod faucibus egreſſuri in gratiam Crocodilus collum flectat, ne fortè is com-

commolatur ſub dentibus. Sed eſt collum beſtiæ breue, & validius tantò, 9. conſtans vertebris, quarum integra ſpina habet 60. juxta *Borrichium: Grew. Muſ.* p. 13. numerat 7. Illuſtratione porrò indigent verba ſequentia Textus, *gaudium ei affert, ſi timeatur*, propriè, *ante eum ſaltat timor*, vel *terror*. Animo certè frangatur neceſſe eſt, quisquis Crocodilo venerit obuiam. Mali ominis res erat apud Ægyptios veteres, occurrere huic belluæ. Teſtis *Calaſiris* ille, Ægyptius ſacerdos apud *Heliodorum*, cui reptans fortè Crocodilus malum fuit itineris ſuſcipiundi ſignum.

Κώλυμά τι τῶν καθ' ὁδὸν ἐπισημαίνεσθαι προὔλεγεν.

Sunt, quibus Sacer Codex utitur, Phraſeologiæ metaphoricæ ſimul & meteoricæ, Orientis populis familiares, frequentiſſimæ Poëtis ad exornandas Deorum mythologias. Marti comites addidere iram, furorem, terrorem. *Statius Thebaid.* L. III. v. 424.

- - - *Comant furor iraque criſtas,*
Fræna miniſtrat equis pauor armiger.

Aliis affectus hi adſunt equorum vice pro curru, quo Mars vehitur.

- - παρὰ δὲ δεῖμος τε φόβος τε
Ἕςαται, ἱεμένοι πόλεμον καταδύμεναι ἀνδρῶν.

Juxta autem terror & pauor ſtabant, bellum virorum inire geſtientes. Heſiodus in Clypeo. Ante Palladem ſaltant terror timorque puerorum forma, nudis gladiis. *Valerius Flaccus L. III. Argonaut.*

- - *nec dextra Jouis, terrorque, pauorque*
Martis equi.

Homerus L. VIII.

- - φέρον δέ μιν ἐς μόθον ἵπποι,
Αἴθων, καὶ φλόγιος, κόναβος δ' ἐπὶ τοῖσι, φόβος τε.

Illum autem ad prælium ferebant equi
Æthon, & Phlogius, Conabusque cum his,
Pauorque.

Apulejus L. X. Illam, quam cultus armorum Mineruam fecerat, duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri, nudis inſultantes gladiis. Qui locus eò magis huc facit, quum verbum *inſultare*, quod & *ſaltare* & *ſalire* ſignificat, textui noſtro inſertum ſit. *Inſultare* aliàs etiam eſt graui inceſſu comparere, ad modum equi *Virgiliani* L. III. *Georg.*

Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Et *Æn.* L. XI.

- - *fremit æquore toto*
Inſultans ſonipes.

Eſt Hebræa vox דוץ *duts* vel דִיץ *dits* monad
ſed familiaris Arabibus, Chaldæis, Syris,
obuia in Syriaca Lucæ Verſione pro σκι
Luc. I. 41. 44. VI. 23. Hinc Chaldæis
ditſa, *capreolus*, Lacedæmoniis δίζα, *capra*,
malia ἀλτικὰ, inde forſan noſtrum *Gitz*, G
lein. Virg. L. IV. *Georg.*

- - *neque oues hœdique petulci*
Floribus inſultent.

Cadunt omnia hæc, de quibus hactenus,
in homines ſolos orcæ occurſantes, pau
terroreque corripi ſolitos, ſed in bruta quo
quæ à terrifica hac bellua prehenſa com
luntur protinus.

Verſ. 14. *Pulpæ carnis ejus cohærent*, a
eo ſolidiores ſunt, ut non moueantur. בְּשָׂרוֹ
decidentiæ carnis ejus, vel potius, *tori*, *pro*
nentiores partes ejus, procidua carnis ejus, fo
ſub ſquamis muſculi arctiſſimè inuicem & c
oſſibus connexi. Reddit *Junius melandrya*
nis, ſed malè, ſermo enim hic eſt de carne
malis viuentis, ſunt autem *melandrya* cibi
riâ conditi, quales ex thynnis, piſcibusue
parari ſolent. *Plinius* L. IX. c. 15. *Mart*
L. III. *Epigr.* 76. *Feſtus in Elacatena*, *Athen*
L. I. Oribaſius L. II. Intelligit *Haſæus* p. 1
aſſulas ſiue fruſta illa quadrata, quæ ex carne
torum exſcinduntur (Graeuen *vulgò dicta*) *ex*
bus deinde in feruentem ollam conjectis adeps
(Thran dictus) *ſolet excoqui.* — Quæ *caro* a
eſt *compacta, totque neruis, fibris & muſculis*
lidiſſimis duriſſimisque conſita, ut vix cultro,
telo cedat, parumque (ex orca dentata) *pingu*
nis dat.

Verſ. 15. *Cor ejus durum eſt ut lapis, &*
rum ut inferioris lapidis molaris fragmen. Su
qui hæc verba explicant de anima, ſed ad l
ram commodius intelliguntur de corde ip
quod neceſſariò firmiſſimæ debet eſſe com
gis, ad expellendum ſanguinem in capillaria
que vaſa. Quid, ſi pro expulſione ſangui
ad 4. vel 5. pedes in homine ſuperanda ve
180000. Librarum reſiſtentia juxta *Geoff*
Quæſt. an Medicus Philoſophus Mechan. Chy
cus p. 6. (de qua quidem ſumma alii detrahu
haud parum.) Quid, inquam, judicabimus
crocodilino corde, ad 50. pedes usque purp
ram vitalem ejaculante? vel de Ceti corde,
majores adhuc ſuperandæ veniunt reſiſtenti
Nonne comparabis commodè machinam han
ce cum *molari lapide?* Conſiſtit analogia in e
quod cor vi ſua ſyſtolica ſanguinem ventricu
illatum premat, preſſum diſſoluat, qui mox
extrema usque vaſa propellitur. Non viuim
iis Scholaſticorum quodlibeticis Seculis, ut cr
damu

us, fabricatum eſſe cor unicè ad conſer-
lum calorem vitalem, πρὸς τὸ φυλάσσειν τὴν
τῆς θερμότητος. *Ariſt. de Part. Animal.* L. III.
vel, quod ſimplicitatem majorem arguit,
econdendam luculam vel flammulam vita-
, qualem lampades illæ ſepulchrorum æ-
e fouiſſe dicuntur; vel, ad ſeruandum quod-
fermentum, vitæ neceſſarium. Hæc omnia
ı ſunt figmenta. Eſt cor artificii infiniti hæ-
ontiſterium, quod mox atque ſanguinem
oit, ex thalamo dextro eundem ejicit in pul-
es, & ex ſiniſtro in totum corpus. Qui
s earumque vires motrices ad calculum
care nouit, ei captu haud eſt difficile, eſſe
ius, durius cor, etiam validius. Hinc apud
oes cor lapideæ duritiei ſymbolum eſt viri
s. Et apud *Baſilium* λιθοκάρδιοι, Germanis
s, *Leuthe von hartem Hertzen*, immiſeri-
es, crudeles: quo ipſo ſenſu Crocodilus
poteſt λιθοκάρδιος, *Æliano* teſte παμβορώτατον
ν ἐσθίειν καὶ ἀφειδέστατον. Sed non congruunt
fabulæ illi Veterum, quæ *Crocodilum la-*
ıas fundere tradit ante, quàm hominem
rbet, ſcilicet ex compaſſione ſimulata, quæ
in prouerbium traxit. Eſt hoc Ethicæ Zoo-
æ ſpecimen, nullis nixæ fundamentis, quâ
re commodè poſſumus.

Verſ. 16. *Quumque ſe commouet, fortiſſimi*
n expaueſcunt, ac animis conſternati neſciunt,
ſe vertant. Scilicet, ſi ex aquis prodit Cro-
ilus, bellua terribilis, carniuora, armata
tibus, ſquamis, unguibus, etiam ii, quibus
um eſt pectus, expaueſcunt præ metu,
מִשְּׁבָרִ *præ contritionibus, præ fractionibus, ani-*
frangitur metu. Emphatica eſt vox יִתְחַטָּאוּ,
na noſtra optimè, *neſciunt, quò ſe vertant,*
peccare facient, aberrabunt, an dextra ſini-
ue eundum ſit, dubii: *Druſius, nauſeant,*
unt: Arias Montanus, ſe purgabunt, nem-
ıάτω, qui pectora quaſſans metus & per pur-
ones ſeſe exerens Germanorum Prouerbio
aſionem dedit, *es iſt ihme ſo angſt, daß er*
hte in die Hoſen hofieren. In formidine
ape prædominium obtinet neruorum con-
torius motus, quo commotus ventriculus
rejicit ingeſta, inteſtina κάτω.

Verſ. 17. *Si quis eum aggrediatur, non reſi-*
gladius, aut haſta penetrabilis, aut lorica.
rſ. 18. *Ferrum enim æſtimat paleas, & chaly-*
ı lignum putridum. Verſ. 19. *Quem non fu-*
ıit ſagitta, & lapides fundâ in eum excuſſi ver-
ıtur in ſtipulam. Verſ. 20. *Catapultæ haben-*
ei pro ſtipula, ridetque geſum frendens. Heic
lemus Leuiathanis robur opponi διαῤῥήδην ar-
s olim uſitatis, quorum tria nominantur ge-
ra, alibi in Sacris haud obuia. מַסָּע aliàs no-
iter, profectionem, ſed heic, quod ex Ara-
ous Scriptoribus conſtat, *telum*, quali forſan
abes uſi fuere itinerantes. שִׁרְיָה communi-
ſumitur pro שִׁרְיוֹן *lorica*, quæ quia defenſio-
inſeruit, non oppugnationi, vix heîc inuenit
cum. Arabibus *Siria* eſt *ſpiculum, parua ſa-*
gitta. תּוֹתָח v. 20. Græci Interpretes reddunt σφῦραν, Hieronymus *malleos*, & ita nos quoque in Vernacula, *Hammer*, in Latina *catapultam*, Chaldæa Verſio *ſecurim*; Syriaca & Arabica *haſtile*; Bochartus *fuſtem*. v. 19. בֶּן קֶשֶׁת, *filius arcus* ex Orientalium metaphorizandi more perpulchrè vocatur *ſagitta*, & ita ſagittæ Thren. III. 13. בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ, *filii pharetræ.* כִּידוֹן *lancea* eſt, vel pilum miſſile, quale balænarum piſcatores in illas euibrare ſolent. Duplicis id eſt generis, unum Fig. a. piſcatores Belgæ vocant *een harpoen*, & quibus vibrandi negotium eſt datum *harponiers:* alterum Fig. b. *eene lens* (à lancea) unde balænam captam ad necem usque confodere vocant *lenſſen*. *Haſæus Lev.* p. 200. Qui Crocodili figuram confert Leuiathanis deſcriptioni, quæ extat in Textu, ſuffragium mox dabit belluæ illi, armis jam explicatis inuictæ; utpote cujus δέρμα ἄῤῥηκτον. *Herodot.* L. II. *Cutis contra omnes ictus inuicta. Plin. Seneca Nat. Quæſt.* L. IV. c. 2. *Superior pars corporis dura & impenetrabilis etiam majorum animalium dentibus. Solinus, circumdari maxima cutis firmitate, in tantum, ut ictus quouis tormento adactos repercutiat. Ammianus, cutem ita validam gerere, ut ejus terga cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.* Etiam moderni Scriptores de Crocodilo teſtantur, inuictum eſſe contra ſclopetorum etiam majorum globos. *Scalig. in Cardan.* Et ſanè præjudicio eſt balænis cutis caroque ſagittis perforabilis, cultro ſciſſilis, & belluæ omnium maximæ meticuloſa indoles, quam propter ex conſpectu hominum nauiumque protinus fugam capeſſit, imo præ pauore tremere dicitur. Sed auxilio venit *Haſæo* iterum Orca, hujusque durior cutis, firmior caro, qualis eſt *Phocæ* apud *Oppianum Halieut.* L. V. v. 375.

Φώκη δ' ἐκ ἄγκιςρα τετεύχαται, ἐτέ τις αἰχμὴ
Τρίγλυφος ἤκεν ἔλοι κείνης δέμας. ἔξοχα γάρ μιν
Ρινὸς ὑπὲρ μελέων ςερεὴ λάχεν, ὄβριμον ἔρκος.

Hiſpida fallaci Phoca haud retinetur ab hamo,
Nec trifidæ corpus violatur cuſpidis ictu,
Nam pellis validos duriſſima contegit artus.

Obſeruat autem Clariſſimus Vir ad v. 17. שִׁרְיָה malè verti per loricam, ſed notare *diſſolutionem, dimiſſionem, retorſionem. Ut ſenſus ſit, ſi petatur Leuiathan haſta, eam à ſe facere proficiſci, prorſus rejicere, ut ſoluta ac dimiſſa recidat, & retorqueatur. Es könne kein Pfeil oder Spieß an ihm hafften, daß er nicht wegen ſeiner Härte zurück prallen müſſe.*

Verſ. 21. *Cui ſubjecta ſunt acuta teſtarum fruſta, & luto inſternit rem acutam.* Hæc verba iterum facile applices Crocodilo, cui pro lecto ſunt vel ſilices acuti, vel teſtæ, cuti loricatæ nil inferentes damni, ut contra decumbunt animantia alia ſuper paleam, gramen, terram

ram mollem. Qua occaſione annotari meretur ſingulare martyrii genus, quo Pagani veteres Chriſticolas cruciare ſolebant, ſupponendo his pro lecto teſtas acutas, de quibus *Prudentius Hymno de Vincentio Martyre:*

Fragmenta teſtarum jubet
Hirta, impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo jacentis ſternerent.

Bochartus ita reddit Textum noſtrum: *Pro eo ſunt acumina teſtæ, ſternit ſe ut tribulam in luto.* Senſus eſt, eum, qui Crocodilum gladio, aliisue armis, vulnerare tentat, non plus efficere, quàm ſi ictus inferret teſtis acuminatis, aut tribulæ. In parallelismo proin poni tum teſtas acutas, quibuscum *Ælianus Hiſt.* L. X. c. 24. durum Crocodili tergum confert, ἐοίκασιν (λεπίδες τε καὶ φολίδες) ὀςράκοις καρτεροῖς, *teſtis validis ſimiles.* Tum Tribulam, *tabulam lapidibus ferroue aſperatam,* uti illam deſcribit *Varro de Re Ruſt.* L. I. c. 52. R. *Selomo* comparat illam limæ aſperæ. Sed non minus eleganter verba Textus Orcæ ſuæ applicat *Haſæus* p. 203. cujus *tanta cutis ſit durities, ut in petris ſcopuliſque præacutis poſſit recubare, ac ſi in molli luto quieſceret. Delectari immania cete ut plurimum petroſis Oceani locis. Marcellus Sidetes* Lib. ἰατρ. περὶ ἰχθύων.

Βένθεα κητώεντα πολυσκοπέλοιο θαλάσσης.

Fundum Cetis plenum ſcopulis referti maris.

A qua ipſa ſcopulorum petrarumque multitudine forte nomen inditum montibus acuminatis, Spitz-Bergen: Reſpici fortaſſis etiam ad conchylia, ſeu teſtacea, quibus incubent belluæ illæ.

Terga cauis ſuper obſita conchis.

Ouid. Met. L. IV. v. 724. vel & ad glaciei fruſta acuminata, *Eiſſchollen*, quibus Mare Grœnlandicum abundat.

Verſ. 22. *Ac profundum eruit, ut bulliat velut lebes, ipſumque Mare commiſcet velut Mortarium.* Applicatio facile æquè ad Crocodilum, atque ad Cetum. Illo ſeſe mouente in fundo bullæ ſurgunt magnâ copiâ aëreæ, veluti ex aqua bulliente, & ita aqua luto miſcetur, ac ſi formam induxiſſet unguenti. Singulari attentione eſt digna, quam Arabes Scriptores, *Damir* & *Alkazuin*, memorant, circumſtantia, à *Columbi* ſociis, *Petro Martyre* L. XIII. c. 4. teſte, quoque obſeruata, in America, quod ſub aquis ſe condens odorem relinquat Moſchi, quem ſpirare carnem ipſam, delicati aliàs ſaporis referunt *Purchas Deſcript. Florid.* & *Vinc. le Blanc Nauigat.* P. I. c. 2. Unde & Ambræ primam originem quærunt nonnulli in Crocodilo. Ita quadrarent ad literam Jobi verba mari commutato in unguentum εὐώδες, *in eine wol-*

riechende Salbe. Sed cur *maris* heic mentio
quum tamen Crocodilus non marinum ſit
mal, ſed fluuiatile? Reſponſi loco ſciendu
Nilum non apud Arabes duntaxat Scripto
maris nomine venire, ſed & in Sacris. Ita
tychius Alexandrinus P. I. p. 86. explicat ve
Gen. XLI. 2. *Aſcendebant è riuo,* è mari, *ſep*
vaccæ; (ſeptem boues;) è Nilo nempe, qui
ris nomen meretur propter inſignem ſuam
titudinem, & quia certis temporibus totam
gyptum inundatione ſua conuertit in ma
Nili quoque *aqua eſt mari ſimilis. Plin.* L. XX
c. 11. Sed præterea obſeruandum, non in
minibus ſolis degere hanc belluam, verùm
lacubus, qui ſi ampli ſint, maria appellant
exempli loco ſunt Mare ſalſum, Mare Gen
reth, Lacus Bodamicus, qui Maris Germa
nomine venit. Imo in utraque India & Af
eſt Crocodilus Maris ipſius hoſpes & inc
Sed quoque quadrat Textus balænæ, quæ
pido ſuo motu, quà fertur cunque, turbid
reddit mare, & unguenti ad inſtar craſſum,
veluti ebulliens.

Aut veluti valido poſitum medicamen aben
Feruet & exultat, ſpumisque tumentibus al

Inprimis verò locum in exegeſi inuenit at
meretur *Sperma Ceti*, pinguitudo illa pretio
quam belluæ hæ tanta ſæpe copia miſcent
ri, ut contegatur ea totum mare, & ſaturen
aues *Meeuwen* & *Mallemuken* dictæ, quæ
aduolant numeroſiſſimâ copiâ: neque obliu
ne prætereundus eſt, quem ſauciatæ balæ
fundunt, ſanguis, tantâ nempe copiâ, ut p
purâ tingantur naues, maria, & glacialia fr
in Oceano Septentrionali natantia. Ut pr
ſpumantes maris fluctus ſpermati ceti & ſ
guini commixti unguenti ſpeciem repræſ
tent, & cum eo percommodè comparari q
ant.

Verſ. 23. *Poſt ſe quoque relinquit veſtigiu*
ut quis putet abyſſum canicie obductam. Not
dum heic, תְּהוֹם in præſenti commate,
מְצוּלָה in præcedenti *profunditatem* aquaru
vel & *cœni*, quamcunque notare. Pſ. LXIX. 3
Zach. X. 11. ſunt מְצוּלוֹת יְאֹר profunditates aq
rum, *profundiſſimæ aquæ*, nempe Nili. *Veſtigi*
itaque, quod *poſt ſe relinquit* Leuiathan, ut & *ab*
ſus canicie obducta intelligi commodè poſſi
de tractu longo ſpumoſo, quem Crocodi
poſt ſe relinquit, ut ſpumam remi. *Homer.*
dyſſ. M. v. 172.

- - λεύκαινον ὕδωρ ξεςῆς ἐλάτῃσιν,

aquam dealbabant politis remis.

Et *Apollonius* de Argonautis L. I. v. 545.

- - μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι,

Longæ ſemper albeſcebant viæ.

Ou

'ius in Epiſt. Oenones.

_ - - remis eruta canet aqua.

uoque caneſcit mare à nauibus tranſeunti-
x motione Ceti. Manilius L. I.

t freta caneſcunt, ſaltum ducente carinâ.

ɔſis denique, qui heic percommodè lo-
ır, Cetis. Statius Achill. L. I. de Delphi-

_ - qua cana parumper
'pumant ſigna fugæ, & liquido perit orbita
ponto.

imè quadrat huc, & ad unguenti illius il-
ıtionem, tractus ille pinguedinoſus, quem
ſe relinquunt Ceti, quiue cum aqua mari-
iixtus luculam ſpargit albam: Et ad rhom-
facit experimentum illud urinatoribus Per-
ɔinus familiare, qui oleo guttatim ore emiſ-
ſtinctè cernunt obuia quæque in fundo, ut
γότομοι illi apud Oppianum Halieut. L. IV.
ı ı.

'Αυτὰρ ὅγ' ἐς βύσσον προμόλων ἐξέπτυσ' ἀλοίφην,
'Ηδε μέγα ςίλβει τε καὶ ὕδατι μίσγεται αὐγὴ,
"Ορφνης ἠΰτε πυρσὸς ἀνὰ κνέφας ὄμμα φαείνων.

xpuit unguentum delapſus ad ima profundi,
loc multum radiat, ſplendor miſcetur & un-
dis,
ax uti per denſas illuſtrans cuncta tenebras.

ıdemque adferri meretur teſtimonium itine-
rum de coruſco tractu, quem Ceti æquora
ntes ad integrum Milliaris Germanici ſpa-
ı à tergo relinquunt. Martens Spitzberg.
. c. 2. Rennefort. Hiſt. des Ind. Orient. L. I.
ı. Haſæus Leuiath. 213.

Verſ. 24. Non eſt in terra dominium, cui pa-
, ita factus, ut neminem metuat. עַל־עָפָר ſu-
puluerem, ut Deut. XXXII. 24. mentio fit
entium in puluere. Quæ phraſis Crocodi-
, ſi Leuiathan eſt, relegat ad reptilia anima-
& jure, quia ob crurum breuitatem διερπύ-
repit. Vertimus nos verba לִבְלִי חָת, ut
inem metuat, ſed redduntur potius, ad non
terendum, ut non atteratur, nempe, ut con-
ıntur facilè reptilia alia. Nondum quippe
metus abſentia in Crocodilo res comperta.
ntrarium teſtantur Plinius, Solinus, alii, fu-
eſſe animal audaci, & audaciſſimum timido.
l clarior eſt explicatio Textus, ſi pro Leuia-
thane agnoſcamus Orcam, utpote quæ ma-
gnitudine, ferocia, velocitate, omnia animan-
tia ſuperat. Oppian. L. I. v. 360.

Κήτεα δ' ὀβριμόγυια, πελώρια θαύματα Πόντου,
Αλκῇ ἀμαιμακέτῳ βεβριθότα, δεῖμα μὲν ὄσσοις
'Εισιδέειν, αἰεὶ δ' ὀλοῇ κεκορυθμένα λύσσῃ.

Vaſta etiam Cete, Pontique immania monſtra
Viribus indomitis pollentia, lumine toruo
Horrida, continuam rabiem ſpirantia, & iras.

Verſ. 25. Quidquid eſt ſublime, id reſpicit, ipſeque regem agit in feroces uniuerſos. בְּנֵי שָׁחַץ, filii elationis, ſunt heic omnia animalia alticrura, quorum & fortiſſima quælibet proſternuntur unico caudæ Crocodilinæ ictu. Πάμφαγον quippe eſt, homines vorans & animalia, Diodoro teſte, & Horo Hierogl. L. I. c. 67. proſternit illa ante cauda ſua, quam deuorat. Petr. Martyr. Legat. Babylonic. Lib. III. Camelum, equum, juuencum, & quodcunque genus quadrupedis ei occurrit, cum in terram famelicus exit Crocodilus grandior, ictu caudæ adeò acriter ferit, ut illud cruribus fractis proſternat, & interimat. Tanta enim eſt illius caudæ vis, ut fregiſſe quatuor uno ictu grandioris animalis crura repertus ſit aliquando. In Manilla, quæ ex Philippinis eſt Inſulis, ad Parannacam fluuium diu Elephantem pede tenuit Crocodilus, victus tandem morte audaciæ pœnas luit. Et ad Cuamam fluuium μονομαχίαν Crocodilum inter & Tigridem utrique fatalem refert Teixeira de Perſiæ Regib. L. I. c. 29. Sed Characterem regiæ inter animalia dignitatis majori jure Orcæ ſuæ confert Cl. Haſæus, confirmans ita utramque Verſionem Tigurinam.

TAB. DXXXIII. exhibet balænarum capturam: & ad marginem a. & b. jacula, quibus vulnerari ſolent hæc animalium monſtra, quorum prius harpoen, alterum lens dicitur.

TAB. DXXXIV. ſiſtit Crocodili ſceleton ex Grew. Muſ. Soc. Reg. Tab. IV.

Marginem ornant

A. Numus, cujus ex auerſa parte Crocodilus, ex prona Prora nauis C R A S. nempe, Patino interprete, Canidius Craſſus, qui exercitui pedeſtri ad Actium Triumuiri M. Antonii præerat; vel Craſſus quidam ex Licinia Familia, judice Vaillant.

B. Caput Julii Cæſaris laureatum, pone quod Lituus, in auerſa parte Crocodilus, ÆGYPTO CAPTA. Numus cuſus in memoriam Ægypti à Cæſare deuictæ. A. V. 70$\frac{6}{7}$. Dio L. XLII.

TAB. DXXXV.

Job. Cap. XLII. verſ. 16. 17.

16. Poſt hæc autem vixit annos centum quadraginta, & vidit ſuos liberos, & liberorum ſuorum liberos per quatuor ætates.

17. Eſtque Job mortuus ſenex & (a) prouectæ ætatis.

(a) Satur diebus.

16. Vixit autem Job poſt flagella hæ centum quadraginta annis, & vi dit filios ſuos, & filios filiorur ſuorum, usque ad quartam ge nerationem.

17. Et mortuus eſt ſenex, & plenu dierum.

AD naturæ ordinarium curſum ſi attendas, doloribus, calamitatibus, & comite triſtitia debilitari videbis vitæ filum, imo rumpi, ſublato nempe ſpiritus animales inter & ſanguinem æquilibrio. Sed Jobus noſter, multò plura, quàm quiſpiam forte mortalium, paſſus, jacturam liberorum, bonorum, morbos longæ durationis, eosque doloribus acerbiſſimis ſtipatos, tentationes Satanæ, amicorum deriſiones, *vixit*, ſuperatis his omnibus vitæ humanæ incommodis, *annos centum quadraginta, & vidit ſuos liberos, & liberorum ſuorum liberos per quatuor ætates.* Sed non ſufficit hoc datum ad determinandum integram Hiobi ætatem, quia elapſi prius anni haud exprimuntur. Verſ. 10. legitur *duplo auxiſſe* DOMINUS *omnia, quæ Job prius habuerat.* Verba hæc intelligunt Judæi & Interpretes nonnulli etiam de ætate, ante vixiſſe ſubduplum annorum 140. fuiſſe proin ſeptuagenarium eo tempore, quo premi cœpit calamitatibus, imo obrui, totam adeò ætatem fuiſſe 210. annorum. Sed parum firmo nititur fundamento calculus hic, quoniam bonorum quidem fit verſu citato mentio, non vitæ, neque etiam numerus liberorum fuit duplicatus. Certum hoc, irruentibus ærumnis 10. habuiſſe liberos jam tunc adultos Cap. I. 2. quæ adulta ætas colligi poteſt ex conuiuiis circularibus; probabile item, ad annos aliquot fuiſſe extenſum miſeriarum, δοκιμασίας, & patientiæ tempus, ut absque inſigni errore concludere liceat, vixiſſe ad ἀποκαλάςασιν usque ad minimum 60. annos, ad fatalem proin ſeu ultimum terminum 200. Differunt à Textu Hebraico LXX. τὰ δὲ πάντα ἔτη ἔζησεν διακόσια τεσσαράκοντα, *omnes autem annos vixit ducentos quadraginta.* Alii Codices διακόσια τεσσαράκοντα ὀκτὼ 248. Caten. Græcor. Quicquid horum ſit, ſunt ſaltem 200. quos certò vixiſſe videtur, anni Chronologicus æui, quo vixit vir patientiſſimus, index. Agitatur hæc controuerſia admodùm ſpeciatim inter Judæos, quod patet e *Maimonid. More Neuoch.* P. III. 22. Fuer quippe, qui aſcendunt ad Patriarcharum tempora, alii ad tempora Moſis, alii Dauidis, im ſunt, qui Jobum annumerant reducibus ex Ca ptiuitate Babylonica. Quod ſi conſideremus vitam hominum Moſis ætate non adeò fuiſſe ut Jobi fuit, longæuam: ſacrificaſſe, ut ante le gem mos erat patrumfamiliâs, quod neque ſul lege, neque poſt eam latam, fuit ulli permi ſum: nullibi in Scriptis Jobi extare veſtigium vel legis, vel miraculorum DEI, quæ patraue rat in gratiam populi ſui; Reuelationes tandem diuinas frequentiores fuiſſe temporibus Patriar charum, quàm poſtea: His, inquam, omni bus penſitatis, haud fortè aberrabimus, ſi præ euntibus *Uſſerio, Broughtono, Heideggero*, aliis virum DEI collocemus ſaltem inter *Moſen* at que *Joſephum*, aſcendendo ſic ad tempora ſer uitutis *Ægyptiacæ*. Ponit eum *Cluuerus Geolog.* p. 236. *Heberum* inter & *Abrahamum.* E eodem hoc fundamento inferre licet, neque Ægyptiacam, neque Aſſyriacam Monarchiam aſcendere ad 7. vel 8. prima à diluuio ſecula, quia nullus illorum Regum attigiſſe legitur annos temporibus illis reſpondentes. Vid. *Heidegg. Enchirid.* p. 383.

Phyſicam ſacram Jobi claudat, & ſenem poſt finiſterrima fata fortunatiſſimum præſentet Icon ad viuum delineata Rhæti ſenis (Fig. A.) qui poſtquam longam miſer ſtipem petendo tranſegit 109. annorum vitam in Noſodochio Tigurino eam tranquillo & præſenti animo finiit. Addo, quæ obſeruaui in cadaueris ſectione, & tunc chartis conſignaui, nempe 2. Febr. 1723.

Suos habent characteres varii ætatis gradus: à fluiditate aſcendit homo ſenſim per ſoliditatis varias mutationes, donec cum rigiditate & fibrarum veluti immobilitate amittat vitam. Nec contemnendi eſt uſus conſideratio hæc in Medicina.

Acci-

IOB. Cap. XLII. v. 16. 17.
Iobus Senex, felix, pius.

Buch Hiob Cap. XLII. v. 16-17.
Hiobs frommes glückſeliges Alter.

Catharina Sperlingen sculps.

RPJCB

Accidit ante annos aliquot, ut ob decrepi-
m ſuam ætatem & raram in Noſocomium
erit receptus *Johannes Leonhardus Vopper*,
ætus Scharanienſis, ex cœtu Glantino Fœde-
; ſuperioris, qui juxta tenorem teſtimonio-
m lucem vidit A. 1614. 1. Maji. A. 1634. me-
lifoſſor in vena ſepultus per 33. horas ſub
ra jacuit, mortuo quàm viuo ſimilior inde
otractus propter abdominis validam, quam
ſſus eſt, preſſionem, inde ab illo tempore
continentia urinæ laborauerat. A. 1637. iter
erat per Hungariam, Turciam, Terram San-
m, reuerſus Venetias. Poſt A. 1639. ſub
rolo, Lotharingiæ Duce, A. 1652. militem
it ſub Capitaneo Caſparo de Monte in Statu
ediolanenſi. A. 1663. in Luſitania ſub Co-
nello Planta. A. 1682. interfuit obſidioni
ennenſi: & in ultimo bello obſidioni Landa-
e, & cladi Höchſtettenſi. Vitam adeò per
rios caſus, & mille rerum diſcrimina protra-
hic noſter ad 109. annos infra 3. menſes.

In cadauere obſeruauimus veluti curſoriè
am per temporis anguſtiam ſectioni diu im-
orari haud licuit,) ſequentia. In abdominis
uo erat, licet non magnâ copia, ſerum ſangui-
lentum extrauaſatum: Inteſtina tenuia erant
nnia inflammata, rubro colore tincta, & hæc
ter duodenum integrum admodùm dilata-
m, internâ ſui parte fracidum prorſus & gan-
ænoſum; omentum prorſus emaciatum, ut
agnoſci potuerit. Pancreas contractum.
par ſanum, veſicula fellis bile repleta, du-
is Choledochi eadem turgidi, & tota vicinia
ſorum inteſtinorum & meſenterii virore in-
cta, ut alicubi extrauaſata videretur bilis, cu-
s ingreſſum in duodenum inuenire haud po-
imus. Prope Pylorum in ventriculi ſuperio-
parte aderat expanſio veluti flatulenta, nuce
glande major. Renes ſani, uti & Lien, cu-
s exterior membrana jucundo admodùm ſpe-
aculo obſeſſa erat hinc inde maculis niuei
ndoris magis minusque latis, quæ primo in-
itu referebant puſtulas variolarum maturas,
d cartilagineæ prorſus erant duritiei, & ultra
perficiem reliquæ membranæ aliquantum ele-
atæ. Obſeruo heic, antequam progrediar
terius, non duntaxat rigeſcere fibras, & con-
ahi ſupremâ ætate, ſed tantùm non inſenſiles
eri; nemo quippe vel juuenilis ætatis vel con-
tentis pateretur inflammationem inteſtino-
im, qualis hæc fuit, absque acutiſſimo do-
re, de quo tamen æger poſt ſenile delirium,
uod aliquandiu eſt perpeſſus, ad ſe ultimis vi-
e diebus rediens, nihil eſt conqueſtus. Car-
laginea illa lienis cruſta indicio eſt manifeſto,
oſſe ita rigeſcere membranas, ut tandem in-
urentur.

Thoracis apertio non parum faceſſebat la-
oris, fuerunt quippe non ſolùm ſterni illæ co-
oſæ prominentiæ, aliàs cartilagineæ, heic
lanè oſſeæ, ſed & cum ipſis coſtis tantùm
on continuæ, indicio manifeſto, cartilagines
fieri ſucceſſu temporis oſſeas, quemadmodum
membranæ & arteriæ fiunt cartilagineæ, & ex
cartilagineis non ſemel oſſeas narrant hiſtoriæ.
Pulmones viridantibus paſſim maculis obſeſſi
in utroque thoracis latere poſticâ ſui parte affi-
xi erant coſtis: pericardium amplum, & mul-
to ſero refertum, cujus & aliqua portio in ca-
uo fluitabat thorace. Cor ipſum vidimus ſa-
tis amplum, inprimis auriculas dilatatas præ-
ter modum, & tum haſce tum ventriculos ſan-
guine concreto refertos, unde patet, ſubſtitiſſe
tandem ſanguinis motum propter defectum
contractionis elaſticæ in tubulis arterioſis, &
cordis machinam ſanguini ad concretionem
diſpoſito expellendo non amplius fuiſſe ſuffe-
nam, imò propter nimiam reſiſtentiam obru-
tam. Præſtolabar tendinem illum, quo cordi
inſeruntur arteriæ, vel oſſeum planè vel cartila-
gineum ſaltem; oſſeus ſanè, quod nouimus,
fit in ceruis adultioribus, unde os de corde
cerui. Et ſanè aliquid tale offendimus, nimi-
rum valuulas ſemilunares præprimis Aortæ
cartilagineas penè, præcipue mediâ ſui parte.
Aortam ipſam deſcendentem obſeruauimus
valde amplam, diametri duplo majoris quàm
eſt gula, circiter pollicis Pariſini. Gulæ in-
ſtratæ paſſim erant glandulæ lentiformes in-
duratæ. Amplitudo illa Aortæ indicat tardio-
rem ultimis fortè vitæ annis progreſſiuum mo-
tum ſanguinis, unde arteriæ, quo propiores
ſunt cordi, fuere ſenſim dilatatæ, ſicuti ſæpe
obſeruamus dilatari adeò, ubi nimia eſt molis
reſiſtentia, ut in Aneuriſma abeat egrediens è
corde arteria magna.

Pergimus ad Caput, ubi prædura Cranii
ſubſtantia rurſum ſolito majorem poſcebat la-
borem: ſuturæ, inprimis ſagittalis & lambdoi-
dea, erant ferme obliteratæ, nec prorſus pene-
trabant utramque tubulam, ut nulla fuerit per
illas è cauitate illa magna capitis perſpiratio, &
ſuccus ille oſſium nutritius inter fiſſuras ſutura-
rum extrauaſatus factus quoque fuerit oſſeus.
Foramina quidem tria quatuorue ſatis ampla
in ſupremo vertice, ad latus utrumque ſinus
ſagittalis, pollicis ferme diſtantia ab inuicem vi-
ſuntur internam laminam ad externam usque
penetrantia, absque quod ullum illorum utram-
que perforet tabulam. Dura Meninx triplo fe-
re craſſior fuit quàm eſt ordinariè, coriacea pe-
nè; pia ſeparabatur facilè, nimio utpote irriga-
ta ſero, à cerebri ſubſtantia: ventriculi omnes
ſero erant referti, quod ſat magna quoque co-
pia fluitabat in cerebri baſi, inprimis verſus ſpi-
nalis medullæ egreſſum. Plexus choroides
glandulis piſalibus lympha congelata refertis
erat obſeſſus: ſeptum pellucidum egregie po-
terat conſpici. Cæterùm cerebri ipſa ſubſtan-
tia inprimis interioris flaccidior ſolito.

Innotuit mihi, inde ex quo obiit decrepi-
tus noſter, retuliſſe eum perſonis fide dignis,
quod pater ejus ſeculum jam ſupergreſſus 3.

 genue-

genuerit liberos, & ex majoribus pauci infra ſeculi ætatem obierint. Hoc certum, noſtro natam filiam Mariam Magdalenam, ex uxore Urſula Hirzelia de Näniken, pago Tigurin quæ S. Baptiſmatis charactere Dieſſenhofæ gnata fuit 18. Aug. 1707.

PSALTERIUM.

TAB. DXXXVI.

Pſal. I. verſ. 3.

Erit hic velut arbor plantata ſecus riuos aquarum, quæ fructum ſuum ſuo reddit tempore, cujus folium non defluit, & quodcunque ediderit, proſperè cedet.

Et erit tanquam lignum, quod pla tatum eſt ſecus decurſus aqu rum: quod fructum ſuum dab in tempore ſuo: folium ejus no defluet, & omnia, quæcunque fa ciet, proſperabuntur.

Est natura ſeu mundus univerſus per ſe magnificum theatrum, ſapientiæ atque potentiæ diuinæ demonſtratiuum; tota quanta διακόσμησις, omnia adeò concinnè ornata & ordinata, ut nil inueniat, quod in artificio carpat, Momus; & nos ne quidem infinitæ artis in muſca vel viliſſimo gramine artificium finito noſtro intellectu capere poſſimus. Sed eſt eadem natura bonitatis diuinæ ſpeculum alio ſenſu, quatenus applicantur corporum naturalium actiones & paſſiones, & indoles, & ſtructura, Philoſophiæ morali; Sic viâ planâ, jucundâ, ſenſibus noſtris grata ducunt nos Oratores illi muti ſimul atque diſerti ad altioris ordinis meditationes, φύσις ad ſalutares conceptus, à quibus aliàs abhorret φυσικὸς ἄνθρωπος. Hinc tot elegantes, quibus CHRISTUS, Prophetæ & Apoſtoli uſi fuere, Metaphoræ, Parabolæ, deſumtæ, ut hæc Regii Pſaltis, ab arboribus, herbis, fructibus. Videas nunc piorum benedictionem felicemue ſtatum comparatum viti, oleæ, palmæ, nunc impiorum malitiam, perpetuoſque nocendi conatus ſpinis, potentiam cedris & quercubus, ſterilitatem & peruicaciam viti acidas ferenti uuas, hypocriſin ficui ἀκάρπῳ. Sic commutatur ſylua quæuis, pomarium quoduis, in ſcholam, imo Gymnaſium illuſtre. Ad naturæ vires & ordinem attendens Doctor cathedram erigit ubique, & Auditores etiam ex ima plebe ſimpliciſſimos ducit nunc ad prunos maloſue ſylueſtres, quæ acerbos ferunt fructus, nunc ad vineas, agros, pomaria, hortos, fructibus delicatiſſimis conſitos. Exemplo ſuo præit ſanctiſſimus Pſaltes, de felicitate piorum, & infelicitate impiorum diſſertaturus. Comparat is hominem, qui *nec ambulat in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtat, nec in conſeſſu irriſ rum* (לֵצִים contumacium, *der Lätz-Köpfe*) *ſedet, ſed* cui *in lege DOMINI voluntas*, qu ue *in lege meditatur die ac nocte*, v. 1. 2. verbo hominem pium, *arbori plantatæ ſecus riuos aqu rum*, ξύλῳ τῷ πεφυτευμένῳ παρὰ τὰς διεξόδους τῶν ὑδ ἰων, עֵץ *ets*, *ligno*, ſtructuræ conſtanti ex mer fibris, ex primo obtutu inconditæ, ſed ex qu fragrantiſſimi, pulcherrimi progerminant flo res, gratiſſimi & coloratiſſimi propullulant fru ctus. Talis eſt homo naturâ correptus Κακοήθ in ſe ipſo mortuus, qui ſi afflante Spiritu gra tiæ DEUM haud fictâ pietate colit, protrud non ſolùm ramos, folia & flores, ſed optimo quoſque fructus, ut protrudit ligneus truncus non propriis ſuis, ſed Solis calefacientis, ter ræque calefactæ, imo DEI ſolius motoris vir bus. Moralis hæc arbor non ſponte ſua ſyl ueſtrem dereliquit & domeſticam induit indo lem, ſed *plantata* eſt, ex ſterili ſolo in frugife rum transplantata, inoculata, inſita, homo re nouatus, regeneratus, gratiâ DEI vocante, du cente, ſanctificante, ἀγριέλαιος ἐγκεντριζόμενος, συγ κοινωνὸς τῆς ῥίζης, καὶ τῆς ποιότητος τῆς ἐλαίας. Rom XI. 17. Κλῆμα ἐν αὐτῷ (ἀμπέλῳ ἀληθινῇ) καρπὸν φέρον Joh. XV. 1. 2. Fruſtra plantat Paulus, irrigat Apollo. Ούτε ὁ φυτεύων ἐςί τι, ὄτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων ΘΕΟΣ. 1. Cor. III. 6. (7.) Eſt arbor hæc *plantata ſecus riuos aquarum*, עַל־פַּלְגֵי מָיִם, *ſuper riuos aquarum, ſuper diuiſiones aquarum*, ubi nempe copioſum haurit nutrimentum, & lætum capit incrementum, ut φίλυδρος talis φυτὸς eſt *palma* Orienti familiaris, irriguis gaudens locis, ad quam Propheta alludit potius, quàm ad oleam. Ita ſanè pius & nutrimentum capeſſit & incrementum ab irrigua DEI ſoſpitatoris gratia, cujus equidem unicus eſt fons, ſed

PSAL. I. v. 3.
Iustus arbor ad rivos.

Pſal. I. v. 3.
Der Gerechte ein Baum am Waſſer gepflanzt.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

l inexhauſtus, in infinitos riuulos, פַּלְגֵי, *diui-*
nes, diſpartitus ad ſingulos fideles. *Fructus*
ldit arbor hæc *plantata ſecus riuos aquarum*,
n ſolos ramos, non folia & flores, ſed fru-
s, eosque optimos, & *ſuo tempore:* ubi
ν παρόδῳ notandum, eſſe hanc fructuum ma-
ationem non unius diei, uniusue ſeptimanæ
us, opus eſſe certo tempore, quo rudimen-
fructuum euolui, creſcere, ad ſummam
ὴν ſeu plenam maturitatem perduci queant.
hoc ipſum arbori piæ conceſſum tempus
nis bona opera patrandi occaſio, tempus,
o dura egeſtate preſſus Lazarus cubat ante
es, vulneratus à latronibus in ſuo ſanguine
et, quem certè non ſibi & fato reliquiſſent
cerdotes illi & Leuitæ, ſi hujusmodi fuiſſent
ores, de quibus Pſaltes loquitur. Tempus
uam, idque opportunum, eſt omnis de Ec-
ſia, de Republica, de Schola, de proximo
oque benè merendi occaſio. Eſt arbor hæc
n ſolùm ex perennibus, ſed perpetuò & læ-
tè virentibus. *Folium ejus non defluit.* Notum quippe, eſſe arbores ex naturæ ordine per hyemis decurſum foliis nudas, quæ, ingruente frigore, ex caloris ſuccique nutritii defectu ſeſe veluti in ſe ipſas contrahunt, corrugatis petiolis, labentibus poſt jucundas calorum variationes foliis: ſed eſſe quoque, quæ ſucco gaudent tenaci, reſinoſo, ut ſunt coniferæ omnes, quarum fibræ prementi aëris frigidi vi reſiſtunt, vel quæ in climatibus calidioribus ad ripas plantatæ conſtanti fouentur nutrimento. Parallelus eſt Dauidico noſtro Textui locus Ezech. XLVII. 12. *Secus torrentem in utraque ipſius ripa ſuccreſcent omnis generis arbores frugiferæ, quarum folia non decident, neque fructus deficiet, ſed in ſingulos menſes primitiuos fructus ferent. (Super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: per ſingulos menſes afferet primitiua.)*

Pſal. VI. verſ. 3. 4. 7. 8.

Miſerere mei, DOMINE, quoniam deformatus ſum; ſana me, DOMINE, quoniam contremefacta ſunt oſſa mea.

. Sed & anima mea territa eſt vehementer.

. Defatigatus ſum in gemitu meo, fluctuare facio tota nocte lectum meum, lacryma mea grabbatum meum liquefacio.

. (*a*) Corroſa eſt facies mea præ indignatione, atque vetuſta facta eſt propter omnes hoſtes meos.

(*a*) Al. caligauit oculus.

3. Miſerere mei, DOMINE, quoniam infirmus ſum: ſana me, DOMINE, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

4. Et anima mea turbata eſt valde.

7. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

8. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

IEſſæum vatem en in conſpectu DEI, in theatro mundi, prouidente DEO ſpeculum ſummæ, quæ animum tangit & angit, triſtitiæ, ſummæ inquam, ad quam, quæ ex
orporis mala διαθέσει pendet, exiguam imo
enè nullam rationem habet. Qui in hujus-
odi triſtem delabitur ſtatum, ſupra ſe videt
EUM irâ commotum, infra inferni fauces
pertas. Cui notæ ſunt cunque arctiſſimæ,
uæ mentem inter & corpus eſt, unionis le-
es, reciprocæ illius in hoc, hujus in illam
ctiones & reactiones, ſemper harmonicæ, per-
ectæ inprimis cauſæ triſtitiæ & vires, expo-
tæ ad Job. XVI. 16. & alibi, is capiet haud
ifficulter querelas, quas Regius Propheta ef-
undit, nimirum

1. *Infirmitatem*, *deformationem*, ἀσθένειαν, ab
mpedito multoties fluidi neruei in cordis muſculos influxu, ſanguinisque ex hujus thalamis ad extremos artus effluxu, ut tandem vix inſiſtere potuerit pedibus. Inde

2. *Tremor oſſium*, ἐταράχθη τὰ ὀςᾶ μȣ, *conturbata ſunt oſſa mea.* Indicare videtur hæc phraſis non ſolùm infirmitatem artuum, ſed & dolores, imò dolores ὀςεοκόπȣς. Ita eſt τάραξις oculorum ſtipata phlegmone. Τάραξις ὀφθαλμȣ̃ ἐςιν, ὅταν ἐκ θλίψεως, ἢ τρίψεως, ἢ ὁμιλίας καπνȣ̃ καί τινος λυπȣ̃ντος τοιȣ́τȣ ἀνατεθολωμένος φαίνηται. *Perturbatio* τάραξις dicta eſt, *quum oculus ex compreſſione, aut attritu, aut mora in fumo, vel id genus alio offendente conturbatus conſpicitur. Actuar.* L. I. περὶ διαγν. παθ. c. 7. & apud *Hippocratem porrh. ſect.* 1. ſunt ταραχώδεα ȣ̃ρα, *ſtrangurioſæ urinæ*, μετὰ δήξεως καὶ πόνων διεξιόντα, *cum morſu & dolore exeuntes*, Galeno explicante.

 3. Haud

3. Haud mirum, ſi angoribus animi & doloribus corporis diſcruciatus *territus* fuerit *vehementer*. Occurrit iterum apud LXX. τάραξις, ſed applicata menti, ἡ ψυχή μου ἐταράχθη σφόδρα. Conturbatur autem mens, ſi præ angore, quo ſe vertat, neſcit.

4. Syſtemate totius hominis à vehementi triſtique affectu preſſo, & in anguſtias veluti coarctato, non poterat non obrui cor, ſufflaminari circulus ſanguinis per præcordia, ſtagnare in pulmonibus, pectora concutere *gemitus*, στεναγμοὶ, quos expreſſerat grauiſſimi oneris ſenſus.

5. Quid mirum, ſi ex tot fibrarum præcordialium agitationibus ſecuta fuerit *defatigatio*, κόπος, (ἐκοπίασα ἐν στεναγμῷ μου) fibrarum tenſarum prius, poſt laxatarum effectus? Nota τοῦ κόπου ſignificatio apud veteres Medicos; Κόποι αὐτόματοι apud *Hippocratem* ſunt *laſſitudines ſpontaneæ*, magnorum morborum prænuntii. Κόπους ὀνομάζουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰς ἐκ τῶν πολλῶν ἢ σφοδρῶν κινήσεων γιγνομένας διαθέσεις τοῖς σώμασιν, ἤτοι γ᾽ ὅλοις ἢ κατὰ τὰ μᾶλλον πονήσαντα μόρια. Λυπηραὶ δ᾽ εἰσὶν αἱ διαθέσεις αὗται, μάλιστα μὲν τοῖς κινουμένοις. *Laſſitudines*, κόπους, Græci *homines vocant affectus ex multo vehementiue motu corporibus, vel totis, vel pa*[…] *culis, quæ amplius laborarunt, oborientes.* […] *rò moleſtæ ſunt diſpoſitiones hæ iis potiſſimùm,* […] *agitantur, mouenturque.* Galen. *de Comp.* […] *per genera* L. VII. c. 11.

6. Hinc porrò illæ, de quibus alibi, *lach*[…] *mæ.* λούσω καθ᾽ ἑκάστην νύκτα τὴν κλίνην μου, ἐν δακ[…] μου τὴν στρωμνήν μου βρέξω, *lauabo per ſingulas no*[…] *lectum meum, in lachrymis meis ſtratum meum* […] *gabo.* Per noctes cumprimis, quibus triſt[…] afficit magis.

7. Sublato tandem fluidum inter nerueu[…] & ſanguinem æquilibrio, pati debebat integ[…] corporis compages, imo tantum non corru[…] re, vitiari coctiones, ſecretiones, deficere a[…] mentum, induci ἀτροφία. *Corroſa eſt facies m*[…] *præ indignatione, atque vetuſta facta eſt propt*[…] *omnes hoſtes meos.* ἐταράχθη ἀπὸ θυμοῦ ὁ ὀφθαλ[…] μου, ἐπαλαιώθην ἐν πᾶσι τοῖς ἐχθροῖς μου. *Turbatus* […] *à furore oculus meus*, (Gloſſa Latinæ noſtræ, *c*[…] *ligauit oculus*,) *inueteraui inter omnes inimic*[…] *meos*, ubi pro ἐταράχθη Symmachus ἐφλέγμαι[…] ἀπὸ πικρασμοῦ, *languit* (potius inflammatione co[…] reptus) *præ amaritudine.* Prorſus ad mente[…] veterum Medicorum ſupra expoſitam.

Pſal. VII. verſ. 3.

Ne corripiat ille tanquam Leo animam meam, dilaceret nemine eripiente.

Ne quando rapiat ut Leo animam […] meam, dum non eſt, qui redimat […] neque qui ſaluum faciat.

DE *Leone* notum, frangere, imo commolere dura dentibus, mollia diſcerpere unguibus. Hinc eſt, quod ſæui animalis actiones exprimantur nunc per שָׁבַר confringere, nunc per פָּרַק diſcerpere, ut in Textu, ubi pius Pſaltes impiorum truculentiam pulcherrimè comparat cum Leonis ſæuitie, ſed & alibi. Pſ. X. 9. *Inſidiatur in occulto, quemadmodum Leo in luſtro, inſidias ſtruit, ut corripiat adflictum, adflictum inquam corripiat, dum in rete ſuum pertraxerit. (Inſidiatur in abſcondito, quaſi Leo in ſpelunca ſua, inſidiatur, ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum, in laqueo ſuo.)* XVII. 12. *Ut Leo eſt, qui prædæ inhiat, & ſicut Leunculus, qui in luſtro latitat. (Sicut Leo paratus ad prædam, & ſicut catulus Leonis habitans in abditis.)* XXII[…] 22. *Serua me ab ore Leonis.* XXXV. 17. *DOMINE, reduc animam meam à calamitatibus eorum, à Leunculis unicam meam.* LVII. 5. *Anima mea eſt in medio Leonum, jaceo inter homines, qui flammis exurunt, quorum dentes lanceæ & ſagittæ ſunt, & lingua gladius acutus. (Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus, filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum, gladius acutus.)* LVIII. 7. *Maxillares dentes juuenum iſtorum Leonum contunde*, o DOMINE. Aliis aliorum Scriptorum ſacrorum locis recenſendis ſuperſedeo, contentus impræſentiarum iis, quibus uſus fuit λεοντοπάλης & λεοντοφόνος Iſaides, vir Leoninæ virtutis.

RPJCB

PSAL. VIII. v. 4. 5.
Ecquid eſt homo mortalis.

Pſal. VIII. v. 4. 5.
Was iſt der Menſch.

I. A. Fridrich sculp

TAB. DXXXVII.

Pſal. VIII. verſ. 4. ad fin.

Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu præparaſti.

Ecquid eſt homo mortalis, ut memoriam ejus habeas? & filius hominis, ut (a) eum inuiſas?

(a) Al. ut rationem ejus habeas.

Paululum ſiquidem eſt, quo DEO illum (b) inferiorem feciſti, tanta eum gloria & decore cinxiſti.

(b) Al. minuiſti eum paulò ab angelis.

Dominum eum operum, quæ manus Tuæ (parauerunt) conſtituiſti, cuncta ejus pedibus ſubdidiſti.

Greges & armenta uniuerſa, etiam jumenta campeſtria.

Volucres, quæ in aëre, & piſces, qui in mari (verſantur,) & quicquid per maris itinera tranſit.

DOMINE, DOMINUS noſter, quam magnificum eſt nomen Tuum in uniuerſa terra.

4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

5. Quid eſt homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum?

6. Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum.

7. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.

8. Oues & boues uniuerſas: inſuper & pecora campi.

9. Volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

10. DOMINE, DOMINUS noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra.

APerit Regius Pſaltes ampliſſimum totius mundi theatrum, ducit pientiſſimus ὁδηγὸς per immenſa cœlorum ſpatia, reducit ad punctulum terræ, habitaculum noſtrum, non certè um in finem, ut mentem ſatiemus vanis ſpeulationibus, & nudâ rerum phyſicarum notia, ſtomachum infarciamus delicatiſſimis ciis, iisque miſellum, quod gerimus, corpus ωλῃκόπληρον ſaginemus, ſed ut infinitarum perectionum Conditorem cognoſcamus, & plenis udemus buccis. Τὸ, quod erat à Dauide deonſtrandum, non eſt theſaurorum collectio, on ex eruditione ampla rebusque præclarè eſtis comparata gloria; multò minus exceſuum benè multorum, paſſionum deprauataum, injuſtarum actionum, hypocriticarum ſiulationum ac diſſimulationum enumeratio ad igitum, ſed DEI præconium. DOMINE, OMINUS *noſter*, *quàm magnificum eſt nomen uum in uniuerſa terra.*

In compendio ſiſtit pientiſſimus noſter & ortiſſimus Philoſopho-Theologus palmarios hiloſophiæ Naturalis uſus, cognitionem cœli, corporumque cœleſtium, noſtri, & terræ, &, quæ inde fluit, notitiam DEI.

Verſ. 4. *Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas Tu præparaſti.* Portam en apertam Aſtronomiæ, quæ totam Coſmologiam abſoluit, & poſt Theologiam reuelatam ſcientiarum eſt potiſſima atque pulcherrima, quam commendat objectum, certitudo, uſus: quæ animos noſtros in ſacram rapit admirationem, paucis momentis ducit per immenſa cœlorum ſpatia, & corpora illa immenſæ molis totalia, immenſa diſtantia à nobis diſſita, cœli illius incorruptibilis & glorioſi prægustum, terræ propius admouet, nobisque in compendio ſiſtit: quæ non verſatur circa vanas de materia prima, diſtinctionibus & ſubdiſtinctionibus ſpeculationes, in Philoſophia Scholaſtica obuias, quæ non gemmarum, ſed vix fluorum titulum merentur: haud inuoluta fabulis, ſed realis, motus ſtellarum tum fixarum tum erraticarum ad futuri temporis non horas duntaxat, ſed minuta & ſecunda calculans, diſtantias & magnitudines remotiſſimorum corporum dimetiens, atque determinans: fundata non fide in hujus illiusue αὐτὸς

ἔργα, non conjecturis inanibus, ſed demonſtrationibus certiſſimis, Mathematicis: Quibus characteribus deſtituitur Aſtrologia judiciaria illa, quæ docet conſtruere themata natalitia, audetque impudentiſſimo auſu prædicere fortunæ proſperæ & aduerſæ fata, imperiorum & regnorum vel ortus, vel interitus, aëris conſtitutiones variantes. Fluunt ex hac ſcientia uſus præclariſſimi quique, cognitio DEI, & infinitarum ejus perfectionum: Diſcimus inde, DOMINUM, *qui extremitates orbis condidit, non laborare, nec laſſitudine fatigari, nec prudentiam ejus perueſtigari poſſe. (Creauit terminos terræ, & non deficiet, neque laborabit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ ejus?)* Jeſ. XL. 28. 29. *Quanto ſit horum opifex potentior: ſiquidem ex pulchritudinis rerumque creatarum excellentia collatus iis Creator earum ſpectari poteſt. (Quoniam qui hæc fecit, fortior eſt illis. A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.)* Sap. XIII. 4. 5. Digniſſima eſt, quæ æri, auro, imo mentibus omnium hominum inſcribatur adhortatio illa, Jeſ. XL. 26. *Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium, & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet. (Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutiſque ejus, neque unum reliquum fuit.)* Audi *Lactantium Inſtit.* L. II. c. 5. *Tanta rerum magnitudo, tanta diſpoſitio, tanta in ſeruandis ordinibus temporibuſque conſtantia non potuit aut olim ſine prouido artifice oriri, aut conſtare tot ſæculis ſine incola potente, aut perpetuum gubernari ſine perito, & ſciente rectore, quod ratio ipſa declarat. Ciceronem Tuſcul. I. Hæc nos primùm ad Deorum cultum, tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudiuit.* Sed non ſufficit ad præclaros hos uſus captandos ſuperficiaria quæuis corporum cœleſtium contemplatio, ut non ſufficit ad demonſtrandam DEI conditoris exiſtentiam ſcire, præditos nos eſſe capite, pectore, oculis, pedibus, manibus, ventriculo; rimandi ſunt intimi corporis artificioſiſſimi receſſus, perſcrutanda ſtructura oculi, auris externæ & internæ, cordis, pulmonum, muſculorum & neruorum ſingulorum, ad minimas fibrillas uſque. Ita heic, qui ex contemplatione corporum cœleſtium perſuaderi vult de exiſtentia & excellentia ſummi opificis, adire debet Planetas, horumque ſatellites, Fixas unam poſt aliam, omnium horum motus ordinatiſſimos, magnitudinem, ſitum, diſtantiam, figuram conſiderare quàm attentiſſimè. Præclariſſimi porrò ſunt, nec unquam ſatis deprædicandi, qui in ſocietatem humanam redundant, uſus ex Aſtronomia. Diſpertit ea longiſſimum temporis abſoluti & Mathematici filum in minuta, horas, dies, ſeptimanas, menſes, annos: oſtendit temporum an mutationes, harumque ad uſum terricolaru ſapientiſſimas cauſas: regit itinera, quæ ter marique fiunt: Regionum & urbium veros d terminat ſitus. Taceo plura alia. Eſt pictur quam Pſaltes contemplandam ſiſtit ex iis, qu nocturnam rerum faciem repræſentant, *e Nachtſtück.* Meminit ille *cœlorum*, *Lunæ Stellarum*, harumque nomine comprehendit Fixas, & Erraticas, de quarum natura & u alibi commodior dicendi occurret occaſio: S lem, centrum illud Planetici vorticis majeſta cum, haud memorat: & hinc fortean infer licet, elaboraſſe hunc Pſalmum noctu. Co lum autem hoc aſtriferum haud proponit D uid, ut opus naturæ, multò minus fortuiti c ſus productum, ſed tanquam opus DEI, *op digitorum ſuorum: Tui ſunt cœli, & tua eſt te ra, orbem, & quicquid in eo eſt, tu fundaſt (& plenitudinem ejus tu fundaſti.)* Pſ. LXXXIX 12. Ita & heic, *Luna & Stellæ, quas tu præ paraſti.* Ubi notandum, verbi כּוֹנַנְתָּה radi cem כּוּן notare non ſimpliciter productionem omnem, ſed elaborationem exquiſitam, perfe ctam omnibus numeris, cui nihil deſit, qua mutationi nulli aut corruptioni eſt obnoxia, i quod apprimè quadrat cœli & corporum cœ leſtium perennitati. Nemo, quod ſpero, adeò craſſi erit & veruecei ingenii, uti exiſtimet, elaboraſſe DEUM hæc omnia propriè ita dictis *digitis.* Digiti DEI ſunt manus DEI. Pſ. CIX. 27. *Intelligant hanc tuam eſſe potentiam* (manum) *quodque Tu*, DOMINUS, *hæc facias.* Et eſt manus DEI ejus infinita potentia, quæ & Magis Ægyptiis illuxerat ex productione pediculorum. *Hic digitus DEI eſt.* Exod. VIII. 19.

Dauid ſi ſaltum feciſſet ex cœlo in terram, *punctum hoc, quod inter tot gentes ferro & igne diuiditur, Sen. Nat. Quæſt.* L. I. feciſſet maximum, à Luna ad terram 50000. Milliarium, à Fixis ad habitaculum noſtrum 500 000 000 000. ſemidiam. terræ. Sed majorem facit, ab immenſis illis corporibus cœleſtibus ad puncti punctulum, *hominem. Ecquid eſt homo mortalis, ut memoriam ejus habeas, & filius hominis, ut eum inuiſas?* Vel, quid eſt, quæſo, maximi Imperii Monarcha? quid ſunt Monarchæ plures inuicem vel fœderibus, vel amicitia, vel pacificationibus juncti, vel bello disjuncti? *Nonne, o terrena animalia, conſideratis, quibus præſidere videamini? nam ſi inter mures videres unum aliquem jus ſibi & poteſtatem præ cæteris vindicantem, quanto moueretis cachinno? Boet. de Conſolat.* L. II. Nonne poſſunt & formicæ pedis vel dimidii quadrati aream ſuam diuidere in Regna, Principatus, Reſpublicas? Quid igitur erit Imperator, quid Rex, Princeps, Comes, Senator, Nobilis? quid diues, auarus, ambitioſus, voluptatibus deditus? nonne punctulo minus quidpiam, vel, ſi placet, nihilo quid minus? Audi iterum, & applicatiuè ad Textum

noſtrum,

ſtrum, quomodo *Boethius* deſcribat ambitio-
n.

Quicunque ſolam mente præcipiti petit
Summumque credit gloriam,
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumque terrarum ſitum.
Breuem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.

luit igitur Pſaltes antitheſi hac ſua faſtidium cere terrenarum rerum, dignitatum, diuitia- n, voluptatum, quæ bona non ſunt niſi ap- entia, & erigere animos ad cœleſtia. *Reſpi-* *cœli ſpatium, firmitudinem, celeritatem, &* *uando definite vilia mirari. Boet.* l. c. Oc- ionem nobis commodam dat diui Pſaltis æſtio, *ecquid eſt homo?* intuendi propius & bilitatem noſtram, & miſeriam. Nobilis uti- e ſumus creatura, ſi conſideremus animam ſtram, intellectus latiſſimè expanſas vires, redibilem idearum noſtrarum celeritatem, ientionum ſubtilitatem, memoriæ theſauros, initas cupiditatum noſtrarum variationes, & riantes mutationes, voluntatis profundiſſima θη, artificioſiſſimam corporis ex ſolidis & flui- compagem, miraculi plenam animæ cum rpore unionem, entium diuerſiſſimorum, æ nihil commune habent, & omnia tamen mmunia. Nobilis inquam ſumus κτίσις, nos icrocoſmus, mundi ſpiritualis & corporei nculum. Sed quoque miſera, imo miſerri- a, ſi animo perpendamus animam noſtram à t paſſionibus nauigioli ad inſtar à tot fluctı- is & conſpirantibus ventis jactatam hinc, ja- tam inde; jacturam deplorabilem imaginis uinæ, intellectus tenebras, voluntatis mali- m, corporis fragilitatem, miſelli corpuſculi animam pretioſiſſimam tyrannicum domi- um, unionem animæ cum corpore tenuiſſi- o araneæ pendulam filo, quod abrumpere let leuiſſima quæuis aura, quælibet aëris utatio, cibus, affectus, & momento quidem. t hæc noſtri cognitio, ad quam nos Theolo- is noſter manu ducit, poſt θεοσοφίαν præcipua. udiunt nos & eruditos reddunt ſcientiæ aliæ nnes, ſed hæc, humiles, pios. In hac ἑαυ- σοφίας ſchola edoctus paſſiones regit ſecun- um rectæ rationis dictamen, actiones ſuas aminat ad normam Sicli Sanctuarii, id agit, uod juſtum eſt, & in hoc æquè ac altero undo reddere valet beatum; euitans ſollicitè mne malum, præcipitium omne. Ad cla- um ſedet ratio, colluſtrata inprimis ex verbo EI, & ſecundo vento cymbam inuehit por- i, expanſis bonarum ſanctarumque paſſio- um velis. Sed præceps fertur ad tartara ima adem nauis tumidis ferocium affectuum ex- oſta procellis, abſorpta ab iisdem. Mediam anc inter angelos & bruta creaturam per paſ- ones duci neceſſe eſt: eſt quippe Stoicorum la ἀπάθεια mera chimæra. Boni affectus ſi obtineant prædominium, hominem angelis bonis approximant, ſi mali, brutis, imo mancipium reddunt malignorum dæmonum, atque ſic ad ſubſellia infinities inferiora & infeliciora, quàm brutorum eſt, præcipitant. Regere debet ratio affectus tanquam liberos, non mancipiis dominari. Spontanea ſit ciuium liberorum juxta legum normam obedientia, non ſeruilis ſubjectio. Sed haud ſubſiſtit quæſtio Dauidica: *Ecquid eſt homo?* in ſpeculatione nuda, praxin inſinuat ejus, quod juſtum eſt, voluntati diuinæ, à qua totus dependet in eſſe, velle & agere, conſentaneum. Pretioſiſſimum proin, quod quidem in hoc terræ ergaſtulo poſſidet, cimelium erit tranquillitas animi in DEO, αὐτάρκεια μετ᾽ εὐσεβείας, portus, ad quem tendimus, unio cum DEO. Qui in DEO tranquillus viuit, ſecurus eſt ab omnibus paſſionum tentationumque inſultibus. Huc collimabat, de quo Gentiles adeò diſputabant anxiè, ſummi boni deſiderium, collimant Chriſticolæ omnes. Gaudium, quod inde naſcitur, haud eſt, ut ſunt rerum hujus mundi, momentaneum, chimæricum, ſed conſtans, per infinita ſecula duraturum. Virtus, quæ nos mancipia mundi & Satanæ vindicat in libertatem. Nanciſcitur αὐτάρκης in & cum DEO dominium in ſe ipſum, in imaginationem ſuam, voluntatem, affectus. Bonis, quæ ſummus Dator largitur, fruitur gaudens. In extrema paupertate diues, in acutiſſimis doloribus hilaris. Animum componit ad omnia, quæ ei contingunt, mediis tranquillus in undis, contentus iis, quæ decernit voluntas prouidentiſſima DEI. In hac ipſa virtute conſiſtit animæ ſanitas. Stat Marpeſiæ inſtar cautis medios inter dolores, paupertatem, diuitias, mortem ipſam immotus, neque eſt, quod ipſum ex centro hocce tranquillitatis dimouere queat. Medios inter mundi æſtuantis fluctus, medias inter ſcyllas & charybdes nauigans ſecurus appellit ad æternitatis portum. DEO appropinquat magis & magis, quo plus promouet vel cymbam vel pedem, trajiciens tandem per mortis fretum in mare illud diuinarum perfectionum, cumprimis bonitatis pacificum, bonis æternis fruiturus.

Ulteriorem meretur conſiderationem materia, quæ nos proximè tangit, graphica hominis delineatio. *Ecquid eſt homo mortalis, ut memoriam ejus habeas, & filius hominis, ut eum inuiſas?* En nullitatis noſtræ imaginem! *Paululum ſiquidem eſt, quo DEO* (אֱלֹהִים Diis) *inferiorem illum feciſti, tanta eum gloria & decore cinxiſti.* En dignitatem! En igitur ἐν θεῷ πλήσιον hominem! *formatum à DEO.* Gen. II. 7. *Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantusquantus ſum, & tamen deuoraſti me. Cogita, quæſo, quod me velut argillam finxeris, meque redacturus ſis in pulverem. Annon veluti lac fudiſti me, & velut caſeum me coagulaſti? Cute & carne veſtiuiſti me, oſſibus etiam & neruis me contexiſti. Vita*

 &

& beneficentia me proſecutus es, tuaque prouidentia ſeruauit meum ſpiritum. (Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: & ſic repentè præcipitas me? Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me: oſſibus & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.) Job. X. 8-12. Sed quomodo hæc omnia? Eſtne forſan nobilis adeò κτίσις, DEI imago, facta ex auro, vel margaritis, vel gemmis? Neutiquam. Nomen ei gentilitium eſt אדם *Adam, de terra,* quia *fictus ex luto terræ*, Gen. II. 7. quam primam nobilitatis noſtræ originem fatetur & Jobus l. c. Conſtat itaque homo ex materia informi, & formando corpori adeò artificioſiſſimo inepta prorſus; Negationem id vocant Philoſophi. Heic igitur ex parte DEI opus fuit potentia atque ſapientia infinita. Nos autem habemus, quod inde diſcamus. Si χοϊκοὶ ſumus 1. Cor. XV. 47. ſumendi nobis non ſunt faſtus ſuperbi, non erit, cur alios ejuſdem nobiſcum nobilitatis ſuperciliosa deſpiciamus fronte. Introſpiciendum continuò eſt fragilitatis noſtræ & mortalitatis ſpeculum: dirigendæ omnes corporis noſtri actiones ad gloriam Ter Optimi, Ter Maximi; Continua lectio ſit: Noſce te ipſum, potius quàm alia extra nos omnia; Eſt materiale hoc & fragile domicilium, oſſea & carnea domus, unita intimè cum ente cogitante, ſpirituali. Heic iterum aperitur nouum, quod nos in ſummam conjicit admirationem, theatrum. Quis, amabo, eſt, qui unionem hanc omni naturâ ſuperiorem dedit effectui? Adamus fortè ipſe, qui corpori ſuo comitem adjunxerat adeò nobilem? num fortuito quodam concurſu corpus ex terra fungi ad inſtar pronatum attraxit ſibi ens cogitando actuoſum? Qui fit, quod omnes impreſſiones ac motus corporis adeò certò, adeò actutum, momento citius, tranſeant ad mentem? quod anima nuntios hosce, qui haud rarò triſtes ſunt, aditu haud arceat? quod impreſſiones factæ excitent in mente præciſè has illasue cogitationes, & tales, quæ motibus illis corporeis reſpondent examuſſim? quod certas ideas mentis ſequantur certi motus corporis? quod neque anima, neque corpus, vinculum hoc per vitam durabile queant ſoluere? Quàm fortè eſſemus felices, ſi ope pulueris cujuſdam errhini pro tempore animæ liceret migrare ex corpore, expatiari ad immenſæ molis corpora cœleſtia, Lunam, Planetas, Fixas, & inde redire ad corpuſculum, quod ecſtatici reliquimus? Pactum hoc indiſſolubile an corpus iniuit cum anima, vel hæc cum corpore? num memoriâ hæret tempus, quo fœdus hoc fuit pactum? Cur non anima, ex partibus contrahentibus haud dubiè præcipua, reſeruauit ſibi potiora dominii jura? cur ſeipſam ſubjecit ita, ut etiam inuita pendeat à

corpore? Cur non ſaltem inter articulos pr
minares poſuit exemptionem à dolore &
busuis ſenſationibus triſtibus? cur ſola vol
tati ſuæ ſubjecit brachia & crura, & cor
ventriculi, viſcerum nobiliſſimorum vitali
regimen reliquit alii Domino, vel fortuito Au
mati motui? Intende omnes ingenii vires,
hil inuenies, in quo figas pedem, niſi poter
ſimum liberrimumque DEI FIAT, quo D
MINUS DEUS *finxerat hominem puluerem de*
mo, & inflauit in nares ejus ſpiritum vitalem,
ctusque eſt homo in animam viuentem; Ens
tione præditum corpori unitum, vel corp
ſpiritui junctum, animal rationale. Gen. II.
Eſt hæc ipſa admiranda mentis cum corp
unio, quæ *hominem paululum facit* DEO (
angelis) *inferiorem*, quæ ipſum extollit ſu
animalia, imo totum mundum materiale
Et ex hac animæ rationalis parte *cinctus* eſt
inprimis *cum gloria & decore.* Sanè ſi ad
turam illius, actiones & vires attendamus, m
gnum quid profulget & eximium, ſed & ſ
produnt maculæ atque infirmitates benè m
tæ: radiantes videas in hac corona gemm
genuinas, ſed & fluores adulterinos: Infinit
parua quædam, ſed & debilitas magna: A
rum terræ mixtum. Jungit prænobilis ha
anima præteritum præſenti, ſed quoque e
brat ſeſe ad futurum. Diues eſt idearum m
terialium & ſpiritualium promptuarium.
nita licet infiniti tamen habet ideam. Conc
pit id, ſed non capit. Scit potius, quid infin
tum non ſit, quàm quid ſit. Scit, & certò ſc
haud eſſe quadratum, rotundum, numeris u
cunque magnis, qui vel totum expleant o
bem, exprimi neſcium. Imo verò finitur
ipſum, & certis limitibus clauſum non cap
niſi relatè ad ideam infiniti: ut ſanitas, r
bur, diuitiæ eluceſcunt magis juxta mo
bum, infirmitatem, egeſtatem poſitæ. Ra
piet nos porrò in admirationem, imo ſtupo
rem, *idearum* noſtrarum *uniuerſalitas*, *æterni*
tas, *immutabilitas*. *Uniuerſales ideæ* ſunt veri
tates ſeu notiones multis entibus, imò ejuſ
dem ſaltem generis omnibus, communes, qua
lis illa: impoſſibile eſt ſimul eſſe, & non eſſe
Totum eſt majus ſua parte: Lineæ rectæ omnes
à puncto ad punctum breuiſſima eunt via:
Omnia circuli puncta peripherica æquidiſtant
à centro: omnes tres anguli in quouis triangulo æquales ſunt duobus rectis. Sunt hæ
eædem veritates ſimul *æternæ*, fuere ante conditum mundum, erunt annihilato licet. Sunt
immutabiles proprietates illæ, omnibus futuris
entibus, circulis, triangulis competentes æquè
ac præteritis. Si vel dubitaret de omnibus ratio, de his tamen veritatibus fundamentalibus
dubitare nequit. Sed quot quantæue, bone
DEUS! heic quoque ſeſe manifeſtant ἀσθένειαι?
Anima noſtra ne ſe ipſam quidem cognoſcit. Incedit illa in abyſſo ignorantiæ & errorum tenebricoſa. Quid ſit, neſcit, qua ratione juncta ſit
cor-

orpori, quando & quomodo tam altum do-
ıinium, ſed & baſſum obtinuerit in corpus
ominium. Propriarum cogitationum & vo-
ıntatis ignara. Quàm ſæpe putat credere ali-
uid, vel velle, quod reuera nec credit, nec
ult! Quoties ſibi ipſa imponit, errans non ſo-
ım in intellectu, ſed & in voluntate. Quis
oin non miretur, quod DEUS enti adeò de-
li, dubitanti, erranti, corrupto ideam impreſ-
rit infinitatis? quam certè nos ipſi nec forma-
ıus, nec cudimus, finiti. Infinitè perfectum
ıs ſit oportet, quod ideas haſce nobis fuit
rgitum, noſtraſque certo ſenſu infinitas ani-
ıas creauit inſtructas viribus & intellectus, &
oluntatis. Sunt immutabiles hæ, uniuerſa-
s, & æternæ ideæ baſis, qua fundatur omne
itiocinium noſtrum. Et cur id non? Ex manu
EI æterni, veraciſſimi, veniunt. Eſt hoc
ſum, quod conſulendum nobis eſt, Oracu-
ım. Contradicere ei haud licet. Imo verò
mnibus licet animi viribus intenſis dubitare
on poſſumus, bis tria eſſe ſex. Pone, te du-
itare, vel dubitare velle, inuenies quid in te,
uod protinus coget in rationis gyrum, omni
liberans ſcrupulo. Quod ſi res, de quibus
rendum eſt judicium, haud ſuperent captum
oſtrum, ducent nos comites hi fidi in ſani ra-
ocinii viam, modo ſequamur ὁδηγὰς illos: qui
ſi ſeriò nobis ſuſpenſionem judicii ſuadent, ſi
bjecta ſint intellectui noſtro tranſcendentalia:
c euitamus errorum ſyrtes. Sunt hi ipſi Con-
liarii, æternæ hæ veritates, nobis reliquæ, id
ſum, quod communiter *rationis* nomine ve-
it. Hæc igitur eſt Præceptor noſter, hæc
oqui nos docet, & tacere, dubitare, credere,
ıdicare, affirmare, negare. Hæc eſt com-
ıune omnibus hominibus Oraculum. De
Iathematicis aliiſque inde fluentibus veritati-
us haud judicat aliter Scytha & Indus, quàm
os Chriſticolæ, haud aliter Braman quàm
rofeſſor Theologiæ. Unde veluti conſectarii
oco fluit, unicam eſſe, perfectiſſimam, infini-
è ſapientem quandam rationem, quæ lumen
occe accendit in omnium hominum animis,
c fulgore ſuo colluſtrat. Et eſt hoc ipſum ar-
tiſſimum, neceſſarium, totius ſocietatis hu-
ıanæ vinculum. Cogit hæc ratio inſenſiſſi-
ıos etiam hoſtes de iiſdem rebus ſentire idem,
lem formare judicium, ni contranitente con-
cientia paſſionibus corruptiſſimis rapti contra
orrentem nauigare velint. Hinc eſt, quod &
itioſiſſimi quique non audeant vitiis nomina
lare virtutum, vel has fœdo contaminare vi-
iorum titulo. Adeò majeſtaticus hic eſt ful-
or Reginæ hujus, ut vitia ejus conſpectui ſi-
tere ſeſe non audeant niſi virtutum larua veſti-
a. Inde à jactis mundi fundamentis nemo
el ſibi ipſi, vel aliis perſuadere valuit, præſta-
e fraudulentiam ſinceritate, inuidiam & odium
haritate, injuſtitias, prædationes, cædes, ju-
titia & beneficentia. Nempe uti in mundo
ıateriali noſtro unicus eſt Sol omnia collu-
ſtrans, ita in ſpirituali unicus veritatis Sol
mentibus noſtris irradians: non occidens un-
quam, nullis obnoxius mutationibus, omni-
præſens, utrumque hemiſphærium eodem
tempore, nocte dieque, illuminans. Hic Do-
ctor noſter & Judex viam nobis commonſtrat,
qua verum à falſo, virtutes à vitiis, apparens à
reali queamus diſcernere. Ita in ipſa ratione
mea, debili, ignoranti, mutabili in momenta,
erronea, inuenio DEUM omniſcium, infini-
tum, æternum, veracem, à quo ut πᾶσα δόσις
ἀγαθὴ, ita & veritates fundamentales, ad qua-
rum normam judicium ferendum, ortum du-
cunt. Quæ hactenus conſiderauimus genera-
tim, ſpeciatim applicari poſſunt & debent Scien-
tiis Mathematicis, utpote quæ non tradunt,
niſi quod ad conuictionem etiam Scepticorum
demonſtrant. Solidiſſimo huic fundamento
ſuperſtructas videas omnes omnis quanti, con-
tinui & diſcreti, numerorum & magnitudinis
proprietates, quæ reducuntur ad unitatem,
unitas autem ipſiſſima, quæ nullibi in rerum
natura eſt obuia, reſidet in ſolo DEO. Habet
& ſubtiliſſimus atomus ſuas partes, ſuum ſupe-
rius, inferius, dextrum, ſiniſtrum. Eſt qui-
dem una & unica noſtra mens, ens indiuiſibi-
le, ſed non unitatis primus fons: Entis hujus
indiuiſibilitas innoteſcit demum ex ipſa Unitate
DEI. De hac ſi non claram haberemus ideam,
docerent potius tot in mente noſtra fluctuan-
tes contrariæ cogitationes ejus diuiſibilitatem.
Verbo, fluit idea Unitatis ex DEO, reducitque
nos ad eundem Fontem. Ab hoc Uno, Crea-
tore & Conſeruatore unico, unicè *pendet* ani-
ma noſtra: ſibi, ſi penderet à ſe ipſa, eum da-
tura perfectionis gradum, quem quidem deſi-
derat: imo & ſeruatura conſtanter: non, quod
in dies & momenta experitur, erraret, non un-
quam à ſemita veritatis & φιλαγαθίας deflecte-
ret, ſed magis ac magis, ſi vel nondum perfe-
ctionis omnem gradum attigiſſet, perfectiorem
redderet. Pereximium eſt DEI donarium *vo-
luntas* noſtræ animæ, ſed bonum velle, velle
quod juſtum, laudabile, virtuoſum, verum,
eminentior eſt gradus. Minor ſi pendet à DEO,
cur non & major? ſi velle, cur non potius bo-
num velle? Quodſi mutationes omnes, for-
mationes, motus corporum pendent à DEO,
primo authore ac motore, cur non & volunta-
tis, bonæ nempe, mutationes, quibus ad al-
tiorem euehimur perfectionis gradum? Eſſe,
quod ſumus, velle, bonum velle, bonum age-
re, ſunt perfectionis gradus, unus altero ma-
jor & altior. Primus & ultimus in hac ſcala
ſi abſque conteſtatione eſt à DEO, cur non
potius reliqui? ὁ ΘΕΟΣ γάρ ἐςιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ
τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. Phil. II. 13.
Attamen ingens eſt inter mutationes corporum
& voluntatis diſcrimen. Non ſeſe mouent ipſa
corpora, ſed mouentur, & quidem à DEO jux-
ta regulas in mundum introductas. Sed alia
ratio eſt τῦ velle noſtri. Velle poſſum, vel

 nolle.

nolle. Liberrimo gaudebat arbitrio ante lapſum Adamus, ſed amiſit poſtea, & poſteri ſui, libertatem ad bonum, ſeruata inclinatione ad malum: quicquid proin boni vel vult, vel facit, id unicè acceptum referre debet gratiæ DEI. Conſiſtit in hac ipſa volendi libertate, præter alia, DEI imago ex homine prolucens, *gloria & decus*, quo hominem DEUS *cinxit*. Ineptiſſima omnium & abſurdiſſima de eſſentia animæ & libera voluntate opinio fuit illa Epicureorum, quod ea nil ſit niſi clinamen Atomorum, medium quid inter lineam rectam & curuam. Quis, niſi cui pro cerebro fungus eſt, libertatem tribuat Atomis, omnis cognitionis incapacibus, vel deuiationi qualicunque à linea recta? Quis non irrideat potius quàm refutet.

Ad *gloriam & decus*, quo DEUS hominem *cinxit*, pertinet quoque *immortalitas animæ*, demonſtrata cumprimis, & euidentiſſimè, in Verbo DEI reuelato, ſed & rationis & naturæ lumine colluſtrata. Jungitur lux luci, accendit una aliam. Affulget hæc hominibus, illa Chriſtianis. Argumenta ex Philoſophia Naturali & Morali petita, quamuis non aſcendant ad ſummum Mathematicæ demonſtrationis gradum, at id ſaltem faciunt, ut os obturetur infidelibus. Et obſeruandum heic probè, nulla adduci poſſe argumenta contra futuram poſt hanc mortem vitam, ſed oppidò multa pro illa, eaque ſummâ probabilitatis ſpecie nitentia. Connatum eſt mortalibus immortalitatis deſiderium, neque poteſt, niſi amens, & ſibi ipſi infenſus, priuare ſe ſpe futuræ vitæ, licet ea probabilis ſaltim fuerit. Brutalis indolis, non χοίρȣ duntaxat ἀνθρώπȣ, τεκμήριον eſt, vitæ & immortalitati præferre mortem atque annihilationem. Ἀντέχειαν vel in ſola probabilitate vitæ futuræ, licet ea futura haud ſit, contra Epicureos defendit Romanæ eloquentiæ parens. Infideli incumbit, debellare non ſolùm certitudinem, ſed quoque probabilitatem vitæ poſt hanc ſecuturæ. Si cui vel probabilis ſaltem videbitur hæc veritas, viuet is ita in hoc mundo, ut vitæ heic transactæ haud eum pœniteat in altera vita. Atheorum nullus frontis eſt adeò æneì, ut negare auſit, pios manere præmia, impios pœnas in altera vita, ſi talis futura ſit. Quod probabile eſt, id falſum dici nequit. Eſt hæc rationis via infidelibus ipſis ouile Chriſtianæ Religionis intraturis aperta, calcanda Miſſionariis. De hoc argumento aliàs plura.

Pergo ad dominium nobili huic ſimul atque indignæ creaturæ traditum verſ. 7. 8. 9. *Dominum eum operum, quæ manus tuæ parauerunt, conſtituiſti, cuncta ejus pedibus ſubdidiſti: Greges & armenta uniuerſa, etiam jumenta campeſtria: Volucres, quæ in aëre, & piſces, qui in mari verſantur, & quicquid per maris itinera tranſit.* Qui ſui eſt Dominus, felicius tantò alios regere nouit. Explicationem proin hanc meam inchoabo, ab *animæ dominio*, quod habet *in corpus*, quod fundatur unione reuerà miraculoſa animæ & corporis, pendente immediate à DEO. Vix cogitat Monarcha hic, Anima, in cerebri throno ſedens, vix vult, ut corpus ambulet, ſtet, ſedeat, ac protinus, momento citius, exequitur juſſa, ambulat, ſtat, ſedet, & quidem juxta Diuinæ Mechanicæ regulas. Influunt abſque mora ſpiritus, ſi qui ſunt, animales per neruos in hos illosue muſculos, præpondium his daturi ſuper antagoniſtas: expanduntur illicò veſiculæ muſculares, mouentur, inſecutâ harum contractione, oſſa atque membra integra, ſed ignorat prorſus Monarcha ille, qui juſſa dat, modum. Imperatorem en, qui ad certum quendam finem ordinatiſſimè inſtruit exercitus aciem, ac ducit ignarus ipſe, quot qualesue habeat copias, an & quomodo ſint armatæ, qua via ituræ! Milites, qui juſſa Imperatoris capeſſunt, imò & officiarios, ratione deſtitutos, imo ne quidem ejus capaces! Rem maximi momenti, cui aptus æquè rudis agricola, atque acutiſſimus Philoſophus! Sed quam arctis eſt dominium hocce abſolutum ſimul & cœcum, limitibus circumſeptum, actionum nempe voluntariarum, exemptis ab hoc dominio actionibus iis, quæ fiunt vel inſciâ animâ, vel & inuitâ! Ne latum quidem unguem excedit Monarchia hæc corporis noſtri terminos. Indicat neceſſariò, monſtrat atque demonſtrat altum hoc ſimul & baſſum dominium aliud eminentius longè, imo infinitè potens, quod abſolutè diſponit de omnibus. Exerit ſeſe infinita hujus *dominii* vis cumprimis in eminenti illo animæ imperio, quod exercet in *ideas* infinitas illas in cerebri ditiſſimo gazophylacio latentes. Reconditos heic videas innumerarum rerum, quæ intra & extra nos, atque in natura ſunt, theſauros: varietates omnes & gradus qualitatum ſenſibilium, luminis, colorum, ſonorum, odorum, ſaporum, corporum totius uniuerſi totalium & partialium. Cimeliarchium pretioſiſſimis & exquiſitiſſimè elaboratis picturis exornatum, quas poſſeſſor ad nutum quouis momento diſponit, collocat, ordinat; ad quas omnes omnium pictorum peritiſſimorum operæ ne umbræ quidem rationem habent. Corrigere poſſunt & audent in arte rudes, ſed pretioſo hoc idearum innatarum theſauro donati, errores eorum etiam, qui arte Apellæa pingunt. Quis nunc eſt, qui penicilla parauit, qui manus duxit, qui colores miſcuit? Ampliſſimum en, & omni eruditione refertiſſimum librum, quem & idiotæ legunt, atque intelligunt! ſed quis ordinauit, diſpoſuit, concinnè adaptauit characteres, quibus conſtat? Caſui certè heic nullus eſt locus; neque nos ſumus Artis hujus Typographicæ auctores, conſcii probè, nos neque formaſſe has ideas, neque diſpoſuiſſe in ordinem. Undenam mihi in eas dominium, quæ, ad exemplum illorum militum, ad nutum meum

acce-

cedunt, atque diſcedunt? Abſcondunt ſeſe,
:c ſcio, quorſum : redeunt iterum, ſed ne-
io, unde? Quales ſint, quantæ, cujus figu-
:, ubi reſideant, ignoro cum ignariſſimis, &
nen ſunt quouis momento paratæ ad nutum.
uto eas, necto, ſeparo, absque tamen quod
iatur ulla confuſio. Si fortè loco ejus, quam
ıæro, alia ſeſe offerat idea, remitto eam,
ens, adeſſe quoque, quam deſidero. Quæ-
, reperio, neſcius quomodo, vel ubi? Me
ſum quæro intra me, quoniam me ipſum
pe amitto. Recordor ejus, quod excidit
emoriâ. Tranſit, ut ita loquar, ante ocu-
s meos homo, αὐτὸς ἐγὼ, qualis fui in infan-
, pueritia, adoleſcentia, conſtituta ætate &
nili. Subit memoriam voluptas, qua fruitus
m ante 20. annos & plures, licet non ſen-
im talem, qualis fuit olim. Triſtes animo
oueniunt, qui olim mihi contigere, caſus,
nnibus ſuis circumſtantiis ſtipati, ſed non af-
iunt, ut affecêre olim, ſimiles igni picto, qui
on urit. Et ipſum, quod eſt in recordatione
ſcrimen, notas ſuggerit characteriſticas ho-
inis pii vel impii: Recordatur ille ſcelerum
ommiſſorum ſummâ affectus triſtitiâ, calami-
tum maximo gaudio, centrum tranquillitatis
æ collocans unicè in DEO: hic lætus me-
init voluptatum peccaminoſarum, quibus
im fuerat immerſus, impatiens aduerſita-
m.

Non ſuffecerat homini *dominium in corpus*
ideas, conceſſa ipſi Monarchia in alias quo-
ıe creaturas. *Dominum eum operum, quæ ma-*
us Tuæ parauerunt, conſtituiſti, cuncta ejus pe-
bus ſubdidiſti. Greges & armenta uniuerſa,
iam jumenta campeſtria; Volucres, quæ in aë-
, & piſces, qui in mari verſantur, & quicquid
r maris itinera tranſit. Ex Hiſtoria Creatio-
s conſtat, theſauros naturæ omnes non ſo-
ım fuiſſe Protoplaſtæ oſtenſos veluti in thea-
o, ſed traditos. *Comedere* is poterat delica-
ſſimos fructus *de omni ligno hortorum*, exce-
ta *arbore ſcientiæ boni & mali*, quæ poſtea
eruices noſtras maximis preſſit calamitatibus,
en. II. 16. 17. Ad pedes jacebant pretioſiſſi-
ıæ margaritæ, fulgentiſſimæ gemmæ, puriſ-
mum aurum. Aderant homagium Domino
ræſtatura omnia bruta, & recipiebant nomi-
a in ſignum ſubjectionis. *Quodcunque enim*
omen Adam viuentibus indidit, hoc nomine no-
inabantur. Indidit itaque Adam nomina cui-
ue jumento, & volatili cœli, omnique beſtiæ agri.
Omne enim, quod vocauit Adam, animæ viuentis,
ſum eſt nomen ejus. Appellauit Adam nomini-
us ſuis cuncta animantia & uniuerſa volatilia
œli, & omnes beſtias terræ.) Gen. II. 19. 20.
Jt in nouæ ſubmiſſionis ſignum nouis fuere
uncupati nominibus Joſephus à Pharaone,
Gen. XLI. 45. Daniel cum ſociis à Nebucad-
ezare Dan. I. 7. Ut noua accipiunt nomina,
ui nomina dant monaſteriis utriusque ſexus,
c ipſe ſupremus Religionis Romano-Catholi-

cæ Monarcha titulum adſumit Serui Seruorum. Sed quoque νεόνομα diploma dominii feudatario conceſſi extat Gen. I. 28. *Fructum edite, & augeſcite, & implete terram, & ſubjicite eam, & dominamini in piſcem maris, & in volucrem cœli, & in omnem beſtiam, quæ reptat ſuper terram.* Et iterum Gen. IX. 2. *Pauor & tremor veſter erit ſuper omne animans terræ, & ſuper omne volatile cœli, quicquid mouetur, aut repit in terra, quidquid eſt in piſcibus maris, traditum eſt in manus veſtras. (Terror veſter ac tremor ſit ſuper omnes volucres cœli, cum uniuerſis, quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.)* Teſtimonium quoque legitur Jac. III. 7. πᾶσα φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμαςαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ. Ubi animaduertendum homini adſcribi etiam dominium in piſces maris, licet nullibi legamus, accepiſſe hos nomina ſua ab Adamo. Negari autem nequit, debilitatum fuiſſe multùm hoc in animalia dominii jus per lapſum primæui parentis. Ferociſſima certè animalia quæque haud ſeſe ſubtraxiſſent à manſueta ſubjectione, ſi homo manſiſſet imago DEI talis, qualis fuit creatus. Idem ille DEUS, qui Leonum obturauit fauces, ut Danielem ſeruaret, & Paulum præſeruauit à venenati ictus noxa, tantam habuiſſet pro conſeruatione hominis curam, ut ſecurus viuere potuiſſet inter Serpentes, Leones, Tigrides. Sed poſtquam rebelles facti ſumus DEO, jugum etiam excuſſere bruta, neque duntaxat Leones, Tigrides, Serpentes, ſed & Culices, Pulices, Pediculi, animalcula alia minora adhuc; & quid non damni inferunt minimi puncti animalcula illa, quibus peſtis cauſam & incredibiles noxas adſcribunt nonnulli? Attamen manſere veſtigia primæ illius, quæ in innocentiæ ſtatu obtinuit, dominationis. Maximæ molis bouem ducit infans ad lanienam, inequitat Equo & Elephanti, canum ducit cateruam, quorſum vult cunque. Neque eſt animal ullum adeò ferox, ut ſeſe ſubtrahere queat ab hominis dominio, inſidiis, arte, vi, dolo. Agnouere id Gentiles quoque ex lumine naturæ, experientiâ edocti. *Euripides* apud *Plutarch. Lib. utra Animalia* &c. βραχύ τοι σθένος ἀνέρος, ἀλλὰ ποικιλίας πραπίδων δαμᾷ φῦλα Πόντου, χθονίων τ᾽ ἐανὰ παιδεύματα. *Paruum eſt hominis robur, ſed mentis ſolertiâ ſibi ſubjicit maris belluas, & terreſtrium ſubtilem ſcientiam. Oppianus Halieut.* L. V. fere initio.

- - οὐ γάρ τι πέλει καθυπέρτερον ἀνδρῶν,
Νόσφι θεῶν. Μούνοισι δ᾽ ὑπείξομεν ἀθανάτοισιν.
Ὅσσους μὲν κατ᾽ ὄρεσφι βίην ἄτρεςον ἔχοντας
Θῆρας ὑπερφιάλους βροτὸς ἔσβεσεν; ὅσσα δὲ φῦλα
Οἰωνῶν, νεφέλῃσι καὶ ἠέρι δινεύοντα
Εἷλε χαμαίζηλόν περ ἔχον δέμας; οὐδὲ λέοντα
Ῥύσατ᾽ ἀγηνορίη δμηθήμεναι. οὐδ᾽ ἐσάωσεν
Αἰετὸν ἠνεμόεις πτερύγων ῥόθος. ἀλλὰ καὶ Ἰνδὸν
Θῆρα κελαινόρρινον ὑπέρβιον ἄχθος ἀνάγκῃ,
Κλῖναν ἐπιβρίσαντες, ὑπὸ ζεύγλῃσι δ᾽ ἔθηκαν
Οὐρήων ταλαεργὸν ἔχειν πόνον ἑλκυςῆρα.

 Non

Non enim quidquam eſt hominibus ſuperius
Præter Deos: & ſolis immortalibus cedimus.
Quantas quidem in montibus vim imperterritam habentes
Feras extinxit homo? Quot autem ſæcula
Auium, quæ in nubibus & aëre verſantur
Cepit, licet humile corpus habeat? Neque Leonem
Liberauit fortitudo, quo minus ſubjiceretur. Neque ſeruauit
Aquilam ventoſus alarum motus. Sed & Indam
Belluam nigro corio vi flexerunt
Vaſtum onus ei imponentes, & ſub mulorum jugis poſuerunt,
Ut difficilem trabendi laborem ſuſtineret.

Sunt porrò nonnulla aduertenda circa Textum Dauidicum, ſiquidem eum conſideramus, ut Moſaicæ de Creatione Hiſtoriæ commentarium. Ex ſidereo cœlo deſcendit ad nos Diuus Pſaltes non per gradus; inſalutatis Saturno & Ioue, horumque ſatellitibus, & Marte; nihil nobis refert de horum Planetarum incolis, horum indole, utpote qui noſtro dominio haud ſubſunt: ſed unico veluti ſaltu ex altiſſimo cœlo deſcendit ad terram, ad nos ipſos mortales, ad bruta nobis ſubjecta. Ita & Moſes, poſtquam aperuit theatrum uniuerſi Gen. I. 1. *In principio creauit DEUS cœlum & terram,* protinus pergit ad Hexaemeron, quod terraqua-aërei globi elaborationem unicè ſpectat. Neque Moſis, neque Dauidis ſcopus fuit, tradere Syſtema Aſtronomicum, corporum mu di totalium Theoricam deſcriptionem, ſed q dem docere Judæos & nos, quod pulcher ma illa mundi διακόσμησις neque extiterit ab terno, neque orta fuerit ex fatalis neceſſita caſu, ſed opus ſit DEI omnipotentis, omni pientis, Ter Optimi, Ter Maximi, quod ſu ſtantiæ omnes ortum habeant à DEO, ut nos ἐν αὐτῷ ζῶμεν, κινούμεθα καὶ ἐσμέν. Act. XVII. ipſe proin ſit Dominus noſter & Legislator, n ſubditi; quod noſtri ſit officii, diuinas deu mente adorare perfectiones; quod non ſolù terræ hoc noſtrum domicilium tot, quæ nob ſeruirent, impleuerit creaturis, ſed & ipſa c leſtia corpora Sol, Luna, Stellæ tum erratic tum fixæ nobis inſeruirent terricolis: comme dant atque inculcant pientiſſimi viri nobis h millimam deuotionem, auertunt à peccati utpote quæ magnam dominii in creaturas pa tem nobis ſubtraxerint, ſpeciatim ab idolol tria: docent viri DEI, in DEO & à DEO e omne bonum, omne malum à nobis, in tu piſſimam Apoſtaſiam prolapſis. Cœleſtia a tem corpora deſcribuntur reſpectu noſtri, & it ut ſufficientiſſimam nobis forment Creator cœli terræque ideam. Et ne hanc terrella quidem depingit Sacer Codex, qualis ſeſe h bet in interioribus viſceribus, ſolam præſent ſuperficiem externam, & quæ ibi ſunt. Omne autem hanc tractationem claudit Jeſſiades can tor pio epiphonemate: DOMINE, DOMINU *noſter, quàm magnificum eſt nomen tuum in un uerſa terra!*

TAB. DXXXVIII.

Pſal. XII. verſ. 7.

Eloquia DOMINI eloquia munda (ut) argentum excoctum in catino terreo, ſepties depuratum.

Eloquia DOMINI, eloquia caſta argentum igne examinatum, pro batum terræ, purgatum ſeptu plum.

IMroth Jehouah, אִמְרוֹת יְהוָה, *eloquia* DOMINI, τὰ λόγια κυρίε, verbum DEI, voluntas in verbo DEI reuelata, leges omnes & decreta DEI, in natura & gratia, *eloquia munda, ut argentum excoctum in catino terreo, ſepties depuratum*, λόγια ἁγνὰ, ἀργύριον πεπυρωμένον, δοκίμιον τῇ γῇ, κεκαθαρισμένον ἑπταπλασίως. Non duntaxat argentum, non duntaxat argento æquiparandum quid ratione pretii, ut *lingua juſti electum eſt argentum*, Prov. X. 20. Non argentum ſimpliciter depuratum, ut eſt panis metallifoſſorum linguâ, *Blick*, *Plick*, *Blick-Silber* dictus, *der Kuchen, ſo vom Treib-Herd kommt*, in inferiori græcitate forſan ὀφθαλμικὸ cognominatus, quod oculi inſtar micet, & ſphæricæ ſit figuræ; ſed argentum ab omni metallorum aliorum conſortio liberatum, depuratiſſimum, imo *ſepties depuratum.* Notanda heic δοκιμασία argenti, idque depurandi, quod variat, artificium. In terræ viſceribus non ubique, imo raró, eſt obuium argentum purum putum, quod ſtatim eſt ſuum, quale capillare illud, ſed ſunt argenti venæ, eæque diuerſorum valde generum & nominum, ſociatæ particulis heterogeneis, terreis, lapideis, metallicis aliis, igne depurandæ multoties, & hoc ipſum, quod



Psal. XII. v. 7.
Argenti excoctio.

Pſal. XII. v. 7.
Schmeltz - und Läuterung des Silbers.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

uod prodit, argentum non eſt finiſſimum, *ein 6.löthiges Silber.* Peragitur id labore haud le-i; venæ ſi ſint rebelles, indomitæ, *wilde, eiſſig, beiſsgretig*, torrendæ ſunt prius igne, iortificandæ ſunt, ut ita loquar, particulæ ex-rementitiæ, & inuiſcandæ plumbo, quod ar-ento additur in fornace fuſorio, ut tandem rodeat purum. Sed ipſi hi panes, ſi non ſint iiſſimi, alias ignis probas ſuſtinere debent in ouis cupellis, quæ parantur ex terra, & cine-bus probè elutriatis. Cum hujusmodi ar-ento ſummum puritatis gradum adepto com-arat Pſaltes DEI verbum, ab omni traditio-um humanarum, falſarum imputationum at-ue interpretationum conſortio liberatum. De-urari autem ſolet argentum aurumue addito lumbo, vel antimonio. Si æs ſit argento iixtum leui opera calcinari ſolet, addito ſulphu-:, ſulphur ſeparari ab ære per ſalia fixa, ita ræcipitabitur æs in ſcorias, proditque argen-im finum. Docet nos *Hombergius dans les Mem. de l'Acad. Roy.* 1701. p. 41. nouum eum-ue commodum depurationis modum. Cal-inat is argentum cum ſubduplo ſulphuris com-iunis, maſſæ fuſæ injicit repetitis vicibus li-iaturam ferri; ſic ſecedit argentum à ſulphu-e, ſociabit ſe hoc ferro, innatabit id ſcoriarum orma maſſæ fluidæ, atque præcipitabitur ar-entum ad catini fundum. Ἀιτιολογία hæc eſt. Continet ſulphur commune copiam acidorum alium, quibus & ſaturata eſt aqua fortis. Sa-a hæc ignis ope in fluorem redacta fundent rgentum, aſſociabunt ſeſe ferro injecto, quod olutu facilius eſt argento; ut unum facilius eſt lio metallum, propter variantem ſtructuram, articularum metallicarum denſiorem laxio-emque compagem, quam proin facilius ſubi-unt ſalia acuta menſtrui, vel difficilius. Et ommuniter, quò leuius eſt metallum, eò eſt ſolutu facilius, ſtannum auro, ferrum ære, æs argento. Imo verò præcipitabitur unum me-tallum ab alio. Aurum ſi fuerit ſolutum in aqua regia, injecto ſtanno, præcipitabit ſe forma pul-ueris violaceo-purpurei: Argentum ſolutum in aqua forti injecto ære præcipitatur forma calcis: ſuperinjecto inſuper ferro, præcipitabi-tur quoque æs forma pulueris rubri. Præci-pitabitur ſemper prius metallum quodque gra-uius ſpecificè. Caſtra ſequens miles, ſi ideam ſibi formare cupiat difficilioris ſolutionis gra-uium, & facilioris leuiorum metallorum, exer-citum ſibi fingit vel legionem, cujus acies eſt optimè ordinata & arcta: Politicus, ſi ſtatum harmonia ſuperiorum & inferiorum, legum ma-nutentione, juſtitiâ ab omni partium ſtudio re-mota cæmentatum veluti contra omnes vici-norum Statuum injurias conſiderat, quum con-tra ſocietas quæuis laxioris compagis, nullis fundata legibus fundamentalibus, vel & in ſe-ipſa diuiſa, leui operâ diſſoluitur & corruit.

Illuſtrando Textui inſeruiunt Figuræ ſequen-tes:

A. Catinus. Der Tiegel.
B. Teſta. Der Teſt.
C. Tegula. Die Muffel.
D. Forceps. Eine Zange.
E. Catinus ferreus vel æneus. Giſspukel.
F. Teſta, in qua panis minutus argenti. Teſt, worinn ein Blick Silbers.
G. Cochleare, quo panis excipitur. Eine Kelle, wormit die Prob genommen wird.
H. Cuneus ferreus, quo ſubleuatur argenti maſſa. Schleiſs-Eiſen, wormit das Silber aufgehaben wird.
I. Panis major argenti. Kuchen.

Adeſt præterea Tabula, in qua adnotatæ ſunt metallorum grauitates ſpecificæ.

Pſal. XII. verſ. 9.

Circumquaque enim oberrant impii, quum euehuntur, qui inter homines (*a*) perditiſſimi ſunt.

(*a*) Antonomaſia utuntur Hebræi, frequentius ſordes vel vilitates pro hominibus ſordidis, res pro perſona.

In circuitu impii ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

ALia quæuis quæſiuerit quis heic, quàm *hirundinem*, quam tamen inuenit Chaldæus interpres, qui ita reddit Textum: *Impii circumcirca (in cir-uitum) ambulant, ut ſanguiſuga, quæ ſugit ſan-uinem filiorum hominum.* Eſt animali huic re-tili corpus conſtans ex annulis, flexuoſum, eum in finem, ut quaquauerſum in limo pro-reptare poſſit; moturum ſeſe prius extendit, capite dehinc rei alicui affixo, corpus contra-hit, caudam capiti propius admouet, quæ mo-tus ratio obſeruanda quoque in lumbricis; ἰλύσπασις, ἰλύσπωμα dicta Græcis, emphatico ſa-tis vocabulo, quod *tractionem, protractionem in limo* notat. *Heſychius:* ἰλυσπᾶσθαι, τὸ παραπλησίως τοῖς ὄφεσιν ἢ σκώληξιν ἰέναι, κυλίεσθαι, εἰλεῖσθαι, *volutim trahi, ſerpentum aut vermium inſtar progredi, circumagi, conuolui.* Ita ſanè impii, qui obli-quas terunt & flexuoſas vias, pios circumuen-turi, in injuſtitiæ omniſque ἀνομίας limo prore-

 ptant.

ptant. Sed nuſpiam inuenias hirundinem in Textu Hebræo, neque in LXX.virali, qui ita: Κύκλῳ οἱ ἀσεβεῖς περιπατȣ͂σι, κατὰ τὸ ὕψος σȣ ἐπολυώρησας τȣ̀ς υἱȣ̀ς τῶν ἀνθρώπων, *in circuitu impii ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.* Fortè Chaldæus reſpexit tyrannos illos, qui ſanguinem è viſceribus populi exſugunt. Solomo Prov. XXIX. 2. *Quum imperitat impius, ingemiſcit populus, (cum impii ſumſerint principatum, gemet populus,)* & v. 16. *quum præſunt impii, creſcit transgreſſio. (In m tiplicatione impiorum multiplicabuntur ſcelera* Sumſit Chaldæus Hebræum זְלוּת *zylloth*, *litatem*, eo ſenſu, quo non ſolùm hominem na ci, vilem, ſed & epulonem, commeſſatore notat, & כְּרֻם *cerym*, *cum exaltatur*, legit p ר, quo ſenſu ſignificat, *ſicut ſanguinem voran* Fontem erroris detegit *Bochart. Hieroz.* P. L. V. c. 19. De ſanguiſuga videſis plura Prov. XXX. 15.

Pſal. XIII. verſ. 6.

At ego tua bonitate nitor, (hinc) exultat cor meum tua ſalute.

Ego autem in miſericordia tua ſpe raui. Exultabit cor meum in ſa lutari tuo.

OCcurrit heic phraſis in ipſo literali ſenſu emphatica, *exultat cor meum*, ἀγαλλιάσεται ἡ καρδία μȣ. Inueni, ſuperatis tot periculis & afflictionibus, Summum Bonum, perſuaſus de Bonitate DEI in hac, & æterno amore in altera vita, πληροφορȣμενος, certiſſimus de mea in Meſſia ſalute, perfunditur hinc cor meum gaudio, commoue tur ita à copioſo fluidi neruei influxu, ut majo ri vi ſanguis propellatur ex thalamis hæmaco tiſterii, cedere cogantur ſpiritus in extrem partibus, corde irrigato quidem de cerebro ſed & triumphum agente de eo.

Pſal. XIV. verſ. 1.

Dixit *(a)* ſtolidus in corde ſuo: Non eſt DEUS; corrupta & abominanda ſtudia ſectantur, nemo eſt, qui, quod bonum ſit, faciat.

(a) Nabal, ſtolidus homo, mentis deprauatæ & corruptæ.

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſ DEUS. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.

STultus igitur eſt, נָבָל *nabal*, Dauidis judicio, Atheus; amens animi, ſeu theoreticus ſit, ſeu practicus: mente captus, utcunque aliàs in rebus agendis promptus, opibus, honoribus abundans, utcunque ſcientia arteque clarus. Triſtiſſimam en hominis aliàs haud imprudentis imaginem! qui mundo pellere ſibi præſumit ens infinitum, æternum, Creatorem potentiſſimum, Conſeruatorem ſapientiſſimum, imo moralitatem omnem, ideas boni & mali, probi & improbi, juſti & injuſti, nullo habito diſcrimine: qui hæc omnia tribuit unicè legibus humanis, vario pro climatum variatione viuendi generi: qui in parallelo locat actiones virtuoſiſſimas, & flagitioſiſſima ſcelera, & hæc illaſue indiſcriminatim exſerit, dummodo ejus inſeruiant commodo.

Accipiunt Interpretum plerique hæc diui Pſaltis verba in ſenſu arctiori, de Atheis practicis, qui, perſuaſi licet de exiſtentia DEI, negant tamen vitâ ſuâ prouidentiam DEI, vel & de hac conuicti viuunt ſine DEO, ſine Lege DEI. Negant ſcilicet hi interpretes, dari Atheos Theoreticos, haud diffitentes quidem, poſſe homines carnis & voluptatum illecebris captos ideas ſummi numinis mentibus ſuis innatas obtenebrare pro tempore, ſed nunquam extinguere plenè, quin ex corruptæ mentis tenebris promicent ſubinde nouæ ſcintillæ, ad conuictionem conſcientiæ. Sed commodè nos generali ſtolidorum nomine, qui *dicunt in corde ſuo: Non eſt DEUS*, comprehendere poſſumus Atheos quosuis. Qui Deiſta negat DEI vel prouidentiam, vel juſtitiam, ſapientiam, omnipotentiam, in creatione & conſeruatione mundi, quonam, quæſo, alio nomine venire poteſt quàm Athei? Fluit namque prouidentiſſima omnium rerum & actionum cura ac moderamen ex ipſa natura & eſſentia DEI. Qui proin negat prouidentiam, negat & exiſtentiam DEI. Quicquid confiteatur ore, *dicit in corde ſuo: Non eſt DEUS.* Stoicorum quoque aliorumque Philoſophorum Gentilium hoc fuit effatum: DEUS eſt, ergò & prouidentia. Sed

ſtolidi

olidi hi inuertunt ſyllogiſmum: nulla eſt pro-
identia, ergo & nulla DEI exiſtentia. Mo-
ɔrni Deiſtæ, qui non ſolùm non Chriſtiadum
opulo ſeſe adſociant, ſed omni niſu, & ratio-
bus ſubtiliſſimis ſubuertere tentant capitales
:ritates de prouidentia DEI, de animæ im-
ortalitate, de ultimo judicio, de entium ſpi-
ualium qualiumcunque exiſtentia, quid ſunt
ſi Athei? Sunt hi ſpecioſo Deiſtarum titulo ſecu-
ores à communi hominum odio, à Regimi-
s Politici atque Eccleſiaſtici inquiſitione, licet
iuinitatis nomine aliud non intelligant niſi
ateriam certam æternam, inanimatam, vita,
nſu, cogitationibus carentem, animam mun-
communem, nil minus quàm infinitè ſa-
entem, optimam. Contribules proin Atheis,
lidis, qui dicunt in corde ſuo: Non eſt DEUS.
eteriores Epicuro, qui eo vixerat æuo, quo
teger orbis idololatriâ fuit inundatus, & ta-
en populi rabiem & Magiſtratuum odium ef-
giturus multa locutus eſt de DEO, ſed tan-
iam de muta perſona, rerum humanarum
curia, de mundo tanquam Atomorum for-
ita congerie; de viſu, imaginatione, cogita-
nibus, ubique penetrantibus, formas rerum
nnium ſeruantibus, à quibus promanent.
erbis reliquit DEUM, re ſuſtulit. Fuit uti-
e tunc temporis mundus integer μωροδοχεῖον,
innumeri Dii Deæque ſpecie humanâ ado-
ti: plebs hac Deorum corporeorum repræ-
ntatione coacta in rationis gyrum à Philoſo-
is: Jupiter fulmigera majeſtate exutus, cura
rum eminus actarum & agendarum exem-
us, ad cœli interiora, & vitam otioſam rele-
tus, quam non turbare poterat niſi fortui-
m quoddam Atomorum confuſè volitantium
amen.

Demonſtranda nunc venit ſtultitia Athei.
uis non ſtolidum reputauerit eum, qui à Me-
co expertiſſimo certus redditus de inſtanti ſi-
delirio, priuatione intellectus, totali & finali,
udio nihilominus perfunditur ex ſpe amplæ
ereditatis poſſidendæ? maleficum, cui hora
ortis paucos intra dies horasue ſubeundæ in-
cta, ſi læto teſtetur gaudia plauſu ex donario
i facto mille Imperialium? Deliri tales imo
ſani ſunt Athei & Deiſtæ, imo mente capti
agis. Homines educati in medio Chriſtia-
ſmo, imbuti cognitione entis infiniti, Crea-
ris potentiſſimi, ſapientiſſimi, optimi, dona-
ab eodem, & ex ſingulari quidem gratia, ani-
a rationali, locati in hoc mundi theatrum ad
ontemplandum corpora infinitæ pulchritudi-
s cœleſtia atque terreſtria, manuum DEI ope-
, deprædicandum virtutes DEI; inſtructi re-
us omnibus ad vitam benè & commodè agen-
am neceſſariis: quibus DEUS, ſub conditio-
e deuotæ obedientiæ, ex gratia promiſit libe-
tionem ex omnibus periculis & anguſtiis; qui
a amauit mundum, ut dederit τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν
ονογενῆ, Joh. III. 16. characterem expreſſum ſuæ
ſſentiæ, DEUM ipſum coæternum, φωτίσαι ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν, 2. Tim. I. 10. qui non impoſuit hominibus inſupportabile jugum, ſed ζυγὸν χρηστὸν, καὶ φορτίον ἐλαφρὸν, Matth. XI. 30. ἐντολὰς οὐ βαρείας, 1. Joh. V. 3. pollicitus σωτηρίαν αἰώνιον, Hebr. V. 9. Κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, 1. Pet. I. 4. Gaudium ſine fine, vitam æternam, ubi nullum morborum genus, nulla fatigat cura animos, qualia non oculo percepta nec aure cuiquam, nec fingi tacita qualia mente queunt, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, 1. Cor. II. 9. Homines inquam, qui hæc ſciunt omnia, ſed non æſtimant pluris, quam inania ſomni ludibria, dubii, an reuera exiſtat Creator optimus, Conſeruator potentiſſimus, vel annon potius in mundo nihil ſit præter materiam inſenſilem, paſſiuam, opacam, fortuito caſu actam; annon fortè homines ex terra fuerint ſponte prognati fungorum ad inſtar; cogitationes & quod animam vocamus, nil niſi Atomorum impulſus, attritus, motus, ceſſantes ceſſante motu ipſo; & hujusmodi deliramentis deliniti abjiciunt ſpem omnem vitæ futuræ, læti & veluti ouantes ſeſe lactant ſpe totalis annihilationis vel interitus. Hi inquam, vel hæc hominum monſtra, quid aliud quæſo ſunt quàm inſani, amentes, ſenſu omni ac ratione orbati, ἄθεον, καὶ ἄλογον, καὶ ἀναίσθητον γένος, *Max. Tyr. Diſſ.* I. Suntne adeò pendenda flocci magni palatia cœli, regna beata poli? ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος; ὁ τῆς ζωῆς στέφανος; 2. Tim. IV. 8. Jac. I. 12. Eadem ſi librentur lance αἰώνιον βάρος δόξης, 2. Cor. IV. 17. & ſpe omni deſtituta Atheorum mors, atque finale exitium, hæc dixeris præponderare illo? Quonam alio quàm ſtultorum titulo venire queunt, qui perfricta fronte obnituntur omnibus de veritate demonſtrationibus, adeò firma baſi fundatis? qui *ſermonem DEI repellunt, ſeſe indignos judicant æterna vita*, Act. XIII. 46. Tenebras præferunt luci, interire malunt æternùm, quàm hæredes eſſe vitæ æternæ; ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, Phil. III. 19. priuatio omnis boni æterna, ὧν ὁ Θεὸς ἡ κοιλία, voluptatum carnalium uſus, ὧν ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ. Homines commutati in ἄλογα ζῶα, tantò quidem magis, quod Atheiſmum haud ſuperſtruant ratiociniis, ſed voluptatibus plusquam brutalibus. Non eſt cœli beata ſedes regnum omnibus hominibus hæreditarium. Corona vitæ reſeruata iis ſolis, qui viuunt σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, Tit. II. 12. Fac monſtra hæc hominum omni contentione animi quærant rationes, quibus immortalitatis ſpem adeò læti, ut facere videntur, amittant; inuenient nihil, oleum perdentes & operam. Plauſibile adeſſet quidpiam, ſi conditiones præſcriberentur impoſſibiles effectu; ſi peterentur, quæ rationi & κοιναῖς ἐννοίαις ſunt aduerſa; ſi credere juberemur, unam eandemque rem eodem tempore & modo ſimul eſſe & non eſſe, bis duo non dare quatuor, ſed decem, diametrum circuli ejusdem eſſe cum peripheria dimenſionis, poſſe

unum idemque corpus eodem temporis momento eſſe in pluribus locis. Foret ſanè religio hujusmodi fundata principiis humani generis probrum, regnum cœlorum ſtultorum & idiotarum peculium, non ſanæ mentis hominum: non poſſent non hi, ſi niti deberent ἀσυστάτοις hujusmodi & σιδηροξύλοις, viuere orbi remunerationis omni ſpe, certè ne vel minimâ probabilitatis ſpecie præuidere aut capere executionem promiſſi, quod baſi nititur indubiè falſa. Si talis foret Religio noſtra Chriſtiana, digna haud eſſet acceſſione vel unici Proſelyti. Si cœlum haud foret ſummum, ad quod anhelamus, bonum, ſi media obtinendi pretio ſuperarent cœlum ipſum, ſi reprobè penſitata præponderarent voluptates carnales, prætenſæ futuræ beatitudini obſeruatio Legum carni & ſanguini aduerſarum, τὸ, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, Marc. VIII. 34. Objiciunt equidem Athei Chriſticolis nobis, reddi nos inquietos formidoloſis adeò ignis infernalis præſentationibus, quibus commodius nullum obtendi poſſit, quàm Atheiſmi, remedium. Præferunt nempe illi, quia vitâ carnali portam æternæ beatitudinis ſibi præcludunt ipſis, damnatorum pœnis totalem animæ corporisque annihilationem. Sed ne ſic quidem ſeſe ab inſaniæ & ſtultitiæ imputatione liberant, quæ non ſolùm in eo conſiſtit, quod finalem & totalem annihilationem præferant immortalitati beatæ, ſed & in eo, quod opiatum hocce, quo animas reddunt ſtupidas, præſtantius judicent pœnitentiæ ſinceræ & ſalutaris remedio; ignorare malint τὸν πλοῦτον τῆς χρηστότητος τοῦ ΘΕΟΥ, καὶ τῆς ἀνοχῆς, καὶ τῆς μακροθυμίας, Rom. II. 4. ignorare, ὅτι ΧΡΙΣΤΟΣ ΙΗΣΟΥΣ ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, & præcipuos quidem, ὅτι ὑπὲρ ἀσεβῶν ἀπέθανε, καὶ ὑπὲρ ἐχθρῶν, 1. Tim. I. 15. Rom. V. 6. 10. Non rejicienda venit cauſa panici terroris, quem miſeris his infert damnatio, in religionem ipſam, ſed potius in religionis defectum, irreligionem, errores ſuperſtitioſos circa religionem. Virum probum haud afficiunt pœnæ, quas leges patriæ dictant latronibus, perjuris, neque terrori ſunt iis. Ita fidelis Chriſticola perſuaſus de vindicta conſumente, quæ manet impios, haud inde terretur, quin potius ſtimulis veluti actus μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν κατεργάζεται, Phil. II. 12. timore deuoto, filiali ſociatâ ſpe, charitate, & gaudio ἀναῤῥήτῳ, perſuaſiſſimus, ſi timeat, amet, honoret, colat τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ, Matth. X. 28. ſe haud iri præcipitatum. Affligunt hujusmodi tortores, dormientes quidem ſubinde, ſemper tamen rodentes, vellicantes, conſcientiam mordentes non ſolos Atheiſmi tyrones, fabularum ad inſtar, vel ſpectrorum, de quibus narrari ſolent infantibus hiſtoriolæ, ſed adeptos ipſos, qui ſummum abnegationis attigere culmen. Docent nos omnis æui hiſtoriæ, meticuloſiſſimos omnium fuiſſe & deſperatiſſimos, qui quidem

in conuerſatione & comeſſationibus fuere a
daciſſimi, ſed alii facti ab illis, ſi quando fue
vel ab hominum ſocietate remoti, vel morb
afflicti, vel per fulmina & tonitrua territi.
Atheus tranquillus, animo hilaris, coruo
rior albo, & vix, niſi fortè in libris, reperibilis

Sunt è contra maximi momenti, quæ ex
ligione fluunt, commoda. Qui CHRISTU
colit & amat, exultat gaudio in fide ad prom
ſa Euangelii, præſtolans perfectiſſimæ beati
dinis æternam poſſeſſionem, quæ exactis ſec
lorum millionibus nullam prorſus ſubit mu
tionem, eadem ſemper in infinitum, poſſid
tur ſemper, deſideratur ſemper. Dici nequ
qualis quantusque ſit in vires animæ fidelis
corporis ex glorioſiſſimi illius ſtatus forma ſ
influxus. Eſt vel ſolum hocce deſiderium i
menſi pretii, æterni gaudii certiſſimum pign
cœlum in hac terra, licet, quod impoſſibil
demonſtraret quis, vanam eſſe hanc ſpe
Confer, quibus ſibi adulantur, Atheorum pr
miſſa, extinctionem & annihilationem totaler
ἀποκατάστασιν, ſed ad nihilum. O infida infide
tatis præmia, à quibus natura tremens abho
ret! Maluere ipſi Gentiles in hac vita ſuffer
omnes inferni pœnas à Poëtis deſcriptas, quà
periclitari miſerrimæ vitæ immortalitatem, m
luere non eſſe, quàm æternùm viuere miſe
Collimat huc Saluatoris effatum Marc. XIV. 2
οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδ
ται. Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνο
Hoc ipſum continuandæ exiſtentiæ deſideriu
ſi animæ noſtræ eſt inſitum, quî, quæſo, pot
rit Atheus ſuam opinionem verſare mente, d
annihilatione ſui cogitare absque ſummo te
rore, animique deſperati conturbatione? Ob
jiciat fortè, ceſſaturum fore deſiderium hoc
poſt mortem, obuerſatur tamen terrifica hæ
idea menti, quamdiu trahit ſpiritum, imo ve
tentur in acerbiſſimum amarorem dulciſſima
voluptates quæuis. Tranquillius longè deg
anima, ſi conſiderat naturæ ſuæ nobilitatem
diuinam ſuam originem, imo imaginem, quan
gerit, DEI ipſius, quàm ſi hominem in paral
lelo locat cum vermibus, ortum deducens e
limo putri calefacto à Sole: ſi porrò perpen
dit, eſſe omnia creata, ordinata, conſeruata a
commune, inprimis ſocietatis humanæ bonum
quàm ſi uniuerſum foret confuſanea maſſa
nulla prorſus arte fabricata, ex fortuito Atomorum materialium concurſu orta. Quonam præterea ſeſe eriget ſolatio miſer homo in aduerſitatibus, ſi abeſt fiducia in beneuolum affectum & amorem entis infinitè potentis, ſapientis & optimi, quod ſolum auxilio venire ſcit, poteſt & vult? Hujusmodi homo πάντα ἰσχύει ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντι σε ΧΡΙΣΤΟΝ, Phil. IV. 13. Patienti fert animo omnia, quia lætus ſeſe ſubmittit diuinæ voluntati. Theſaurum poſſidet gaudii ſpiritualis, conſcientiæ ſerenæ, quæ tollit omnem miſeriæ præſentis atque futuræ metum. Quum contra ſit Atheus ex omnibus

crea-

reaturis miſerrima, ſolatio omni in afflictioni-
us deſtitutus. Unicum ultimumque ei reme-
ium ſunt venena, pugio, funis, præcipitium
: alto, mors violenta omnis, quam ipſam ja-
at *Lucretius* L. III. tanquam Sectæ characte-
ſticam notam, non conſiderans, quàm ha-
eat vita ἑλκυςικόν τι, tanquam digna conſeruatio-
:. Rationi congruunt omnia Chriſtianæ Re-
gionis officia. Eſt cultus, quem DEO præſta-
ius, rationalis, ſimulque fauens commodo
mporali. Sanitati hominis, dignitati, ſecu-
tati, imo & bonorum collectioni quid fauet,
uæſo, magis quàm charitas, modeſtia, ſo-
ietas, probitas, attentio ad vocationis offi-
a? Qui ouat nunc ſuperbus, mox lapſabun-
ım videbis, contemptui omnibus. Iræ vin-
ctæque cupidus nonne in ſui ſimiles incidit,
eluti nouacula in cotem? Inuidiâ Siculi non
uenere tyranni majus tormentum. Nonne
int inuidi, iracundi, auari, de colligendis bo-
is nimiùm ſolliciti, ſui ipſorum carnifices? An-
on videmus quotidie otioſos, intemperantiæ,
ıxuriæ deditos, voluptatibus carnalibus inhi-
ıtes ſeſe præcipitare in grauiſſimos morbos,
nominiæ atque infamiæ notas ſibi inurere,
l extremam inopiam redigi? Præceptum adul-
erii & fornicationis prohibitorium num ſolis
ſt datum Judæis & Chriſtianis? Nonne & Gen-
lium Legiſlatores eadem hæc vitia puniuere
ulctis, carceribus, exilio, morte ipſa? Quod
pſum, tanquam non nouum, Chriſticolis ob-
cere ſolebat Julianus Apoſtata. Imo verò to-
ım apud omnes gentes inuenias Decalogum,
ansgreſſoribus indictas pœnas, ſi legem exci-
ias de Sabbatho, & Pſeudo-Deorum cultu.
ı ruborem dat Apoſtata hic & infenſiſſimus
hriſtianorum hoſtis infideles noſtri temporis,
uibus præcepta hæc videntur rigida nimis,
uàm ut ſeruari queant; quum tamen ſint ra-
oni quàm maximè conformia, præſcripta à
hiloſophis non Græciæ & Italiæ duntaxat, ſed
aliarum Nationum barbararum. Ita ſanè ju-
icant Brachmanes in Indiis, Baniani in Impe-
o Mogolis, Talapoini in Regno Siam, Man-
arini in China, Doctores Peruani & Mexicani.
)eſinant igitur Athei culpam vitioſitatis ſuæ re-
cere in humanæ naturæ infirmitatem, tenta-
ones carnis & ſanguinis, quibus reſiſtere non
nt potis; quin accuſent potius concupiſcen-
as proprias carnales, ἀκράτειαν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυ-
ιῶν, quæ, *Platone* teſte *de Legib.* L. X. quoſdam
x Gentilibus ipſis præcipitauit ad Atheiſmum.
Graſſantur paſſim hic ibi vitia, quæ deduci
equeunt ex diuerſa climatum temperie, neque
nala ſunt unius ejuſdemque regionis endemia,
ed turpiſſimam conſuetudinem habent pro
aſi: exempli loco ſint dejerationes, intempe-
antia, ebrietas, Canibalum ἀνθρωποφαγία.
Pateſcit magis Atheorum Μωρία, ſi perpen-
amus uſum ex religione in ſocietatem huma-
am redundantem, rem adeò notam, ut Athei
pſi religionem diffamârint tanquam inuentum

politicum, quo collecti fuerint vagabundi homines in ſocietatem, & ſubjecti legibus. Nullo proin vel minimo prætextu poterunt peruerſi hi ſuffodere hoc fundamentum, vinculum ſocietatis ciuilis diſſoluere, conturbare omnia. Demonſtratu eſt facile, non ſubſiſtere poſſe hominum ſocietatem absque religione. Quis, quæſo, concipiet regimen absque proceſſibus juris? ſed quis officio Judicis poterit defungi, quis jus decidendi ei tradere absque obligatione juramenti? quis eſt, qui neſciat, nixum eſſe juramentum omne exiſtentiâ ſupremi numinis, cui omnis perſpecta eſt veritas atque falſitas, quiue perjuros & cognoſcit & punit? Vel, quî poterit ſocietas libera, qualis eſt humana in primogenio ſtatu naturæ, judicium tradere Judici Atheo, qui DEUM neque cognoſcit, neque adorat, neque timet? nonne judicabit is ex affectu, præjudiciis, arbitrio? Quis proin non videt, ſubuerti per Atheiſmum omnem juramenti vim, & ſocietatem ipſam, cum omnibus ex illo manantibus commodis? Eſt ſanè Syſtema Athei politicum, quale illud *Hobbeſii de Ciue* vel *Leuiathan* res non minus ridicula atque abſurda, quàm *Epicuri* ille *Ciceroni* allegatus Liber *de Sanctitate & Pietate aduerſus Deos*, περὶ ὁσιότητος. Conſtat vel populorum quorundam Americanorum exemplo (de Laet. p. 34. 47. 50. *Voyage du Sr. de Champlain* p. 28. 93.) miſerius nihil eſſe natione, quæ religione caret, ejusque fructibus, absque lege, absque ſocietatis vinculo, ſcientiis & artibus, nulli certæ alligata ſedi; & tamen ſunt hi agreſtes & feri minus Athei, quàm qui in medio educati Chriſtianiſmo omnes intendunt ingenii corrupti neruos, ut DEI exiſtentiam eneruent. Non *dicunt* miſeri hi *in corde ſuo: Non eſt* DEUS, quia vel ne cogitarunt unquam de DEO, vel ſaltem haud meditati ſunt de eo, ut quidem deceret. Ignorantiæ potius craſſæ & brutæ nomine venit hæc diſpoſitio, quàm impietatis. Merentur illi compaſſionem, hi odium, imò, ſi veneno ſuo inficiant ſocietatem, pœnas; pejores ſtolidis in Textu noſtro, qui *in corde ſuo* duntaxat dixerunt: *Non eſt* DEUS, non verò docuerunt impietatis hoc ſyſtema publicè. Eſt inprimis Magiſtratus, Princeps, Judex quiuis Atheus ſæua peſtis. Exemplo ſint ipſius Epicuri aſſeclæ. Fuere hi, ſtatim atque ſeſe, contra præſcriptum Magiſtri λάθε βιώσας, dilatarunt in variis Græciæ ciuitatibus, atque ſeſe rebus ſtatus immiſcuerunt, edictis ſeueriſſimis proſcripti, teſte Plutarcho, ὅτι οὐδὲ ἡδέως ζῆν &c. Ne tolerandus quidem eſt Atheiſmus in ſtatu priuatiſſimo, abjectiſſimo, & ſolitario, ſed ferocior longè fit beſtia, ſi conſcendat thronos, ſi regat exercitus terrâ marique, ſi præſit tribunalibus: Inde quid præſtoleris niſi perfidias, proditiones, oppreſſiones innocentum, rapinas, cædes, jurium & libertatis jacturas, tyrannides, & quid non? Imo verò ſi regionis foret dominans re-

ligio hæc ipſa irreligio, forent incolæ ipſi mortalium miſerrimi; foret hoc Satanæ regnum in ſe ipſum diuiſum, & Prouincia integra commutabitur in deſertum, latronum & ſicariorum habitaculum. Teſtimonium hoc dat *Joſephus de Bell. Jud.* L. II. c. 12. Sadducæis, qui Epicureorum Judæorum merentur titulum, quod odiis crudelibus inſurrexerint non ſolùm in alias Sectas, ſed infidi fuerint & crudeles erga ſe inuicem. In Atheum non cadit juſtitia, generoſitas, grati animi affectus, *ſi ipſe ſibi conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur. Cic. de Offic.* I. 2. Non eſt Atheus, quà talis, fidus vel amicus, vel ſubditus. Quis amicitiam quærat in latronum & furum ſocietate? ubi diſrumpuntur vincula ſocietatis, proculcatur probitas, extinguitur charitas, euaneſcit deuotio & fides erga Principem: fiſſuras agit & ruinæ datur regimen, proſcribuntur artes, ſcientiæ, opificia, vitæ commoda, intereunt, quæ laudabilia ſunt & utilia cunque.

Ex his omnibus conſectarii loco ſequitu ſtultum eſſe in ſummo gradu Atheum, D ſtam, qui doctrinam hanc peſtiferam liberè ligit, *mortem & malum* præ *vita atque bon* Deut. XXX. 15. *tenebras* præ *luce*, Joh. III. 1 tantò quidem magis, quia ad abſurda hæc dogmata non trahitur vi, non cogitur ulla n ceſſitate, nullum inde præſtolans commodu neque pro ſe, neque pro ſocietate ciuili; im verò, eſſe Atheiſmum, ſeu apertum ſeu t ctum, non ſolùm inſanientem ſapientiam, qu nomine Epicureis ipſis veniebat ſua doctrina ſed inſanientem ſtultitiam, quia hujuſmodi m ſeri non priuantur duntaxat commodis à rel gione deriuandis, ſed & ſpe beatæ immortal tatis in altera vita, præcipiti deſperatione ruen tès ad ſtygia barathra.

Hæc quoad maximam partem ex Cl. *Ben leji Concione I. contra Atheiſmum.*

TAB. DXXXIX.

Pſal. XV.

1. DOMINE, quis habitabit in tabernaculo tuo? quis in monte (a) tuo ſancto requieſcet?

(a) Vel in monte ſanctitatis tuæ, aut Sanctuarii tui.

2. Qui ambulat integer, &, quod juſtum eſt, operatur, quique in corde ſuo veritatem loquitur.
3. Non obtrectat lingua ſua, nec malefacit proximo ſuo, nec ſuſtinet probro indignè affici vicinum ſuum.
4. Contemptus eſt in oculis ejus reprobus, eos autem, qui DOMINUM timent, honorat, quodque jurauerit, etiamſi id damnoſum ſibi fuerit, non mutat.
5. Pecuniam ſuam non exponit ad fœnus, munus aduerſus innocentem nullum accipit: qui his rebus ſtuduerit, is in æternum nunquam nutabit.

1. DOMINE, quis habitabit in ta bernaculo tuo? aut quis requie ſcet in monte ſancto tuo?
2. Qui ingreditur ſine macula, & ope ratur juſtitiam: qui loquitur ve ritatem in corde ſuo:
3. Qui non egit dolum in lingua ſua nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduer ſus proximos ſuos:
4. Ad nihilum deductus eſt in con ſpectu ejus malignus: timentes autem DOMINUM glorificat: qui jurat proximo ſuo, & non decipit:
5. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit: qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

POſſunt conſiderari Pſalmi hujus verba tanquam ἐκτύπωμα hominis, qui verâ fide apprehendit Meſſiam Pſaltis tempore promiſſum, in pientiſſimi hujus Regis lumbis jacentem, præſtitum poſt in plenitudine temporis, ſed quoque ideam ſiſtunt viri probi, qui ex mero rationis ſanæ dictamine officiis ſuis defungitur erga DEUM, erga proximum & ſemetipſum. Dilucidationem prioris conſpectus linquo iis, qui vocati & ordinati

PSAL. XV.
Deo, Proximo, Tibi ipsi.

Pſal. XV.
Liebe Gott, den Nächſten, und dich ſelbſt.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

inati ſunt ad docendum religionem Verbo)EI reuelatam, & ducendum hac ipſa via ho- iines ad æternam ſalutem, contracturus me itra religionis naturalis limites, & officia ho- iinis ſanâ ratione præditi: Juſtitiæ & Bonitati)EI linquens, qualenam judicium ferendum : de iis ex Gentilium ampliſſimo numero, qui ύσει τὰ τȣ̃ νόμȣ ποιȣ̃σι —— καὶ ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τȣ̃ μȣ γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Rom. II. 14. 15.

Extra controuerſiam eſt & bonitati DEI con- ɔrmis naturalis religio reuelatæ ſubordinata, ıa nixa baſi. Integri de ea proſtant Libri. em ego contraham paucis. Non eſt ſanæ ıtionis gentilis, qui non agnoſcat DEUM, ıuſam primam, ens æternum, independens, ıundi Creatorem, Directorem, Conſeruato- em ſapientiſſimum, qui curam inprimis ha- eat generis humani: Ens perfectiſſimum, per onſequens nullâ determinata magnitudine ræditum, nulli loco incluſum, nullo exclu- ım, nulli mutationi, doloribus, paſſionibus ullis obnoxium, ſibi omniſufficiens, intelle- tu ſapientiſſimo, & voluntate potentiſſima ræditum.

Poſcit infinita Creatoris potentiſſimi & Con- ɛruatoris ſapientiſſimi *bonitas*, qua me, & ſic lios quoque homines, dotauit animâ rationali, : corpore infiniti artificii, poſcit inquam tan- ım beneficium à me *amorem* intenſiſſimum rga tantum Largitorem, utpote à cujus po- entiſſima voluntate omnes à creaturis in nos edundantes utilitates originaliter & actualiter endent. Eſt autem indiuiduus hujus amoris, uo DEUM proſequor toto corde, anima to- ı, viribus omnibus, comes *timor*, ſubmiſ- ſſima deuotio. Haud ſanè, ſi DEUM ſincerè mo, ero tantæ bonitatis & clementiæ Numini ıpremo inobediens, non injurioſus mandato- um contemptor, non traxero in turpiſſimos : peccaminoſos abuſus leges illas uniuerſales, uibus voluntatis noſtræ impotentiam in exe- uendo compenſat quàm potentiſſimè; com- ıouebit me ipſa hæc potentiæ ſummæ, quæ x mera paterna liberalitate, nullo meo meri- ɔ, tot tantaque mihi conceſſit beneficia, at- enta conſideratio, poſſe DEUM ſupremo do- ıationis jure his ipſis bonis me priuare, ſiqui- em malitioſâ in peccatis contumacia longani- nitatem ſuam prouocem ad iram; jure altiſſi- ni dominii, imo ex legibus propriæ juſtitiæ, nenti meæ impreſſis, afficere pœnis tempora- ibus atque æternis, quarum ampliſſimum ha- et Promptuarium Potentiſſimus DEUS. Si- ac. XXXIX. 32. 34. (32. 35. 36.) *Bona ab ini- io creata ſunt bonis, atque itidem mala ſcelero- 's — Ignis, grando, fames & mors ſimul omnia æc ſupplicii cauſa creata ſunt, dentes ferarum, & ſcorpiones, ac gladius exitialem pœnam irro- ans impiis. (Hæc omnia ſanctis in bona: ſic & mpiis & peccatoribus in mala conuertentur: — gnis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad indictam creata ſunt. Beſtiarum dentes, & ſcorpii, & ſerpentes & romphæa vindicans in exterminium impios.)*

Fluit ex timore & amore *obedientia* erga DEUM ejusque voluntatem in lege patefactam. Eſt ille Conditor meus & Dominus, ego crea- tura; quid proin juſtum magis? quid conue- nientius rationi, quàm ut τῷ κτίςῃ ſeſe ſubiiciat ἡ κτίσις? Quandoquidem nunc indubiæ verita- tes, menti meæ à Creatore impreſſæ, mihi in- jungunt τὸ honeſtè viuere, vitia euitare, ſuum cuique tribuere, aliis non facere, quod nobis fieri nolumus: colligo inde, eſſe hanc ipſiſſi- mam DEI voluntatem, cui ſubjicere debeo meam, conformare vitam. DEUM ſi conſi- dero juſtum, de eo alium conceptum formare non poſſum, quàm quod puniturus ſit trans- greſſiones meas, & quidem in hac pariter vita atque futura, à ratione ipſa mea edoctus, ani- mam meam, ens à viribus totius naturæ crea- tæ deſtrui neſcium, à DEO, qui ſolus id poſ- ſet, ſi vellet, haud annihilatum iri, quin dura- turam potius æternùm, ſolutam corporis vin- culis, quam quidem veritatem clarius longè & certius docet voluntas DEI in verbo reuelata. DEUM ſi conſidero bonum, clementem, mi- ſericordem, certum omnino me reddere poſ- ſum de gratia ſua, ſi quidem haud fucatâ pœni- tentia, & dolorifico ſenſu defleam peccata mea, & fiduciam meam in DEUM collocem; cujus equidem *ſpei* palmarium fundamentum, ratio- ne ſolâ ſuperius, eſt meritum CHRISTI. Spem ſequitur *fiducia* in DEI ſummam & potentiam & bonitatem. Sollicitandus eſt DEUS preci- bus, isque ſolus, quia ſolus omniſcius: pro- cul abſit murmuratio, procul querelæ, ſi non eueniat ſtatim, quod peto: nam & ratio mea facile concipit, innumeras poſſe eſſe & juſtiſſi- mas cauſas exauditionis vel denegatæ, vel ſu- ſpenſæ ex parte DEI, ignotas mihi: corruptum me flagitare ſæpe votis, quæ, quia animæ pa- riter ac corpori meo forent noxia, haud conce- deret ſanæ mentis conſiliarius homo, nedum ſapientiſſimi DEI infallibile judicium. Docet me porrò ratio mea, DEUM, liberrimum Le- gum Naturæ & Motus Authorem, eſſe quoque earundem Dominum, reſeruaſſe ſibi mutandi eas libertatem atque potentiam, imo ſuſpen- dendi eas, & miracula patrandi. Et quando- quidem ſcientiâ mea teſte vilipendo haud rarò ſaluberrima & gratioſiſſima DEI monita, haud me ſubibit admiratio, ſi DEUS non exaudiat preces meas, imo ſi puniat me, & caſtiget, ex merito, *patienti* animo feram has ipſas pœnas, utpote à liberrima & potentiſſima voluntate DEI mihi inflictas. Mei erit officii, vitæ filum haud præſcindere inordinatis animi corporis- que motibus, irâ æſtuanti, vindicta occultè ſæ- uiente, auaritiæ teterrimo vitio, curis anxiis, vitâ intemperanti, ſed *vitæ* meæ finem tran- quillo animo linquere ſoli, qui eam dedit, DEO. Quamuis ratio mea ſola, & ſibi reli- cta, nihil nouit de CHRISTO Mediatore & Sal-

 uatore

uatore, aliisue fidei Chriſtianæ myſteriis, id tamen ſcio, & certiſſimè ſcio, eſſe DEUM Creatorem cœli & terræ potentiſſimum, & in hujus potentiam ſummam, bonitatem infinitam, quæ prolucet ex omnibus creaturis, ſpeciatim verò ex pretioſiſſimo ipſius rationis donario, pono omnem meam fiduciam: DEUM adoro cultu λογικῷ, inprimis reuelato in Verbo DEI: gratias ago deuotas DEO pro tot mihi conceſſis beneficiis: admirabundus deprædico infinitas perfectiones DEI: non juro, niſi urgente neceſſitate, & in nomine quidem DEI ſapientiſſimi pariter atque potentiſſimi, & quæ juro, ſeruo: non dejero: de DEO non niſi cum ſubmiſſiſſima deuotione loquor, tremendam in mundi totius conſpectu venerans Majeſtatem, atque adorans: omnes intendo animi vires, ut officiis à Lege, cordi meo impreſſa, dictatis defungi queam. Verbo, *ambulo integer, & quod juſtum eſt, operor.* Et ad hæc omnia adſtringor tantò magis, ſi gratia prælucens DEI portam mihi aperit ad Verbum reuelatum: Heic ſeſe aperit theatrum prorſus nouum, antea clauſum: edoceor heic, quomodo lapſus fuerit homo propriâ culpâ, intellectus obſcuratus, voluntas corrupta, obnoxius proin factus ipſe indignationi diuinæ & morti æternæ: ſed ex triſtiſſimo hoc atque miſerrimo ſtatu liberatus ſolo eoque pretioſiſſimo CHRISTI Saluatoris & Mediatoris merito.

Pedem proferens ad *officia* mea *erga proximum* obſeruo, eſſe alios quoscunque homines ejusdem cum meo corpore artificii, infiniti nempe, & anima rationali, qualis eſt mea, præditos, innumeris quotidie beneficiis dotatos; & exinde infero, amari proximum meum à DEO æquè ac me ipſum, eſſe & illum opus manuum ſuarum, fraterna mihi cognatione junctum, *amandum* proin eſſe à me propter DEUM, Patrem noſtrum & Conditorem. Hæc ſi mecum ruminor, proximum illum haud proſequor odio, haud perſequor, conuitiis ſeu calumniis haud proſcindo, mendaciis haud decipio, & procul, imò longiſſimè aberit à me, ut eum vel bonis priuem, vel vitâ. Quodſi forte currat is in vitiorum ſtadio, meum erit reducere eum ad ſemitam virtutis: ſi erret circa veritatem, haud cogere igni & gladio, rotis & equuleis, ſed quidem corrigere intellectum rationibus ratione fundatis, modeſtiâ comite, flectere voluntatem charitate, compaſſionis teſtimonio, admonitionibus fraternis. Proximum hunc, qui eosdem mecum gerit diuinæ imaginis characteres, ejusdem mecum eſt originis, haud deſpiciam alto ſupercilio, neque aliud faciam inter homines diſcrimen, quàm quod eſt virtuoſos inter atque vitioſos, & in hoc ipſo caſu odio habebo non perſonas, ſed vitia. Non erit contemptus hic, cui ſeſe exponunt homines corrupti, ſociatus bile, non ullo nocendi propoſito, ſed ſolo corrigendi. Quod ſi ſeſe haud corrigi patiantur his mediis, linquendi erunt Judicio Diuino & Magiſtratus hu[mano]. Meum erit, *in corde meo veritatem lo[qui]*, verba conſona reddere cogitationibu[s] mentis, *non obtrectare lingua mea, nec malefa[cere] proximo meo; non ſuſtinere, ut probro indi[gnè] afficiatur vicinus meus; contemnere repro[bum]; eos, qui DOMINUM timent, honorare[;] quod jurauero, etiamſi id damnoſum mihi fuerit[,] non mutare; pecuniam meam non exponere ad fœ[nus]; munus aduerſus innocentem nullum accipere*[.] Notandum heic, ὡς ἐν παρόδῳ, non pugnare com[-]modationes pro modico & juſto cenſu cu[m] Lege Naturæ, ſed quidem uſuram voracem[.] Debitor quippe ex pecunia commodata ſuum quoque trahit commodum, quo non debet e[ſ]ſe major cenſus. Alia nunc lubens prætereo[,] quæ baſin conſtituunt ſanæ Politicæ.

Pergo extremis ſaltem digitis tacturus of[-]ficia hominis erga ſe ipſum, fundata unic[e] amore ſui, quo obſtrictus eſt ad ſui conſerua[-]tionem, imo & bonorum honorumque au[-]gmentum, ſed absque Legum Diuinarum at[-]que humanarum præjudicio. Sed diſtingu[i] probè debet *amor ſui, die Selbſt-Liebe, l'amou[r] de ſoy meme*, ab *amore proprio, Eigen-Liebe, l'amour propre.* Eſt prior licitus, neceſſarius, bonus, hic vitioſus, noxius. Hic amor me[i] iterum pro baſi habet, ut amor proximi, amorem DEI Creatoris. Amo ego me, imo amare debeo tanquam nobilem creaturam DEI, nîl proin deſidero, quo vel *corpori* meo poſſim nocere vel *animæ*; amo *temperantiam*, caſtitatem, euito intemperantiam, luxuriam, brutales quosuis exceſſus, utpote qui me ipſum reddunt αὐτόχειρα, imo animam meam immenſi pretii rationalem ſtupidam, brutam, brutali inferiorem. Conſidera, obſecro, hominem ebrietati deditum, cujus oculi animique natant vino, quàm miſer ſit humano nomine indignus homo, quàm dubii ſtent labentque pedes, quàm titubet mero ſomnoque grauis, ventriculus cibos nec appetat, nec digerat, corporis machina ad ruinam ſit prona, palpitet lingua, intumeſcant pedes, damnum patiantur omnes ſecretiones, inundet tandem corpus dirus hydrops, vel obruat apoplexia. Animo meo ſi obuerſetur pretioſum illud & neceſſarium, quod ſanguinem intereſt & fluidum nerueum, æquilibrium, vitandi mihi ſunt qualescunque *animi affectus* inordinati, præſertim ira, inuidia, odium, metus, terror. Conſiderare debeo inſuper, non me poſitum eſſe in hunc mundum propter me, ſed ut viuerem Creatori meo & Domino, patriæ, amicis, proximo cuiuis, etiam inimicis meis, quæ quidem officia prælucebant Gentilibus ipſis ex naturæ lumine, ſed effulgent euidentius longè ex reuelato DEI Verbo. Sed præcipua eſt habenda cura *animæ* meæ immortalis, & promouenda hujus ſalus tum temporalis, tum æterna. Non enim duntaxat ex Scriptura Sacra euidentiſſimè conſtat, manſuram æternùm eſſe animam meam poſt

hanc

nc vitam, & in beatiſſimo quidem ſtatu, ſi ra fide & haud fucata obedientia DEUM co- , in miſerrimo verò & omnium infeliciſſimo, ncredulitate, impietate, reluctante conſcien- , DEUM prouocauero ad iram, atque in alitia perſeuerauero. Sed edocet me ipſum ionis meæ lumen, haud deſtructum iri ani- m meam viribus naturæ; haud annihilari ſſe niſi Conditoris ipſius voluntate, imo ve- imiliter haud iri annihilatum, quia quamdiu ortalem hunc trahit ſpiritum, corrupta ipſa, corpori arctiſſimè unita imperfectas admo- m de DEO rebusque diuinis fouet cogita- nes, rectiores longè & tantis rebus adæqua- præſtolans in altera vita, pleniſſimè perſua- ſe tunc, remoto omni impedimento, in pu- ſima ſanctitate viſuram eſſe & adoraturam eatorem optimum & potentiſſimum, arden- s glorificaturam, amaturam flagrantius. Sed rrò prolucet euidentius animæ immortali- , ſi conſideremus, congruere bonitati diui- e, ut qui in hac vita tot patiuntur ab impiis iurias, tot affliguntur calamitatibus pii, gu- turi ſint gaudia vitæ beatæ, ubi nullum mor- orum genus, nulla fatigat cura animos; ſic & ſtitiæ diuinæ, quæ carcere horrido æternæ ortis claudat impios, & ad Acheronta detur- t eos, quibus cuncta cedunt in hac vita ex oto. Prima igitur & ultima, palmaria ſem- r, cura erit animæ meæ rationalis, immortalis, quanam nempe ratione poſſit hæc inſtrui de cognitione & cultu DEI, Creatoris ſui, de cognitione ſuæ ipſius, intellectus ſui & voluntatis, nobilitatis atque corruptionis; intellectum haud paſcere vanis cogitationibus, ſed intendere certum quendam, eumque poſſibilem & ſalutarem ſcopum, judicare rectè, nil niſi quod rationi eſt conſonum deſiderare, idque præponderare, annon fortè ſuperet vires, annon inferius impendendo labore, ſeſe præparare contra aduerſitates quasuis; cupiditates æquare rerum pretio, honores, dignitates, diuitias, voluptates; animi affectus ſubjicere rationi. Exornabo ſimul & exercebo intellectum meum variis ſcientiis atque artibus, utilibus pariter atque jucundis; neque patiar, ut torpeſcat otio: vires corporis conſeruabo atque augebo alimentis, laboribus; defendam vitam, bona, honores per media licita; ei, qui me aggreditur, vitam haud eripiam, niſi in caſu urgentiſſimi vitæ diſcriminis. Hæc omnia ſi fecero, *operor, quod juſtum eſt.* Sunt hæc hominis ſanâ ratione præditi, creaturæ DEI, ciuis in ſocietate humana officia, quæ baſin conſtituunt Juris Naturæ & Gentium, atque ſanæ Politicæ. Hi ipſi tandem, gratiâ DEI, & merito manifeſtati in Scripturis Mediatoris efficaciſſimo, *habitabunt in tabernaculo DEI, requieſcent in monte ſancto, & in æternum nunquam nutabunt.*

Pſal. XVIII. verſ. 9-16.

. Aſcendebat fumus è naribus ipſius, & vorans ignis ex ore ejus, ita ut de eo carbones incenderentur.

). Flectebat cœlos, & deſcendebat, atque ſub pedibus ejus caligo.

. Vehebatur ſuper Cherub, ac volabat, latas ſuper alas venti.

2. Circunquaque juxta ſe tenebras poſuerat latibulo ſuo inſtar tabernaculorum, aquas atratas, denſiſſimas nubes.

3. De fulgore, qui coram eo erat, nubes ejus pertranſierunt, grando & carbones igniti.

4. Tonabat è cœlis DOMINUS, & Altiſſimus edebat vocem ſuam, grandinē atque carbones ignitos.

5. Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgura multa, quibus conſternatos eos reddidit.

9. Aſcendit fumus in ira ejus: & ignis à facie ejus exarſit: carbones ſucceſi ſunt ab eo.

10. Inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus.

11. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

12. Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aëris.

13. Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis.

14. Et intonuit de cœlo DOMINUS, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando & carbones ignis.

15. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

16. Tum apparebant profundiſſima aquarum receptacula, retegebantur orbis fundamenta ab increpatione tua, DOMINE, à reſpiratione flatus naſi tui.

16. Et apparuerunt fontes aquaru & reuelata ſunt fundamenta bis terrarum, ab increpatic tua, DOMINE, ab inſpiratio ſpiritus iræ tuæ.

Vid. 2. Sam. Cap. XXII. verſ. 8-16.

Pſal. XVIII. verſ. 34.

Pedes meos pares facit (pedibus) ceruarum, & in editis meis me collocat.

Qui perfecit pedes meos tanqua ceruorum: & ſuper excelſa ſt tuens me.

Haud deſunt animantibus media, quibus vitam conſeruarent: defendunt alia ſe cornubus, dentibus alia, leuitate pedum & fuga conſuluit Conditor ceruis.

Fixerit æripedem ceruam licet —

Virgil. Æneid. L. VI. ubi *Seruius* legit *aëripedem.* Sed ſeruari poteſt *æripedem*, quo ſenſu & equi & boues apud Poëtas Græcos cluent χαλκόποδες, *æripedes*, & χαλκοκρότοι *æriſoni*, quoniam ungulæ duræ inceſſu ſonum velut ex ære edunt. *Heſychius:* χαλκόποδας, ἰσχυρόποδας. *Homeri* vetus Scholiaſtes in Iliad. θ'. χαλκόποδας, στερεόποδας. *Suidas*, χαλκοκρότων, χαλκοπόδων. τουτέστι τὰς ὁπλὰς ἰσχυρὰς ἐχόντων. Ita eſt *ceruus* vel *ce* *æripes*, propter inconcuſſam pedum & inceſ firmitatem. *Auſonius* in *Grypho Ternarii.*

Vincunt æripedes ter terno Neſtore Cerui.

Concinit Dauidi Habacuc. III. 19. DOMINU DEUS *eſt robur meum, reddetque pedes meos ceruarum, in excelſis incedere me faciet.* Qu Prophetiæ clauſula, uti & Dauidis πληροφορία, explicanda venit, quod fideles fiduciam ſua in DEO collocantes in miſeriarum hac va ſcopulis plena, ſpinis atque ſentibus aſpera a bulent ſecuri, aduerſitatibus cunctis inuict quemadmodum & cerui æripedes firmi inc dunt ſuper ſcopulos.

TAB. DXL.

Pſal. XIX. verſ. 2-7.

2. Cœli enarrant gloriam DEI, & extenſio opus manuum ejus annuntiat.
3. Dies diei (ſuccedens) eloquitur ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam.
4. Non eſt illis ſermo, non verba, nec auditur vox eorum.
5. In omnem tamen terram exiuit regula eorum, & in fines orbis verba eorum.
6. Soli poſuit tentorium in eis, & velut ſponſus ex umbraculo ſuo prodit, lætus verò heros (quiſpiam) ad decurrendam viam.

2. Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat fi mamentum.
3. Dies diei eructat verbum: & no nocti indicat ſcientiam.
4. Non ſunt loquelæ, neque ſermo nes, quorum non audiantur vo ces eorum.
5. In omnem terram exiuit ſonus eo rum, & in fines orbis terræ verba eorum.
6. In ſole poſuit tabernaculum ſuum & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit u gigas ad currendam viam.

7. Ab

PSAL. XIX. v. 2-7.
Coeli enarrant Gloriam DEI.

Pſal. XIX. v. 2-7.
Die Himel erzehlen die Ehre Gottes.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

7. Ab extremo cœlorum egreſſus e-
jus, recurſus ejus usque ad extre-
ma eorum, nec eſt, qui ſe ab æ-
ſtu illius abſcondat.

7. A ſummo cœlo egreſſio ejus, &
occurſus ejus usque ad ſummum
ejus: nec eſt, qui ſe abſcondat à
calore ejus.

Poteſt infinitæ extenſionis & perfectiſſimæ pulchritudinis theatrum hocce mundi percommodè appellari Rhetorum Concilium, qui adſunt ad deprædicandum ſupremi Numinis gloriam, ed Rhetorum mutorum, ratione carentium, ttamen diſertiſſimorum, imo & Rhetorum raonali animâ præditorum, ſed mutorum. Hi fortè ſunt ἐχεμυθεῖς, ora illi aperiunt, clamanes altùm. Homines, ſi officia ſua negligunt, nunere hoc eodem defunguntur cœli, aër, ellæ tum fixæ, tum erraticæ, dies & nox, ſaa, metalla, plantæ, animalia; quæ corpora non indicant duntaxat laudis viam, ut columnæ llæ in compitis erectæ, ſed ipſa clara voce ſapientiam, potentiam, atque bonitatem DEI celebrant.

Cœli, ita Diuus Pſaltes, *enarrant gloriam DEI, & extenſio opus manuum ejus annuntiat. Cœli*, שָׁמַיִם, expanſum illud Fixas inter & Erraticas ſubtiliſſimum, quod ne Cometicis quidem exhalationibus reſiſtit, nedum Planetis & Cometis ipſis; quum contra juxta Naturæ Leges fluidum quoduis corpus reſiſtat tranſeuntibus aliis ſolidis pro ratione grauitatis & denſitatis, argentum viuum $13\frac{2}{3}$.es magis quàm aqua, aqua 850.es aëre, & ex hac hypotheſi Jupiter, i vel parum denſior foret aquâ, ſpatio 30. dierum, quibus progreditur per 459. ſemidiametros ſui corporis, in fluido aëri noſtro ſimili perdere deberet $\frac{1}{10}$. fere ſui motus, calculante Ill. *Newtono*. Jure igitur cœlis adſcribes infinitam prope, & tantum non vacuo ſimilem tenuitatem, quia neque Jupitet, neque Planetæ alii nil quicquam de motu ſuo perdunt, & Cometis Cometicisque exhalationibus liberrimus conceditur tranſitus. Cœli, inquam, tantæ ſubtilitatis fluidum, quod conſentientibus omnibus Aſtronomis radios Solis & Fixarum tranſmittit absque refractione ulla ad aërem noſtrum, qui ipſe ex lege denſitatis materiæ reſpondentis ponderi prementi in 210. milliarium diſtantia à terra 1000 000 000 000 000 000.es tenuior eſt quàm prope terram. *Newt. Opt.* 210. 212. Cœli, immenſi ſpatii fluidum, quod nullus Aſtronomorum modernorum ad numeros reducere audet, & cœlipotens ipſe DEUS infinitæ altitudinis, amplitudinis & profunditatis vias ſuas, gratiæ atque miſericordiæ vias, deſcripturus pro ſimili adhibet, quia non habet ex creatis operibus majus, non magnificentius. Jeſ. LV. 9. *Quemadmodum cœli terra ſublimiores ſunt, ita excedunt viæ meæ vias veſtras, & cogitationes meæ cogitationes veſtras.* Pſ. CIII. 11. *Quanto interuallo cœlum altius eſt terra, tantum prævalet benignitas ejus erga timentes ipſum. (Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.)* Fugit plerorumque hominum captum expanſi hujus immenſi uſus immenſus. Si ejusdem ſaltem denſitatis foret cœlum cum aëre noſtro, qui eminus amœnè cœruleum viſui noſtro offert aſpectum, radiis ſolis atque Fixarum ſuperanda foret inuincibilis fere reſiſtentia, perderent tandem Planetica corpora ſuos motus, & propter radiorum infinitas numero infinities variantes radiorum refractiones atque inflexiones nihil nobis innoteſceret certi de ſitu atque motu Stellarum, imo ne quidem in conſpectum caderent faces illæ cœli flammantes, cœlo per totius noctis decurſum ſplendente, caderet Aſtronomia tota.

Et extenſio, רָקִיעַ, *opus manuum ejus annuntiat. Aër* nempe, elementum terræ noſtræ omnipræſens, ſummeque neceſſarium, absque quo neque homines, neque bruta viuere, neque plantæ creſcere poſſunt; ſubſtantia leuiſſima, fluidiſſima, quæ tamen ex Cel. *Jacobi Bernoullii* computo *Meth. ratiocin. ſeu uſu Logicæ Th.* 2. 66000 000 000 000 000. centenariorum, vel juxta *Polenum Giorn. de' Lett. d'Italia* T. V. p. 309. Librarum 10373277074741409868725. pondere terram circumcirca premit, cujus computi fundamentum eſt barometrum, & ſpecificum Mercurii pondus, quod ad aërem ſe habet ut 10. ad 11000. ad 1. Corpus fluidum non ſolùm graue, ſed quoque elaſticum, compreſſibile, extenſibile, teſtibus ſclopetis pneumaticis, veſicis in valle inflatis, hinc in montem tranſportatis, Antlia pneumatica, machinis aliis, quas moderna Philoſophia Naturalis ſuppeditat; fluidum dilatabile calore, quod miras in fermentatione, plantarum & frugum maturatione exerit vires. De quibus aliisque elementi aërei proprietatibus conſulenda Celeb. *Chriſtiani Wolfii Aërometria*, ſcriptum ære & cedro dignum. Non memorabitur heic particularum aërearum figura, an ſit ramoſa, vel plumæformis, vel ſpirulis elaſticis ſimilis, neque magnitudo, ex *Laur. Bellini* computo *Giorn. de' Letter. d'Italia* T. IV. 156. 400000.es minor craſſitie pili. Sufficiat pro nunc, id Lectorem monuiſſe, maximi eſſe uſus, & nunquam ſatis deprædicandi, elementum hoc aëris toti terræ: pendere hinc inprimis corporum noſtrorum, ſanorum pariter atque ægrorum conſeruationem atque mutationes, climatum & temporum anni variationes, plantarum & animalium vitam & accrementum: Eſſe proin ens illud, quod aëra creauit, ejusque gra-

grauitatem, raritatem, fluiditatem, elaſticitatem, calorem, frigus, qualitates alias adeò exquiſitè uſui terræ & conſtitutioni terricolarum conformauit, infinitè potens, ſapiens, optimum. Certiſſimum quippe hoc eſt, terram ſubſiſtere non poſſe, ſi alius foret cunque conſtitutionis hoc elementum, quàm eſt. *Mundi pars eſt aër, & quidem neceſſaria. Hic eſt enim, qui cœlum terramque connectit — nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum ſonat: nihil enim eorum ſine eo fieri poteſt. Cicero Nat. Deor.* L. II. c. 4. & 33. *Aër in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus: tum effluens huc & illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum & calorum facit varietates; idemque & volatus alitum ſuſtinet, & ſpiritu ductus alit & ſuſtentat animantes.* Id. L. II. c. 39.

Cathedram nunc conſcendunt Rhetores duo, qui ne quidem ſubſtantiæ ſunt. Sermones miſcent accidentia. *Dies diei ſuccedens eloquitur ſermonem, & nox nocti indicat ſcientiam,* ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ, καὶ νὺξ νυκτὶ. En cœtum ſui prorſus generis, ubi Parochum agit dies, Diaconum nox, Auditores homines ratione præditi! Dies præſentia lucis, nox abſentia ejusdem, utraque rotationis terræ nychthemerinæ productum, quâ unum hemiſphærium terræ poſt aliud, & ſucceſſiuè omnes regiones terræ, unum poſt aliud punctum Soli, tanquam lucis & caloris fonti, exponuntur: quæ ipſa rotatio diurna ſi vel breuior foret, vel longior, haud proficua foret terricolis, imo ſummè nociua. En ſermonem, quo proponitur non ſolùm commutatio diei ac noctis, ſed quoque ordinatiſſima per infinitè paruos gradus emerſio lucis è tenebris, & immerſio in easdem: elongationes porrò & abbreuiationes præciſiſſimæ dierum atque noctium in eodem climate, ut & variantes dierum longitudines eodem tempore in diuerſis regionibus, de quibus plura diſſerui occaſione Gen. I. 14. *Fiant luminaria in expanſione cœlorum, ut diſtinguant inter diem & noctem, ſintque in ſigna, & ſtata tempora, in dies & annos.* Audiendæ proin veniunt conciones matutinæ, meridianæ, veſpertinæ, diurnæ, nocturnæ, vernæ, æſtiuæ, autumnales, hyemales. Conciones prolatæ in linguâ uniuerſali, de quibus certo ſenſu enunties, quod illi de prima concione Pentecoſtali Act. II. 7. 8. 9. 11. Ουκ ἰδὲ πάντες ἔτοί εἰσιν οἱ λαλῆντες Γαλιλαῖοι; Cœli, aër, dies, nox, qualitates quæuis corporum, res ſurdæ ſimul atque mutæ? καὶ πῶς ἡμεῖς ἀκέομεν ἕκαςος τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἡμῶν, ἐν ᾗ ἐγεννήθημεν; Πάρθοι καὶ Μῆδοι — Κρῆτες καὶ Ἄραβες ἀκέομεν λαλέντων αὐτῶν ταῖς ἡμετέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τῦ ΘΕΟΥ. Muti ſimul ac diſertiſſimi Rhetores, quorum ſermones intelligunt Europæi atque Indi. *Non eſt illis,* ut cum Pſalte loquar, *ſermo, non verba, nec auditur vox eorum. In omnem tamen terram exiuit regula eorum, & in fines orbis verba eorum,* pulcherrimus nempe ordo, exquiſitiſſima cœli & aëris Architectura. Scriptura,
cujus characteres haud obſcuri, ſed legibil
ignorantiſſimis.

Pergimus, Duce Philoſopho noſtro atqu
Theologo, ad centrum mundi *Solem*, cujus d
ſcriptio meteorica eſt attentione noſtra dignio
tantò, quia propugnaculi loco eſt Ptolemaic
contra Copernicanos. Quid, inquiunt ill
clarius quàm motus ſideris hujus flammant
localis? *Sol velut ſponſus ex umbraculo ſuo pr
dit, lætus verò heros quispiam ad decurrenda
viam. Ab extremo cœlorum egreſſus ejus, recu
ſus ejus usque ad extrema eorum, nec eſt, qui
ab æſtu illius abſcondat.* Quis non clarè vide
fuiſſe Dauidem Ptolemaicum, non Copernica
num? Contra hanc propugnaculi Ptolemai
faciem duplicem parant tormentorum ſugge
ſtum Copernicani. In uno horum ſtant, qu
S. Scripturæ tribuunt locutiones ad captur
vulgi, Solique cum vulgo ortum, occaſum, re
uolutionem circa terram, quam Theſin maſcu
lè defendit Rev. *Joh. Wilkins*, Epiſcopus Ce
ſtrienſis, in *Copernico defenſo:* In altera acie pu
gnant illi ex Copernicanis, qui & Dauidicur
noſtrum Textum, & quosuis conſimiles alios
ad literam explicant de motu Solis centrali
Videbimus hunc armorum apparatum diſtin
ctius paulò.

Soli, inquit Pſaltes, *poſuit tentorium in eis*
Ubinam nunc eſt אֹהֶל *obel*, tabernaculum
hoc Solis? Rationine eſt congruum magis, po
nere id in orbita illa ampliſſima, quàm Sol in
credibili planè velocitate ſpatio 24. horarum
decurrit, circa terram, vel in centro ipſo vor
ticis Planetarii?

*Is velut ſponſus ex umbraculo ſuo prodit, læ
tus verò heros quispiam ad decurrendam viam
Ab extremo cœlorum egreſſus ejus, recurſus eju
usque ad extrema eorum.* Heic eò adigi videas
Ptolemæi aſſeclas, ſiquidem ex hypotheſi & ad literam hæc verba intellecta velint de motu Solis locali, ut ſtatuere debeant, quieſcere Solem per noctem in tentorio ſuo, reſurgere bono manè veluti ex ſomno, prodire neoſponſi ad inſtar, nitido corporis cultu, ex thalamo, alacriter currere dehinc ab Ortu ad Occaſum, rediturum ad thalamum, quietis nocturnæ tentorium. Vel, loqui Scripturam ad captum vulgi erroneum, qualis fortè obtinuit Dauidis tempore, ut obtinuit olim apud Gentiles, & ad Europæorum usque aduentum apud Chinenſes, quieſcere nempe Solem alicubi per noctem. Sed neutrum horum conuenit Ptolemaicis. Certum quippe, eodem illo tempore, quo Solem concipimus nos nocte immerſi quieſcere in tentorio ſuo, eum ſub Horizonte noſtro veloces proſequi curſus, quieſcere proin ſimul & currere, quod ἀσύςατον. Imo verò ex propria illorum hypotheſi quieſcit nunquam ſplendidum hoc jubar, ſed currit absque intermiſſione ulla, comparandus fortiſſimo Heroi, non ſponſo dormienti. Neque juxta illos, decurrens inter Martem & Venerem, dici poteſt exiſtere

re vel in ſummo cœli, vel in imo, quonam
itur ſenſu dici poterit *egredi ab extremo cœlo-
m, & regredi ad extrema eorum?* Et iterum
currit heic captus vulgi, quod quia dimi-
um duntaxat motus circulum obſeruat, ſibi
rſuadet, eſſe duo extrema, unum Solis ori-
tis, occidentis alterum. Qui captus, ſiue
nceptus, Theologis orthodoxis videtur ſu-
ctus. Tranſeuntes nunc ad Copernicano-
m caſtra videbimus, qualinam oculo hi So-
n aſpiciant, qualinam modo Textum ad lite-
n explicent. Heic ſidus hocce fixum manet
centro maximi vorticis, Planetarii nempe,
luti in tentorio ſuo, ſponſi ad inſtar, imo Mo-
rcha, majeſtatico fulgore colluſtrans ſuum
perium, mandata ſua emittens ab extremo
extremum. Unum nempe extremum dici
rcommodè poteſt ipſa Imperii Solaris ſedes,
ncta peripheriæ omnia alterum. Ab illo
ntrali, ut ita loquar, extremo prodit majeſta-
us Solis fulgor & calor veluti ex thalamo,
onſi ad inſtar ad extrema vorticis Planetici
ncta, curritque heros ſpatio 27½. dierum ro-
a circa centrum, neque tam pro ſe, quam
o aliis, rapiens ſecum verticem Planeticum
tegrum, hac quidem à DEO ordinatâ lege,
Corpora Planetica curſum ſuum annuum
ſoluant in ratione diſtantiarum, citius pro-
na Soli, tardius remotiora: circumrapitur
Cœlum hoc Planetarium integrum à perpe-
o mobili motoque Sole, irradianturque cun-
i in eo natantia corpora, ubicunque ea ſint,
nanante luce & calore ab extremo cœli hu-
s ad alterum extremum, ea quidem veloci-
e, ut 7. vel 8. minutorum ſpatio viam de-
rrant radii, quam vix decurreret globus tor-
ento exploſus ſpatio 25. annorum.

Nec eſt, qui ſe ab æſtu illius abſcondat. Heic
lla litis inter Ptolemaicos & Copernicanos
caſio. Conſentiunt diſſentientes hactenus
rtes, eſſe Corpora Planetica, & hæc inter
rram noſtram, opaca, frigida, lucis caloris-
e indiga, neque illuminari aut calefieri niſi à
le. De hoc benigno ſideris ſolaris influxu
animaduertendum, eam præciſè lucis ca-
riſque portionem aſſignari cuilibet Planetæ,
æ neceſſaria eſt incolarum vitæ & conſerua-
ni. Calor autem, quia intenditur vel re-
ittitur pro ratione denſitatis radiorum ſola-
um, ſequitur hinc, quemlibet Planetam loca-
m fuiſſe in ea à Sole diſtantia, quæ condi-
ni & vitæ incolarum debuit eſſe adæquata:
enerem atque Mercurium, Soli proximos,
bſtantiæ eſſe denſioris quàm eſt terra no-
a, hanc denſiorem Marte, Martem Joue,
uem Saturno. Aquæ certè noſtræ, ſi in Sa-
rno forent, manerent congelatæ, in Mercu-
auolarent in auras, quoniam Solis lux ſe-
ies denſior eſt in Mercurio, quàm in terra
ſtra, calore autem, qui æſtiuo noſtro ſepties
fortior, ebulliunt feruentes aquæ. Notan-
m quoque, Planetas mole minores denſio-
res eſſe majoribus, Lunam terrâ, terram Sole.
Ex quibus fundamentis moderni Mathematici
ad calculos reducunt grauitates corporum cœ-
leſtium reciprocas. Vid. *Newton. Princ. Phil. Math.* L. III. *Prop. VIII. Theor.* 8.

Ex hactenus dictis poterit facile Philoſophus θεόφιλος Textum noſtrum applicare infinitæ Crea-
toris optimi ſapientiæ atque potentiæ; Con-
cionator benignum atque conſtantem lucis at-
que caloris ſolaris influxum in corpora Planeti-
ca per ſe opaca, CHRISTO Soli Juſtitiæ, ejus-
que gratioſiſſimo in mentes hominum lapſu
obtenebratas influxui. Suo interim abundent
ſenſu, qui cum *Herm. Deuſingio* in *Bibl. Bre-
menſ.* Cl. II. p. 773. totum hunc Pſalmum XIX.
volunt eſſe Propheticum, v. 2 - 5. præeunte
Paulo Rom. X. 15. explicantes de Prædicatio-
ne Euangelii. His *cœlum* eſt Noui Teſtament-
cœlum; *Gloria* DEI opus redemptionis, mort
te & reſurrectione CHRISTI peractum: *Enar-
ratio gloriæ* ipſa Euangelii per uniuerſum or-
bem prædicatio: *Expanſum* Regnum DEI per
Apoſtolos longè lateque inter Gentes propaga-
tum: *Opus manuum* DEI electi ex Judæis &
Gentibus: *Dies diei eloquens ſermonem, & nox
nocti indicans ſcientiam*, primi illius diei ſermo
atque doctrina, & primæ noctis patientia & bo-
na opera diſciplinæ futuris diebus ac noctibus
tum ad normam fidei neceſſaria, tum ad exem-
plum vitæ conducibilia. *Non ſermo, non ver-
ba, non auditur vox eorum*, eo tempore nem-
pe, quo vox cœlorum, Euangelii, Apoſtolo-
rum, exitura erat in totam terram: quorum
Apoſtolorum *regula*, linea, *exiuit in omnem
terram, & in fines orbis verba eorum. Sol*,
CHRISTUS, lux mundi, *poſuit tentorium in* ele-
ctis ex Judæis, inter quos ἐσκήνωσεν commora-
tus eſt, & *velut ſponſus prodiit ex thalamo ſuo*,
ſponſam ſuam, electos, introducturus, *lætus
verò heros ad decurrendam viam* propagauit
Euangelium atque erexit Regnum inter Gen-
tes: *ab extremo cœlorum egreſſus, recurrens uſ-
que ad extrema eorum*, inde ab initio regni,
quod CHRISTUS demum tempore Conſtanti-
ni M. deuictis hoſtibus capeſſiuit, regreſſus in
reformatione. *Nec eſt, qui ſe ab æſtu illius ab-
ſcondat*, nihil, ad quod non perueniat calor
ejus viuificus. Conferatur quoque Celeb. *Lam-
pe Spicilegium ad Pſalmum* XIX. *in Bibl. Brem.*
Cl. II. p. 827.

Placent mihi magis, qui in ſenſu literali &
naturali hærent, vel eum ſaltem myſtico, hunc-
ue illi ſubordinant, qualis fuit eruditiſſimus
Scripturæ Sacræ Commentator ex Reformato-
ribus noſtris *Conr. Pellicanus* Tom. IV. p. 63.
cujus verba, ſcopo ſaltem noſtro inſeruientia,
apponam. *Præter terram & terreſtria — quic-
quid intuemur Hebraico more* שמים *dicitur, id
eſt, cœlum & æthera, aër ſcilicet & corpora cœ-
leſtia omnia, Sol, Luna, Stellæ fixæ & erraticæ.
Hæc omnia, quæ ſupra nos ſunt, & contingi ſolo
viſu & intellectu poſſunt, nos promouere debent,*

ſicut & natura decore & opere nos promouet in omnipotentis DEI gloriam contemplandam. Quid enim glorioſius, potentius, admirabilius, & pulchrius cogitari poteſt, quàm ſit hæc machina cœleſtium? niſi nobis aſſiduitate aliquantum viluiſſent, minus tamen quàm terreſtria, quæ tamen inexplicabilem & inexcogitabilem pulchritudinem & mirificam actiuitatem oſtendunt homini non omnino inſenſato. Hæc autem omnia nobis prædicant & enarrant incomprehenſibilem omni creaturæ gloriam Conditoris, omnia iſta gubernantis, & ad obſequium filiorum ſuorum fidelium hominum ordinantis & utentis. — Quælibet dies noua priori ſuccedens noua DEI opera depromit, quod ſingulis diebus & noctibus noui aliquid exoritur, in quo DEI potentia, ſapientia & bonitas peculiariter demonſtratur. — Cœli itaque & ſinguli dies mutua viciſſitudine ſibi ſuccedentes perpetuò eò DEUM & ejus opera prædicant, quod nobis prædicandi materiam adminiſtrant, & perpetuo ſuo ordine & curſu DEI potentiam & ſapientiam concelebrant. — Quanquam ſine ſono ſint, quem audiamus, cœli, neque ut homines loquantur, admirandam tamen habent ſuo modo linguam, &

*mentalibus auribus, intellectui ſcilicet erudito,
voce & influxu loquuntur admirabilem ſcienti
DEI & ſapientiam infinitam: admiranda ſcil
illa, & ad tam certam amuſſim exacta compoſi
ſitus, motus, proportio, ornatus & conſtant
quæ eorum omnium clariſſima vox eſt & orat
quam in omnem terram, & ad totius orbis ter
rum terminos omnibus ratione pollentibus, &
dio attendentibus ſeſe proferunt & oſtentant,
que DEUM Optimum Maximum magnificen
ſime prædicant, hominibus quidem, non beſtiis;
delibus, non impiis; eruditis, non ſolius ven
nihil autem mentis curam gerentibus. — Do
nus DEUS gloriam Majeſtatis ſuæ viſibilem
alibi glorioſius ſpectandam tradidit, vel poſi
quàm in ſolari jubare, veluti ſi glorioſiſſimus Im
rator reſideat ſpectabilis & admirandus in
proprio tabernaculo. — Mos Hebræis fuit,
etiamnum obſeruatur, ut ſub expanſo velo ſpo
ſponſam tradant, è quo quum egreditur, cuncti
hilarantur, & nuptiarum feſtum incipitur:
exoriente Sole, & mane vel diluculo os aure
orbi proferente uniuerſi orbis facies mirum in n
dum recreatur, ac veluti innouatur. —*

TAB. DXLI.

Pſal. XIX. verſ. II.

Magis expetibilia, quàm ſit aurum vel præſtantiſſimum atque plurimum, & dulciora melle & fauo ſtillantibus.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapiden
precioſum multum: & dulcior
ſuper mel & fauum.

DE legibus, juribus, præceptis DEI diuus Pſaltes, eſſe *magis expetibilia quàm* זָהָב *aurum*, imo פָּז *præſtantiſſimum*, finum, purum putum, à quibusuis heterogeneis particulis ſeparatum, quod alibi audit זָהָב אוֹפִיר *zahab Ophir*, Aurum Ophiriticum, כֶּתֶם אוּפָז *Cethem Uphaz*, Aurum Uphas, Dan. X. 5. de quo plura alibi. *Dulciora melle & fauo ſtillantibus.* De *mellis* dulcedine, quæ aliis rebus dulcibus, imo dulciſſimis, pro norma ſeruit, pluribus egi occaſione Jud. XIV. 18. & propoſitæ ibi à Philiſtæis quæſtioni problematis ſolutoriæ: *Quid dulcius eſt melle?* In Textu noſtro comparantur præcepta DEI metaphorico ſenſu cum gratiſſima mellis dulcedine: ſic & paſſim apud Scriptores profanos Oratores facundi, ut Glaucia apud *Statium* in *Epicedio* L. II. *Syluar.*

- - - - penitusque loquentis
Hyblæis vox mixta fauis. —

Apud *Pindarum* occurrunt μελιγάρυες ὕμνοι, με
φθογγοι ἀοιδαι. Cluet Tragœdus *Sophocles* pro
pter ſuauiloquentiam ſuam apis, μέλιττα διὰ
ἡδὺ, & *Xenophon* apud *Suidam*, Ἀττικὴ μέλιττ
Apis Attica. In *Ariſtophanis* auibus legas:

- - - ὥσπερ ἡ μέλιττα
Φρύνηχος Ἀμβροσίων
Μελέων ἀπεβόσκετο κάρπει ἀνεὶ,
Φέρων γλυκεῖαν ᾠδὰν.

- - - - ut apis
Phrynichus (Comicus Poëta) *Ambroſiorum*
Carminum fructum ſemper depaſcebatur,
Ferens dulcem cantionem.

Homeri Encomium *in Antholog.* L. V.

Πιερικὴ δὲ μέλισσα περὶ ϛόμα θεῖον ἀλᾶτο,
Κηρίον ὠδίνȣσα μελισαγὲς.

Pieria verò apis circa diuinum os errabat,
Fauum pariens melle fluentem.

Apud

TAB. DXLI.

PSAL. XIX. v. 11.
Mel et Cera Divinum Artificium.

Pſal. XIX. v. 11.
Honig und Wachs eine Göttliche Kunſt.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

pud *Plinium* L. XI. c. 17. *Ciceronem Diuinat.* . I. & alios ex inſidentibus ori *Platonis* pueri pibus prognoſticon legitur latum de magni ujus viri eloquentia: quod idem de *Pindaro*, ucano, *Ambroſio* narrant *Ælian. Var.* L. XII. . 56. *Paulinus vita Ambroſii.* In Pſalmo noro occurrit נֹפֶת צוּפִים *nophet tſuphim*, quod XX. reddunt Κηρίον, uti & nos, *fauum*, *Honig-aben*, propriè & ad literam intelligitur *deſtiltio fauorum*, *ſtillans fauus.* Ita & Cant. IV. 11. *auum ſtillant labia tua.* Prov. V. 3. *Fauum ſtilnt labia alienæ, (meretricis.)* Prov. XXVII. 7. *'nima ſatura faſtidit fauum, (anima ſaturata lcabit fauum),* iterum נֹפֶת ſtillantem fauum. rov. XVI. 24. *Fauus mellis eſt amœnus ſermo. Fauus mellis compoſita verba.)* Ad fauos ſtilntes referas quoque *flumina torrentium mellis* ob. XX. 17. Canaanitidis notum Elogium, uod *melle fluat & lacte*, Exod. III. 8. 17.

Commodam heic nanciſcor occaſionem louendi de μελιτο - & κηριοποιήσει, & deprædiandi immenſam DEI ſapientiam, potentiam tque bonitatem.

Apes ſi non aliis animantibus præferunt, ıxta ponunt ſaltem, ſolertia mira, regimen, rdo, artificium in rebus agendis, partium, uibus conſtant, ſtructura, uſus, quibus omnius in ſummam rapiuntur admirationem honines neceſſe eſt. Teſtem ex antiquitate aduco *Ariſtomachum*, qui in hac apum ſchola iuit 58. annos. Sunt & *Philiſcus*, *Fredericus æſius*, Princeps Romanus, *Swammerdamius*, ui de animalculis his integros conſcripſere liros, ſed deperditos.

Rempublicam conſtituunt *apes*, numero o ad 18000. in eodem alueari, ordinatiſſiam; conſtat ea triplicis generis animalculis. . Agmen ducit *Rex*, *Regina* potius, quia fœminei eſt ſexus Fig. 1. Hæc ſola aliquando Moarchicum gerit regimen, aliquando duas trese apes alias ejusdem magnitudinis in conſorum Imperii adſciſcit. Eſt autem Princeps æc fœmina, major aliis apibus, pulchrior coribus, authoritatem inceſſu majeſtatico oſtenns, ſtipata utplurimum 8. vel 10. apibus, ſeu ilites eæ fuerint Prætoriani, ſeu Miniſtri Staıs. 2. *Apes communes* Fig. 3. Sunt hæ operoe, imo inſigne laborum exemplar, volitant er amœna vireta florilegæ, colligunt mel & eram, conſtruunt aluearia, & expurgant, de ictu toti Reipublicæ proſpiciunt, aculeo, ut oſa Regina, armatæ. 3. *Prædatrices*, vel *Fui*, *Bourdons* Gallis, Fig. 2. longiores corpore, bſcuriores colore, aculeo deſtitutæ, paucæ umero; euolant rarius, niſi fortè hora ſecuna tertiaue pomeridiana, ſereno cœlo: colliunt & hæ mel, ſed pro ſe duntaxat, idque on in alueolos ad communem uſum reconlunt, Miniſtris illis ſtatus ſimiles, qui ex redibus publicis diteſcentes ærarium depaupeant. Sed hæ, exorto ſub finem Julii & Augui acri bello, pelluntur aulâ ab apibus ſecundi generis, quæ ne quidem tenellis parcunt fucis, ſed aculeo transfoſſos perimunt, & extra alueacris confinia projiciunt. Hæ ſi, quod videtur, maſculini ſint ſexus, nefando pereunt parricidio prolium ſuarum vel & conjugum, celebres aliàs virtutes haud parum obſcurantium.

Eſt ex præcipuis & admirandis quàm maxime laboribus *alueolorum* conſtructio, qua tanta aſſiduitate defunguntur apes, ut ſpatio diei aream emenſurent pedalem in longitudine, ſemipedalem in latitudine. Labor, in quo videas incredibilem confuſionem, ſed quoque pulcherrimum ordinem. Sunt ex operariis, quæ ore prehenſas aſportant exiguas ceræ moleculas, quas ſuppeditant puluiſculi illi flaui apicibus florum inſidentes, qui ſeminis fœcundantis maſculini officio defungi videntur in plantis: ſunt aliæ, quæ ædificii baſin ponunt, & alueolos ipſos mira arte conſtruunt, complanando & comprimendo materiam Architecturæ aptam forficulis oris ſeu maxillis, pedibus item & alis: aliæ angulos performant, parietes læuigant, laborem perficiunt. Si quid ceræ eſt reliquum, id aliorſum ad alios uſus transportant. Ne autem occludatur aditus & tranſitus, apertam linquunt inter binas ſemper alueolorum ſeries viam, quam binæ juxta ſe apes calcare queant, meare commodè & remeare. In ſummam autem nos rapiat admirationem figura alueolorum, qui præciſè ſunt hexagoni, & pro baſi ſemper habent tres rhombos. Videas heic urbem ad exactiſſimas Architecturæ leges ordinatam, 4000. ciuibus commodè locandis aptam, elegantiſſimæ ſymmetriæ domunculas ſingulas. Eſt figura hæc hexagona non apum ἀλόγων, ſed ſapientiſſimi Conditoris inuentum, excogitata ideò, ne ullum eſſet inter domunculas ſpatium. Eſt angulus rhomborum obtuſus 110. acutus 70. graduum. Hac equidem proprietate gaudent & triangula æquilatera, & quadrata ſeu parallelogramma, ut nil relinquant ſpatii, ſed id incommodum, ut minoris ſint, quàm hexagona figura, capacitatis. Coeunt in centro præciſè tres ſemper rhombi duobus angulis obtuſis, & totidem acutis. Latera reliqua limites dant, quibus inædificentur cerei muri. De his apum fauis id inſuper monendum, repetito toties introitu & exitu apum ipſarum apprimi ad inuicem parietes, & ita conſolidari magis & magis, quo ipſo conciliationem admittit eorum ſyſtema, qui volunt, fauos ſiue alueolos initio eſſe cylindricos, & ex poſt appreſſione illa vicinorum inuicem ſeu contiguorum parietum reddi hexagonos.

Eſt porrò ſummæ admirationi *generatio apum* ſeu propagatio. Sunt omnes ex regio ſtemmate natæ, reginâ matre, quæ ſola quotannis 8 ad 10000. fœtus parit. Eſt alueare ſub finem æſtatis non minus plenum apibus quàm ab initio, euolarint licet ſemel, bis, terue examina, 10. ad 12000. ſingula. Deponit

 Re-

Regina mater, ſtipata ſatellitio 10. vel 12. Miniſtrorum ſtatus, in centro alueoli ouulum (Fig. 7.) Commutatur id quarto poſt die in vermiculum (Fig. 8.), cui aliæ apes tenerrimum mel apponunt pro nutrimento. Creſcit vermiculus hic octidui ſpatio ita, ut totam repleat domunculam, (Fig. 9.) quæ mox ab apibus clauditur operculo cereo. Hoc carcere clauduntur tenelli fœtus per 12. dies, (Fig. 10.) mutanturque in nympham (Fig. 11). Vigeſimo tandem à natiuitate die rumpit apis perfecta carceres, operculum circumcirca rodens forficulis dentatis, & auolat. Auolantes mox aliæ apes ex ſenioribus binæ, tollit una operculum, impendendum ad alios uſus, altera rupturas parietum fortè factas reſarcit, margine craſſiori, quo alueoli omnes cinguntur, firmat, membranulas, quibus nouella apis ſeſe euoluit, aufert, domunculamue purgat.

Eſt *cera*, quam colligunt apes, duum generum: Fuſci magis coloris eſt, quam aſportant apes ſeniores, viſcoſior ſeu glutinoſior, quæ inprimis ſeruit ad obſtruenda aluearis foramina, & alueolorum ſeries colligandas. Albi coloris eſt *cera* juniorum apum, *virginea*, *Jungfern-Wachs* dicta, qua conſtruuntur faui. Eſt autem miri artificii collectio ipſa ceræ. Volutant ſeſe apes in foliis & floribus puluiſculo flauo onuſtis; ſic pilis apum adhæret cera, quam redeuntes domum excutiunt, vel & pedibus quaſi depectunt. Capiunt & moleculas ceræ ore, traduntur hæ primùm pedibus anterioribus, mox mediis, tandem poſtremis, quorum articulus medius cochlearis ad inſtar eſt cauus, & pilis cinctus: ſic collecta præda binis cruribus poſtremis apprehenſa, ne inter volandum excidat, infertur fauo. Ut autem puluiſculi plures, ceræ moleculam grandiorem formarent, & compactam magis, latiora fecit ſapientiſſimus Conditor bina media crura, ut iis veluti palis comprimi poſſent puluiſculi. Mox atque ad alueolos ſuos redeunt apes prædâ onuſtæ, binis anterioribus inſiſtentes pedibus puluiſculos cereos pilis ſuis excutiunt, alasque motitant: aduolant mox aliæ apes, & puluiſculos illos depoſitos ore auferunt: dum interim aliæ cerâ tenaciori pedes liberant, & alior-ſum portant. Accidit &, ut κηρόφορος apis inuolet alueolo melle ouuliſque vacuo, & hujus margini inſiſtens pedibus anterioribus extendat corpus in cauum alueoli, liberetque pedes poſteriores ope mediorum ab onere, quod in ipſum alueolum decidit. Hæc ipſa, ſi non ſponte ceram depoſitam contundat, & complanet, aduolat mox alia, hoc defunctura officio: alia iterum, quæ in eundem alueolum deponit aliam ceram, ſimulque comprimit: hinc fit, ut in eodem ſæpe alueolo reperiatur veluti per ſtrata ſuper ſtrata diuerſi coloris cera, alba, flaua, rubella, fuſca, pro diuerſitate florum, in quibus fuit collecta. Sunt hujus generis alueoli cerâ impleti penuarii loco, unde apes, quo opus habent, petant, vel ad operiendum alue- los alios, vel melle repletos, vel tenellis fœ- bus prægnantes.

Mel quod attinet, eſt id triplex fere; ſcum magis, quod colligunt apes ſeniores; bum, *virgineum*, *Jungfern-Honig* dictum, qu juniores; tertium genus eſt *ſaccharinum*, *Z cker-Honig*, ſolidius, granuloſum, plerunq album, præſtantius aliis ſpeciebus. Collec ipſa fit ſequenti modo. Inſigunt apes roſtru cauum fundo floris, melleum ſuccum exugu eo veſiculam ſiue ſacculum implent, & me onuſtæ in alueare reuolant, mox autem n extenſo capite euomunt. Alueoli melle ple pabulo hyberno deſtinati, clauduntur operc lo, dum alii linquuntur aperti, ut inde viua inprimis apes juniores.

Quæ de apibus porrò dicenda forent, co traham paucis, non enim animus eſt, integra condere apum hiſtoriam. Munditiei ſtude reſpectu corporis ſui, & aluearis, nihilque a mittunt, quod eſt immundum. Cerâ glutin ſiore obſtruunt omnia aluearis foramina, qu bus aditus patere poſſit inſectis aliis. Quod fortean aliqua introitum tentent per januam a uearis apertam, habebunt ea mox rem cu militibus apibus, quæ ibi ſunt in ſtatione, h ſtem aggreſſuræ: hæ ſi hoſti abigendo hau ſint ſuffenæ, auxilio veniunt mox aliæ. Vi fuit irrepere cochlea, perfoſſa mox ab apibu vitâ priuari, mortua, ne putreſcat, aut verm net, cerâ obduci, & ita balſamari. Exquiſit pollent olfactu apes, ut & ceram & mel è lon ginquo ſentiant. Meſſis autumnalis ſi non e opima ſatis, ipſæ apes inter ſe excitant turba & bella mouent, quibus interimuntur plurima Inſtanti, quam viua hæc præſentiunt barome tra, tempeſtate redeunt maturè ad aluearia ſua Amantiſſimæ ſunt caloris, & colligunt ſeſe hye mali tempore verſus centrum aluearis, mutu fotu vitam ſeruaturæ. Laborioſiſſimæ ſunt di noctuque, & alternant officia. Sunt, quæ euo lant quæſituræ prædam, manent aliæ domi fœtus tenellos foturæ. Animalcula hæc ſi ra tione ſunt prædita, cogitata ſua inuicem com municant. Quæ fauis conſtruendis operam locat, roſtrum infigit aduenientis forte melli geræ apis ori, atque mel vomitu rejiciendum excipit, ne quid pretioſi liquoris pereat. Alarum motu ſignum dant auxilii, quo opus habent ad liberandum ſe onere ceræ: euolaturæ item ad prædam; vel migraturæ, & colonias formaturæ per examina. Plura, qui volet, legat *Maraldi* deſcriptionem apum, quæ extat in *Mem. de l'Acad. Roy.* 1712. p. 299.

Illuſtrando huic Commentario inſeruient ſequentes Figuræ.

1. Apum Rex, ſiue potius Regina, magnitudine naturali.
2. Apis fucus, forte mas.
3. Apis.

4. Apis

RPJCB

PSAL. XXII. V. 21. 22.
Pius feris ferocibus cinctus.

Pſal. XXII. v. 21. 22.
Der Frome mit grimigen Thieren ümgebe

Catharina Sperlingen sculp

4. Apis roſtrum in longum extenſum, na-
ırali majus, cum ſuis quatuor partibus, ceu
ımis, ab inuicem diductis.

5. Apis caput.

6. Crus apis magnitudine aucta cerâ onu-
um.

7. Alueoli baſis in ſitu horizontali, & ouu-
m in centro ejus locatum.

8. Alueoli eadem baſis in ſitu verticali cum
ıo in vermiculum mutato, 4. à natiuitate die-
ıs, fluido nutritio cinctum.

9. Vermiculus idem, qualis eſt octiduanus.

10. Idem, qualis eſt duodecimo à partu die.

11. Idem in nympham mutatus, magni-
dine aucta ſiſtit apem ipſam albam adhuc &
ıollem.

12. Alueolus integer ſeparatus ab aliis ſce-
ɔgraphicè repræſentatus.

13. Faui integri portio, repræſentans binas
ueolorum ſeries.

14. Faui alia portio horizontaliter ſecta, ut
ueolorum interna cauitas conſpici queat, unà
ım marginibus, quibus alueoli ipſi firmantur.

15. Alueoli plures, quorum duntaxat vi-
dentur baſes, parietibus ablatis. Ubi angulus
A. eſt ſolidus cauus. B. ſolidus conuexus, in
fundo alueoli priori oppoſitus.

16. Fuci canalis, cujus origo eſt in A. ubi
adſunt 4. corpuſcula glanduloſa, finis in B.

17. Canalis ejusdem portio magnitudine
aucta: ubi viſuntur alæ duæ in A. ſaccus B. &
bina ligamenta C C.

18. Saccus A. magnitudine aucta, ut con-
ſpiciantur diſtinctius plicæ excipientes mate-
riam ſeminalem.

19. Eadem canalis portio ex alio latere vi-
ſa, ubi conſpicuæ quatuor partes annulares ni-
gri, corneæ fere ſoliditatis, quæ partem peri-
pheriæ canalis cingunt.

20. Aculeus apis ſub microſcopio conſpe-
ctus, ubi d b. eſt vagina, in qua ille recondi-
tur, in articulos quaſi diuiſa in f g h i k l m n o,
& inſuper hamis p q r s t. furcatis armata, a b.
aculeus ipſe itidem uncis armatus, quo ſeſe
carnibus infigit, infixus hæret, & cruciat. *Hook
Micrograph.* p. 163.

TAB. DXLII.

Pſal. XXII. verſ. 13. 14.

'auri multi circumdederunt me, præualidi ex Baſan undique cinxerunt me.

ıperuerunt contra me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens.

FUit olim *Baſanitis* & *Saronitis* Regio unà cum valle *Achor* pecoribus præ aliis Palæſtinæ diues, ut Helvetia eſt præ Europa reliqua. Jacebat hæc, βαταναία, βατανέα *Stephano*, inter torren-
es *Jabok* & *Arnon* trans Jordanem. Notum
x Num. XXXII. 4. petiiſſe hanc Regionem Ru-
enitas & Gaditas pro portione ſua, utpote qui
ecoribus erant diuites; nam, ita illi, *alendo
ecori apta eſt Regio*, γῆ κτηνοτρόφος. Laudatque
Ioſes in Cantico ſuo Deut. XXXII. 14. *buty-
um boum, & lac ouium, cum adipe arietum pin-
uium*, alii legunt, *arietum Baſan*; & Dauid in
'extu אַבִּירֵי בָשָׁן, *tauros ex Baſan*. LXX. ταῦροι
ίονες, Aquila λιπαροὶ, Symmachus σιτιστοὶ, Vul-
ata & Hieronymus *tauri pingues*, ſic & Verna-
ula noſtra, *feiſte Ochſen*, Latina *præualidi*. Ce-
ebratam quoque legas Helvetiam hanc Orien-
alem Patribus propter fœcundam pecorum
ulturam. *Hieron. in Amos.* IV. *Vaccas pin-
ues de armento ſe eſſe nouerint, ſiue quæ nutrian-
ur in paſcuis Baſan, quæ ſunt loca herbarum
fertiliſſima. Theodoretus*: Δαμάλεις δὲ αὐτὰς τῆς βασανίτιδος ὀνομάζει, ὡς ἁβροδιαίτους καὶ χλιδῇ παντοδαπῇ κεχρημένας. τοιαῦται γὰρ καὶ τῆς βασανίτιδος αἱ δαμάλεις διὰ νομῆς ἀφθονίαν σκιρτῶσαι. *Eas autem* (Amos IV. 1.) *appellat juuencas Baſanitidis, tanquam molliter viuentes, & omnigeno luxu diffluentes. Ejusmodi enim erant vaccæ Baſanitidis, ob pabuli copiam exultantes. Cyrillo* teſte, *Baſanitis Regio paſcua, & florida eſt, & idonea inprimis ad pecora, quæ in ea paſcuntur, uberrimè ſaginanda.* Χώρα ἡ βασανίτις εὔβοτός τε, καὶ εὐάνθης, καὶ πολὺ λίαν ἐπιτηδείως ἔχουσα πρὸς τὸ δύνασθαι καταπιαίνειν ἀμφιλαφῶς τὰ ἐν αὐτῇ βοσκόμενα. Obſeruant, qui linguas excolunt, *Baſan* notare quoque *pinguedinem*. Arabibus eſt *Bathſana*, *Bathſania*, terra pinguis, fertilis, fœmina item formoſa; & Regio vicina Damaſco; & forſan à pinguedine nomen ſuum arceſſit Regio ipſa.

Haud prætereundum eſt Baſaniticorum boum adjectiuum, אַבִּיר *abbir*, *robuſtus*, quod & occurrit Pſ. LXVIII. 31. Celebratur quo-

que boum robur apud Scriptores profanos. *Virgil. Georg.* L. I.

Pingue ſolum primis extemplo à menſibus anni
Fortes inuertant tauri.

Tibullus L. II.

Fortis arat valido ruſticus arua boue.

Ouid. L. IX. *Met.* ubi pugna Herculis cum Acheloo deſcribitur:

Non aliter vidi fortes concurrere tauros.

Homerus in deſcriptione pugnæ Ajacem inter & Diomedem:

Ταῦρος ὅπως συνόρεσαν ἀταρβέες, ὅτ' ἐν ὄρεσσι
Θαρσαλέε μένεος πειρώμενοι, εἰς ἕν ἵκωνται.

Ut intrepidi concurrant tauri, qui in montibus
Roboris audacis periculum facturi congrediuntur.

Sed quadrant huc cumprimis Elogia, quæ b
bus Syris dat *Oppianus L. II. Cyneget.*

Αἴθωνες, κρατεροὶ, μεγαλήτορες, εὐρυμέτωποι,
Ἄγραυλοι, σθεναροὶ, κερεάλκεες, ἀγριόθυμοι.

Nigri, robuſti, magnanimi, lata fronte,
Noctu in agris degentes, fortes validis cor
bus, feroces.

Hinc veteribus Græcis ἐπίταυρος pro robuſ
Heſychius: ἐπίταυρον, ἰσχυρὸν. Experiantur ha
boum fortitudinem Hiſpani in ſua ταυρομαχ
nos Helueti prædicamus eam, & applicam
ad uſus varios tractorios, arandi officia. Ju
bit, pro illuſtratione Textus, adferre tauroru
robuſtorum ſimul & prægrandium & ponc
roſorum nonnulla exempla ex Baſanitide H
uetica. Moris eſt in Noſodochiis nonnul
Heluetiæ quotannis ſaginare & mactare pr
grandis magnitudinis bouem, & tantæ mo
beſtiam ducere ad lanienam veluti in triur
pho, coronatam floribus. A. 1676. Noſoc
mio Sancto-Gallenſi illatus bos 1850. Librarur
A. 1682. 2653. Libr. cujus altitudo fuit 7. lo
gitudo 9. pedum, adductus Lanienæ Noſod
chianæ, quæ Tiguri eſt.

Pſal. XXII. verſ. 15. 16.

15. Effuſus ſum velut aqua, diſſocian-
tur omnia oſſa mea, factumque
eſt cor meum ſicut cera, liquefa-
ctum intra viſcera mea.
16. Exaruit ut teſta virtus mea, lin-
gua mea adhæreſcit faucibus meis,
& in (a) puluerem mortis redegi-
ſti me.

(a) Proximè ad mortem adegiſti me.

15. Sicut aqua effuſus ſum: & diſpe
ſa ſunt omnia oſſa mea. Factur
eſt cor meum tanquam cera li
queſcens in medio ventris mei.
16. Aruit tanquam teſta virtus mea
& lingua mea adhæſit faucibu
meis: & in puluerem mortis de
duxiſti me.

EXpoſuit paulò ante Pſaltes in propria ſua & MESSIÆ perſona pericula, quibus obnoxius fuit ab extra, à *Tauris Baſaniticis*, à *Leonibus rapientibus*, diſcerpentibus, *rugientibus;* nunc cruciatus internos animæ ſiſtit, & meteoricis quidem locutionibus. Haud fuit Dauid dura & Marpeſia cautes, fluctibus allidentibus inuictus, CHRISTUS verus homo, iisdem, quibus ille, obnoxius infirmitatibus, peccato excepto. Patiebatur uterque acerbiſſimos animæ cruciatus, Dauid propter ſua, CHRISTUS propter fidelium peccata. Uterque haud fuit Stoicus: Neuter *Anaxarchus*, qui juſſu Nicocreontis in mortario contundendus exclamauit: *tunde, tunde, Anaxarchi vaſculum tundis, Anaxarchum non tundis. Diog. Laërt. in Anaxarcho.* Debebat heic & illic tolli æquilibrium ſpirituum & ſanguinis, illique prædominantes triſtitiam inferre grauiſ
ſimam. Contremiſcit corpus extra modum
langueſcit obrutum cor, reſiſtentiam fluidi ſu
perare neſcium, ἐγενήθη ἡ καρδία ὡσεὶ κηρὸς τηκόμενο
ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας, *factum eſt cor ſicut cera lique-*
ſcens de medio ventris, LXX. quæ verba planè
non ſumi poſſunt ad literam, ſed apprimè ex-
plicari de ira urentiſſima & colliquefaciente
DEI, utpote quæ paſſim in Sacris cum igne
comparatur. Jer. IV. 4. Thren. I. 13. II. 4. Ty-
pum dedit Agnus Paſchalis igne aſſatus. Διεσκορ-
πίσθη πάντα τὰ ὀςᾶ, *diſperſa ſunt omnia oſſa*, deeſt
robur fulcris. Et deficientibus in toto corpo-
re ſecretionibus, ἐξηράνθη ὡσεὶ ὄςρακον ἡ ἰσχὺς, καὶ ἡ
γλῶσσα κεκόλληται τῷ λάρυγγι, *exaruit velut te-*
ſta virtus, & lingua adhæſit
faucibus.

Pſal.

Pſal. XXII. verſ. 21. 22.

1. Eripe à gladio animam meam, de (*a*) manu canis unicam meam.

(*a*) h. e. à violentia, rabie.

2. Serua me ab ore leonis, & à cornibus unicornium (*b*) eripe me.

(*b*) Alii legunt, reſponde mihi, i. e. fer opem, aſſere.

21. Erue à framea, DEUS, animam meam: & de manu canis unicam meam.

22. Salua me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

VEniunt heic *canum* nomine Dauidis, CHRISTI, Eccleſiæ, fidelium hoſtes. Sic & v. 17. *Circumdederunt me canes, cœtus malorum cinxit me. Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.)* Canem ſe ipſum nominat humilis, proximum quemque ex contemptu. Abiſai ad Dauidem Regem de maledico Simei: *Cur maledicit canis iſte mortuus Domino meo Regi?* Ita Hector Græcos Trojam obſidentes, ſperans, *ſe expulſurum inde canes à fatis aduectos.*

'Εξελάαν ἐνθεῦδε κύνας κηρεσσιφορῆτες.

Homer. Iliad. θ'.

Elucet, ut ex ſingularum partium ſtructura, ita ſpeciatim ex animantium *ore*, viuendi generi præciſè adaptato, ſapientia diuina. Haud quadrat rictus oris anguſtus *Leoni*, cujus eſt, forti compreſſu prehendere prædam, & dilaniare dentibus. Eſt os leonis terribile. Dan. VI. 22. *DEUS meus angelum ſuum miſit, & concluſit ora Leonum, ut non læſerint me.* Paulus 2 Tim. IV. 17. ἐῤῥύσθην ἐκ ςόματος λέοντος. Hebr. XI. 33. ἔφραξαν ςόματα λεόντων. *Virgilius* de Leone *Æneid.* L. VII.

Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Eſt os Leoni, quod jam ante innui, vaſtum, ςόμα εὐμέγεθες, *Ariſtot. Phyſiognomon. Virgil.* L. X.

Gaudet hians immane —

Lucanus L. I.

— vaſto & graue murmur hiatu
Infremuit —

Vaſtum adeò, ut

Frendens totum facile abſorbeat hinnulum.

'Ροφεῖ δὲ νεβρὸν εὐχερῶς βρύχων, *Phile* c. 31. cui ςόμα hocce cluet καταφρακτον, obſeptum duriſſimis dentibus, *Oppiano* L. IV. *Cyneg.* φόνιον χάος, *lethiferum chaos*, ſeu *hiatus*. Fortiſſimi obtigere Leonibus, ſic & Canibus, muſculi temporales & maſſeteres, fortiores tantò, quia mentum eſt productius, & dentes anteriores ab hypomochlio quinquies diſtantiores ſunt, quàm muſculi, ut vires Leonis Bouem 400. Librarum prehendentis & ſubigentis æſtimari queant ad 1080. Centenarios. *Schmidt. Macht der Muſculn* p. 16.

De *Unicornu, reem, rem* dicto, fuſius egi ad Num. XXIII. 22. Job. XXXIX. 9.

Pſal. XXIV. verſ. 1. 2.

1. DOMINI eſt terra, & (*a*) quicquid ea continet, orbis, & qui eum inhabitat.

(*a*) Ebr. & plenitudo ejus.

2. Ipſe enim ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.

1. DOMINI eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & uniuerſi, qui habitant in eo.

2. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.

PLenis utique buccis decantabit cum Pſalte, DOMINI *eſt terra, & quicquid ea continet, orbis, & qui eum inhabitat*, quisquis apertis oculis conſiderat terram, habitaculum noſtrum, ejus magnitudinem, figuram, ſitum ad Solem, diſpartitionem ordinatiſſimam in aquas, terras ſiccas, montes & valles, inſulas, continentem, terram totam, quà latè patet, אֶרֶץ *ærets*, תֵּבֵל *thebel*, *orbem*, ambitum, וּמְלוֹאָהּ *umeloah*, &

plenitudinem ejus, τὸ πλήρωμα αὐτῆς, theſauros ampliſſimos, non ad vitam duntaxat hominum, animantium, & plantarum, ſed quoque ad voluptatem paratos, theſauros in viſceribus terræ & profundo maris latentes, theſauros ſuperficiei apertos: quisquis, inquam, hæc omnia, punctulum hocce terræ in fluidiſſimo aëre liberè ſuſpenſum, in Ellipſi quotannis volutatum, quotidie circa centrum ſuum gyratum, ejusdem ſemper reſpectu cœli ſitus, accuratè perpendit. DEUM agnoſcet Creatorem, Conſeruatorem, motorem terræ ut potentiſſimum, ita ſapientiſſimum. *Creauit* eam. Gen. I. 1. *Nam primum terræ fundamenta jeciſti. (Initio terram fundaſti.)* Pſ. CII. 26. *Ubi eras*, ita DEUS ad Jobum, *quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ. Quis adhibuit ei menſuras? ſi modo noſti. Quis eam ad regulam extruxit? In quo fundamento fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem ejus angularem?* Job. XXXVIII. 4. 5. 6. DOMINUS, JEHOVAH, Ens omni- & infinitè perfectum, *ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.* Hæc Textus noſtri verba ſenſu literali ſumpſerunt priſcæ Eccleſiæ Patres, *Clemens Recog.* 8. *Athanaſius Orat. contra Idolol. Hilarius in Pſ.* CXXXVI. 6. *Euſebius in* Pſ. XXIV. ac ſi reuerà orbis terræ habitabilis fundatus ſit aquis; quod aſſertum inſuper confirmarunt ex Pſ. CXXXVI. 6. *Extendit terram ſuper aquas.* Confugit, ne in eosdem cum Patribus errores incidat, magnus Reformator *Caluinus* ad vulgi captum. *Non diſputat philoſophicè Dauid de terræ ſitu, ubi dicit, ſuper maria fundatam, ſed populariter loquens ad rudium captum ſe accommodat, Comm. in Pſal.* 147. Verum enim vero ſaluari poteſt literalis ſenſus, & cum Philoſophia conciliari, absque quod opus habeamus hocce aufugio. Dubium haud eſt, eſſe in viſceribus terræ hydrophylacia ampliſſima, imo abyſſum aquarum, quacum eſt conſtans cum maribus noſtris ac montibus communicatio. Et vero eſt ſimilius longè, in imo terræ centro plures theſauros eſſe aquæ, quàm ignis. Sic ambietur aqueus veluti nucleus ab orbe terræ exterioris, veluti ab albumine oui vitellum. Hoc ſenſu ipſam hypotheſin Pa-

trum, vel tantillum correctam, nobiscum co
ciliare licet. Non opus, niſi translatione aqu
rum ab inferiori terræ hemiſphærio ad ce
trum, ad quod usque terra eſt firmiſſimis ni
columnis, fornicata verſus meditullium; q
de re equidem non damus niſi conjecturas d
ctas. Ad ima hæc penetralia nemini mor
lium deſcendere licet, imo non ultra $\frac{1}{1720}$. M
liaris Germanici, vel ad dimidium duntax
Milliare. Notius id magis, allidi ſpumoſos m
ris fluctus maximo impetu ad littora, & abſ
bendam fore terram continentem à flumi
bus, niſi fortiſſimi obſtarent aggeres. Lim
tes poſiti ſunt, ut aquis, ita terræ ſiccæ, no
violandi unquam. Viuere debebant non p
ſces ſoli, ſed & animantia alia cum hominibu
Propterea DEUS *terram fundauit ſuper* (Pellic
nus & alii rectius, juxta) *maria, & ſuper* (ju
ta, ad) *flumina præparauit eam*, non tam alt
aggeribus atque rupibus, ſed graduali terr
veluti per planum inclinatum inde à mari a
ſummas Alpes aſcenſu: quo plani inclinati pro
pugnaculo defenduntur non ſolùm terræ ma
ribus adſitæ, ſed & remotiores quæque. Sta
illæ in primori acie, hæ in poſtrema. Hæc
ita ſe habeant, ſi terra prouidente ſapientiſſ
mo DEO fundata, ſolidata eſt ad maria, a
flumina, elementum adeò rapax, quale eſt aqua
noſtrum erit, accolarum maris, fluminum, im
incolarum totius terræ officium, venerari po
tentiſſimum hunc Architectum, timere, ama
re, bonitatem immenſam deprædicare, volun
tati ſummæ parere, tantò quidem magis, quo
præter ſecuritatem abundantiſſimo gaudea
mus bonorum omnis generis prouentu, ma
rium terræque theſauris. Habent & heic, quo
diſcant, Principes terræ, maximæ authoritati
feudatarii. *Digne humiliandi ſunt, ſcientes no*
ſe dominos terræ eſſe, ſed tantum colonos, & ſub
ditos agricolas, & hominum in terra paſtores
ſub unius veri Paſtoris prouidentia & potentia
ne ſe, ut ethnici reges, dominos hominum jactent
ſed ſerui DEI eſſe ſtudeant. Non enim eorum e
terra & plenitudo ejus, quicquid ſcilicet in orb
terrarum habitat & continetur, ſed DOMINI
per antonomaſiam & excellentiam unici &
omnipotentis. Pellican. in Pſal. p. 69.

RPJCB

TAB. DX

PSAL. XXIX. v. 3-10.
Vox Domini.

Pſal. XXIX. v. 3-10.
Die Stimme des Herrn.

G. D. Heüman scu

TAB. DXLIII.

Pſal. XXIX. verſ. 3 - 10.

(a) Vox DOMINI ſuper aquis, DEUS glorioſus tonat, DOMINUS ſuper aquas multas.

(a) Per vocem DEI potentiam & operationem DEI in ſupercœleſtibus, in elementis, intelligit.

Vox DOMINI in virtute, vox DOMINI in magnificentia.

Vox DOMINI confringit Cedros, confringit, inquam, DOMINUS Cedros Libani.

Et ſubſilire facit eas ſicut vitulum, Libanum & Sirion ſicut vitulum unicornium.

Vox DOMINI (b) diſſectas flammas ignis ejaculatur.

(b) Ebr. excindit flammas ignis.

Vox DOMINI (c) parturire facit deſertum, parturire facit DOMINUS deſertum Cades.

(c) Parturire facit, h. e. ut dolorem parturientis præ ſe ferant, lugeant, ſignificat magnam ſterilitatem.

Vox DOMINI parturire facit Ceruas, renudat ſyluas, at in Templo ejus cuncti gloriam dicunt.

o. DOMINUS ſedet in diluuio, ſedetque DOMINUS Rex in æternum.

3. Vox DOMINI ſuper aquas, DEUS majeſtatis intonuit: DOMINUS ſuper aquas multas.

4. Vox DOMINI in virtute: vox DOMINI in magnificentia.

5. Vox DOMINI confringentis Cedros: & confringet DOMINUS Cedros Libani.

6. Et comminuet eos tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

7. Vox DOMINI intercidentis flammam ignis.

8. Vox DOMINI concutientis deſertum, & commouebit DOMINUS deſertum Cades.

9. Vox DOMINI præparantis Ceruos, & reuelabit condenſa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

10. DOMINUS diluuium inhabitare facit: & ſedebit DOMINUS Rex in æternum.

T*ribuite* DOMINO, *qui virtute præſtatis, tribuite* DOMINO *gloriam & robur. Tribuite nomini* DOMINI *gloriam, adorate* DOMINUM *in decore ſancto. (Afferte* DOMINO, *filii* EI: *afferte* DOMINO *filios arietum. Affer*e DOMINO *gloriam & honorem: afferte* DOMINO *gloriam nomini ejus: adorate* DOMINUM *in atrio ſancto ejus.)* v. 1. 2. Ita plenis xclamabit buccis, præcinente Dauide, quouſquisque tonitru naturale meteoricum, & ſpirituale Verbi Diuini attento conſiderat animo. nimus mihi eſt, manere intra naturæ præfitos limites, & tonitruantis alterius vocis ſtuendos effectus explanandos linquere aliis.

De *tonitru* hocce meteorico aſſerimus confidenter, lucem ei quampiam fœnerari fragorem, quem edunt exploſa tormenta, mortaria, ſclopeta, auri & pulueris ita dicti fulminantis quoscunque ſonos fortes, eſſeque tonitru, vel ex parallelismo hocce, vibrationem fortem tremulam aëris ſonori. Sed & lubentes fatemur, maximam partem eorum, quæ perſpicaciſſimi quique Philoſophi de tonitru ſciunt, minimam eſſe eorum, quæ ignorant; audire nos vocem, ſed non intelligere: Eſt aër tenuiſſimum fluidum: Non adſunt heic tormenta, non mortaria ex ſolido metallo fuſa, non globi miſſiles è ferro concaui, puluere pyrio farcti; & tamen tremorem audimus in tota atmoſphæra tremendum, vocem, quæ ſomno profundo immerſos excitat, incautiſſimos quosque reddit attentos, peccatores audaciſſimos attonitos, metu atque terrore perfuſos. Audite ex Gentilibus Poëtam, *Horatium* volo, negligen-

tem ſatis Deorum ſuorum cultorem L. I. *Od.* 34.

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos; namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens
Plerunque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum,
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quò ſtyx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. —

Manifeſtat ſeſe DEUS per voces blandas, ſed & per validas, ad intima usque cordium peruicaciſſimorum penetralia penetrantes. Dauid ipſe, & cum eo alii DEI Miniſtri, offerunt nobis nunc fulgidum Solis omnia illuminantis & fouentis jubar, nunc Stellarum tum Fixarum, tum Erraticarum theatrum magnificum, ſed &, ſi ad has voces ſurdi ſumus, tonitrua, fulgetra, fulmina, denſiſſimos imbres. Excitant hæ voces vel ex profundiſſimo Lethargo. Et attentione cumprimis eſt dignum, quod Pſalti clueat *tonitru vox* DOMINI ſepties, & DOMINUS, JEHOVAH ipſe in hoc theatro ſiſtatur quinquies, Numen illud cunctipotens, ſanctiſſimum, ſupremum, quod res hominum æternis regit imperiis, & fulmine terret, quod totum nutu tremefacit Olympum. Nihil heic de idolo naturæ, nihil de caſu; DEUS, ad quem rectâ ducimur via, perficit omnia.

Verſ. 3. *Vox DOMINI ſuper aquis, DEUS glorioſus tonat, DOMINUS ſuper aquas multas,* Φωνὴ κυρίȣ ἐπὶ τῶν ὑδάτων, ὁ ΘΕΟΣ τῆς δόξης ἐβρόντησε, ΚΥΡΙΟΣ ἐπὶ ὑδάτων πολλῶν. Heic plana omnia. Sunt *aquæ, aquæ multæ*, ſuper quibus DEUS tonat, nubes, armamentarium illud, & penuarium ampliſſimum & inſtructiſſimum DEI. Tonat, non ſemper ut terreat, ſed ut conuincat terricolas de ſuo erga eos amore. *Tam horribilem tonitruum ſonum cauſat ſuper aquas cum pluuiis & nimbis: quibus nedum potentiſſimam iram oſtendere ſolet, ſed etiam inſignem beneuolentiam, conſiderantibus terræ naſcentium profectum, qui tonitruo, fulgure & nimbis promouetur magnifice. Pellican.* in h. l.

Verſ. 4. *Vox DOMINI in virtute, vox DOMINI in magnificentia.* Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ ἐν ἰσχύι, Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ ἐν μεγαλοπρεπείᾳ. Fatentur omnes, diffitetur nemo, majeſtatici quid præ ſe ferre vocem DEI tonitruantem, quod forti impreſſione animos, etiam vitioſiſſimorum afficit, non aures duntaxat, ſed corda mouet.

Verſ. 5. 6. *Vox DOMINI confringit Cedros, confringit, inquam, DOMINUS Cedros Libani. Et ſubſilire facit eas ſicut vitulum, Libanum & Sirion ſicut vitulum unicornium.* Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ συντρίβοντος κέδρȣς, συντρίψει ΚΥΡΙΟΣ τὰς κέδρȣς τȣ̃ Λιβάνȣ. Καὶ λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τὸ[ν Λί]βανον (Aquila, καὶ σκιρτώσει, & exultabit, i. e. [ex]ultare faciet, Symmachus, καὶ ὀρχεῖσθαι ἐπο[ίησεν] αὐτὰς, & ſaltare fecit eas, item σκιρτοποιήσει α[ὐτὰς] ὡσεὶ μόσχον, & exultare faciet eas, ſicut vitulu[m]. Καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων. Extra con[tro]uerſiam id eſt, quod tonitru intonante non [tre]mat duntaxat fluidum aëris elementum, [ſed] corpora ſolidiſſima quæque, ædes, urbes, [ſyl]uæ, montes. Quamuis non ad literam p[ræ]ciſè intelligi debeant *Cedri ſubſilientes ſicut v[itu]lus, Libanon & Sirion ſicut vitulus unicorni[um].* Contremiſcunt arbores & montes, & trem[en]do nutant inprimis cacumina, ut ad Sileni c[an]tum tradidit *Virgilius:*

— *rigidas motare cacumina quercus.*

Ubi *Seruius: Quaſi genus ſaltationis vult eſſ[e in] arboribus cacuminum motum.* Eſt proin hæc [fi]gurata, metaphorica, hyperbolica locut[io]. Arbores ſi tremunt, ſi ſaxa, ſi montes, ſylu[æ], noſtri erit, mortalium ratione præditorum, [of]ficii, ſancto tremore cognoſcere & adora[re] DOMINUM, cujus ab obtutu tellus tota t[re]miſcit. Efficiat ſalutarem hujusmodi trem[o]rem omnis operum DEI contemplatio. *D[ia]bolica hæc ſcientia eſt, quæ in naturæ contemp[la]tione nos retinens à DEO auertit. Caluin.* in h[. l.] Hebræum [illegible]וַיַּרְקִידֵ, quod nos reddimus, *ſubſilire faciet eas*, variè, quod vidimus, reddu[nt] Interpretes Græci, & ex iis Vulgata, *comm[i]nuet eas;* Chaldæo poſt Aquilam & Symm[a]chum placet *ſaltatio.* Sic *montes ſubſilierunt [ut] arietes, & colles ut agni ouium*, Pſ. CXIV. [4.] tremoribus nempe, qui concuſſerunt terra[m] latâ lege. Eſt hæc cum ſaltantibus, ſubſilien[]tibus vitulis facta comparatio alibi quoque [in] Sacris obuia. Malach. IV. 2. legas apud LX[X] σκιρτήσετε ὡς μοσχάρια, ſubſilietis ut vituli. No[s] *pingues eritis ut vituli ſaginati, ihr werdet wach[]ſen wie die Maſt-Kälber. Homerus Odyſſ.* ι.

Ὡς δ᾽ ὅταν ἄγραυλοι πόριες περὶ βȣ̃ς ἀγελαίας,
Ἐλθȣ́σας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται,
Πᾶσαι ἅμα σκαίρȣσιν ἐναντίαι —

Ut cum in agro degentes buculæ circa vacca[s] armentarias
Ad mandram venientes, poſtquam herbâ ſatu[]ræ ſunt,
Omnes ſimul oppoſitæ ſubſultant. —

Theocritus in *Bucoliaſtis:*

Ὠρχεȣ̃ντ᾽ ἐν μαλακᾷ ταὶ πόρτιες αὐτίκα ποίᾳ.

Et vitulæ ſtatim ſaltabant in molli gramine.

Hinc apud *Heſychium* μοσχινᾶιοι, σκιρτητικοὶ. Subſultoriam hanc vim tonitruantis vocis DOMINI, ſi ullibi experiri licet, licet in Alpinis regionibus,

ibus, ubi perſæpe ex trementibus ſaxis deci- uæ niues ingentes formant labinas, imo eun- em effectum exerit ſclopetorum veluti toni- uans ſonus, ut illorum exploſione interdicere eceſſe habeant accolæ. De *Unicornu, Reem,* lura lege ad Num. XXIII. 22. *Cum omnia tria* *re ſimul accidant, tonitrus, fulgetrum, fulmen,* *on eſt inſolens, quod per tonitrui vocem, quod* *nſibilius eſt, eoque plus terret, reliqua duo Pro-* *beta intellexerit. Pellican.* in h. l. Sic & Ger- ianis in latiori ſenſu pro fulmine ipſo ſumitur onitrus vox, *der Donner hat, hier oder dort,* *ngeſchlagen.*

Verſ. 7. *Vox DOMINI diſſectas flammas* *nis ejaculatur.* Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ διακόπτοντος φλόγα πυ- ς. *Vox DOMINI intercidentis flammam ignis,* uguſtinus *procidentis*, Symmachus καταδιαιρꙋν- ς, *diuidentis.* Quæ verba & Verſiones per- ommodè & ad literam intelligi poſſunt de ılphurea fulminis materia in fulgura diuiſa at- ue diffuſa, imo & fulmine ipſo à ſola aëris rementis reſiſtentia in ramos diffiſſo, diſciſſo. *Vominatim memorat fulgetra, quibus ejaculantur* *xciſæ ignis partes, celerrima quadam vi flatus.* *ubjecit autem hoc deſcriptioni violentiæ fulminis,* *n disjectione arborum, fortaſſis incendium illud* *otans, quo icta fulmine conflagrare ſolent.*

Verſ. 8. *Vox DOMINI parturire facit de-* *ertum, parturire facit DOMINUS deſertum* *ades.* Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ συσσείοντος (Symmachus ἐκτο- ίζοντος, parturire facientis, Aquila ὠδίνοντος) ἔρη- ον, συσσείσει (Aquila ὠδινήσει, Symmachus ἐκτο- ήσει) ἔρημον Κάδης. *Per concuſſionem deſerti intelli-* *it animalium in deſerto parturitionem, & peri-* *ula ex maxima vi hujusmodi tempeſtatum. Com-* *ouentur enim feræ in ſyluis ad celeriorem par-* *um, ex timore reſolutis viſceribus. Pellican.* Quo ſenſu connectendus foret hic verſiculus um proximè ſequenti. Vel; majori vi ter- entur homines ipſi ex tonitruante voce DO- MINI in deſerto, quàm vel in urbibus popu- oſis, vel libero campo, à multiplici enim ſo- i ex arboribus reflexione intenditur valde ſo- ius, præſertim in vallibus, quæ altiſſimis in- erjacent montibus. Videtur quoque alludere 'ſaltes ad tranſitum Iſraelitarum per Deſertum ades vaſtiſſimum, quod ad Idumæam us- ue pertingit.

Verſ. 9. *Vox DOMINI parturire facit Cer-* *as, renudat ſyluas, at in Templo ejus cuncti glo-* *iam dicunt.* Φωνὴ ΚΥΡΙΟΥ καταρτιζομένꙋ ἐλάφꙋς, καὶ ποκαλύψει δρυμꙋς, καὶ ἐν τῷ ναῷ αὐτꙋ πᾶς τις λέγει δό- αν. *Vox DOMINI perficientis ceruos, & re-* *elabit ſyluas, & in Templo ejus unusquisque di-* *et gloriam.* Ubi pro καταρτιζομένꙋ, יְחוֹלֵל, A- quila habet ὠδίνοντος, *parturire facientis*, Sym- machus πληθύνοντος πεδία, *multiplicantis campos*, quinta Editio μαιꙋμένꙋ ἐλάφꙋς, *obſtetricantis Cer-* *is.* Erit proin tonitru Ceruis obſtetrix, pro- mouens partum. En quomodo! Tonitruante cœlo tremefiunt corpora prægnantium, ut cer- uarum, ita quoque aliorum animantium, & aliquando mulierum, qua ipſa concuſſione fœ- tus maturus, veluti pomum arbore, decutitur. Dixeris quoque ex hypotheſi de paſſionibus animi, ſublato ſpiritus inter animales & ſangui- nem æquilibrio contrahi validè fibras uteri, & ſic expelli fructum, imo eum aliquando imma- turum. Exemplo eſt *Nurus* Eli, *uxor Pinhas,* *quæ ad partum grauida erat, audiens rumorem,* *quod & arca DEI capta eſſet, quodque mortuus* *eſſet ſocer ſuus, & maritus ſuus, incuruauit ſe &* *peperit, verſi enim erant in eam anxii dolores ejus.* *(Nurus Eli, uxor Phinees, prægnans erat, vicina-* *que partui: & audito nuncio, quod capta eſſet* *arca DEI, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir* *ſuus, incuruauit ſe, & peperit: irruerant enim* *in eam dolores ſubiti.)* 1. Sam. IV. 19. In ani- mantibus operatur tonitru mechanicè, in ho- minibus accedit animo impreſſus terror, qui & impiiſſimos, ut ſupra dictum, corripit. Sic *Auguſtus* in *Suetonio* tonitrua tantopere expa- ueſcebat, ut ſemper & ubique pellem vituli marini pro antidoto circumferret, & imminen- te tempeſtate in abditum & concameratum lo- cum ſe reciperet. Et *Caligula*, tanti gradus A- theus, ut aliquando fuerit Joui ſuo commina- tus

— εἰς γαῖαν Δαναῶν περάσω σε,

ad minima fulgura & tonitrua caput obuolue- re, ad majora verò ſeſe è ſtrato proripere, & ſub lectum condere ſolebat. Quodſi percelli videas tantopere à tonitruante voce DOMINI bruta, & ex hominum familia Epicuri de gre- ge porcos, piorum erit, exſuſcitari ex ſopore, quo aliquando hi ipſi obruuntur, redire ad ſe, & ſua officia, *in Templo* DOMINI *gloriam* *dicere*, non duntaxat in ſchola mundi, in quo- tidiana conuerſatione, omni ſocietate, ſed fidelium cumprimis, deprædicare laudibus τὰ τꙋ ΘΕΟΥ θαύματα. Sit non Templum è ſaxis & lignis extructum ſolum, ſed ædes quæuis, conclaue quoduis, gloriæ DEI auditorium. Philoſophi ſpeciale officium, opera DEI con- templari non theoreticè duntaxat, ſed practicè, applicare omnia ad gloriam ſupremi Numinis, ad ſuam & proximi ſalutem. *Syluarum* tan- dem *renudatio* intelligi ita poteſt, quod à tre- mente tonitrus ſono, concuſſis arboribus, in- termixtis nimbis, ventis, grandine, folia fru- ctusue decutiantur; vel &, denſiſſimas quas- que ſyluas haud obſtare, quò minus tonitru vires ſuas exſerat.

Verſ. 10. *DOMINUS ſedet in diluuio.* ΚΥ- ΡΙΟΣ τὸν κατακλυσμὸν κατοικιεῖ, al. κατοικεῖ. Aquila, ΚΥΡΙΟΣ εἰς κατακλυσμὸν ἐκάθισεν, DOMINUS *in* *diluuio ſedit*, Symmachus, ΚΥΡΙΟΣ ἐπὶ τꙋ κατα- κλυσμꙋ ἐκάθισεν, DOMINUS *ſuper diluuium ſedit.* Præſedit ſupremus Monarcha non ſolùm in fa- tali illa inundatione diluuiali, ſed præſidet ad- hucdum in omnibus aquarum per nimbos ef-

 fuſio-

fuſionibus, per torrentes & flumina exundationibus, in omnibus hiſce occaſionibus de-

monſtrans juſtitiam ſuam & bonitatem, ſe DOMINUS *Rex in æternum.*

Pſal. XXXI. verſ. 10. 11.

10. Beneficus eſto mihi, DOMINE, nam anguſtia mihi eſt, (a) corroſus eſt præ indignatione oculus meus, anima mea atque venter meus.

(a) Al. caligauit, al. contabuit.

11. Detrita eſt enim præ dolore vita mea, & anni mei præ gemitibus: corruit præ iniquitate robur meum, omnia oſſa mea contabuerunt.

10. Miſerere mei, DOMINE, q
niam tribulor: conturbatus
in ira oculus meus, anima n
& venter meus.

11. Quoniam defecit in dolore v
mea, & anni mei in gemitib
infirmata eſt in paupertate v
tus mea, & oſſa mea conturb
ſunt.

Innumeris calamitatibus obrutus diuus Pſaltes ſenex factus ante ætatem, præ angore animi, quem eſt paſſus, totus quantus emaciatus, ut tabeſcere videmus triſtitia diutinâ affectos. Hæc ut concipiantur clarius, formanda eſt juſta triſtitiæ & nutritionis idea. Poſcit hæc ſufficientem boni ſanguinis ad corporis totius quoscunque extremos tubulos affluxum, qui juxta circulationem in extremis impeditam, præponderante ſpirituum influxu ſubſiſtere nequit. Obuiæ ſunt paſſim parallelæ locutiones in Pſalmis, explicandæ ex

iisdem principiis. XXXII. 3. 4. *Voce infre
contabuerunt oſſa mea. Nam dies noctesque
graueſcebat ſuper me manus tua, verſus eſt
cus meus in ſiccitates æſtiuas. (Quoniam ta
inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota
Quoniam die ac nocte aggrauata eſt ſuper me
nus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum c
figitur ſpina.)* XXII. 15. 16. *Effuſus ſum v
aqua, diſſociantur omnia oſſa mea, factumque
cor meum ſicut cera, liquefactum intra viſ
mea. Exaruit ut teſta virtus mea, lingua
adhæreſcit faucibus meis.*

Pſal. XXXIII. verſ. 5 - 9.

5. — Terra bonitate ejus repleta eſt.

6. Verbo DOMINI cœli facti ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.

7. Congregat aquas maris ut cumulum, reponit in penetralia abyſſos.

8. Timeat DOMINUM omnis terra, metuant ab eo uniuerſi, qui habitant orbem.

9. Quia (quum) ipſe dicit, fit; & quum præcipit, extat.

5. — Miſericordia DOMINI ple
eſt terra.

6. Verbo DOMINI cœli firmati ſu
& ſpiritu oris ejus omnis virt
eorum.

7. Congregans ſicut in utre aquas m
ris; ponens in theſauris abyſſo

8. Timeat DOMINUM omnis terr
ab eo autem commoueantur
mnes inhabitantes orbem.

9. Quoniam ipſe dixit, & facta ſun
ipſe mandauit, & creata ſunt.

Eſt quæuis ex infinitis infiniti DEI perfectionibus ſeu proprietatibus manuductrix ad Supremi hujus Entis cognitionem, cultum, amorem, timorem: Ita *juſtitia. Amat juſtitiam (miſericordiam) &*

judicium, v. 5. *Bonitas* cumprimis, qualis ſ
ſe manifeſtat in uniuerſo, ſpeciatim verò in o
be noſtro habitabili, ubi bonitatis diuinæ teſte
ἀναντίῤῥητοι ſunt omnia animalia, vegetabilia, m
neralia, montes omnes, valles, aër, aqua, *te*
r

ra bonitate ejus repleta eſt, τῦ ἐλέως ΚΥΡΙΟΥ πλήρης ἡ γῆ. *Quicquid uſpiam conſpicitur ab hominibus, nihil eſt niſi miſericordia & beneficentia DEI; in uſum enim hominis uniuerſa condidit & ordinauit, ut omnia illi ſeruiant, ipſe autem Creatori. Pellican.* in h. l. Oſtendit vir DEI nobis ea primum, quæ ante oculos noſtros jacent, quæ palpamus manibus, quibus fruimur in dies: perluſtratis his ducit nos ad cœlos remotiſſimos, ad corpora cœleſtia, Planetas & Fixas, ad creationem. *Verbo DOMINI cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Τῷ λόγῳ τῦ ΚΥΡΙΟΥ οἱ ἐρανοὶ ἐςερεώθησαν (Aquila, ἐποιήθησαν, Symmachus, ἐγένοντο) καὶ τῷ πνεύματι τῦ ςόματος ἀυτῦ πᾶσα ἡ δύναμις ἀυτῶν, Aquila, πᾶσα ἡ ςρατιὰ ἀυτῶν, *omnis militia eorum*, Symmachus, ἡ διακόσμησις ἀυτῶν, *ornatus eorum.* Mundus ſanè non ſeſe produxit ipſum, non ſubſtitit ab eterno, non genuit unus alium, ſed produxit omnia ſolum DOMINI *Verbum*, omnipotenti Patri coæternum. Præſidet diuina potentia & ſapientia ut in creatione, ita & in conſeruatione. A conſeruatione ſcandere oportet ad creationem. Sed neque heic, neque ibi, opus eſt organis, operariis, operâ ullâ. *Verbum* DOMINI, unicus diuinæ voluntatis nutus, ut mundum integrum prodire juſſit ex nihili abyſſis, ita in nihilum redigere valet. Argumenta, quæ pro Diuinitate CHRISTI & SPIRITUS SANCTI petuntur ex v. 6. contra Sabellianos, Arrianos, aliosque hæreticos, dilucidanda linquo aliis.

Congregat aquas maris, ut cumulum, reponit in penetralia abyſſos. Συνάγων ὡσεὶ ἀσκὸν (al. ὡς ἐν ἀσκῷ, *ſicut in utre*) ὕδατα θαλάσσης, τιθεὶς ἐν θησαυροῖς ἀβύσσυς. Nos forſan minus clarè, *ut cumulum.* Nata inde, vel confirmata opinio maris in cumulum, qualis eſt arenæ, frumenti, coaceruati, altiorem terrâ, ut miraculo tribui debeat, quod ex aquæ defluxu terra haud inundetur. De hoc errore, quem errauit ipſe *Caluinus*, alibi plura. Clarior Vernacula, *Er faſſet das Waſſer im Meer wie in einem Schlauch zuſammen*, כֹּנֵס כַּנֵּד מֵי הַיָּם, juxta Græcum ἐν ἀσκῷ, vel ὡς ἀσκὸν. Eſt alueus maris opus inſigne DEI, qui ipſe nos ducit ad aquas abyſſi, ad hydrophylacia in viſceribus terræ recondita, ad *penetralia* & *abyſſos*, de quorum exiſtentia nullum amplius dubium. Et eſt ſummæ admirationi æquilibrium conſtans marium apertorum & clauſorum, terræque ipſius ſolidæ, quæ per tot ſecula ſtetit immutata, licet fundata aquis. *Oſtendit DEI immenſam potentiam in tam vaſtum mare, qualem homo in pauxillum aquæ, quam utre concludens reponit, quò lubet, habet. — Theſauri ſunt hominibus inueſtigabiles abyſſus maris, ubi miracula naturæ maxima DOMINUS operatur ad ſuam gloriam, ſanctis tantum in patria contemplanda. Non enim tunc fidelium feliciſſimæ animæ ocioſæ erunt, intelligent enim non intuitione tantum diuinam eſſentiam, ſed etiam omnipotentiæ diuinæ glorioſiſſima opera in cœlo, & in terra, ac mari. Pellican.*

Patet hinc quàm euidentiſſimè, pendere à potentiſſima optimaque DEI voluntate noſtram terricolarum conſeruationem, ſed & à juſtiſſima conſumptionem. Velit & faciat altipotens, ut vacillent columnæ illæ, quibus fulcitur terræ orbis, corruent mox Urbes atque Prouinciæ integræ, commutabitur terra ſicca continens in maria. *Timeat* proin DOMINUM *omnis terra, metuant ab eo uniuerſi, qui habitant orbem.* Sit lectio hæc monitoria pro iis, qui DEUM non cognoſcunt, ita viuunt, ac ſi neque DEUS exiſteret, neque is prouidens, neque omniſcius, neque juſtus. Ut pro piis, qui DEUM ſincero corde amant & colunt, quod præcinit Pſaltes v. 1. 2. *Ouate juſti in DOMINO, laus decet rectos. Celebrate* DOMINUM *cithara, nablo, decachordo pſallite ei. (Exultate juſti in DOMINO: rectos decet collaudatio. Confitemini DOMINO in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi.)*

Voluntatem DEI potentiſſimè creantem & conſeruantem meteorico elogio digniſſimam judicat Pſaltes. *Quum ipſe dicit, fit; & quum præcipit, extat.* Parallela locutio repetitur aliquoties Gen. I. *Dixit DEUS — & fiebat ita.* Heic omnis Philoſophia muta. Tranſcendit finitum noſtrum intellectum paſſus ille ex nihilo ad aliquid. Τὸ velle DEI eſt operari. *DEUS non magno apparatu ad mundi creationem uſus eſt, juſſit, ut imperium protinus eſſet opus. Caluin.* ad h. l.

TAB.

TABB. DXLIV. DXLV.

Pſal. XXXIII. verſ. 15.

Ipſe omnium corda pariter finxit — Qui finxit ſigillatim corda eorum –

DUcit nos Diuus Pſaltes ad καρδιογνωσίαν, & ab hac ad θεογνωσίαν. Vult DEUS amari & coli tanquam καρδιοποιητὴς & καρδιογνώςης. Commendat *cor*, infiniti artificii opus, artificem, cui tot debemus elogia, quot ſanguinis guttas perpetuum hoc mobile, hæmacontiſterium, ad extremos corporis fines propellit pro conſeruatione vitæ. Si quis genuinum ſibi formare vult de artificioſiſſima hac machina conceptum, ei neceſſe eſt, ut ingrediatur artificum officinas, & Theatra Anatomica. Commodiſſimè omnium confertur fabrica cordis cum hydracontiſterio, quâ machinâ uti ſolemus ad extinguendum incendia. Conſtat Antlia hæc ex duobus cylindris, qui ejiciendam aquam excipiunt; valuulis duabus, quarum una aquam in vaſe contentam intra cauum cylindrorum admittit, altera ad ſiphones recuruos aditum parat; claudit illa ſe aquâ intrò ſuctâ, hæc expulsâ: reliquæ partes ſunt cylindri ſolidi prementes, & canales ſeu ſiphones ærei. Neminem autem eorum, qui machinam hanc tractant, latet, eſſe vim ejus tantò majorem, quò major eſt cylindri caui ad diametrum ſiphunculorum proportio, item quò celerior & fortior eſt vis virorum, qui premunt trahuntue; ut majori rapiditate videmus fluere flumina ex lato alueo in anguſtum. Proportionata quoque eſſe debet prior apertura, quæ aquam intromittit, ſcilicet ampla ſatis, ut facilitetur vis tum premens, tum attrahens. Hujusmodi nunc Antlia, ſed infiniti artificii, eſt cor, adſunt & heic cauitates ſeu thalami, vaſa adducentia & abducentia, adſunt valuulæ, omnia in exquiſitiſſima proportione. Præſtò ſunt vires thalamos comprimentes, & expandentes, verbo, ſtructuræ perfectiſſimæ nihil deeſt. Sed penitius introſpici meretur hæc machina, ut diuinitas ejus magis illuceſcat. Præmittam generalem delineationem.

Sit Fig. I. Hydracontiſterium. a b. cylindri caui. f g. Embolus. d. valuula aquam intra caua cylindrorum admittens. e. valuula aquam admittens ad ſiphones, ſed reditum ad cylindros prohibens. h h. ſipho aquam ejaculans.

Fig. II. A. Cor humanum, in ſitu naturali. B. Rami venæ coronariæ. C. Rami arteriæ coronariæ. D. Auricula dextra. E. Rami venoſi prodeuntes ex auricula dextra. F. Auricula ſiniſtra. G. Truncus arteriæ magnæ. H. Tru
cus arteriæ pulmonalis. I. Truncus aſcende
venæ cauæ.

Sunt, ut hydracontiſterio duo cylindri ca
ita cordi humano, quadrupedum & auium, d
ventriculi ſeu thalami, quorum dexter ſang
nem à toto corpore per venas refluum expel
ad pulmones, horumque arteriolas ſubtiliſ
mas, ſiniſter ad extremas usque arteriolas t
tius corporis. Conſtat neceſſitas horum ve
triculorum vel inde, quod ſanguis à toto co
pore refluus, ſpiritibus exhauſtus, ad coagul
tionem diſpoſitus, in pulmonibus faciles & l
thales peperiſſet obſtructiones, ni nouus acce
ſiſſet cordis dextri impetus. Quodſi idem ſa
guis ex corde ſiniſtro tranſiiſſet ad pulmone
attenuandus ibi, & in arterioſum commuta
dus, maximum impetum ſuſtinuiſſent pulm
nes ipſi, & reſiduus inſufficiens fuiſſet pelle
do latici ſanguineo ad extremas totius corpo
arteriolas.

Cui vel parum perſpecta eſt Oeconom
corporis, is clariſſimè videt, vitæ hominum
animalium brutorum neceſſariam fuiſſe ſang
nis circulationem uniformem, ordinatam, ſe
per æqualem, neceſſarias cordis vires ſuffena
ſanguinei ipſius laticis promptum ad vires im
pellentes obſequium, cor inter hujusque th
lamos, vaſaque inferentia & educentia, ma
ſam dehinc ipſam ſanguinis proportionem e
quiſitam. Debebant cordis thalami impleri ſ
mul ac ſemel, ſed & depleri. Qui incirca b
nas capiunt uncias, ſi majoris juſto fuiſſent
quàm ſunt, capacitatis reſpectu vaſorum, hæ
proin anguſtiora juſto, expelli potuiſſet fluidu
majori vi, atque celeritate, & ad majorem d
ſtantiam; ſed ita fuiſſet ſanguinis curſus febri
lis, opus habuiſſet cor potentioribus viribus
vaſa ſuſtinuiſſent ab impetu majori dilatatio
nem majorem, comitibus doloribus & æſtu
plus temporis impendendum fuiſſet cordi tu
ad repletionem, tum ad euacuationem, qu
omnia conſeruandæ vitæ fuiſſent incongru
prorſus. Incongrua iterum in caſu contrari
thalamorum capacitas minor, vaſorum major.

Neceſſitati vitæ reſpondet non duntaxat ventriculorum numerus, & capacitas, ſed quoque figura oblonga. Debebat ſanguis ſimul & ſemel thalamis expelli, ut ne guttula ſupereſſet, imo veluti contorſione ejici, cui fini neque ſphæ-



PSAL. XXXIII. v. 15.
Finxit Deus omnia corda.

Pſal. XXXIII. v. 15.
Gott bildet der Menſchen Hertzen.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

PSAL. XXXIII. v. 15.
Cor αἱμακοντιστήριον.

Pſal. XXXIII. v. 15.
Das Hertz eine künſtliche Blut=Sprütze.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

a figura quadrare poterat, neque cubica, ne-
e pyramidalis, nec alia quæuis.

Habet thalamus quiuis ſupernâ ſui parte
o orificia, unum pro intromittendo ſangui-
, pro emittendo alterum. Hinc opus fuit
luulis, & iis præcaueri debebat, ne qui per
um orificiorum ingreſſus eſſet ſanguis, per
ndem viam egrederetur, vel & regrederetur
ulſus ſemel, ſicque vitæ filum reſcinderetur
mento. Statim quippe ac refluus ex toto
rpore ſanguis per cauæ venæ orificium in-
uit thalamum cordis dextrum, expellitur
m ſyſtole ſuperueniente; ne autem exitus
eret per viam introitus, affixit Creator peri-
eriæ orificii valuulas tres tricuſpidales, quæ
ntractione cordis & accurtatione, veluti à
ntis vela expanſa, orificium memoratæ ve-
cauæ ita claudunt, ut ne guttulæ quidem
teat exitus, ſed ſanguis omnis effluat per ar-
iam pulmonarem. Et iterum heic circum
ificium ſtant valuulæ tres, ſemilunares dictæ
orma, quæ ſanguini regreſſum ad thalamum
xtrum impoſſibilem reddunt. Adeſt idem
tificium in thalamo cordis ſiniſtro; orificia
rum bina, venæ pulmonalis unum, arteriæ
agnæ alterum, quæ poſterior ſanguinem in
nnes etiam remotiſſimas corporis partes ex-
lſum vehit. Teſtimonio hæc omnia ſunt
initæ ſapientiæ, quæ elucebit magis & ma-
ex porrò dicendis. Mouetur hæc machina
ſanguis non à ponderibus appenſis, non em-
lis, aliisue ab extra applicatis viribus. Nul-
n confert ſymbolam animæ noſtræ rationa-
directio; hac etiam inuitâ pergit moueri hæ-
acontiſterium hocce diu noctuque; quam-
u nempe nerueus ſuccus ex cerebello influit
ſubſtantiam cordis infiniti artificii muſculo-
n, id eſt, quamdiu trahimus vitam, quam-
u fluidus ſanguis adæquata celeritate circulat.

In Fig. III. TAB. DXLIV. explicatur ſiniſtri
ntriculi cordis interior cauitas.

a a. Vena pulmonalis ante ingreſſum.

b. Auricula ſiniſtra cordis.

c. Foramen ouale, per quod ſanguis à ve-
caua rectâ ante ſiniſtri ventriculi oſtium in-
uit.

d. Membranæ ſeu valuulæ duæ mitrales,
icuſpidalibus dextri ventriculi ſimiles.

e e. Carneæ columnæ ex utroque ventri-
li latere prominentes.

f. Baſis cordis, ubi ſanguis è vena pulmo-
li in ventriculum influit.

g. Locus ſub valuulis mitralibus, ubi emit-
ur in Aortam.

h. Conus cordis.

i i i. Fibræ carneæ hinc per totum interio-
s ventriculi ambitum attextæ.

In Fig. IV. exhibentur valuulæ ſemilunares,
uales ſunt in Aortæ principio, laxatæ & ſan-
uini emiſſo cedentes.

a a. Pars ſiniſtri ventriculi aperta.

b b b. Tres valuulæ ſemilunares.

c. Aortæ truncus apertus.

d d. Duæ arteriæ coronariæ immediatè extra valuulas ſemilunares ex Aortæ trunco diſcedentes.

e e. Radix Aortæ, ubi cum tendine cordis unitur.

f f. Valuulæ mitrales diuiſæ, & utrinque reflexæ, ut valuulæ ſemilunares in conſpectum veniant.

Ne autem ſanguis ἀθρόως nimis, ſed certo dimenſo in ventriculos cordis irrueret potius quàm influeret, unicuique horum appoſuit Creator auriculam muſculoſam, quæ mox, atque ſanguine repletur, ſeſe in cauum ipſius ventriculi euacuat, ita ut ſyſtole auricularum homochrona ſit cum diaſtole cordis, & è contra diaſtole auricularum homochrona cum ſyſtole cordis.

Illuceſcit infinitum muſculoſæ cordis ſubſtantiæ artificium ei cumprimis, qui muſculos cordis elixati ab inuicem ſeparare nouit. Admirabundus videbit fibras cordis ſeſe interſecantes obliquè, & ſpirali flexu totum cor ambientes, ut earum accurtatione mucro baſi ſeſe approximet, totum cor ſeſe contrahat, & contrahendo ſeſe ſanguinem expellat cum impetu, majori quidem in omnes totius corporis partes, quàm in pulmones ſolos, quam ob rationem muſculi cordis ſiniſtri fortiores longè ſunt dextro.

Fig. V. exhibet oſtia cordis & fibrarum ductus.

a. Oſtium venæ cauæ.

b. Oſtium arteriæ pulmonalis.

c. Oſtium venæ pulmonalis.

d. Oſtium Aortæ.

e e e. Tendo circa oſtia cordis.

f f f. Fibræ ab exteriore cordis ambitu undiquaque redeuntes, tendini cordis inſertæ.

g g g. Fibræ interiores ductu planè exterioribus oppoſito in eundem tendinem deſinentes.

Fig. VI. ſiſtit fibras tenuiores, quæ per extimam dextri ventriculi ſuperficiem rectâ ſurſum latæ in baſin terminantur.

a. Baſis cordis.

b. Conus.

c c c. Fibræ rectâ ſurſum verſus baſin tendentes.

In TAB. DXLV. comparent Fig. ſeqq.

Fig. VII. delineat fibras rectis illis exterioribus proximè ſubjectas, obliquè dextrorſum aſcendentes, in baſi cordis terminatas, & ſpirali ſuo ambitu helicem ſiue cochleam referentes.

a. Baſis cordis.

b. Conus.

c. Fibræ ſiniſtrum ventriculum complicantes.

d. Fibræ dextrum ventriculum complicantes.

e. Sinus in interſtitio utriusque ventriculi pro vaſis cordis excipiendis excauatus.

Fig. VIII. monſtrat fibras interiores à dextro cordis latere obliquè verſus ſiniſtrum latas, quæ utrumque cordis ventriculum circumplectentes ad baſin ſiniſtri lateris aſſurgunt, & alteram helicem inuerſi ordinis conſtituunt.

a. Baſis cordis.
b. Conus.
c. Dextrum latus.
d. Siniſtrum.
e. Fibræ ventriculi dextri.
f. Fibræ ſiniſtri.

Fig. IX. oſtendit fibras, quæ non ad mucronem usque cordis pertingunt, ſed circa medium cordis ambitum arcus inſtar inflexi incuruantur, & in tendinem alterius lateris & ventriculi obliquè inſeruntur.

a. Tendo circa oſtium ventriculi dextri.
b. Tendo circa oſtium ventriculi ſiniſtri.
c. Fibræ ab uno tendine in alium porrectæ cum fibris intermediis hinc inde in mutuum ſubſidium porrectis.
d. Locus, ubi, poſtquam dextrum ventriculum complexæ ſunt, incuruantur, & obliquè in ſiniſtri ventriculi tendinem deſinunt.

Fig. X. ſiſtit fibras exteriores ventriculi ſiniſtri.

a. Baſis ventriculi.
b. Conus.
c c c. Fibræ obliquè dextrorſum aſcendentes verſus baſin.
d. Latus dextro ventriculo proximum.
e. Latus ſiniſtrum.

Fig. XI. oculis luſtrandas tradit interiores ventriculi ſiniſtri fibras, quæ contrario ordine ſurſum obliquè ſiniſtrorſum in baſin aſcendunt, & longiores ex iis circa conum contorquentur.

a. Tendo dextri lateris.
b. Tendo ſiniſtri.
c. Fibræ aliquot exterioris parietis.
d. Fibræ interioris parietis, & fibrarum utriusque ordinis circa conum contorſio.

Fig. XII. a a a. Fibræ ſunt exteriores ſpirali ductu in conum velut in centrum coëuntes.

Pronum eſt inferre ex hactenus dictis, diuini artificii antliam hanc cordis infinities ſuperare machinas omnes arte unquam factas, ut ſuperat intellectus diuinus humanum. Conſiderate nunc porrò, θεόφιλοι, non hominem ſolum, cujus cor deſcripſimus hactenus, ſed animalia quæuis obtinuiſſe cor magnitudini & longitudini corporis præcisè adæquatum, quod ſanguinem celeritate cujusuis animalis vitæ proportionata ad extrema usque vaſa propellit: eſſe antliam hanc ratione magnitudinis ætati ſemper congruam, & officio ſuo defungi in pullo æquè, ubi puncti ſalientis formâ & nomine eſt conſpicuum, atque in aue adulta. Antliam videte, quæ indeſinenter, diu noctuque operatur, in ſano quidem homine ſpatio horæ 3600.es, 60. pulſibus numeratis pro minuto, per conſequens 86400.es ſpatio nychthemeri. Minimus aliorum computus eſt 2000.
pulſuum pro hora, adeoque 48000. pro
horis. Ponite inſuper cum Harueo, ejici q
uis cordis ſyſtole 2. uncias, totam ſangu
maſſam eſſe 25. librarum, inuenietis, ex m
mo 2000. pulſuum calculo, ſanguinem omn
circulare 13.es ſpatio horæ, 302.es quoti
Pergite computando ad annos usque 80. & 1
& admirabundi contemplamini perpetuum
mobile, tardius licet nunc, nunc velocius,
variantibus animi corporisque motibus, ſe
per tamen blanda Pericardii Lymphâ, ne
ceſcat, irrigatum; admirari ceſſabitis nunqu
ſapientiſſimam DEI in nobis, & ſic anima
bus quibuscunque, indeſinenter operant
potentiam, quæ ſpeciatim eluceſcit ex eo, qu
cordis ſtructura, continuò licet mota, non c
ſumatur, ſed ætate creſcente creſcat, alim
tum ſubminiſtrantibus arteriis coronariis, d
aliæ machinæ omnes artefactæ atteruntur c
tinuò, & attritæ decreſcunt.

Heic animaduertendum probè, motu
hunc cordis prorſus non dependere à direct
ne animæ rationalis noſtræ, ſed fieri juxta m
chanicas leges à DEO in naturam introduct
& eo quidem, qui nunc deſcribetur, mod
Intropulſo ſanguine in ventriculos cordis,
dunt impetui huic fibræ cordis, & eò quide
usque, donec impetus ſanguinis ex una, &
ſiſtentia cordis ex altera partibus redeant ad
quilibrium. Repletis à ſanguine ventriculi
ceſſat illius impetus, contrahunt ſeſe præu
lentes nunc fibræ vi ſuæ elaſticitatis, & pler
viribus ſanguinem expellunt: qua expulſio
facta, relaxantur iterum cordis fibræ, & cede
coguntur accedenti nouo ſanguini. En igit
duos Antagoniſtas, ſanguinem & cordis fibra
qui prædominium alternant, & per vices un
alterum vincit! Experimento ſi comprobare
bet hanc veritatem, liga paris vagi neruum
collo, videbis illico contremiſcere cor, & el
pſo quodam tempore quieſcere prorſus; no
ſtatim, quia reſidui in corde hoſpitantes ſpir
tus aliquandiu vires ſuas exerunt, quod exci
è rana cordis experimento conſtat.

Si cui cor non eſt lapis, nec cerebrum fur
gus, eliciet is ex deſcripta hactenus cordis ſtru
ctura inuictiſſima pro exiſtentia DEI argumen
ta non una. Cur, quæſo, ex fabrica horolo
gii, Organi Pneumatici, Hydracontiſterii judi
camus, & verè quidem, non extitiſſe automa
ta hæc ſponte ſua, ſed excogitata eſſe & elabo
rata ab artifice ratione pollente, & ad certun
quidem finem, & non potius ex cordis ſtructu
ra infiniti & inimitabilis artificii, diuerſa magni-
tudine in varia ætate, & variis animalibus, pro-
pagatione ad poſteros, aliisque hujus generis
circumſtantiis inferimus infinitæ potentiæ at-
que ſapientiæ artificem? Verbo, DEUM *omni-
um corda finxiſſe?* Verum equidem id eſt, cor
hominis generari ab hominibus, animalium à
ſui generis animantibus, ſed & id fateri neceſ-
ſe habemus, nos ne γρῦ quidem conferre ad

hanc

ınc cordis fabricam, imo ejus eſſe ignaros orſus. Ne quidem conſtaret nobis, eſſe cor tra nos, niſi ex Anatomia. Et quot, obſe- o, ſunt hominum milliones, quibus circum- ntiæ de infiniti artificii fabrica ſupra propo- æ ſunt penitus ignotæ? Et ubinam offendes natomicos, qui vel optimorum microſcopio- m ope infinitam hanc ſtructuram demonſtra- norunt in puncto ſaliente pulli gallinacei, t embryonis humani? Vel qui fit, ut anima inè non recordetur tanti operis, ſi corpori l infuſa, vel in id transfuſa, cor format, in- ligentior licet magis & magis? Objicias li- t, corpus continua ſerie generari à corpore; l ſcias oportet, corpus quà corpus, per con- quens omnia hominum brutorumque cor- ra, conſilio, intellectu, viribus eſſe planè de- tuta; ridiculum proin fore, materiæ nudæ bricam infiniti artificii tribuere; ridiculum què, ac ſi dixeris, dediſſe ſibi ipſi æs, vel fer- m, horologii formam, absque artificis inter- ntu. Non negamus, dari Automata Muſi- m ſuauiſſimam apta mouere modis, fabri- ntia Tibialia, pannos miris ſuperbientes co- ribus atque figuris, ſed ſciamus oportet, ex- gitata eſſe & elaborata hujusmodi automata hominibus ingenio pollentibus & arte. Et ic fulminis veluti ictu proſternitur Babelica a ſucceſſionum infinitarum turris; eò enim æſtio redit, quis primus primum horum ma- rialium ἀυτομάτων vel inuexerit, vel conſtruxe- ? vel ad id abſurdum, veluti ad ſacram an- oram, confugere coguntur Athei, materiam ſe creaſſe, & formaſſe ipſam, eſſe per conſe- uens omnipotentem, omniſapientem, infinitè rfectam, DEUM. Eſt ſanè ſucceſſio cauſa- m ab æterno in continua ſerie absque ullo nſilio ſuccedentium fatali quadam neceſſita- σιδηρόξυλον σιδηροξυλότατον, venia ſit verbo. Nul- s heic locus tantopere olim jactato, & in omni- n ore verſanti naturæ idolo. Quærendum idololatra, quid intelligat per naturam? num um corpus, vel plura, cœleſtia, terreſtria, vel mundum uniuerſum? num certas in mundum introductas leges? Obuiæ ubique ſunt inſuperabiles difficultates. Sunt corpora, ſeu maxima, ſeu medioxuma, ſeu minima, ſubtilia craſſaue, materia, per conſequens ens merè paſſiuum, intellectu, viribus deſtitutum. Hæc neceſſario ſuum habeant Legislatorem, Motorem, neceſſe eſt. Si non eſt DEUS, debetur ἀποθέωσις homini, imò animanti bruto cuiuis, utpote quæ prædita ſunt corde infiniti artificii, & ſic oculis, auribus, viſceribus & partibus non minoris artificii aliis, ſicque prolabimur in abſurdiſſimum nullius exempli πολυθεϊσμόν. Quò igitur nos vertamus cunque, non inueniemus unquam, vel ullibi, ens aliud præter DEUM, quod *cor finxit*, & in momenta, quamdiu trahimus halitum, conſeruat. Ipſe DOMINUS ſolus *perſcrutatur cor*, Jer. XVII. 10. Noſtri proin eſt officii, cordium noſtrorum motus, quatenus dependent à paſſionibus noſtris, & vitæ conditione, impendere, dirigerè, exercere ad DEI Gloriam; non ſit pulſus cordis, qui non excitet nos ad elogia DEI & gratiarum actiones deuotiſſimas. Bonitas DEI eſt, à qua dependemus in momenta, qui automaton hocce vitale ſolus, quando placuerit cunque, ad quietem diſponere valet, & ceſſare facit, rationem de nobis poſtulaturus.

Conuincunt nos porrò de infinitate artificii hactenus explanati Matheſeos gnari, ſi, quod demonſtrant, ſolidâ nititur baſi, ἀρχαυτόματον hocce vitale toties reſiſtentiam vincere Librarum 180000. quoties ſeſe contrahit in Syſtole. Quis eſt, qui non obſtupeſcat, ſi dixeris ei, cor ſingulis horis vires impendere 64800000. Librarum, nychthemeri ſpatio 1555200000. Librarum? vel, ſi *Hecqueto* ſubſcribere mauis, 756000000? Addam, pro pleniori illuſtratione, *Schmiedium Macht der Muſculn* p. 23. aſcendere, ſuppoſito minimo calculo, ad 3240000000. Libras. Calculum videſis l. c.

TAB.

TAB. DXLVI.

Pſal. XXXVII. verſ. 2.

Nam veluti fœnum ſubito decidentur, ac veluti virens herba marceſcent.

Quoniam tanquam fœnum velocit areſcent: & quemadmodum ol ra herbarum citò decident.

NOtat aliàs חָרִיץ *charits, porrum*, idque ſectile, ſiue ſectiuum, tonſile *Martiali*, heic redditur à LXX. χόρτος, nobis *fœnum*, *Gras*, nempe non *gramen* κατ' ἐξοχὴν ita dictum Botanicis, ſed omne pratenſium herbarum genus, demeti falce ſolitum, ex quibus gramina ſtrictè ſic dicta majorem conſtituunt partem: Hinc nobis omne, ex quo fœnum fit, *Gras* dicitur, Gallis *Herbe*, ad imitationem Poëtarum, qui pro omni herbarum genere gramen accipiunt. Eodem generali charactere gaudet דֶשֶׁא *deſche;* ſumitur enim pro omni herba tenera, progerminante, ſponte naſcente. LXX. habent λάχανα χλόης, *olera herbarum*, nos *virentem herbam*, *grünes Kraut*, ubi translator noſter reſpexiſſe videtur ad λάχανον, olus, & ſpeciatim indigitaſſe *betam*, quæ nobis Heluetis κατ' ἐξο *Kraut*, Germanis aliis *Mangold* dicitur. V detur proin Dauid pro impiorum imagine ſumſiſſe herbas tum pratenſes, ſylueſtres, tu hortenſes, utpote quæ omnes demeſſæ, v abſciſſæ mox marceſcunt, ſucco deficiente, eo, qui in tubulis eſt, exhalante. Non diffl duntaxat illorum felicitas, ſed planè volati redditur, & in auras auolat. *Hoſtes DOM NI ut pretioſi agni abſumentur, in fumo abſume tur. (Inimici DOMINI mox, ut honorifica fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodu fumus deficient.)* Pſ. XXXVII. 20. *Seneca Thyeſte:*

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

TAB. DXLVII.

Pſal. XXXVII. verſ. 35.

Vidi impium violentum, & ſeſe diffundentem inſtar lauri frondoſæ.

Vidi impium ſuperexaltatum, & ele uatum ſicut Cedros Libani.

VAriant Interpretes de voce אֶזְרָח *ezrach* ſententias. Habent LXX. Κέδρυς τῦ Λιβάνυ, *Cedros Libani*, alii *indigenam arborem*, ut אֶזְרָח notat *indigenam*, à זָרַח *zarach*, *ortus fuit*. Nos *laurum*, *den Lorbeer-Baum*. Subſcribunt Hebræi recentiores, *Pagninus*, *Vatablus*, *Lutherus*, *Urſinus Arbor. Bibl.* c. 42. Arbor, quæ congrua eſt imago diuitum, potentum, coronis victorum olim dicata apud Delphenſes, Romæ Triumphis, in prodigiis & ſomniis felicitatis omen. Apud *Artemidorum* L. II. c. 25. *mulierem* ſignificans *opulentam*, *ob perpetuam viriditatem*, & *formoſam ob ſpecioſitatem:* ſed quoque *irritum rerum ſperatarum ſucceſſum*, *ob amaritudinem*, & *quod fructus non ſit edulis.*

Pulchra comis, verùm baccas fert laurus amaras:
Neu ſpe fallaci decipiare, caue.

Arbor ex impiis, Apollini, Æſculapio, Bon Genio, aliisque Diis ſacra, in Sacris diuinitu inſtitutis indicta. Secura & obſtrepera, læti tiæ victoriarumque nuncia, ad faſcina quoqu adhibita. *Paſſeratius:*

Laurus amica bonis Geniis, longeque repellit
Nube caua tectos Lemures ——

Sub cujus umbra tutos ſe credunt impii, tuto à cœleſti fulmine, formidabilis ipſi Diabolo Arbor quoque innumeris expoſita caſibus, u ſæpe repentina calamitate funditus pereat, *ſe neſcens velociter*, *Plinio*. Plura, quæ ad rem faciunt, vide apud *Urſinum* l. c. Laurus hæc, deſcribente I. B. in juſtæ magnitudinis arborem excreſcit, regionibus calidioribus, caudice enodi, cortice tenui, materiâ rarâ, nec multùm

valida

TAB. DXLVI.

PSAL. XXXVII. v. 2.
...um et Herba mortalit. Symbol.

Pſal. XXXVII. v. 2.
Heut geſund, morgen todt.

I. G. Thelot sculps.

RPJCB

PSAL. XXXVII. v. 35.
Laurus Impiorum Symbolum.

Pſal. XXXVII. v. 35.
Der Lorbeer-Baum ein Bild der Gottloſen.

I. G. Pintz sculps.

PJCB

RPJCB

PSAL. XXXIX. v. 6. 7.
Mors ultima linea rerum.

Pſal. XXXIX. v. 6. 7.
Heüte reich, morgen eine Leic

G. D. Heüman

lida. Radices habet craſſas, inæquales, obli-
ıas. Viroris eſt perpetui, nitidi in juniori-
s, ſaturatioris in adultioribus. Folia oblon-
, dura, acuminata, mucrone aliàs acutiore,
às obtuſiore, ſeſcunciam aut duas uncias la-
, palmo longiora: ſapor acer, aromaticus &
amarus. Adhærent folia ramis viridanti-
s breui pediculo. Flores ſecundum ramos
eunt conferti, hederaceis quadantenus ſimi-
, majores, albi, multis in medio apicibus:
ccedunt iis baccæ, ceraſis minoribus pares,
longæ, colore primùm viridi, ubi maturue-
t, nigro, quæ ſub cortice tenui nucleum bi-
um calloſum ac durum cum aliqua acrimo-
amarum ac pinguem claudunt. Siſtit hanc
borem Fig. A. ejus characteres Fig. B. Hæc
ctenus de lauro, integram enim Δαφνολογίαν
ribere non eſt animus. Liceat mihi, cum
na Interpretum venia, lauro ſubſtituere *lau-
olam*, quæ duplex fere. Prior ſpecies, nobis
lgaris, *Laureola folio deciduo ſiue Mezereon
ermanicum* I. B. *Laureola folio deciduo, flore
rpureo, officinis Laureola fœmina* C. B. Alte-
Laureola ſemper virens flore luteolo, I. B. *Lau-
ola ſemper virens flore viridi, quibusdam Lau-
ola mas*, C. B. Priorem ſiſtit Fig. C. ejus cha-
cteres Fig. D. Hanc ita deſcribit I. B. Fru-
x eſt ad trium cubitorum interdum altitudi-
em excreſcens, radice in aliquot partes diui-
, minimi digiti craſſitudine, longâ, altè ſe de-
ittente, albâ: ex qua aſſurgunt virgulæ ple-
nque ſingulares, lentæ, teretes, tenues, cor-
e duplici tectæ, exteriore cinereo, tenui, fra-
li, interiore exterius virente, interius albi-
nte, valde lentæ, & fractu contumaces, lanu-
nem quandam bombycinam, dum diuellun-
r, oſtendentes, cui ſubeſt lignum candidum,
lidum, medulla pauca præditum. Flores ad ramulorum latera ſine pediculo, nunc ſingulares, nunc plures ſimul juncti ex nodulo ante folia prodeunt, palliduli, ex rubello purpuraſcentes, oblongi, in quatuor foliola mucronata reflexa diuiſi, odore ſuaui, in medio ſtaminula aliquot crocea. Folia ex tuberculis plerunque plura ſimul, colore herbaceo; Baccæ cum maturitate rubentes, quæ reſiccatæ nigricant, quarum interior nucleus cannabis ſemini ſimilis, medulla candida. Tota planta, ut odore graui eſt, exceptis floribus, ita ſapore acerrimo & urentiſſimo. Videtur mihi utraque ſpecies Lauro aptior explicando Textui. Quæ *ſempervirens* cluet, pariter ac Laurus, ſymbolum dici poteſt impiorum, quibus in hoc mundo omnia eueniunt ex voto, qui felices ſunt ter & amplius, opibus, honoribus abundant. Quæ *foliis* eſt *deciduis*, peraptè ſiſtit fugaces diuitias, florentiſſimum rerum ſtatum mox deciduum, impios, qui ſibi ipſis acceſſunt mala αὐτόματα, αὐθαίρετα. Utraque ſapore ſuo acerrimo, ardentiſſimo, illorum Tyrannides, erga pios odia. Non ſufficiunt hæc pro commendanda Laureola, quæ *Chamædaphne* & *Daphnoides* videtur veterum, Dioſcoridis & Plinii. Proſtant argumenta ex nomine petita. Utraque *Mezereon* audit Trago & Cæſalpino; quæ folio eſt deciduo, *Meſereum Germanicum* Lobelio, quæ vox ex Oriente accerſenda videtur. Sanè Perſæ adhuc hodie hanc plantam vocant *Mazerijun*, nominatim eam, quæ in *Germijan* prouenit, ad 5. vel 6. pedum altitudinem aſſurgens, cauliculis robuſtioribus, baccis viridibus Capparum inſtar, quæ aceto conditæ proſunt contra Hydropem. *Meninzk. Lex.* p. 4232. Judicent linguarum periti, annon hæc ipſa vox affinis ſit Hebraicæ noſtræ אֶזְרָח?

TAB. DXLVIII.

Pſal. XXXIX. verſ. 6. 7.

Ecce tu conſtituiſti dies meos palmi (*a*) minoris longitudine, quin æuum meum ſic eſt, quaſi non ſit, præſertim tibi collatum: reuera prorſus (*b*) nihili eſt homo quiuis, quamlibet firmus conſiſtere videatur. Sæla.

(*a*) Ebr. palmares dediſti dies meos.
(*b*) Ebr. Utique tota vanitas omnis homo ſtans.

Quin in imagine videt homo, temerè tumultuatur, congerit, & neſcit, cui ea congreget.

6. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen uniuerſa vanitas omnis homo viuens, homo viuens.

7. Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur; theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.

QUerelæ præcedunt preces v. 5. *Indica mihi, DOMINE, finem meum, & quisnam ſit modus dierum meorum, ut ſciam, quanto tempore mihi in miſeriis viuendum ſit, (Notum fac mihi, DOMINE, finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt: ut ſciam, quid deſit mihi,)* quæ non ita ſunt intelligendæ, ac ſi morbis aliisque calamitatibus penè conſumtus Dauid curioſus fuerit ſcire præciſum, quo vita atque miſeria finitura ſit, momentum; quin potius de εὐθανασίᾳ, arte beatè moriendi, vitæ finem deuotè ac piè conſiderandi, ſeſeque ad diem ultimam, ſed feliciſſimam omnium ſuarum, præparandi: ut quotidie videmus morbis chronicis iisque dolorificis diu afflictos delaſſari, ἀνάλυσιν ultimam ſuſpirare, in quo ipſo conſiſtit inter alia morborum, afflictionum præſtantiſſimus uſus. Ita nempe res prouidentiſſimè ſimul ac gratioſiſſimè dirigit ſupremum Numen, ut doloribus corporis, fibrarum nimiæ tenſioni, adſociet triſtem animi ſenſationem, qui preſſus aliquandiu liberari exoptat, & gratiam hanc piis ſuſpiriis petit ab eo, qui vitæ ipſius eſt author; præprimis autem, quia firmâ ſpe vitæ æternùm beatæ conſequendæ eſt fretus, exclamans cum Diuo Pſalte v. 8. 9. *Et nunc quid expecto, DOMINE? In Te certè ſpes mea recumbit. Ab omnibus ſceleribus meis libera me: (Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne DOMINUS? & ſubſtantia mea apud te eſt. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me:)* Conſiderans attentè, nihil eſſe vitam reliquam, nihil vitam anteactam integram, intuitu æternitatis, umbram, malorum & calamitatum ſeriem, miſeriam concatenatam. *Ecce Tu*, ita noſter pientiſſimus Rex, *conſtituiſti dies meos palmi minoris longitudine, quin æuum meum ſic eſt, quaſi non ſit, præſertim Tibi collatum: reuera prorſus nihili eſt homo quiuis*, τὰ σύμπαντα ματαιότης, ἄνθρωπος ζῶν, *quin in imagine*, ἐν εἰκόνι, in imagine umbratica, *videt homo, temerè tumultuatur, congerit, & neſcit, cui ea congreget.* Et Pſ. XC. 9. 10. *Cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus dicto citius. Dies annorum noſtrorum, quibus viuimus, anni ſunt ſeptuaginta, aut ad ſummum octoginta: jam præſtantiſſimum horum labor eſt & moleſtia, velociter tranſit, nosque auolamus. (Quoniam omnes dies noſtri defecerunt: & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur. Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni. Si autem in*
potentatibus, octoginta anni: & amplius eor
labor & dolor. Quoniam ſuperuenit manſue
do, & corripiemur.) Junge confeſſionem P
triarchæ Jacobi coram Pharaone expoſit
Gen. XLVII. 9. *Dies annorum, quibus pere*
nus fui, triginta ſunt & centum anni: pauci q
dem & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ,
attigerunt dies annorum vitæ patrum meoru
quibus ipſi fuerunt peregrini. Jobi XIV. 1.
Homo natus mulieris, viuens breuiori tempore,
omnibus ſuis diebus affatim habens turbarum.
floſculus oritur & ſucciditur, fugitque velut u
bra, nec perſiſtit. (Homo natus de muliere, b
ui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Q
quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit ve
umbra, & nunquam in eodem ſtatu permane
Perſuaſus fiet de hac palmaria, quam uno o
promunt viri DEI, veritate quiuis, ſi modò
atque conditionem ſuam conſiderare dignal
tur. Conſiſtit ſanitas noſtra in exacto anima
inter & corpus, partes ipſius corporis ſolid
atque fluidas, æquilibrio, ſed hoc ipſum
puncto veluti indiuiſibili, quo fruimur, quan
diu vitam trahimus, nunquam, ut omnin
haud hyperbolizemus, ſi dicamus, non e
quempiam mortalium, qui viuat perfectè
nus. Tollit hoc æquilibrium anomalia qua
uis, vel minima, in motu ſanguinis & ſpi
tuum, δυσκρασία quæuis inter partes ipſius flu
di ſanguinei, tonus fibrarum tantillo vel rel
xatus, vel tenſus nimiùm, affectus animi etia
leuiſſimi. Ratio proin noſtra quouis momen
to ſiſtit nobis caducitatem vitæ, ſed excite
quoque deſiderium, idque anxium, beatiſſim
illius ſtatus, quo æquilibrium inter partes inte
grantes hominis futurum eſt perfectiſſimum
nosque nunc mortales corpore æternùm ſanc
anima infinitè beata DEUM erimus glorifica
turi. *Non res, ſed indicium & ſignum rei ſun*
omnes mortales. Inane eſt quicquid ſatagunt
quicquid turbantur, tumultuantur, interim enim
pertranſeunt inſtabiles, & feſtinant ad mortem
Ejus conditionis cum ſit omnis homo, tamen ſtul
tè molitur minutulis acceſſionibus rem familiarem
augere, & multo labore ditari, rebus illicò peri-
turis, & non ſine moleſtia conſeruandis, & u
feliciter fruatur illis in vita ſua, non tamen ſcit,
cui ea ſit poſt fata relicturus, æquè enim facile
hoſti cedent laborioſè aſſeruata, ut filio, for-
taſſis degeneri & ingrato. Pellican. in h. l.

RPJCB

PSAL. XXXIX. V. 12.
Tinea, pulvis et umbra.

Pſal. XXXIX. v. 12.
Der Menſch eine Schabe und Eitelke

I. A. Fridrich

RPJCB

PSAL. XLII. v. 2.
Cervus ὑδρόδιψος.

Pſal. XLII. v. 2.
Der lechzende Hirſch ein Fromen-

I. A. Fridrich s

TAB. DXLIX.

Pſal. XXXIX. verſ. 12.

tenim dum tu hominem ob iniquitatem objurgans caſtigas, ilicò tabeſcere facis, velut tinea, quidquid eſt in eo deſiderabile, quia (a) vanitas eſt omnis homo.

(a) Vel, adeò friuola res eſt homo.

In increpationibus propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus: veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

NEmini non notum, magna *tineam*, minuti puncti animalculum, inferre damna veſtibus, pellibus, ligno, corporibus ſolidis aliis, rodendo nempe & corrodendo: ita, mens t hæc Dauidis, homo, ſpeciatim impius, tum ſe, tum in ſuis poſteris, conſumitur judiciis El occultis, *veluti* à *tinea*, ut *tabeſcat*, *quid-id eſt in eo deſiderabile*, pereat ſanitas, alba uſtra cadant, vaccinia nigra legantur, euanidæ ınt diuitiæ, in fumum abeant honores. Au- interminantem populo ſuo DEUM Hoſ. V. :. *Ego fui ipſi Ephraim ut tinea*, *& inſtar te-dinis domui Juda.* Ubi notatu omnino di-ıum, DEUM ſe ipſum conferre animalculo leò vili & minuto, ſed intelligi debere potius dicia lento gradu irruentia, & veluti per cu-culos erodentia. Habent LXX. *tineæ* loco *ἀχνην*, *araneam.*

Commodam ſtationem heic inuenit *tinea argentea* alis plumoſis, talis, qualem ſub microſcopio vidit *Hook Micrograph.* p. 195. minutum nudo viſui corpuſculum coloris lactei, alis quatuor etiam albis, quarum binæ anteriores longiores poſterioribus, omnes autem ſunt plumoſæ, fibris utrinque exeuntibus veluti ex ſcapo. Sub microſcopio ſunt non ſolùm alæ totæ plumis obſitæ, ſed etiam minimi puluiſculi cuti tangenti adhærentes veræ plumæ. Inſectum ipſum cruſtâ obducitur, ſed valde tenerâ. Habet, quod admiretur, Lector animalculi ſubtiliſſimi tenerrimam texturam ex icone. Confer, ſi lubet, plumulas has ipſas cum auri argentiue aceruis, quibus vel viui orbantur diuites, ut illæ ex leui attactu decidunt, vel qui tandem igni cedent in prædam.

TAB. DL.

Pſal. XLII. verſ. 2.

t Cerua (a) mugit ad torrentes aquarum, ſic anima mea mugit ad Te, o DEUS.

(a) Arag vox proprie Ceruis tribuitur, quum anhelantes & inhiantes à venatoribus agitantur, & aquam quærunt. Quidam glocitare vocant.

Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, DEUS.

SUnt heic obſeruanda nonnulla, quæ cumprimis Hiſtoriam Naturæ ſpectant. Ex 10. nominibus, quæ Ceruo, & cognato ei Capreolo, in Sacris dantur, occurrit heic אַיָּל *ajjal*, à quo אַיָּלָה *jalab*, *Cerua*, de qua voce vid. Deut. XIV. 5. 6. ıngitur heic Ceruus mas fœminino תַּעֲרוֹג. inc LXX. pro *Ceruo Ceruam* habent, ἡ ἔλαφος, Latina noſtra, *ut Cerua mugit.* Fortè quod ıxta *Kimchium* fortior ſit vox fœminæ, quàm mari, ſed contrarium affirmat *Ariſtot. Hiſt.* IX. c. 14. οἱ ἔλαφοι οἱ ἄῤῥενες τῶν θηλειῶν φθέγγονται βαρύτερον. *Cerui mares fœminis fortius clamant.* ἔϛι δὲ ἡ μὲν τῆς θηλείας φωνὴ βραχεῖα, ἡ δὲ τȣ͂ ἄῤῥενος ἔχει μῆκος. *Breuis quidem eſt fœminæ vox, ſed maris protractior.* Verum enim verò obſeruandum, in Linguis Hebræa & Græca fœmininum nomen dari etiam ſexui maſculino. Apud *Ariſtotelem in Mirab.* legimus, Ceruas Epiroticas defodere dextrum cornu, τὰς ἐν Ἠπείρῳ ἐλάφȣς κατορύτ-

τορύττειν τὸ δέξιον κέρας, & *Hiſt.* L. IX. c. 5. τὰς ἐλάφους τὰ κέρατα ἀποβάλλειν, quæ de Cerua dici nequeunt; notum quippe, ſolos mares Ceruos eſſe cornigeros. *Heſychius:* ἔλαφος κεραὸς, ἄῤῥην. ὁ γὰρ ἄῤῥην ἔχει κέρατα. Rari quid eſt Cerua κερατοφόρος, ſed tamen non ſine exemplo. Aluit heic aliquandiu Nobilis Matrona Ceruam cornutam, viſam poſtea in ἐλαφοτροφείῳ urbis per triennium. Capitis Sceleton ornat Muſeum ciuicum Tigurinum. Dedit hæc mihi occaſionem conſcribendi *de Cerua cornuta* Epiſtolam, *Diſſertationi de Alce* Amici olim conjunctiſſimi, *Joh. Frid. Leopoldi*, Baſileæ A. 1700. habitæ pro gradu, annexam. Occurrunt & alibi Ceruarum cornutarum exempla. *Pindaro* teſte *Ol.* Γ. B 7. Taygeta, Atlantis filia, Dianæ conſecrauerat

Χρυσόκερον ἔλαφον θήλειαν,

Auricornem Ceruam fœminam.

Occurrit & κερασφόρος apud *Sophoclem*, κέρασσα ἔλαφος apud *Euripidem in Iphigenia*, Κερόεσσα apud *Anacreontem.* Alias meminiſſe juuabit parum, & extra oleas fortè ſaltarem, ſi ſubjungerem αἰτιολογίαν κερατοειδὰς hujusmodi ἐξορώσεως. Non heic agitur de eo, quod rarum eſt atque monſtroſum, ſed de eo, quod eſt obuium.

Cornu præcipuè ſexum tibi dicet & annos,
Cernere nempe tibi ſi fas: hæc pondera frontis
Fœmina nulla gerit, nec vos Erymanthia Cerua,
Herculeos inter quondam celebrata labores,
(Fabula ſeu fuerit, ſeu res monſtroſa) moretur.
Fœmina nulla gerit per frontem cornua —

Ita *Jacobus Sauary*, Poëta non minus venuſtus, quàm venator peritus *de Venat.* apud *Bochartum.* Haud tamen è re fore duxi in Tabula hac ſiſtere Ceruam noſtram cornutam, cujus cornu digitum unum eſt craſſum, duos longum, & eminentia quidem prolongata oſſis frontis ſiniſtra, quam *Cornu* vocat Albucaſis, *Dionyſiſcum* alii, adeoque continuum ipſi Cranio Fig. A. Sociam huic Ceruæ jungo Capreæ in ſylua Silana captæ menſe Junio 1698. cornua Fig. B. &, ne monſtrorum quid deſit, Capreoli caput cornibus monſtroſis Fig. C. nec non Cerui Africani nani crus, natiuâ magnitudine Fig. D. quæ omnia in Muſeo meo adſeruo.

Circa clamantem Cerui vocem notandum, Hebræam אָרַג *arag*, in Textu obuiam, propriam eſſe Ceruo, docentibus Rabbinis, *Kimchio*, *Selomone*, *Pomario.* Sunt namque Hebræis voces clamoribus brutorum propriæ, uti Latinis; ſignificant

נָהַם rugire Leonis,
שָׁקַק uncare Urſi,
גָּעָה mugire Bouis,
צָהַל hinnire Equi,
נָבַח latrare canis, & ſic porrò.

Inueniunt Eruditi noſtrorum temporum in C ui clamore עָרְגָה *argah*, imo in ipſo Dauidis n ſtri pientiſſimo voto fontem fabulæ illius venatrice *Arge*, quæ Ceruum perſequens allocuta eſſe dicitur: *Tu licet Solis curſum ſeq ris, tamen te conſequar;* in Ceruam ab irato S le mutata. Eſt quippe *Arge* idem, quod עָרְגָה *argah*, Ceruorum more glocitans. Vid. *Hyg Fab.* 205. Sed ex Veteribus haud omnes v cem עָרַג ſumſere de clamore Ceruorum. LX habent ἐπιποθεῖ, *deſiderat*, Symmachus uſus verbo ἱμείρεσθαι, quod idem ſignificat, & in Sch lio ὡς σπεύδει ἔλαφος, *ſicut feſtinat Ceruus*, ſe Editio, ὃν τρόπον πεδίον πρασιασθῆ, *quemadmod campus ſitiet imbrem.* Hieronymus & Vulga Seniores ſecuti, *deſiderat.* *Apollinaris* in par phraſi,

Ἥυτε πηγαίων ὑδάτων κεμὰς ἱμείρουσα.

Ut fontanas aquas hinnulus deſiderans.

Affine eſt & Hebræorum עָרַג Græcorum ὀρέγεσθαι, ὄρεξις, *appetitus.* Complectitur *Ludolf Comm. Hiſt. Æth.* p. 206. omnia voce Germa norum emphatica *lechtzen*, *wie der Hirſch lec tzet nach friſchem Waſſer*, *alſo lechtzet meine Se le, GOTT, zu Dir.* Certum id eſt, voce עָרַג, ſi clamorem denotat, non Ceruis eſſe pr priam, ſed & aliis animantibus communem Joel. I. 20. *Sed & beſtiæ agri vociferabunt (*תַּעֲרוֹג *thaarog) ad te, quod exaruerint torre tes aquarum, & quod ignis abſumpſerit amœnij ma loca deſerti. (Sed & beſtiæ agri quaſi area ſ tiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exs cati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſp cioſa deſerti.)* Et neque Græcis neque Rom nis peculiaria ſunt, quibus clamorem Cerue rum exprimant, nomina. Habet *Virgili Georg. L. III. rudentes*, *Oppianus Halieut.* L. I βεβρυχότες, *rugientes*, *Xenophon in Cyneget.* βοῶ τες, *clamantes*, *Euſtathius* μηκάζοντες, *balante Lud. de Dieu*, Æthiopes ſecutus & Arabes, ver ba Pſaltis ita reddit, *ſicut Cerua adſcendit ad de curſus aquarum*, *ſic anima mea adſcendit ad te* improbantibus id aliis, quia deſcenditur a aquas, non aſcenditur. Sed æquè poteſt dic Ceruus aſcendere, nimirum *ad decurſus*, ad de fluos ex montibus torrentes, ad catarrhactas ut nil ego videam, quod ſit ἀπροσδιόνυσον.

Ex cauſis naturalibus Cerui aquas ſitienti occurrunt apud *Kimchium* tres: 1. quod dega in locis ſiccis, 2. ex deuoratis ſerpentibus exæ ſtuetur, 3. vitam à canum perſecutione in pe riculum actam ſaluet tranatando aquas. Anim aduerſionibus hæc Philoſophemata indigent Amat Ceruus loca ſicca, ſyluoſa, ſed & ſitiens aquas, quas mox, canis ad inſtar, qui è Nilo bibit,

ꝛibit, deſerit. Sed accendi ſitim ex deuoratis ꝛerpentibus, incertum; ἄδιψοι ſint oportet Cerꝛi in Regionibus frigidis viuentes, ubi nulli ſunt ꝛel pauci Serpentes. Attamen guſtant hanc ꝛtis Ceruinæ cauſam *Chryſoſtomus*, *Theodoreꝛus*, *Auguſtinus*, *Arnobius*, *Hieronymus*, *Beda*, *Xenophon Geopon.* L. XIX. c. 5. *Theophr. Cauſ.* L. IV. c. 10. *Plutarch. Lib. utrum Anim. Ælian. Hiſt.* L. VIII. c. 6. *Joſeph. Antiq.* L. II. c. 5. *Nicander in Theriac.* v. 140. alii. Sunt plerique ꝛx iis, qui Serpentes è latebris attrahi volunt Ceruorum halitu, imo Ceruos ætate decrepiꝛos ex ὀφεοφαγίᾳ roborari. Ita *Tertullianus de Pallio* c. 3. *Baſil. in Pſ.* XXVIII. Nec deſunt ꝛationes Phyſicæ. Pollent Serpentes ſale voꝛatili, quo ſanguis attenuatus circulat celerius, ꝛnde ſitis; ſed & inſunt illis partes oleoſæ, viꝛcoſæ, quæ optimum largiuntur nutrimentum; ꝛinc caro viperina Hecticis ſolatio venit. Cerꝛus à canibus exagitatus, ſi præcipitet ſeſe in ꝛquas, flumina, lacus, non euadit duntaxat ꝛerſecutorum ſuorum inſidias & diſcrimina, ſed ꝛires ex nimia tranſpiratione laſſatas ſubitanea ꝛororum occluſione reſtaurat. Legatur *Xenophon Cyneget. Ariſt. Hiſt.* L. VI. c. 29. *Buꝛæus de Venat. Ceruor.* Ratiocinio facilis eſt ꝛ hunc Pſalmiſtæ Textum locus. Velociter ꝛnouentur agitato Ceruo tum fluida tum ſoliꝛa, augetur διαπνοὴ, auolant multi ſpiritus, acꝛenditur, exiccatis colli & faucium glandulis, ſiꝛis, quæ comitem habet aquei fluidi appetiꝛum. Ut haud habeamus neceſſe cum Talmudiſtis Aquilegem Ceruum relegare ad miracula, vel ejus clamorem ad opera ſupererogatoria. Cerua, ajunt hi Mythologi, animalium eſt pientiſſimum. Confugientibus ad illam agri beſtiis, & interceſſionem flagitantibus, inclinans ſeſe cornua (cornigera ſcilicet) demittit in ſcrobem ſtudio excauatam, clamat ad DEUM, exauditur, aquas ex abyſſis impetrat, quæ ſitientibus animalibus ſolatio ſunt. Sic ex Ceruo vel Cerua faciunt ridiculi hi ex recutitorum gente commentatores Moſen aut Eliam.

Exiſtimaret quis, ſiticuloſa magis fore animalia, quò citatiore aguntur curſu, ſed mirabitur *Rupicapras* ἀδίψους prorſus, quæ tamen pernicitate omnia ex ceruino & caprillo genere animalia ſuperant, & per hyemem, pabulo licet ſicco nutritæ, nihil tamen vel bibunt, vel de niue lambunt. Atteſtor rarum admodum φαινόμενον obſeruationibus Conſultiſſimi & Prudentiſſimi Reipublicæ Tigurinæ Senatoris, *Caſpari Wertmilleri*, Fautoris mei honoratiſſimi, quas per 20. annorum decurſum fecit, fultus. Problema altiori indagine dignum.

Haud morabitur me myſtica Textus applicatio. Qui exegeſin datam guſtat, ei haud erit difficile Ceruo ſitienti conferre animam amore DEI accenſam, à canibus, perſecutoribus, infeſtatam, ſub manu DEI caſtigantis preſſam, fatigatam, laſſatam, aquas viuas è fonte viuo profluas conſolationis diuinæ anxiè deſiderantem. *Ut cerua mugit ad torrentes aquarum, ſic anima mea mugit ad Te, o DEUS.*

Pſal. XLIV. verſ. 20.

Quum attereres nos in loco Draconum, atque umbra mortali nos obtegeres.

Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

IN Sacris pariter atque profanis Scriptis, quod jam ſæpius innui, תַּנִּים, *thannim*, *Draconum*, nomine intelligi debent non alati illi δίποδες, vel τετράποδες, quos vulgi fabula circumfert, & dextra artificum manus pingit, ſed magni voluminis Serpentes, qui plerunque in deſertis degunt locis. Unde eſt, quod populoſiſſimæ Urbes atque Prouinciæ iuſto DEI judicio in habitacula Draconum conuertendæ dicantur, Prophetico ſtylo, Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. Jer. IX. 11. X. 22. XLIX. 23. LI. 37. Mal. I. 3. quapropter Aquila בִּמְקוֹם תַּנִּים reddidit ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ, *in loco inhabitato.* Certum hoc, Dauidem per *attritionem in loco Draconum*, & *umbræ mortalis obtectionem* intelligere diras perſecutiones, ſub quibus tamen animo haud frangitur Eccleſia DEI. *Non deflectit retro cor noſtrum, nec declinant à ſemitis tuis greſſus noſtri. (Non receſſit retrò cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras à via tua.)*
v. 19.

Pſal. XLV. verſ. 9.

Myrrham, Aloen & (a) Caſſiam (redolent) omnia veſtimenta tua, è palatiis eburneis (deprompta), ut (b) te exhilarent.

(a) Quidam Kezioth pro plicis & laciniis veſtium legunt, Judæi gingiber.
(b) Mini quidam proprium loci faciunt, unde ebur adfertur.

Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, e quibus delectauerunt te.

Fatis ſubſunt ut homines, horumque geſta, ita & mineralia, plantæ, animalia, horumque omnium nomina, vel mutationi, vel interitui obnoxia, difficillimè ſæpe, vel planè non, ex profundis tenebris protrahenda. Exemplo fuere gemmæ in pectorali Aharonis. Subſidio heic veniunt non tam rerum naturalium inexperti Theologi, quàm Philologi, ii cumprimis, qui Orientales excolunt linguas, naturæ ruſpatores, itineratores. Iis tamen ipſis Codicis ſacri Interpretibus, qui myſticum amant ſenſum, neceſſaria prorſus eſt rerum ipſarum, de quibus agitur, notitia, utpote ex quarum indole applicatio fieri debet. Exemplo ſit Textus, de quo nunc, Dauidicus, in quo veſtimenta Regis & Sponſi, carnis Meſſiæ humanitas, & Λόγε Diuina Majeſtas, conferuntur præſtantiſſimis aromatibus, *Myrrhæ*, *Aloe*, & *Caſſiæ*.

מוֹר *Mor* certò ſignificat *Myrrham*, quo nomine venit & frutex ipſe myrrhifer, in Arabia, aliisque Regionibus Orientalibus creſcens, & ſuccus inde vel ſponte fluens, vel expreſſus. Et Arabes hodie vocant *mürr*, Turcæ *mürri ſafi*, & in genere *mürr*, omne, quod eſt amarum. *Meninzk. Lex.* 4583. Sunt tamen, qui dubitant, num Myrrha hodierna, in officinis nota, eadem ſit cum veteri illa pretioſa, cujus heic & alibi in Sacris ſit mentio. Videantur Notæ ad Exod. XXX. 23.

אֲהָלוֹת *ahaloth* communiter redditur *Aloe*. Sententiæ ſuæ parum confiſi fuiſſe videntur LXX. qui heic reddunt ϛακτὴν, *guttam*, ſed Prov. VII. 17. Κρόκινον, & Cant. IV. 14. ἀλὼθ. Eſt Στακτὴ, *Stacte*, quod aliàs vidimus, Myrrha ſelectiſſima, odoratiſſima, ſponte fluens, τὸ λιπαρὸν σμύρνης πρόσφατε, *Dioſc.* L. I. c. 74. Et hodie habetur ea pro ſelecta, quæ intus oleoſi quid habet. *Aloen* ſi adoptamus cum plerisque Interpretibus, affinitate vocis אֲהָלוֹת nixi, quæſtio iterum eſt, an intelligendum ſit lignum, an ſuccus? & ſi ſuccus, an *Socoterina* dicta, vel *Hepatica*, ſuccus ex foliis Aloes expreſſus & coctus, uſualis in officinis, ad Pillulas, Elixiria, qui utique juxta cum Myrrha in Balſamatione Saluatoris fuit adhibitus, cuiue heic vix locus, quia non εὐώδης, ſed δυσώδης potius? an ἀλώη ὀρυκτὴ, *Aloe foſſilis*, *Dioſc. Præf.* L. I. ad Aſphaltum potius referenda, & Mumiis apta? *Edm. Caſtello Orat. de Botanolog. Sacr.* p. 19. occaſionem dedit τῶν LXX. κρόκινον Prov. VII. 17. pro אֲהָלוֹת ſeligendi *Crocum*, quem hodienum Judæi inter præcipua aromata numerant: accedit, quod Crocus propter fragrantiam olim lectis & veſtibus fuerit adhibitus, & Indis vocetur *alad*, voce affini τῇ ἀλὼθ. Sed contra Crocum facit, quod Cant. IV. 14. juxta ponatur τῇ Ἀλωῇ. Neque admitti poteſt *Buxtorfii Santalum*, quia odore deſtituitur *rubrum*, & lei præditum eſt *album* vel *citrinum*. *Clerico* ad Num. XXIV. 6. placet *Coſtus*, *Wedelio* Diſſ. de אֲהָלִים ſeu *ligno Aloes*, cui & nos pollicem damus, *Aloes lignum*, *Agallochum*, *Xyloaloe*, *lignum Paradiſi* dictum, quod ad Euphratem, Paradiſi fluuium, creſcat, *Cluſ. Not. ad Hiſt. Aromat. Garc. ab Hort.* L. I. c. 16. fragrantis admodùm odoris, in ſuffimenta & olim adhibitum, & hodie apud Indos, Sumatrenſes, Malaccenſes, Cambajenſes, Chinenſes adhiberi ſolitum, quod pretioſius ſcil. *Calambac*, *Calampart* C. B. nomine venit. Sed diſtinguit *Pomet. Hiſt. des Drog.* L. I. c. 1. *Calambuc* à *Calambac*, illud vocans Agallochum vulgare, hoc medullam interiorem, pretio & εὐωδίᾳ ſuperiorem. Recenſentur quippe poſt Calambuc duæ aliæ ligni Aloes ſpecies, prima *Agallochum officinarum*, Linſchotenio *Palo de Aguilla*, ſecunda, vel tertia, *Aquila braua*, cujus lignum Luſitanis ſeruit pro globulis precatoriis, Indis ipſis pro rogis, quibus Magnates & Sacerdotes imponunt. Commodè proin per אֲהָלוֹת intelligere poſſumus, vel lignum ipſum pretioſius, vel ejus ſubſtantiam reſinoſam, quæ cumprimis pro Aloe Veterum placet *Grewio Muſ. Soc. Reg.* Eſt autem tanti pretii Calambac ſelectum apud Orientales populos, ut haud raròauro argentoue contra carum habeatur. Ex America huc pertinet *Ligni Rhodii* vel *Aloes* ſpecies *Lauro affinis Terebinthi folio alato, ligno odorato candido, flore albo. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol. II. p. 24. Tab. 168. fig.* 4. *An Lucinum arbor Tiliæ foliis minoribus Americanum Pluk. Alm. p. 228. Phyt. Tab. 201. fig. 3?* quod lignum fragrantiâ ſuâ Columbum ad Cubam Inſulam allicuiſſe fama fert. Ex hodiernis Orientalium populorum nominibus, quibus *Agallochum* venit,

RPJCB

PSAL. L. V. 9. 10. 11.
Animantia cuncta DEI opus.

Pſal. L. v. 9. 10. 11.
Alle Thiere als Gottes-Geſchöpfe.

I. G. Pintz sculpſ.

it, affinia ſunt τῶ אֲהָלוֹת Hebræorum, *el-liijet* *ghalucby*, *elwa* Turcarum, Perſarum *aluwwe*, *Men. Lex*. p. 4217. 5769. 5816. item *jelengeg*, *engeg, jelengiug, elengiug, jelengiugi*, Id. p. 5604. 815. quæ *Xyloaloes* ſunt cognomina.

Tertium aroma ἐυῶδες, cujus Pſaltes memi-t, eſt קְצִיעוֹת, quod Latina noſtra reddit Ca-im, Vernacula *Kezia*, LXX. Κασία. Sumit id haldæus Interpres pro Hebræo קִדָּה *Kiddah* xod. XXX. 24. qui locus videatur.

Memorat tandem Pſaltes *palatia eburnea*, ἱερεα ἐλεφάντινα, *domus Elephantinas*, alii ναὲς ἐλε-ντίνες *Templa eburnea*, Scholiaſtes, ναὲς ὀδόντος *empla dentis*. Et 1. Reg. X. 18. legitur Solo-o *feciſſe ſolium magnum eburneum, illudque ob-xiſſe auro optimo. (Fecit rex Salomon thro-m de ebore grandem; & veſtiuit eum auro ful-nimis.)* Ante Solomonis æuum in Sacris hil legitur de ebore; ſed de Ahabo legimus 1. Reg. XXII. 39. extruxiſſe eum *domum eburneam*. Hujuſmodi quoque domuum mentio fit Amos III. 15. & *lectorum eburneorum* VI. 4. Apud *Homerum Odyſſ*. δ'. v. 72. 73. ſunt Menelai palatia exornata auro, argento, electro & ebore.

- - - - δόματα ἠχήεντα
Χρυσȣ̃ τ', ἠλέκτρȣ τε καὶ ἀργύρȣ, ἠδ' ἐλέφαντος.

- - - - *domus reſonantes*
Auro, electroque & argento, atque ebore.

Apud *Bacchylidem* Magnatum ædes in Inſula Ceo erant pariter fulgentes auro & ebore, χρυσῷ δ' ἐλεφαντί τε μαρμαίρȣσιν οἶκοι. Ipſe Pro-Rex Joſephus Jacobum Patrem repoſuit in lectum eburneum רשנדפין *deſindaphin*, ſi Jonathani & Hieroſolymitano, Chaldæis Interpretibus, credimus. Plura de ebore alibi.

TAB. DLI.

Pſal. L. verſ. 9. 10. 11.

. (*a*) Non eſt, ut accipiam de domo tua juuencum, nec de caulis tuis hircos.

(*a*) Non indigeo ſacrificiis.

. Meæ ſiquidem ſunt omnes feræ ſyluarum, pecudes in (*b*) mille montibus.

(*b*) Al. legunt in montibus & boues.

. Noui cunctas in montibus volucres, penes me ſunt animantes agreſtes.

9. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, jumenta in montibus & boues.

11. Cognoui omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum eſt.

MAnifeſtum reddit Ter Optimus Ter Maximus DEUS abſolutum ſuum in omnes creaturas dominium, imo & αὐτάρκειαν ſuam, ut ſacrificiis noſtris haud indigeat; non m noſtra cupit ſibi præberi, quàm nos ipſos. *Non eſt, ut accipiam de domo tua juuencum, nec caulis tuis hircos. Meæ ſiquidem ſunt omnes ræ ſyluarum, pecudes in mille montibus.* Meæ, re creationis & conſeruationis; meæ, quia à e dependent in eſſe ſuo & viuere, quouis omento.

Notandum, Hebræum זִיז *ziz* v. 11. ſignifiare in genere omne animal, hinc & noſtræ erſiones זִיז שָׂדַי *ziz ſadai* reddunt *animantes greſtes, die Thiere auf dem Feld.* Radix eſt *zuz, moueri*: Hebræo *ziz* reſpondet Græcoum κνώδαλον, quaſi κινώδαλον, animal quodcunque ſeu in terris, ſeu in aquis viuens. *Heſiod. Theogon.* v. 582.

Κνώδαλ' ὅσ' ἤπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.

Συνόνυμον eſt κινώπετον apud *Heſychium*. Sed addita vox שָׂדַי *ſadai* indicat, intelligi debere feras, animalia agri. R. *Solomo* habet *omne agri reptile*. *AbenEzra* auem vult, de qua mira & ridicula narrant Mythologi Rabbini. R. *Juda* in *Midras*, quod expanſis alis Solem obtegat. Major certè, & infinities, *Gryllo*, quem *zizi* moderni Turcæ appellant, *Meninzk. Lex*. 1609. major *Fele*, quam *zizi* nos Germani, imo major aue illa *Bar-juchne* in *Bechoroth* c. 9. f. 57. è qua decidens κακῇ τύχῃ κακὸν ὤον 60. inundauit pagos, & 300. proſtrauit Cedros: major illa alia in *Baua Bathra*, cui profunda maris abyſſus ad genua duntaxat aſcendit, quam profun-

ditatem ſi dimetiri cupias, cogita, ſecurim prolapſam ad fundum pertigiſſe vix ſeptem annorum ſpatio. Conjecta vel exin, quid ſomnient illi μυθοσόφοι de *pecudibus in mille montibus.* Inter alia nempe animalia, quæ in Meſſiæ aduentu comparebunt, ſiſtet ſeſe *Behemoth* Jobi, bos ille, cui in diem vix ſufficit 1000. montium pabulum. Ne autem exiſtimes, incredule, perambulari quotidie à beſtia illa mille montes, quæ eodem ſemper degit loco, immota ut Tarpeja cautes, adeò copioſum procreſcit continuò gramen, quod vix caperent mille montes, & abſumtum illicò recreſcit. Exemplum habe ridiculorum conceptuum, in quos prolabi queunt, qui cum Cabbaliſtis literæ inhærent nudæ, & vocabula, ſyllabas, accentus adeò minutim diſſecare norunt, ut e. g. in Lege Moyſis non inuenias duntaxat ea, quæ τὸ ceremoniale & morale attinent, ſed omnia omnium artium atque ſcientiarum arcana, omnes Demonſtrationes Mathematicas, Arithmeticæ Regulas, Politicæ Præcepta, Botanicam, ex quo inexhauſto rerum addiſcendarum promptuario Regum ſapientiſſimus omne ſuam mutuatus fuerit eruditionem, ſcientia de viribus herbarum à Cedro usque ad Hyſſ pum. Enumerarem alios à nuda litera pe dentes errores, niſi priſcorum Patrum piet parcerem, non minus fere ridiculos, quà ſunt Mahometis fabulæ; quarum unicam he adferam ex *Eſpahani Chronica*, de *Gallo* al coloris, qui DEO eſt à ſeruitiis, cujus alæ fu gent Smaragdis, Carbunculis, Margaritis, qu rum una expanſa eſt ad Ortum, altera ad O caſum. Caput eſſe immediatè ſub Throno DE pedes in aëre pendulos. Hæc auis ſingul manè ad preces vocat, ſed cantu, quem n audiunt homines & impuri dæmones, ſed be ti ſoli cœlicolæ. Junge, ſi fabulas ames, *Se pentem*, qui 70000. habet alas, alæ ſingul 70000. plumas, plumæ ſingulæ 70000. facie facies quæuis 70000. ora, quorum ſingula lo quantur 70000. linguas, unde haud miru quotidie tot decantari elogia, quot ſunt gutt læ pluuiales, folia arborum, lapides, & pulu ſculi, dies in æternitate, angeli.

Pſal. LI. verſ. 9.

Expia me Hyſſopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor lauabis me, & ſuper niuem deal babor.

DE *Hyſſopo*, ejusue vi abſtergente, lege plura ad Exod. XII. 22. & ibidem varia plantæ à primitiuo *ezobh* orta Europæarum cumprimis Nationum nomina, quibus adde *zufa*, *zufa jabis*, *ciubra* Turcarum modernorum ex *Meninzk. Lex.* p. 1673. 2485. Obſerua porrò ex *Paracelſo* Tom. I. p. 1043. veteres docimaſticos artem ſuam *docimaſticam* & ſeparatoriam vocaſſe *Hyſſopaicam* quâ nigrum ſulphur dealbare nouerant. Lo quendi formula forſan ab Iſraelitis deriuanda ad Pſalmum ſaltem noſtrum applicatiua. Ob ſeruatio hæc eſt *Ottonis Philippi Praunii*, Campidonenſis, & Principis & Urbis Medici clariſ ſimi, in quodam Epicedio.

Pſal. LII. verſ. 10.

At ego ſimilis oleæ frondoſæ in domo DEI, ſpem poſui in bonitate DEI in perpetuum.

Ego autem ſicut oliua fructifera in domo DEI, ſperaui in miſericordia DEI in æternum, & in ſeculum ſeculi.

EGo, *extirpato propter ſæuitiam ex Tabernaculo DEI Doego*, ero ut olea virens, *ſucci plena*, *viuax*, *fertilis. Succo enim diuinæ gratiæ in animum meum intrante fructibus juſtitiæ repleor*, *jugiter manſurus* in DEI domo, *coram facie diuina*, *in cœtu fidelium*; Confido benignitati DEI in ſeculum & ſempiternum: *tutum atque ſecurum me DEI facit benignitas, certumque ſalutis & gratiæ DEI æternæ. Hiller. Hierophyt.* P. I. p. 186.

Pſal.

Pſal. LV. verſ. 7. 8. 9.

Et dixi: Utinam mihi eſſent alæ, ut columbæ, auolarem enim & quieſcerem.
Et longè profugerem, commorarer in deſerto. Sæla.
Properarem ut à vento turbinoſo, & tempeſtate evaderem.

7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.
8. Ecce elongaui fugiens: & manſi in ſolitudine.
9. Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

ENcomizatur paſſim columbæ volatus in Sacris. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & tanquam columbæ ad feneſtras ſuas?* Ita Jeſaias LX. 8. de reducibus ex captiuitate Babylonica. Citius quippe ad nidos ſuos volare dicuntur, quàm inde volare, columbæ. Hoſ. XI. 11. *Terrebuntur (auolabunt) ſicut auicula ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſur, collocaboque eos in domibus ſuis, dicit* DOMINUS. Σύμφωνα Dauidico voto ſunt, quæ legimus apud *Sophoclem* in *Œdipo Coloneo.*

Εἴτ', ἀελλαία ταχύῤ-
ῥωςος πελειὰς,
Αἰθερίας νεφέλας
Κύρσαιμ' ——

Utinam, ut turbinea celeri
Impetu columba,
Æthereas nubes
Permearem ——

...ligit & *Greg. Nazianzenus* pro fuga columbæ alas, ὡς κεφοτέρας καὶ ταχυτέρας, leuiſſimas atque celerrimas, quibus & accipitris inſidias euadunt. *Columbæ ſoluto volatu accipitre in multum velociores. Plin.* L. X. c. 36. Et *Phædrus* I. *Fab.* 31.

Columbæ ſæpe cum fugiſſent miluium,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem.

...rgil. Æneid. L. V. v. 211. de Mneſthei naue, quæ

Agmine remorum celeri, ventisque vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.

...olumbæ volanti ſimilis, quæ

Fertur in arua volans, atque aëre lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.

...uacum communiter comparant Poëtæ *Argo* ...uem, ὅσον πελειάδος. Rabbinos Pſalmi noſtri Commentatores ſi audias, Dauidem videbis columbæ, non aliarum auium, alas ſibi optantem, quoniam hæ laſſatæ in rupe quapiam vel arbore quieſcunt, necdum heic ab inſidiis ſecuræ, dum illa, retractâ licet una alarum, expansâ tamen altera volando continuò pergit ad nidum usque, ſecura heic quietura. Placet magis *AbenEzræ* explicatio, quod columba homini amica γραμματοφόρα vicem præſtet. Legi de commoda hac literas mittendi occaſione merentur *Paulus Æmilius de Geſtis Francor.* L. IV. V. *Marmolius Afric.* L. II. c. 31. *Jac. Vitriacus Hiſt. Orient.* L. I. *Arnoldus Lubecenſis Hiſt. Slauor. Vincentius in Doctrinali.* L. XVI. c. 154. *Ælianus Var.* L. IX. c. 2. ubi *Tauroſthenes* victoriam ſuam Olympicam per columbam notificaſſe legitur, quæ unico die Piſâ Æginam ad pullos ſuos reuolaſſe dicitur. *Hirtius Antonii* Epiſtolas miſiſſe ad *Decium Brutum* intra mœnia Mutinæ obſeſſum, teſte *Frontino L. III. Stratagem.* Columbam en *Anacreontis* tabellarium! *Od.* 9.

Ἐγὼ δ' Ἀνακρέοντι
Διακονῶ τοσαῦτα,
Καὶ νῦν ὅιος ἐκείνȣ
Ἐπιςολὰς κομίζω.

Egoque Anacreonti
In talibus miniſtro,
Ejusque nunc videte
Quales fero tabellas.

Officia à columba Lugduno Batauorum obſeſſo præſtita ſequentibus laudat carminibus *Heinſius* L. III. *Eleg.* 10.

Hic volucrem ſacram trepida dimittit ab urbe,
Quæ referat ductus illius: illa volat.
Moxque domum gaudens dulcesque reuiſere nidos,
Per medium rurſus aëra lapſa fuit.
Scriptaque Boiſoti mandataque geſtat in alis,
Jamque miniſterii dulce peregit opus.

 In

In Arabia familiaris eſt hæc literas per columbas mittendi occaſio. Vocant illi hujusmodi Epiſtolam *bittaka*, πιττάκιον, *Pittacium*, & *Zagiala*, γραμματοφόρον ipſam *Zigial*.

Nihil ſecum fert difficultatis applicatio ad Dauidis ſtatum. Nemini non conſtat, non eſſe columbam ex genere auium rapacium, ſed domeſticam, adeò meticuloſam, ut à Niſo a tata fugâ ſibi conſulat, vitam ſaluatura. Dauid tot inter perſecutores, ſuos DEIque h ſtes, ſibi columbæ alas optat, quibus inſid euadere queat, vitam ſeligens quaſi Erem cam in Deſerto, *properans, ut à vento turbin ſo & tempeſtate euadat.*

TAB. DLII.

Pſal. LVIII. verſ. 5. 6.

5. Virus eſt illis ut virus Serpentis, ut (a) Aſpidis ſurdæ, auremque ſuam obturantis.

(a) Quidam Regulum legunt.

6. Ne cogatur audire vocem incantantium, incantatoris, inquam, artibus magicis præſtantis.

5. Furor illis ſecundum ſimilitud nem ſerpentis: ſicut aſpidis ſur dæ, & obturantis aures ſuas.

6. Quæ non exaudiet vocem incan tantium, & venefici incantant ſapienter.

VExatiſſimus, ſi quis eſt Sacri Codicis, locus hic eſt, ſolutu tantò difficilior, quod iis viuamus temporibus, quibus adeò pauca habetur incantationibus & magiis fides, ut vix eas credat Judæus Apella.

Deriuabimus materiam hanc ex genuinis Antiquitatis ſimul atque Philoſophiæ modernæ fontibus, viſuri tandem, quisnam poſſit eſſe verborum Diui Pſaltis ſenſus.

Prima, quæ obuiam venit, difficultas concernit *Aſpidem ſurdam* & tamen *audientem*, auritam & tamen ſurdam. Docent nos Phyſicorum vetuſtiſſimi, acutiori pollere Aſpidem auditu, quàm viſu. *Nicander in Theriacis* v. 162. docet, euigilare viperam dormientem ex leuiſſimo quouis ſono:

- - - ὑπναλέοις δὲ
Ἀιὲν ἐπιλλίζουσα φαείνεται ἐνδυκὲς ὄσσοις.
Ἀλλ᾽ ὅταν ἢ δοῦπον νέον οὔασιν, ἠέτιν᾽ αὐδὴν
Ἀθρήσῃ, νωθρὸν μὲν ἀπὸ ῥεθέως βάλεν ὕπνον.

- - - ſomnoque grauatis
Torpida continuè nictare videtur ocellis.
Aſt ubi vel murmur facili vel percipit aure
Vocem aliquam, ſegnes rejicit de corpore ſomnos.

Conſentit *Plinius* L. VIII. c. 23. *Jam pridem hebetes oculos huic malo dedit* (rerum natura) *eosque non in fronte ex aduerſo cernere, ſed in temporibus: itaque excitatur, ſed ſæpius auditu, quàm viſu.* Et *Mercurialis: Omnibus Aſpidibus hæc communia ſunt, viſus imbecillus, inceſſus tardus, auditus ſubtilis.* Concedunt & moderni Scriptores *Seuerin. de Viper.* p. 130. 239. *Charr Anat. Viper.* p. 134. animali huic, cujus na turam incredibili perueſtigarunt ſolertia, aud tum, cujus tamen non monſtrant organum neque externum, neque internum. Audiar neceſſe eſt, ſi verum, quod de Indis narra *Teixeira Hiſt. Perſ.* L. I. c. 29. eos ita aſſuefa cere incantationibus ſerpentes, ut ad Tibiæ mo dulamina ſaltent, *haziendo las baylar al ſon d una flauta, y las rebuelven al cuello, y hazen co ellas otros ſemejantes ademanes.* Meretur hi viperæ auditus in parallelíſmo locari cum audi tu piſcium, qui vel audiunt per nares, quoc nonnulli volunt, vel ſubtili tactu, cute à tremu lo aëris motu vibrata. *Theodoretus*, *Auguſti nus*, & forſan alii primitiuæ Eccleſiæ Patres fuere perſuaſi, eſſe viperam ſurdam, ſed non naturâ, verùm ſtudio, quoniam obturet aures unam caudâ, alteram apprimendo terræ, vel ut R. *Selomo* philoſophatur, obſtruendo aures terrâ, ne ſcilicet audiat vocem incantatoris. Quî autem id fieri poterit, ſi caret auribus? Nares igitur obturet neceſſe eſt, ſi eorum miniſterio audit, vel cutim ita modificare nouit, ut tremulas aëris ſonori vibrationes haud percipiat, ſi audit more piſcium, ut ſanè ſquamoſa rigidaque cutis ſtructura affinitatem monſtrat piſcium atque ſerpentum.

De conjuratione ſerpentum ſunt heic nonnulla adferenda ſimul & monenda, quibus ſuperſedere commodè haud poſſumus, tantò quidem magis, quia adhuc hodie ſerpentum collectio incantationem habet, vel habere videtur, comitem. Serpentes facilius quàm alia animalia conjurari poſſe, vult *Auguſtinus*, argumento certo ſeductionis per ſerpentem factæ.

Sed

PSAL. LVIII. v. 5. 6.
Γοητες.

Pſal. LVIII. v. 5. 6.
Schlangen = Beſchwörer.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

ed cur non infertur contrarium? cur non ſerens incantat hominem? Certum id eſt, famiarem benè multis nationibus fuiſſe jam olim ꝛrpentum conjurationem. Exemplo ſint *Marſi* *Pſylli*, *Ægyptii* item apud *Ælian. Hiſt.* L. VI. . 33. *Melindenſes* apud *Geographum Nubien*-*m primi Climatis Parte* 7. *Peruani* apud *Spitil*-*m* in *Collectaneis*, *Indi* apud *Teixeiram*. Comiendat ſeſe hæc vel opinio vel ſuperſtitio anquitate. Hac arte Orpheus Eurydicen à ſerente lethaliter morſam ad vitam reuocaſſe leitur apud *Tzetzen Chil.* 2. *Hiſt.* 54. In *Orphei* *Lapid.* Procemio legas ſequentia:

῾Ροῖζόν τε ϛῆσαι χαμαὶ ἐρχομένοιο δράκοντος,
῎Εισεται, ἠδὲ ὄφεων ἰὸν σβέσαι ἑρπυϛήρων.

Stridoremque ſiſtere humi venientis Draconis
Sciet, & ſerpentum repentium venenum (jaculum) *extinguere.*

Quæ verba attentione tantò majori ſunt digna, uia congrua ſunt Phraſi Paulinæ Eph. VI. 16. ὰ βέλη τȣ̃ πονηρȣ̃ τὰ πεπυρωμένα σβέσαι. Sic Medea erpentem, vel Draconem, aurei velleris cuodem, incantaſſe legitur Muſica.

῾Ηδείῃ ἐνοπῇ θέλξαι τέρας.

Suaui voce mulſiſſe monſtrum.

Apollon. Argon. L. IV. v. 147. Jaſoni id tribuit *Ouidius Metam.* L. VII.

Hunc poſtquam ſparſit lethæi gramine ſucci,
Verbaque ter dixit placidos facientia ſomnos.

lias hujus generis Hiſtoriolas ſilentio prætereo. 'identur mihi & Literati ex Veteribus, & Naones integræ, commiſiſſe fallaciam non caue ut cauſæ. Notum eſt, horrore quodam veıti percelli mortalium multos ex conſpectu ꝛrpentum; his facile perſuadere poterant, qui ꝛrpentino generi fiunt familiares, fieri id ſinulari arte, incantationibus, & pro ulteriori onuictione recitare vel voces certas, vel carıina, vel ſingulares facere geſticulationes. Ut dhuc hodie plebi rudi homo ὀφιόφιλος, qui in nu geſtat ſerpentes, eosque vel brachiis vel oti corpori circumplicat, miraculo eſt, & inantator cluèt. Non ignorant rerum naturaum periti, impunè poſſe tractari ſerpentes, ıodò non concitentur ad iram. Poterunt & eſtiæ hæ, ſi acuto pollent auditu, certis voibus, carminibus, cantionibus demulceri ita, t tractabiles fiant; comprobat hoc ratiocinium oſa Muſica multorum animi corporisque afectuum medela, Tarantiſmi cura, qua de re lura legas in Hiſtoria furibundi Saulis, & Arhiatri, vel Archimuſici, Dauidis.

Dilucidabit fortè amplius materiam hanc pecialior incantationum, quæ circa ſerpentes iunt, conſideratio.

Fuere, qui conjurarunt ſerpentes ſolo attactu. *Virgil. Æneid.* L. VII.

Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat.

Silius Italicus L. I. v. 411.

Nec non ſerpentes diro exarmare veneno.
Doctus Atyr, tactuque graues ſopire Chelydros.

Et L. VIII. v. 500.

Æetæ prolem Anguitiam mala gramina primùm
Monſtrauiſſa ferunt, tactuque domare venena.

Heic, quod nemo non videt, nil mali ſubeſt. Quo tractantur mitius ſerpentes, eò nocent minus. Hæc ſi incantatio eſt, erit & amor & amicitia, quæ vel comparantur vel firmantur ſæpiſſimè tactu. Poſſem, ſi excurſiones amarem, nonnulla heic afferre de familiari multis ſuperſtitione, qui homines veneficio conſtringi putant per contactum, & ad amorem reciprocum cogi. Rem ſi examinemus penitius, ſunt humanitas, comitas, oculi hilares, hominum ipſorum affectus philtra & communiſſima & certiſſima.

Circulum in ſolo delinearunt ὀφιογόητες alii, & incantationes vel fecerunt, vel ſimularunt herbis quibusdam in aream ſparſis. Exemplo eſt mulier Theſſala in urbe Teno, quæ ſerpentem ſacrum occiſura in media conſtitit circulari area cum Pharmacis, quod legitur in *Ariſtotelis*, vel quisquis Author fuerit, *mirabilibus*: Chaldæus item ille apud *Lucianum* in *Philopſeude*, qui bono manè ſerpentes in campis collecturus ſeptem nomina ſacra ex vetuſta charta legerat, ter circularem aream circumierat, atque ſulphure & face ſanctificabat, θείῳ καὶ δαδὶ καταγνίσας τὸν τόπον, περιελθὼν εἰς τρὶς. Aliam ceremoniam deſcribit *Seneca* in *Medea Act.* 4.

Et triſte læua complicans ſacrum manu,
Peſtes vocat, quascunque feruentis creet
Arena Libyæ.

Adhibebant alii tabulas lapideas, ligneas, iisque inſculptas figuras Taliſmanicas. *Arnob.* L. II. *Aduerſus ictus noxios & venenatos colubrorum morſus remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, Marſis & Pſyllis vendentibus.* Prope urbem Cucu in Æthiopia creſcere dicit *Geographus Nubienſis Clim.* I. *Parte* 3. *Lignum colubrinum*, quod ſerpentes ex antris ſuis prouocet, eosque, qui id manu tenent, adeò reddat cordatos, ut absque metu beſtias captent: de quo eodem ligno referunt alii, quod taliſmaniſatum (ἔτω τετελεσμένη, talibus τελέσμασι ſeu taliſmanis

 inſtru-

inſtructum) adeò inimicum ſit ſerpentibus atque ſcorpionibus, ut omnes agat in fugam. Eodem Geographo teſte in fornice quodum Emeſæ urbis ſaxum eſt cum ſcorpione inſculpto, cujus attactu ictus à ſcorpione ſanetur illicò. Huc pertinet præſeruatiuum illud Attali apud *Plinium* L. XXVIII. c. 3. vox nempe DUO, prolata contra ſcorpionum ictus: Arabicæ item voces OS, OSOH, apud *Alcamum* OSII, OSIIA, OSII, apud *Lotichium in Petronium* L. II. c. 12. quæ ſerpentes alliciant, fortè quia horum imitantur ſibilum; ut ſibilaſſe legitur quoque Saga illa Theſſala, μιμεῖσθαι τὴν φωνὴν τȣ̃ θηρίȣ. *Sanè non eſt de nihilo, vocum quosdam ſonos certis animalibus eſſe vel ſuaues vel graues, ut hominibus contingere videmus. Ita Literâ* R. *quæ canum quaſi propria eſt, eos offendi videmus, qui campanarum & tubarum ſono nonnunquam etiam ad ululatum cieri ſolent. Morhof. Hyaloclaſt.* p. 219.

Potiſſima autem incantationis vis conſiſtere dicebatur olim in certis cantiunculis, vel carminibus, Dauidi noſtro & Hebræis communiter לְחָשִׁים *lachaſchim*, *ſuſurri*, *muſſitationes* dictis, quod eas muſſitando per labra protulerint conjuratores. Prætendebant hi γόητες hujusmodi muſſitationibus carminicis. 1. allicere ſerpentes, & prouocare ex ſuis antris. Id vocat *Plinius* L. VIII. c. 16. *extrahere*, *cogereque in pœnam*. *Ælianus* L. VI. c. 33. τῶν φωλεῶν τȣ̀ς ὄφεις ἐπαοιδαῖς τισι καταγοητεύσαντες, εἶτα μέντοι προάγȣσι ῥᾷστα, *conjurando ſerpentes ex antris prouocant* (Ægyptii,) *ſicque facillimè ducunt trahuntue foras. Seneca in Medea:*

- - tracta Magicis cantibus
Squamea latebris turba deſertis adeſt.

Hujusmodi præſtigiatorem vocabant Veteres *Marſum. Hieronymus in Pſ.* LVII. *Ille homo, qui incantat Marſus dicitur, & trahit eos de tenebris ad lucem.* Hinc fortè Hebræorum חוֹבֵר *chober*, quæ vox propriè collectorem, conſociatorem denotat. Eſt hic fortè ſenſus verborum Dauidis חוֹבֵר חֲבָרִים מְחֻכָּם, *jungentis conjunctiones docti*, vel *periti conſociationis conſociatorum:* nos reddimus, *artibus magicis præſtantis, des Beſchwörers, der wohl beſchwören kan.* Habent LXX. ἐπᾳδόντων, φαρμάκȣτε φαρμακευομένȣ παρὰ σοφȣ̃, *incantantium, & medicamenti medicati à ſapiente*; legunt alii φαρμάκȣτε cum & ſine accentu, alii φαρμακȣ̃νται, Aquila ἐπαείδειν ἐπαοιδὴν σεσοφισμένȣ, *docti incantare incantationem*, Symmachus ἐπᾳστȣ̃ ἐπῳδὰς σεσοφισμένȣ, *incantatores docti incantationes.* Ita eſt Deut. XVIII. 11. חוֹבֵר חָבֶר *jungens junctionem* ex R. Selomonis interpretatione incantator, qui conjurationibus ſuis ſerpentes aliaue animalia venenata in unam ſocietatem colligere valet. 2. Iisdem aliisue cantiunculis magicis diſſociare & fugare præſumſerunt ſerpentes. *Lucanus* L. IX. v. 913.

Primum quas valli ſpatium comprendit ar-
nas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angue

3. detinere, ſopire, obſtupefacere. *Tibull.* [...] *leg.* 9.

Cantus & iratæ detinet anguis iter.

Petronius:

- - - & juſſi ſtare Dracones.

Seneca in Medea:

Sopite primùm cantibus ſerpentes meis.

Silius L. VIII. v. 497.

Hæ bellare acies norant, ac Marſica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare ſopo-
rem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine den-
tem.

4. Serpentes ex venenatis reddere innoxios. Ita dicuntur *Marſi illæſi carminum maleficiis, Iſidoro Origin.* L. IX. c. 2. 5. morſus venenatos ſerpentum curare. Elogium hoc circumforaneis Indis dedit Nearchus apud *Strabonem*, Medicinam, quod obtinet adhuc in Europa, exercentibus, ἐπῳδȣ̀ς περιφοιτᾷν πεπιστευμένȣς ἰᾶσθαι, καὶ εἶναι σχεδόντι ταύτην μόνην ἰατρικὴν, *circumuagari incantatores, qui mederi putantur, & hanc fere ſolam eſſe Medicinam.* Apud *Virgil.* L. VII. *Umbrus.*

- - - & morſus arte leuabat.

Lucan. L. IX. v. 933.

- - peſtis nigris inſerta medullis
Excantata perit.

6. Serpentes cantu rumpere, ſcilicet ut vitra *Hyaloclaſtes* ille, de quo integrum ſcripſit Tractatum *Morhofius. Lucilius:*

- - - - - Marſu', Coluber
Diſtendit cantu, venas cum extenderit omnes.

Virgil. Eclog. 8.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ouid. Metam. L. VII. *Fab.* 2.

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.

De omnibus his ordine enarratis incantationis effectibus hoc habeto judicium, eſſe vel falſos, fictitios, vel deduci poſſe ex cauſis naturalibus, ut adhuc hodie, qui Magicis artibus bruta homines-

ıinesque tractant & curant, utuntur paſſim
emediis naturalibus, ſed rem ſuam corrum-
unt vel verbis, vel geſtibus haud neceſſariis,
etitis. De viribus mali dæmonis interuenien-
s, an, quæ & quales ſint, nil habeo, quod
roferam, quia nihil in hac ſpirituum Philoſo-
hia certi ſcio.

Redeo ad *Aſpides ſurdas*, incantatione omni
ıuictas, quæ *aures ſuas obturant*, memoratæ
uoque Jerem. VIII. 17. ubi ita interminatur
EUS: *Ecce immittam in vos ſerpentes regulos,
ıi incantari nequeunt, mordebuntque vos, ait*
OMINUS. οἷς οὐκ ἐςι ἐκσπᾶσαι, *à quibus non licet
auellere*, ita Complutenſes, alii, οἷς οὐκ ἐςι ἐπᾷ-
ıı, *quos incantare non licet.* Et Eccleſ. X. 11.
i ſerpens mordeat absque ſibilo, בְּלוֹא־לָחַשׁ, *nihilo
agis incommodat quàm maledicus. (Si mordeat
rpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui oc-
ıltè detrahit.)* LXX. ἐὰν δάκῃ ὄφις ἐν οὐ ψιθυρισμῷ,
ȣκ ἐςι περίσσεια τῷ ἐπᾴδοντι, *ſi momorderit ſer-
ns in non ſuſurro, & non eſt amplius incantan-*
. Clarior Vernacula noſtra: *Wann eine
chlang gebiſſen hat, ehe ſie beſchworen worden,
ſchaffet auch der wolberedteſte (Beſchwörer)
ichts mehr.* Nil autem curant incantamenta
rpentes, vel quia recanunt, ἀντᾴδουσι, vel quia
ıres obturant. De illis *Plinius* L. XXVIII. c. 32.
Von pauci etiam (credunt,) *ſerpentes ipſos reca-
ere*, (ita legit Turnebus) *& hunc unum eſſe il-
s intellectum.* Apud *Ariſtotelem* quoque ſerpens
ntiſibilaſſe ſagæ Theſſalicæ legitur. Hujusmo-
i ſerpens Arabibus *Sil* audit & *aſammo*, ſurdus,
ui adeò curat parum incantationes, ac ſi ſur-
us eſſet, vel careret auribus: quæ ipſa eſt ge-
uina Textus Dauidici explicatio, recepta quo-
ue R. *Kimchio*. Ita legimus Prov. XXI. 13.
e Euclione auaro, *qui obturat aurem ſuam ad
lamorem pauperis, clamabit & is, & non ex-
udietur.* Et Jeſ. XXXIII. 15. de pio, *qui aurem
ıam obturat, ne audiat ſanguines, & oculos ſuos
omprimit, ne intueantur malum*, qui claudit au-
es (non ad literam præciſè) impiorum conſi-
is, & hisce non applaudit. *Virgilius Æneid.*
. IV. de Ænea ad preces Didonis & Annæ
ırdo:

*- - - Sed nullis ille mouetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obſtant, placidasque viri Deus obſtruit
aures.*

Serpente vel recanente, vel aures obturante,
malum recidere in incantatorem ipſum, vetus
ſeu fama ſeu fabula fert. Ita in lethargum le-
thalem cecidiſſe legitur Saga illa Theſſalica apud
Ariſtotelem, cui memoratus ſæpe ſacer anguis
contraſibilauit. *Alcimus:*

*Interdum perit incantans, ſi callida ſurdus
Adjuratoris contempſit murmura ſerpens.*

Huc quadrat, ſi verum, exemplum Salisbur-
genſis Magi, qui conjuratis in unum ſerpenti-
bus omnibus intra milliaris circuitum tandem
à magno quodam & ætate prouecto angue de-
morſus periit, apud *Delrio Diſquiſ. Magic.* L. II.
Quæſt. 13. Id quoque, quod in Siracide legi-
mus XII. 13. *Quis incantatoris à ſerpente icti mi-
ſereatur, aut ullius, qui ad beſtias acceſſerit?
(Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo,
& omnibus, qui appropiant beſtiis?)*

Quodſi quæras tandem, qualesnam ſint il-
li ſerpentes, qui aures ſuas obturant, incanta-
tionibus inuicti, inuenies apud *Ælianum* L. I.
c. 54. *Aſpidem:* apud *Auicennam cap. de ſpecieb.
ſerpentum Regulum*, qui ſolo aſpectu & ſibilo oc-
cidere dicitur, & in Verſionis noſtræ Latinæ
Gloſſis memoratur: *Aſpidem* item *chelidoniam:
Aſpidem ſiccam*, χερσαῖον, quæ intra bi- vel tri-
horium necat: *Aſpidem ptyadem; Ceraſtem;
Hydrum* & *Cherſydrum.* Quamuis alii hos ipſos
omnes potentiæ diaboli & incantatorum ſubji-
ciunt. Ego omnes, vel nullum, perſuaſus eò
tandem tendere Dauidicum ſerpentum & im-
piorum paralleliſmum, quod quemadmodum
illi poſthabita incantatione omni Magos ipſos
mordent, & enecant, ita & hi viuendo, agen-
do iniquè, calumniando, pejerando, injuſtè ju-
dicando alacriter pergant. Fauet, quem ha-
ctenus expoſuimus, locus Hypotheſi *Joh. Wil-
kins*, Ceſtrienſis Epiſcopi, de Scriptura loquen-
te ad captum & errorem vulgi, quandoquidem
aſpis vel vipera neque ſurda ſit phyſico ſenſu,
neque aures obturet. Ita quoque *Caluinus* ad
h. l. *Dauidem ex communi errore ſimilitudinem
hanc eſſe mutuatum; ac ſi dixiſſet, nullam poſſe in
ſerpentibus verſutiam inueniri, quæ non in homi-
nibus iſtis regnet, etiam ſi quæ aſpides aduer-
ſus incantationes aſtu ſuo munitæ
ſint, non magis tamen eſ-
ſe callidas.*

TAB. DLIII.

Pſal. LVIII. verſ. 7.

Contere, o DEUS, dentes oris iſtorum, maxillares dentes juuenum iſtorum leonum contunde, o DOMINE.

DEUS conteret dentes eorum in or ipſorum: molas leonum confrin get DOMINUS.

Magna vis ineſt dentibus, ſed maxima cumprimis molaribus; ſcindunt inciſores, ſed confringunt, commolunt molares, unde utrique nomen habent. Molares certè molarium lapidum officium præſtant, & virium motricium centro ſiue vectis Hypomochlio adſtant propius. Major autem eſt dentium potentia, quò craſſiores fortioresque ſunt muſculi tum temporales, tum maſſeteres, uti id videre licet in animalibus rapacibus, cumprimis Leonibus. Ex Anatome Leonis, quæ in Actis Pariſienſibus extat, conſtat, adeſſe in utraque maxilla 14. dentes, nempe 4. inciſorios, 4. caninos, & 6. molares; hiique valde inæquales ſunt, præcipuè in maxilla ſuperiore, & qui canino adſtat, tam paruus, quàm inciſiuus. Reliqui molarium ſunt grandiores, habentque tres inæquales mucrones, ut repræſentent fere florem lilii. Non mirum hinc, in Sacris res maximè nociuas, hoſtium Eccleſiæ truculentiam, cum Leonum dentibus, ſpeciatim molaribus conferri. Joel. I. 6. de locuſtis: *Gens aſcendit ſuper terram meam robuſta, innumerabilis, cuju dentes dentes ſunt leonini, habet molares leæna (catuli Leonis.)* Quod locuſtis myſticis appli cat Johannes Apoc. IX. 8. οἱ ὀδόντες αὐτῶν ὡς λεόν των. Peccato Siracides Eccleſiaſtic. XXI. 3 *Dentes leonini ſunt dentes ipſius, animis homi num exitiales. (interficientes animas hominum.)* Tyrannorum potentiæ Job. IV. 10. *Rugitus Leonis, & vox Leopardi (comprimitur,) & Leun culorum dentes excerpuntur, (& dentes catulorum leonum contriti ſunt)* ſcilicet à furore DOMINI. De dentibus Leonis lege *Anacreonti* Odam ſecundam:

Φύσις κέρατα ταύροις,
Ὁπλὰς δέδωκεν ἵπποις,
Ποδωκίην λαγώοις,
Λέουσι χάσμ᾽ ὀδόντων.

Natura cornua Tauris,
Ungulas dedit Equis,
Celeritatem leporibus,
Leonibus hiatum dentium.

TAB. DLIV.

Pſal. LVIII. verſ. 9.

Inſtar limacis colliqueſcentis diffluant, velut abortiuum mulieris, quod Solem nunquam adſpexit.

Sicut cera, quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.

Circa genuinum ſenſum monadicæ vocis שַׁבְּלוּל *ſchabbelul* litigant inter ſe Interpretes. Græci ſoli tres nobis dant diſtinctas Verſiones verborum כְּמוֹ שַׁבְּלוּל תֶּמֶס יַהֲלֹךְ. 1. LXX. Seniores, ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς ἀνταναιρεθήσονται, & hinc Vulgata, *ſicut cera, quæ fluit, auferentur.* Ita fere Syrus, Arabs, Æthiops. 2. Aquila, ὁμοίως γῆς ἐντέρῳ τακὲν πορεύεται, & ſic fere *Hieronymus, quaſi vermis tabefactus pertranſierit.* 3. Symmachus, ὥσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφωνεῖ, *ut ſecundinus fœtus diſſolutus perit.* 4. Hebræi plerique poſt R. *Selomonem, AbenEzram, Kimchium, limacem* nobis ceræ, vermis, & ſecundinarum loco exhibent, quos ſecutæ ſunt ambæ Verſiones noſtræ, *inſtar limacis colliqueſcentis diffluant, ſie zergehen wie ein Schneck.* 5. faciunt alii ex שִׁבֹּלֶת שַׁבְּלוּל, *aquæ fluentum, alueum,* quæ vox oc-

cur-

PSAL. LVIII. v. 7.
Λεȣσι χασμ' ὀδόντων.

Pſal. LVIII. v. 7.
Backen-Zähne des Löwen.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

PSAL. LVIII. v. 9.
Impius Limax.

Pſal. LVIII. v. 9.
Der Gottloſe mit Schnecken verglichen.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

rrit Pſ. LXIX. 3. 16. Jeſ. XXVII. 12. Quadrat licet in proſperitatem terrenam cumprimis piorum prudentis illius Thekoenſis mulieris atum 2. Sam. XIV. 14. *Certiſſimè morimur, & lar aquarum, quæ in terram defluunt, quæ colligi n poſſunt. (Omnes morimur, & quaſi aquæ di- imur in terram, quæ non reuertuntur.)* Haud ſunt fulcra tot variantibus Verſionibus, mili- it tamen potiores rationes pro *limace*, & Ver- nibus Tigurinis: authoritas inprimis vetu- ſimorum Judæorum, id quod ex *Bereſchith bba* c. 51. & *Moed Katon* c. 1. fusè probat ochart. *Hieroz.* P. II. L. IV. c. 30. p. 646. Non idem pollicem premimus Talmudiſtis, qui ſanie ſaliuali totam quantam conſtare volunt *chleam*, ſpeciatim terreſtrem, quæ *terrigena, rbigrada, domiporta, ſanguine caſſa* cluet *Cice- ri de Diuin.* L. II. ac ſi hæc diffluа ſanie di- ureat prorſus,

Ut lacrymis conſumpta ſuis Phœbeija Byblis
Vertitur in fontem.

certum, quod ſanies hæc glutinoſa, qua abun- t, viam paret & motum facilitet Coch- e, quæ hinc Græcis audit ὑγροκέλευθος, *humi- viis animal. Athenæus* L. II. c. 22.

Ὑλογενὴς, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος.

descendit fortè ipſum Hebræorum שַׁבְּלוּל שְׁבִיל *ſemita.* De ſaliua hac, Græcis Medi- ; μύξα κοχλιῶν, *mucus cochlearum, Plinio ſpuma ſuccus* dicta, notandum, eam pedum loco eſ- his animalibus, & motum progreſſiuum fa- litare, qui ceſſaret prorſus, ſi aliquandiu hæ- rent eodem loco, muco illo in gluten & mem- anam verſo. Hinc eſt, quod prodeant coe- inprimis pluuio, quo madefiunt ſemitæ. Se- renum iis haud fauet. Mucum hunc ſaliuæ ad inſtar ore emittunt; alius quippe eſt à Muco, qui ex vulnerata profluit cochlea, ſeroſiori, cœruleſcente, non ſtatim in cutim, vel gluten abeunte. Neceſſe proin eſt, ut eò majorem muci hujus glutinoſi copiam perdat ſeu limax, ſeu cochlea, quò longior eſt via, quam proſequitur, ut homo laboribus amittit multùm per cutaneas aliasue ſecretiones. Senſus proin Diui Pſaltis erit, impium, *qui de malo ad malum exit*, Jer. IX. 3. non ſolùm relinquere, quà pergit cunque, peccatorum ſuorum mucum, ſed in ipſo criminum ſuorum progreſſu ſeipſum conſumere. Ex hodiernis limacis vel cochleæ Orientalibus nominibus non inuenio, quæ noſtro *Schabbelul* ſint affinia, niſi fortè huc referas Lœhœnſium *Talluul*, Amboinenſium *Ulayl*, *Ulael*, *limacum marinarum*, *zeeslekken*, cognomina apud *Rumphium Amboinſch. Rariteit-Kamer.* p. 38. Tabula hæc, quia limacibus eſt deſtinata, ſiſtit

Fig. A. *Limacem communem* ſeu nudam, hujusque variantes ſpecies.

B. *Limacem marinam*, Amboinenſibus *kokobot*, Lœhœnſibus *Talluul* dictam, quæ rupibus firmiter adhæret, & ſociam habet *limacem marinam verrucoſam*, Amboinenſibus *Ulayl*, *Ulael* dictam, quæ fortè *Tylos* eſt Plinii, *Aſelli* ſpecies L. XXIX. c. 6. *Patella* hæc eſt *oblonga articulata, articulis ſtriatis, extus ſubfuſcis, intus è viridi cœruleis.* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* II. p. 233. *O ſcabrion Carolinianus perelegans ſquamis bifariam variegatus, Petiv. Gaz. Nat.* T. 1. fig. 3.

C. *Limacem tertiam* Rumphii, quæ noſtratibus propius accedit.

D. *Limacem nudam cineream terreſtrem.* Ill. *Sloane Hiſt.* cit. p. 190. An *Caracoles ſin Caſcara. Lop. Gom.* c. 69.

Pſal. LVIII. verſ. 10.

) Priusquam ſpinæ veſtræ in rhamnum adoleſcant, repente viuos ſicut acerrimo furore tollat eos turbo.

(a) Obſcurus eſt hic verſus, ideò variè interpretatus: alii legunt Siroth pro ollis, ſic: Antequam ollæ veſtræ à ſubjectis ſpinis calorem ſentiunt, ut crudum, ſic æſtuanti indignatione ſubito corripiat eos. Quocunque vero modo legas, prædicit, impios celerrimè perdendos eſſe, antequam eorum peruerſitas adoleſcat, & conſumatur.

Priusquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viuentes ſicut in ira abſorbet eos.

EST & hic locus ex vexatis. LXX. ita: πρὸ τοῦ συνιέναι τὰς ἀκάνθας ὑμῶν τὸν ῥάμνον, ὡσεὶ ζῶντας ὡσεὶ ἐν ὀργῇ καταπίεται ὑμᾶς. *Priusquam intelligant ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes ſicut in ira abſorbebit vos.* Symmachus clarius, πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν, ὥστε γενέσθαι ῥάμνον, ἔτι ζῶντες ὡς ὁλόξηρος λαίλαψ ἀρεῖ, *priusquam auctæ ſint ſpinæ veſtræ, ita ut fiant rhamnus, adhuc viuentes tanquam omnia ſiccans turbo tollet.* אָטָד *atad rhamnum* vertunt nobiscum

cum Tigurinis poſt LXX. plerique Interpretes, *Vulgatus*, *Arabs*, *Chaldæus*, *Vatablus*, *Hulſius*, *Cloppenburgius*, *Coccejus*, *Noldius*; Placet *Hillero Hierophyt.* P. I. p. 479. ſic & *Piſcatori Cynosbatus*. Aliis ſpinæ, frutices ſpinoſi in genere: ita nos *Dornſtrauch*, Angli *the Thorns*, Belgæ *Doornſtruyck*, Geneuenſes *les epines*. Hæc nos non morentur. De hac voce *atad* plura inuenies ad Jud. IX. 15. Aliis inquirendam linquo vocem סירות *ſiroth*, num intelligendæ ſint *ſpinæ*, quod plerique volunt Interpretes, vel *ollæ*, *lebetes*, quas habent *Caſtalio*, *Hulſius*, *Cloppenburg*, *Coccejus*, *Hillerus*, qui ita vertit Textum: *Antequam ollæ veſtræ ſenſerint Cynosb tum, tam virentem, quàm aridum, turbine au ret DEUS.* Ut ſenſus ſit: *Antequam fune conſilia ſua coxerint* (coquere conſilia dixit I uius) *malefici*, *ut tardius ſeriusque*, *ita temp rius ac celerius nociturum*, *alterum cum altero ipſo ſcelerum conatu ex improuiſo velut turbi diſſipabit ac disjiciet* DEUS. In hoc conu niunt omnes, eſſe ſpinoſum hunc fruticem qualiscunque ſit, vel creſcentem, vel lebet bus ad carnes coquendas ſubjectum, turb ne disjectum inopinato pereuntis malefici en blema.

Pſal. LXIII. verſ. II.

Adigent eos *(a)* in aciem gladii, ſors vulpibus erunt.

(a) Ebr. in manus gladii.

Tradentur in manus gladii, parte vulpium erunt.

EST *vulpes* animal πάμφαγον, frugi- & carniuorum. Et ex Textu liquet, cadaueribus hominum eſſe infeſtam, quandoquidem qui *in aciem gladii* incurrunt, *ſors vulpibus erunt*, μερίδες ἀλωπέκων ἔσονται, vulpibus, vili & abjecto animali; quo ipſo inſinuatur grauitas pœnæ, quæ hoſtes DEI & Eccleſiæ manet, non diſcerpendos à leonibus, aliisque generoſæ indolis beſtiis, ſed deuorandos â vulpibus: Procul abhinc pompæ funebres, procul Mauſolea ſplendida, *jacebunt in cibum feris*, προκείσονται τοῖς θηρίοις βορὰ, ut *Theodoretus* explicat. Experientia ipſa nos docet odorari vulpes eminus cadauera hominum ſepulta, & effodere. In *Pauſaniæ Meſſeniaci* legimus, Ariſtomenem εἰς τὸν καιάδαν, in *Cæadam* conjectum & ibi triduum commoratum vulpem vidiſſe cadauera appetentem. Erat autem *Cæada* barathrum prope Lacedæmonem, ὅπερ τοὺς κακούργους ἐμβάλλειν εἰώθεισαν, in quod maleficos conjicere ſoliti erant. *Thucyd.* L. I.

TAB. DLV.

Pſal. LXV. verſ. 10. ad fin.

10. *(a)* Viſitaſti terram, & irrigaſti eam, ditaſti eam ampliter, riuus DEI aquis exuberat; tu paras *(b)* eis frumentum, quandoquidem ſic illam inſtruis.

(a) Al. tu feciſti eam crepare. Al. feciſti eam deſiderare.
(b) Eis, ſcil. hominibus.

10. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam. Flumen DEI repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio ejus.

11. Irrigas liras ejus, & quieſcere facis ſulcos ejus: facis eam guttis colliqueſcere, & germen ejus feliciter prouenire facis.

11. Riuos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.

12. Coronas annum tuis *(c)* bonis, & *(d)* vehicula tua ſtillant pinguedinem.

(c) Vel bonitate tua.
(d) Alii nubes legunt, alii ſemitas. Sed nubes dicuntur vehicula DEI, quod iis nobis DEUS ubertatem inferat, & quaſi plauſtris aduehat.

12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

13. Stil-

PSAL. LXV. v. 10 - ad fin.
Annus à Deo coronatus.

Pſal. LXV. v. 10 - ad fin.
Gott crönt das Jahr mit ſeiner Güte.

G. D. Heümann sculps.

RPJCB

. Stillant (pinguedine) ſpecioſa paſcua deſerti, collesque (e) exultatione accinguntur.

(e) Hoc eſt, gaudent undique fructuum copia.

L. Veſtientur campi gregibus, & valles amicientur frumento, jubilabunt atque canent.

13. Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

14. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento; clamabunt, etenim hymnum dicent.

TEr Optimi, Ter Maximi DEI immenſam erga omnes terræ, ſanctæ in ſpecie, incolas metaphoricis ſimul, & naturæ rerum adæquatis, laudibus decantat eloquentiſſimus Pſal-
s. *Viſitaſti terram, & irrigaſti eam, ditaſti*
m ampliter. ἐπεσκέψω τὴν γῆν, καὶ ἐμέθυσας αὐτὴν,
λήθυνας τοῦ πλουτῆναι αὐτήν. Expoſuimus hacte-
ıs plus ſemel, quàm miſera foret rerum no-
arum facies, ſi cortex terræ non conſtaret
rrâ, vel terreus licet, ſed fluminibus, fonti-
ıs, riuis, pluuiis haud irrigatus. Cui, quæ-
, bono eſſent animalibus atque hominibus
ontes, ſi aurei, vel argentei? cui uſui ada-
antinæ rupes? Eſt ipſa hæc terræ ἐπίσκεψις, ir-
gatio hæc, hæc fœcundatio, ſapientiſſima pa-
er atque beneficentiſſima orbis in aqueas &
cas partes diſpartitio opus non naturæ, ſed
EI. *Riuus DEI aquis exuberat, tu paras eis*
umentum, quandoquidem ſic illam inſtruis.
ποταμὸς τοῦ ΘΕΟΥ ἐπληρώθη ὑδάτων, ἡτοίμασας τὴν
οφὴν αὐτῶν, ὅτι οὕτως ἡ ἑτοιμασία. Sunt inprimis
tiſſima hydrophylacia nubes, natantia illa
aria, reſoluenda in pluuias. Huc ſpectat pro-
iſſio ſolemnis Iſraelitico populo facta. Deut.
I. 10. 11. 12. *Terra iſta, ad quam tu jam profi-*
ſceris ut occupes eam, non eſt ſicut terra Ægy-
i, de qua egreſſi eſtis, ubi ſeminabas ſemen tuum,
& rigabas pedibus tuis quemadmodum hortum ole-
ım. Terra autem iſta, ad quam tu tranſis, ut
ım poſſideas, montes habet, & valles, & ex
quis cœleſtibus irrigatur. Hanc terram DO-
IINUS DEUS tuus inuiſit, ſuntque oculi DO-
IINI DEI tui jugiter ſuper eam, ab initio an-
i ad finem usque. (Terra enim, ad quam ingre-
eris poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de
ıa exiſti, ubi jacto ſemine in hortorum morem
quæ ducuntur irriguæ: Sed montuoſa eſt & cam-
eſtris, de cœlo expectans pluuias. Quam DO-
IINUS DEUS tuus ſemper inuiſit, & oculi il-
us in ea ſunt à principio anni usque ad finem ejus.)
ſt דָּגָן *dagan* (affine Turcarum *boghdai. Me-*
inzk. Lex. 851. 4699.) Frumentum opus non
gricolæ, ſed DEI. Et qualianam, obſecro,
nanerent illud ſata, ſi careret humectatione,
rigatione, nutrimento? Lauaret laterem co-
onus. Non tendit omnis ejus labor ultra di-
iſionem glebarum, qua viam aperit cœli do-
ariis. *Irrigas liras ejus, & quieſcere facis ſul-*
os ejus: facis eam guttis colliqueſcere, & ger-
nen ejus feliciter prouenire facis. τοὺς αὔλακας αὐ-
ῆς μέθυσον, πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς, ἐν ταῖς σταγόσιν αὐτῆς εὐφρανθήσεται ἀνατέλλουσα. Veritatem hanc comprobant S. Scriptura, experientia, ratio, Phyſica. *Coronas annum tuis bonis, & vehicula tua ſtillant pinguedinem.* εὐλογήσεις τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ τὰ πεδία σου πλησθήσονται πιότητος. Cingit terræ orbem annus veluti corona auro radiante & gemmis fulgens. Non duntaxat coronat DEUS annum, quum cernitur æſtiuis campus plenus ariſtis, & pomifer autumnus tenero dat palmite fructum; Largitur ver quoque & autumnus ſuos fructus. Quinimo non eſt per totius anni decurſum dies, non hora, non minutum, quod non det ſtillantes bonitatis diuinæ guttas, imo imbres. A DEO pendet quouis momento vita noſtra, halitus, quem trahimus, conſeruatio noſtra; & media hujus conſeruationis abundantiſſimè ſubminiſtrat optimus omnis boni Largitor. *Vehicula ſtillant pinguedinem.* Senſu nempe generali id verum de omnibus conſeruationis mediis, ſpeciali de nubibus, vehiculis illis DEI, & ſtillantibus inde pluuiis, ſpecialiſſimo de pretioſo illo terræ muco ſeu ſucco plantarum nutritio, obuio non ſolùm in hortis, agris, pratis, vineis, cultis, ſed & deſertis remotiſſimis, Alpibus editiſſimis, rupibus inacceſſis, non minus atque vallibus profundis. *Stillant pinguedine ſpecioſa paſcua deſerti, collesque exultatione accinguntur.* Πιανθήσεται τὰ ὄρη τῆς ἐρήμου καὶ ἀγαλλίασιν οἱ βουνοὶ περιζώσονται. Pretioſus ille humor nubibus datus, & quo prægnans eſt, mucus nutritius non rigant duntaxat prata, aluntque vegetabilia, ſed alimento hæc ſunt animantibus, animalia hominibus. Hinc Pſaltes porrò, in hoc bonitatis diuinæ campo circulans, *veſtiuntur*, inquit, *campi gregibus, & valles amiciuntur frumento, jubilant atque canunt.* ἐνεδύσαντο οἱ κριοὶ τῶν προβάτων, καὶ αἱ κοιλάδες πληθυνοῦσι σῖτον, κεκράξονται, καὶ γὰρ ὑμνήσουσιν. Qua eleganti Metaphora tota terræ, ſpeciatim Judaicæ, ſuperficies repræſentatur tanquam lana albiſſima tecta, vel veſtitu laneo amicta. Et memorantur *oues*, animalium fœcundiſſima, alibi quoque celebratæ in Sacris. Ante calamitoſum ſuum ſtatum poſſedit Jobus 7000. poſt 14000. oues. Job. I. 3. XLII. 12. *Pendebat Rex Moabitarum Meſa vectigal Regi Iſraelitico, nempe centum millia agnorum, & centum millia arietum cum lana. (Meſa, rex Moab, nutriebat pecora multa, & ſoluebat regi Iſrael centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus ſuis.)* 2. Reg. III. 4. Abducebant Hagaritis Rubenitæ 250000. oues. 1. Paralip. V. 21. Sacriſi-

Zzz zzz zzzz

crificauit Solomo Templum inaugurans DOMINO 120000. oues. 2. Paralip. VII. 5. Joſias duarum duntaxat Tribuum Rex ex proprio obtulit 30000. agnos pro celebratione unici Paſchatis. Pauca hæc ſunt, ſi conferas cu 250600. agnis mactatis Hieroſolymæ intra horium in Feſto Paſchatis ſub Ceſtio, teſte *J ſepho Bell. Jud.* L. VII. c. 17.

Pſal. LXVI. verſ. 6.

Mutat mare in aridam, facit ut pedibus flumen tranſeant, ibi in eo lætabamur.

Qui conuertit mare in aridam, in flu mine pertranſibunt pede: ibi læ tabimur in ipſo.

DAuid ut per varios proſperæ & aduerſæ fortunæ caſus, per valles miſeriarum & bonitatis diuinæ, tranſiit, atque de DEO cognitionem non theoreticam ſolùm, ſed & Practicam ſibi acquiſiuit, *Theologiam* hanc *experimentalem* docet ubique, occaſione quauis. *Huc agite, contemplamini opera DEI, quam ſtupenda ſint ejus conſilia ſuper filios hominum. (Venite, & videte opera DEI: terribilis in conſiliis ſuper filios hominum.)* v. 5. Pro demonſtratione autem ſuæ Theſeos bina allegat in fluidis elementis bis facta miracula, in tranſitu nempe Iſraelitarum per Mare Rubrum & Jordanem. Exod. XIV. Joſ. III. Simus & nos qualescunque Philoſophi no theoretici, ſed & Practici. Non ſufficit capta re ingenioſorum cerebri figmentorum muſca ſunt veritates eruendæ per experimenta; & h ipſæ veritates applicandæ ad praxin pietati Mathematicus ipſe manum admoueat calculo menſurationi, ponderationi. Tractet Medicu ſanetue ægros. Haud ſubſiſtat Politicus in ſu ſyſtemate, agat negotia, dijudicet caſus, diſca Reipublicæ ſuæ Leges, aliorum Statuum Principum intereſſe, viuendi mores, & qua cunque in itineribus, militia, aulis, applice ad patriæ commodum, cumprimis verò ad DE ſummi Rectoris gloriam.

TAB. DLVI.

Pſal. LXVIII. verſ. 3.

Quemadmodum diſpellitur fumus, tu diſpelles (eos): & ſicut Cera colliqueſcit ab igne, ſic diſpereunt impii à conſpectu DEI.

Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI.

MAnu veluti nos ducit Diuus Pſaltes ad Hiſtoriam *fluiditatis* & *firmitatis*, quæ adeò altè euehitur hodie per innumera experimenta, ut omnem fere Philoſophiæ Naturalis partem abſoluat. *Fluidum* corpus eſt, cujus partes inter ſeſe in perenni ſunt motu, & minimæ etiam vi cedunt: *Solidum* è contra, cujus partes inter ſe quieſcunt, & adeò arctè cohærent, ut majori minoriue vi opus ſit ad eas diuellendas ab inuicem. Sed variant ipſa, quibuscum Pſaltes impios confert, fluida corpora. Bina nominat, *fumum* & *ceram ab igne colliquefactam*, quæ diſtinguuntur ab inuicem ut exercitus fugâ diſperſus ab ordinato, in ſua acie ſtante. Inuictæ duritiei ſunt, & ahenei pectoris, qui colunt haud ficta pietate DEUM, firmi ad inſtar Sionis montis, qui haud dimouetur loco ſuo: calamitatibus, tentationibus quibusuis inuicti: quum contra parci Deorum cultores, homines nefandi, ſcelerati diſſipantur à quouis vento, à quouis tentationum igne colliqueſcunt: & quid nî, irruentibus Judiciis Diuinis? *Colliqueſcentibus tanquam cera ipſis montibus à conſpectu DEI, à facie dominatoris uniuerſæ terræ.* Pſal. XCVII. 5. *Sub illo montes colliqueſcent, & valles ſeſe diſcident, perinde ac cera à conſpectu ignis, & ſicut aquæ, quæ impetu quodam in præceps labuntur. (Et conſumentur montes ſubtus eum: & valles ſcindentur ſicut cæra à facie ignis, ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.)* Mich. I. 4. Cum cera liquefacta comparant profani Scriptores paſſim eos, qui alterius amore capti ardent. *Theocritus* in *Pharmaceutria*.

Ως

TAB. DLVI.

Psal. LXVIII. v. 3.
Impiorum interitus.

Pſal. LXVIII. v. 3.
Der Gottloſen Untergang.

G. D. Heümañ sculps.

RPJCB

῾Ως τοῦτον τὸν καρὸν ἐγὼ, σὺν Δαίμονι, τάκω,
῾Ως τάκοιτ᾽ ὑπ᾽ ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφος.

Ut hanc ceram ego, DEO juuante, liquefacio,
Ita ſtatim liqueſcat præ amore Myndius Delphis.

inc *Virgilius*:

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore.

Jungit ceræ, ut Dauid fumum, ita *Lucretius* nubes. L. VI. v. 512.

Præterea cum rareſcunt quoque nubila ventis,
Aut diſſoluuntur Solis ſuper icta calore,
Mittunt humorem pluuium ſtillantia, ut igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.

Pſal. LXVIII. verſ. 14.

tiamſi hactenus habitaſtis inter ollas (a), (eritis poſthac ut) pennæ columbæ argento obductæ, cujus alæ fuluæ ſunt auro puriſſimo.

(a) Al. inter ripas, vel limites. Verſus hic obſcurus eſt, coactus ergo ſum addere quædam verba, ut ſenſum aliquem redderem, & ſimilitudinis vim exprimerem, ex ſumma miſeria in ſummam felicitatem venientis.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.

IN plumis pennisque auium legibili charactere ſcripta dixeris argumenta Sapientiæ Diuinæ quàm euidentiſſima, adeò miranda eſt illarum ſtructura, ſpecioſa adeò olorum pulcherrimorum varietas, ut ſtupor tius occupet mentem, quàm ſatientur oculi. exemplum ſiſtit heic Pſaltes *pennas columbæ rgento obductas, cujus alæ fuluæ ſunt auro puriſno*, πτέρυγας περιςερᾶς περιηργυρωμένας, καὶ τὰ μετάφρενα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίου. Sumuntur heic *ennæ* & *alæ* per ſynecdochen pro tota externi orporis ſpecie: dixerit, qui ex columbarum rogenie quæſtum facit, argentei coloris columbam alis aureis, *eine Silber-farbe Daube it Gold-Farben oder gelben Flüglen.* Eſt, quod otum, *argentum* album, adeò album, ut ipſum ργύριον deriuent Etymologi ab ἀργὸν, album, & atinis *argenteæ* dicuntur variæ res albæ. Apud oëtas legitur ἀργυρόπεζα Θέτις, i. e. λευκόπους, albies. Apud *Virgilium Æneid.* VIII. *argenteus nſer.* Apud *Ouidium Met.* L. II. c. 7. *coruus lbus argenteis pennis.*

Nam fuit hæc quondam niueis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas ſine labe columbas.

n Græciam introductæ dicuntur argenticoloes columbæ eo tempore, quo Xerxis exercius ad Athos montem fuit deletus. Teſtimoium *Charonis* Lampſaceni, Scriptoris Herodoo antiquioris, Xerxi coæui, legas apud *Atheæum* L. IX. *Ælianum Var.* L. I. c. 15. Memoandæ & *pennæ in pallore auri.* Metallum hoc omnium præſtantiſſimum vocatur heic, ut & Zach. IX. 3. & in Prouerbiis paſſim חָרוּץ *charuts*, quod & notat *exciſum*, ſcil. è terra effoſſum: forſan & ab Hebræo deſcendit Græcorum χρυσὸς, ut ab Hebræo יְרַקְרַק *pallore auri* Æthiopum *Wark*, aurum. Pallor ſiue color auri Græcis quoque audit χλωροτης χρυσίου. Ad quæſtionem *Diogeni* factam, διὰ τὸ χρυσίον χλωρόν ἐςιν; reſponſum en! lepidum Philoſophi ex dolio: ὅτι πολλοὺς ἔχει τοὺς ἐπιβουλεύοντας. Apud *Laërtium* legas in *Nuptiis Pelei & Thetidos.*

O quam ſæpe magis lurore expalluit auri!

Apud *Statium* ad Maximum Junium L. IV. *Sylvar.*

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes, ubi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutoque
Concolor auro.

Abs Rabbinis ſi quæras, cur Dauid mentionem heic faciat pennarum auricolorium, reſpondebunt illi cum R. *Kimchio*, intellexiſſe Pſalten pullos ſacrificio deſtinatos, & eo tempore aptos, quo plumæ fulueſcunt. Forſan & heic in Eccleſiam DEI quadrat elegantia potius & ſpecioſitas colorum, quibus colla & alæ plumarum fulgent. Illucebant & *Ariſtoteli Lib. de Colorib.* Columbarum colla, Sole inprimis colluſtrata, auricolora, οἱ τῶν περιςερῶν τράχηλοι --- φαίνονται χρυσοειδεῖς, τοῦ φωτὸς ἀνακλωμένου. *Lucretio* omne colorum genus L. II. v. 800.

Pluma columbarum quo pacto in Sole videtur,
Quæ ſita ceruices circùm collumque coronat.
Nam aliàs fit, uti claro ſit rubra pyropo,
Interdum quodam ſenſu fit, ut videatur
Inter cœruleum virides miſcere Smaragdos.

Pſal. LXVIII. verſ. 24.

Propterea pes tuus, & lingua canum tuorum ſanguine rubet ab inimicis, *(a)* ab ipſo.

(a) Ab ipſo, ſcil. DEO, trucidatur, vel ab hoſtibus, & ipſo duce effluxo, effuſo.

Ut intingatur pes tuus in ſanguine lingua canum tuorum ex inimi cis, ab ipſo.

PRomiſſum en ſolenne ſolatii & gratiæ plenum pro Eccleſia DEI, ſed quoque terrifica hoſtibus rigida minantia verba! Phraſin carniuoræ canum naturæ adæquatam! Ubi notandum, in Sacris carnem immundam canibus inprimis fuiſſe dicatam. Exod. XXII. 31. *Non comedetis carnem lacerati in campo, ſed cani projicietis ipſam. (Carnem, quæ à beſtiis fuerit prægustata, non comedetis, ſed projicietis canibus.)* Ita debebant juſto DEI judicio canes deuorare impiorum, immundorum hominum carnes. Ex quatuor diris pœnis, quas DEUS interminatur impœnitentibus Jer. XV. 3. una ſunt *canes ad dilacerandum illos.* 1. Reg. XIV. 11. *Qui mortuus fuerit ipſi Jeroboam in ciuitate, hunc comedent canes: & qui mortuus fuerit in agro, hunc comedent aues cœli.* Quas eaſdem minas legimus Baeſæ intentatas 1. Reg. XVI. 4. & Achabo 1. Reg. XXI. 24. ubi v. 19. *Eodem loci, quo linxerunt canes ſangui nem Naboth, lingent quoque canes ſanguinem tuum, tuum inquam.* Verſ. 23. Iſabeli: *Cane comedent Iſabelem in propugnaculo (agro) Jeſreel.* Triſtem lege ſententiæ executionem Reg. XXII. 38. ubi loto Ahabi ſanguine fœda to curru *linxerunt canes ſanguinem ejus.* Iſa belem feneſtratam legimus 2. Reg. IX. 35. dila ceratam adeò miſerè à canibus, ut eam ſepeli re juſſi *nîl inuenerint de ea niſi caluariam, & pedes, atque volas ambarum manuum. (& ſum mas manus.)* De *Aſcletarione*, Aſtrologo, re fert *Suetonius*, juſſu Domitiani interfectum fuiſſe, mox ac ſibi ipſi prædixerat dilaceratio nem à canibus, comburendum, ut coarguere tur artis temeritas. Sed repentina tempeſtate dejecto funere ſemiuſtum cadauer diſcerpſiſſe canes. Quam hiſtoriam legas quoque apud *Dionem.* Sed fides ſit penes Authores.

Pſal. LXVIII. verſ. 31.

Increpa cœtum haſtatorum, cœtum validorum, cum vitulis populorum, qui ſeſe *(a)* contumaces præbent, ut cum fragmentis argenti (veniant), diſſipa gentes, quibus bella cordi ſunt.

(a) Vel, qui auidè currunt.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento. Diſſipa gentes, quæ bella volunt.

SUnt nonnulla heic obſeruanda, quæ Dauidis conceptum de Eccleſiæ hoſtibus reddunt faciliorem, & magis diſtinctum.

Increpa cœtum haſtatorum, ita & Vernacula noſtra, *beſchilte den Hauffen deren, die Spieſſe tragen.* In Textu originali cœtus hic vel exercitus antichriſtianus cluet חַיַּת קָנֶה *chajath kaneh, fera cannæ.* Hinc Lutherus, *beſchilt das Thier im Rohr.* Eſt hæc fera, ſi ſenſui huic literali inhærere lubet, *aper*, in arundinetis degens. *Apollonius* L. II. v. 820.

Κεῖτο γὰρ εἰαμενῆ δονακώδεως ἐν ποταμοῖο,
Ψυψόμενος λαγόνας τε καὶ ἄσπετον ἰλυῒ νηδὺν,
Κάπριος ἀγριόδων, ὀλοὸν τέρας, ὅν ῥα καὶ αὐταὶ
Νύμφαι ἐλειονόμοι ὑπεδείδισαν —

Jacebat in uliginoſo loco uliginoſi fluuii,
Ilia & vaſtum ventrem luto refrigerans,
Aper albis dentibus, dirum monſtrum, quem & ipſæ
Nymphæ paluſtres extimeſcebant. —

Apud eundem Scriptorem aper ex arundineto, ἐκ δονάκων ἀνεπαλμένος, *ex calamis inſiliens*, Idmonem aggreſſus lethali affecit vulnere. *Virgil. Æneid.* L. X.

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos veſulus quem pinifer annos
Defendit, multoſque palus Laurentia ſyluâ
Paſtus arundineâ.

Oui-

uidius Metam. L. VIII. de *Apro Calydonio.*

Concaua vallis erat, quo ſe dimittere riui
Aſſuerant pluuialis aquæ: tenet ima lacunæ
Lenta ſalix, uluæque leues, juncique paluſtres,
Viminaque, & longæ parua ſub arundine cannæ:
Hinc aper excitus, medios violentus in hoſtes
Fertur, ut excuſſis eliſus nubibus ignis.

›ſſet & per feram arundinis, θηρίον τȣ̃ καλάμȣ, :elligi *Behemoth, Hippopotamus,* utpote *jacens) arbuſtis, in latibulo arundinum & paludis. ˆub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis mentibus.)* Job. XL. 16. Feram hanc Tigu- ıi in ſenſu figurato accipimus pro caterua vel ɜtu haſtatorum.* Notandum autem, vel pro ɜrſionum noſtrarum defenſione, altè ſurgere undines in Orientalibus Regionibus, & adeò ſe validas, ut haſtis & lanceis ex arundine ›nfectis bella olim geſſerint. *Plinius* L. XVI. 36. *Calamis Orientis populi bella conficiunt, lamis ſpicula addunt, irreuocabili hamo no- a — Ac ſi quis Æthiopas, Ægyptum, Ara- 's, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot entes, & Orientis, omniaque Parthorum Re- a diligentius computet, æqua fere pars homi- ım in toto mundo calamis ſuperata degit. Præ- ›uus hic uſus in Creta bellatores ſuos præcipita- t. Sed in hoc quoque, ut cæteris in rebus, vi- : Italia, quando nullus ſagittis aptior calamus, am in Rheno, Bononienſi amne.* In noſtris Re- onibus hujusmodi bella forent incruenta, ubi undines textoribus potius ſeruiunt, quàm ilitibus. Apud *Virgilium Æn.* IV. ſumitur *undo* pro ſagitta:

—— Hæret lateri lethalis arundo.

›oterit igitur commodè ſatis per feram arun- nis intelligi exercitus lanceis & ſagittis ex arun- ne armatus, ſpeciatim Ægyptius, nam in ſe- ıenti proximè verſiculo 32. legitur: *Venient ›timates (legati) ex Ægypto.* De qua Regio- : nemo non nouit, eſſe arundinum feracem, arundinem ipſam Ægypti ſymbolum: unde uguſtus, Antonio & Cleopatra deuictis, Cro- ›dilum in arundineto ſtantem in Numis cudi ſſit. Tantò majori autem jure poterat Ægy- i Rex fera calami nuncupari, quod ſedes ejus mediis ſteterit arundinibus. Vid. *Abrah. Scul- tus Orat. de Philoſ. cum Theologia conferenda.* e voce ipſa קָנֶה, quæ dici poſſent, vide ad ›b. XL. 16.

Clarum ex dictis, quid intelligi poſſit per *etum validorum & vitulos populorum, die Rott :r Ochſen und Kälber der Völckeren,* συναγωγὴν ν τάυρων ἐν (vel σὺν) ταῖς δαμάλεσι τῶν λαῶν, *tauro- ım* nempe nomine Principes & Imperatores Ēgypti, ut *vitulorum* titulo venire poſſunt mi- lites gregarii, qui Duces ſuos ſequuntur. *Virgil. Æneid.* L. XII.

Cum duo conuerſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi ceſſere magiſtri,
Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juuencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.

Statius Thebaid. L. XII. de tauro feroce:

- - - - - - magna ſtat feruidus irâ
Ante gregem, ſpumisque animos ingentibus effert,
Nunc pede toruus humum, nunc cornibus aëra findens.
Horret ager, trepidæque expectant prælia vaccæ.

Myſticos hosce tauros non increpat duntaxat DEUS, ſed tandem delet prorſus. Jeſ. XXXIV. 6. 7. *Gladius DOMINI impletus eſt ſanguine, & pinguis eſt adipe & ſanguine agnorum & hircorum, adipe renum arietum, quia victima DOMINO eſt in Bozra, & mactatio magna in terra Edom. Et deſcendent unicornes cum eis, & tauri cum magnificis, & rigabitur terra eorum ſanguine, & puluis eorum adipe impinguabitur. (Gladius DOMINI repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe, de ſanguine agnorum & hircorum, & de ſanguine medullatorum arietum: Victima enim DOMINI in Boſra, & interfectio magna in terra Edom: Et deſcendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum ſanguine, & humus eorum adipe pinguium.)* Jer. L. 27. de Babyloniis: *Vaſtate omnes juuencos, deſcendant ad mactationem. (Diſſipate uniuerſos fortes ejus, deſcendant in occiſionem.)* Ezech. XXXIX. 18. 19. de Gogi & Magogi cæde: *Carnem Heroum comedetis, & ſanguinem Principum terræ bibetis, arietum, agnorum & hircorum, & boum, qui in Baſan omnes ſaginati ſunt. Et comedetis adipem ad ſatietatem, & bibetis ſanguinem ad ebrietatem usque de victima mea, quam mactaui vobis. (Carnes fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis: arietum, & agnorum, & hircorum, taurorumque & altilium, & pinguium omnium. Et comedetis adipem in ſaturitatem, & bibetis ſanguinem in ebrietatem de victima, quam ego immolaui vobis.)* Haud diſplicuiſſe videtur ipſis Romanorum Imperatoribus comparatio Taurorum & Principum, quum Titus neque reprehenſione dignam judicauerit, neque pœnâ, *Apollonii* illius alloquium apud *Philoſtratum* L. VI. c. 14. τίς βιάσεται ταῦρον, αὐχένα ἔτω καρτερὸν, ὑποχεῖν ζύγῳ; *quis taurum adeò validum ſubmittet jugo?* quod certè hodie relegaretur ad Grobianiſmos, carcere, exilio dignos.

Pſal. LXIX. verſ. 4.

(a) Delaſſatus ſum vociferando, aridum factum eſt guttur meum, defecerunt oculi mei, (b) ſuſpiciendo ad DEUM meum.

(a) Vel, laboraui.
(b) Qui expectant auxilium, ſuſpiciunt ſæpe ad eum, in quem ſperant, aut quem expectant.

Laboraui clamans: raucæ factæ ſu[n]t fauces meæ: defecerunt ocu[li] mei, dum ſpero in DEUM m[e]um.

ORganum vocis, propriè loquendo, non eſt צואר *tſauar, collum, der Hals,* ſed גרון *garon, guttur*, qua voce & Dauid utitur in hac, quam effundit, querela, ut proin Vernacula noſtra ad imitationem Latinæ, quæ *guttur* habet, adhibere potuerit vocem *Rachen*, potius quàm *Hals.* Ita legimus Pſ. V. 10. *Guttur eorum* גרונם *eſt ſepulchrum apertum.* Pſ. CXLIX. 6. *Voces DEUM extollentes ſint in gutture ipſorum* בגרונם. Jeſ. LVIII. 1. *Clama ex gutture* בְגָרוֹן. *(Clama, ne ceſſes.)* Et nullibi in Sacris loqui dicitur quiſpiam ex collo, niſi Pſ. LXXV. 6. *Nolite collo præfracto loqui* בְצַוָּאר עָתָק. *(Nolite loqui aduerſus DEUM iniquitatem.)* Sed præfractum collum heic non ſiſtitur tanquam organum vocis, ſed ſuperbiæ ſignum. In gratiam tamen Verſionis noſtræ Vernaculæ notari meretur, Scriptores non ſemper ſtylo uti vel philoſophico vel anatomico. Idioma Germanicum collum frequentiſſimè adhibet pro faucibus, vel gutture, *aus dem Hals reden, es iſt ein Fluſs in Hals gefallen, der Hals iſt verſchwullen.* Et apud Poëtas paſſim loquuntur homines ex collo; *Æſchylum* in *Agamemnone* v. 321.

\- - - ὐκέτ᾽ ἐξ ἐλευθέρης
Δέρης ἀποιμώζουσι φίλτατον μόρον.

\- - - *libero non amplius*
Collo ſuorum fata deflere his datur.

Virgil. Æneid. L. VII. v. 700. de Cygnis:

Cum ſeſe è paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos.

Anatomicè ſi loqui malumus, memorandi vo[cantur] niunt ipſi pulmones, aſpera arteria, lingua, fau[-] ces, complexus omnis organorum vocis, mu[-] ſculorum & glandularum, quæ omnia poſt lon[-] gos clamores querulos, ut heic Dauidis, Me[ſ-] ſiæ Typi, laſſantur tandem, & ſiccantur, lym[-] phâ ad motum ſummè neceſſariâ, utpote deli[-] niente, irrigante, orbata, glandulis ſimul in[-] farctis, unde raucedo, raucíſona vox. Idem accidit oculis ex fletu continuo; orbantur nem[-] pe hi poſt effluxum lacrymarum copioſum lym[-] phâ, non humectati intus, nec irrigati extus hinc deficit viſus, tantò quidem magis, ſi omn[e] reliquum corpus, quale Meſſiæ fuit, interni[s] angoribus cruciatum, & externis inſultibus ictibus, plagis, malè tractatum optimo priua[-] tur humore.

Pſal. LXXII. verſ. 16.

Et erit pugillus frumenti in terram in verticibus montium projectus, ut fructus ex eo prognatus agitetur ut Libanus, progerminabuntque è ciuitate inſtar herbæ terræ.

Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus ejus: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.

VAriam admittit interpretationem hic locus, quia diuerſæ extant ejusdem vocis explicationes: exponit eas *Pellicanus.* Nos reddimus פִּסַּת־בַּר *piſſath bar, pugillum frumenti, eine Hand voll Korn,* LXX. ϛήριγμα, *firmamentum.* Litem ipſam Philologis dijudicandam linquo, id duntaxat in gratiam Verſionis noſtræ monens, extare adhuc apud Orientales populos tritici nomina בָּר noſtro affinia. Perſis hoc frumenti genus vocatur *berna*, & *werna. Meninzk. Lex.* 5362. *bürr* Turcis. Id. 5928. *gew birehne*, & *gewi bürehne* iisdem tritici ſpecies hordeo ſimilis. Id. 6030. Affinia quoque ſunt Græcorum πυρὸς, & Latinorum *far*, cujus quidem vocis ſenſus eſt æquiuocus. Antiquiſſimis Scriptoribus *Zeæ*, quæ etiam eſt frumenti ſpecies, ſynonymum eſt. *Aſclepiades* apud *Galenum* 9. *ſecund. loca* 3. φάῤῥους, ὃ καλοῦσι ζέαν. Aliàs *far* vocant quodcunque ſemen, quod à cortice mundatum & con-

fractum

RPJCB



Psal. LXXIV. v. 14-18.
Thannin, Thunnus.

Pſal. LXXIV. v. 14-18.
Thunnfiſche.

I. A. Fridrich sculps.

ıctum in cibum elixatur. *Caſp. Bauhin. Theatr. otan.* L. I. p. 414. Variat multùm frumen- m ratione ſoli. Seligunt, qui frumenta tra- ınt, grana flaua, denſa, ponderoſa, & quod montoſis creſcit agris præ aliis. Siccior ibi terra, frigidior aër, qui fibras plantarum nſtringit, unde & omnia montana ligna aliis nt compactiora, Inſtrumentis quoque Muſi- ; aptiora. Hæc obſeruatio lucem, ni fallor, fœneratur Textui noſtro, qui *pugillum frumenti in terram in verticibus montium projectum* adeò lætè creſcere dicit, *ut fructus in eo prognatus agitetur ut Libanus*, culmi feliciter ſurgentes, ſpicis pleni, ventis agitati, & ad inuicem alliſi, veluti ſonitum quendam aut ſuſurrum excitent. Tale frumentum eſt verbum DEI, ſunt vera Eccleſiæ DEI membra.

TAB. DLVII.

Pſal. LXXIV. verſ. 14 - 18. (13 - 17.)

.. Tu virtute tua diſſipas mare, capita *(a)* Draconum in aquis confringis.

(a) Al. legunt tynnorum.

. Tu confringis capita ceti grandis, & in cibum tribuis eum populo deſertum incolenti.

. Tu excindis fontem & fluuium, tu *(b)* fluuios præualidos exiccas.

(b) Al. Ethan proprium faciunt.

7. Tuus eſt dies, tua etiam nox, tu lucem & ſolem præparaſti.

8. Tu cunctos fines orbis conſtituiſti, æſtatem & hyemem tu finxiſti.

13. Tu confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita Draconum in aquis.

14. Tu confregiſti capita draconis: dediſti eum eſcam populis Æthiopum.

15. Tu dirupiſti fontes & torrentes: tu ſiccaſti fluuios Ethan.

16. Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram & ſolem.

17. Tu feciſti omnes terminos terræ: æſtatem & ver: tu plaſmaſti ea.

DEprædicat Pſaltes, ut paſſim, ita heic potentiam DEI, qualis ſeſe manifeſtat in regno naturæ & gratiæ, enumerans cumprimis beneficia, Iſraeliticæ Eccleſiæ collata, per liberaonem ex Ægypto, & conſeruationem in de- rto, tanquam typum prouidentiæ & curæ EI ſingularis pro omnis æui Eccleſia ſua. quidem *DEUS Rex meus ab initio, qui ſalu- s in medio terræ operatur. (DEUS autem Rex oſter ante ſecula: operatus eſt ſalutem in medio rræ.)* v. 13. Senſum hunc myſticum enu- leandum linquo aliis, properans ad literalem.

Verſ. 14. *Tu virtute tua diſſipas mare.* Σὺ κραταίωσας ἐν τῇ δυνάμει σου τὴν θάλασσαν. *Tu confir- naſti in virtute tua mare.* Contigit utrumque, diffiſſio, diſſipatio, & κραταίωσις, firmatio, ſo- datio maris in tranſitu illo miraculoſo per Ma- e Rubrum, de quo ſuo loco plura. *Capita Draconum in aquis confringis*, Σὺ συνέτριψας τὰς εφαλὰς τῶν Δρακόντων ἐπὶ τοῦ ὕδατος, ubi Symma- hus habet κητῶν, cetorum. Occurrit in Tex- u originali vox תַנִּינִים *thanninim*, quæ paſſim n Sacris pro Leuiathane, ut hic pro תַּנִּין *thannin* ponitur. Unde nonnulli Leuiathanem compoſitum volunt ex לִוְיַת תַּנִּים *leuiath thannim.* Quam originationem non plus valere vult *Bochartus* illâ Etymologi apud *Gellium*, qui *teſtamentum* idem vult cum *conteſtatione mentis*, deducens vocem Leuiathan ex Arabia, ubi ſignificet ſerpentem flexuoſum. Plura videantur ad Job. XL. 20. &c.

Verſ. 15. *Tu confringis capita ceti grandis, & in cibum tribuis eum populo deſertum incolenti.* Σὺ συνέτριψας τὰς κεφαλὰς τοῦ Δράκοντος, ἔδωκας αὐτὸν βρῶμα λαοῖς τοῖς Αἰθίοψι. *Tu contriuiſti capita Draconis: dediſti eum eſcam populis Æthiopibus.* Eſt dubio procul heic & alibi Leuiathan, & Thannin, Cetus. Sic Pſ. CIV. 26. *Illac eunt naues, & iſta balæna, quam formaſti, ut in eo ludat. (Illic naues pertranſibunt: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.)* Sed à balæna communi abſtrahere nos jubent verba Textus, *in cibum tribuis eum populo deſertum incolenti*, & ex cetaceis piſcibus quærere, qui in cibum veniat. Occurrit autem *Thynnus*, quem & Latina noſtra habet in Gloſſis. Hic quippe *Oppiano Halieut.* L. I. *Galeno de Alim. Facult.* L. I. *Ægineta*

ta L. I. c. 94. *Æliano Hiſt. Anim.* L. I. c. 49. teſtibus Cetis accenſetur juxta cum Lamia, Maltha, Zygæna. Et ex *Æliano* habet *Suidas*, quæ ſequuntur. Κῆτος θαλάσσιον θηρίον πολυειδὲς. ἔςι γὰρ λέων, ζύγαινα, πάρδαλις, φύσαλος, πρῆςις ἡ λεγομένη Μάλθη. De Thynno *Archeſtratus* apud *Athenæum* L. VII.

Θύννον ἁλισκόμενον σπȣδῇ μέγαν, ὅν καλέȣσιν
Ὄρκυνον, ἄλλοι δ' αὖ Κῆτον.

Ingentem captum Thynnum, quem nomine dicunt
Orcynum, aſt alii Cetum.

Κῆτος nempe tunc dicitur Thynnus, ſi adultus, quod conſtat ex *Soſtrato* περὶ ζώων. Apud *Varronem Cetarii* audiunt *Thynnorum piſcatores.* Κητία apud Siculos piſcatura Thynnorum. *Ælian. Hiſt. Anim.* L. XIII. c. 16. Apud *Horatium Serm.* L. II. *ſat.* 5. *Cetaria* ſunt loca Thynnis conferta. Κητοθηρία apud *Ælianum* l. c. caſulæ, in quibus piſcatores retia aliaque pro Thynnorum piſcatura adſeruant. Quinimo videtur *Thynni* nomen deſcendere à *thannin*, quæ vox fortè originaria fuit Phœniciis, quibus Thynnorum piſcatura erat frequens, teſte *Ariſtotele de Mirab.* Idem nomen adhuc ſeruant Turcæ, *Tunn, Tunne*, *Meninzk. Lex.* 1406. Itali, *Thunno*, *Tonno*, *Tonnina.* Angli *Tunnyfiſch*, *Thunnie.* Germani *Thunn-Fiſch.* Perſæ *Ton.* Arabes *Thonon*, *Thonaton.* Talmudici Scriptores אטינים *atinim.* Thynnus hic piſcis, quem in præſenti Tabula ſiſtimus, in ingentem quidem & cetaceam magnitudinem excreſcit, ut 100. nonnunquam libras pondere ſuperet, ab Ichthyographis tamen non præciſè ad cetaceos piſces refertur, ſed ad piſces non aculeatos, vel aculeatos inter & non aculeatos medios, quibus duæ in dorſo pinnæ eriguntur, & præterea pinnulæ aliquot exiguæ prope caudam ſummo dorſo & imo corpori innaſcuntur. Suauiſſimis equidem piſcibus non adnumeratur, ſapidus tamen, & Gadibus, Maſſiliæ, aliisque in locis maritimis Italiæ & Siciliæ quotannis magno numero captus, membratim in aſſulas diſſectus, ſale conditur. *Thynnorum*, inquit *Jouius, quos Gaditani capiunt, recentibus pulpis ſaturantur circumfuſæ gentes. Reliqua illorum multitudo cetariis infertur ſaliturque: aſſeruati vero membratim cadis celebri mercimonio per omnem fere Europam diffunduntur. Verum ſolo abdomine valent: quæ pars à Romanis* Tarantellum *vocatur, quod etiam Tarentino in Sinu, ubi optima piſcium omnium captura eſt, Thynni ſale aſſeruentur. Reliquæ corporis partes, utpote quæ pingui ſucco admodùm careant, in ignobilis populi uſum veniunt, quæ* melandrya *à Plinio nuncupantur.* Deſcriptionem piſcis integram lege in *Willoughby Ichthyol.* p. 176. *Sloane Nat. Hiſt.* of *Jamaica Vol.* I. p. 11. ex quo mutuatus ſum Figuram B. ut eam, quæ litera A. deſignatur, ex *Willoughbyo.*

Verſ. 16. *Tu excindis fontem & fluuium, tu fluuios præualidos exiccas.* Σὺ διέῤῥηξας πηγὰς ϗ χειμάῤῥȣς, σὺ ἐξήρανας ποταμȣ̀ς ἠθὰμ. *Tu dirupiſti fontes & torrentes, tu ſiccaſti fluuios Etham.* Aquila habet pro ἠθὰμ ςεῤῥȣ̀ς, *fortes*, Symmachus ἀρχαίȣς, *antiquos*, unde & noſtræ Verſiones *fluuios præualidos*, *groſſe Flüſſe.* Sunt fontes & riui veluti venæ per omnem terram diſperſæ, ut eſſent ſolatio plantis, animalibus, hominibus, imo neceſſario uſui, juxta ordinatiſſimas leges, quas aliquando interrupere miracula, uti id contigit in profluuio aquarum ex rupe, & Jordanis exiccatione.

Verſ. 17. *Tuus eſt dies, tua etiam nox, Tu Lucem & Solem præparaſti.* Σή ἐςιν ἡ ἡμέρα, καὶ σή ἐςιν ἡ νὺξ, σὺ κατηρτίσω ἥλιον καὶ σελήνην. Non beneficium duntaxat memoratur & laudatur, ſed & medium. Qua de re alibi.

Verſ. 18. *Tu cunctos fines orbis conſtituiſti, æſtatem & hyemem tu finxiſti.* Σὺ ἐποίησας πάντα τὰ ὅρια τῆς γῆς, θέρος καὶ ἔαρ σὺ ἐποίησας. Per *fines orbis* non intelligi debent fines mundi, nobis ignoti, ſed τὰ ὅρια τῆς γῆς, fines terræ, imo Prouinciarum, quibus Nationes diſtinguuntur; limites, unde omnes mortales ſuum alimentum habent, & tranquillè viuunt. Huic beneficio accedit diſpartitio anni in ſuas partes, *æſtatem & hyemem*, vel, *æſtatem & ver*, quatenus ea dependet à motu terræ circa Solem annuo, & eadem ſemper axeos terræ inclinatione.

Pſal. LXXIV. verſ. 20. (19.)

Ne objicias animam turturis tuæ cœtui (hoſtium.) —

Ne tradas beſtiis animas confitentium tibi. —

Adeò probata eſt *turturis* caſtitas, ut mortuo conjuge remaneat vidua, ſi *Ariſtoteli*, *Æliano*, aliis fides. Adoptarunt traditionem hanc Rabbini, utpote genio nationis adæquatam, & caſtam hanc mariti bonæ memoriæ viduam compararunt Iſraelitis, qui DEUM non cum alio DEO commutarint, licet ab iis receſſerit. Ita fabulas ad uſum ſæpe trahunt Theologi myſtici, ſed ἀφιλόσοφοι. Neque id conſtat, quod *Bocharto* placere videtur *Hieroz.* P. II. L. I. c. 9. Turturem viuo conjuge cum altero non commiſceri. Placet magis *Kimchii* conjectura, qui turturem animal ſimplex, infirmum, & ex columbino genere

ːre minimum conferunt cum Iſraelitarum abſto ſtatu. Ethicam hanc Zoologicam euint prorſus, qui ſtant ex partibus τῶν LXX. ui pro *anima turturis tuæ* habent ψυχὴν ἐξομολογεμένην σοι, *animam confitentem tibi.* Quos ſequuntur Syrus, Æthiops, Arabes, Hieronymus ipſe, qui *animam eruditam in lege tua.* Sed turturem admittunt recentiores omnes.

Pſal. LXXVIII. verſ. 13.

ːcuit mare, & traduxit illos, conſiſtere juſſit aquas velut aceruum.

Interrupit mare, & perduxit eos: & ſtatuit aquas quaſi in utre.

Vid. Exod. Cap. XIV. verſ. 21.

Pſal. LXXVIII. verſ. 14.

t deduxit eos interdiu nube, & ſingulis noctibus per lumen ignis.

Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

Vid. Exod. Cap. XIII. verſ. 21.

Pſal. LXXVIII. verſ. 15. 16.

5. Secuit rupes in deſerto, & potum (eis) dedit ut ex magna abyſſo.
6. Et eduxit riuos de petra, & fecit decurrere tanquam flumina aquas.

15. Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos veluti in abyſſo multa.
16. Et eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.

Vid. Exod. XVII.

Pſal. LXXVIII. verſ. 23. 24. 25.

23. Et mandauit nubibus ſupernè, & oſtia cœli aperuit.
24. Et depluit illis Man, ut ederent, & frumentum cœleſte dedit eis.
25. (a) Panem fortium edit homo, demiſit illis commeatum ad ſatietatem usque.

(a) Al. legunt, panem nubium, al. panem angelorum.

23. Et mandauit nubibus deſuper, & januas cœli aperuit.
24. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.
25. Panem angelorum manducauit homo: cibaria miſit eis in abundantia.

Vid. Exod. XVI.

Pſal. LXXVIII. verſ. 26. 27. 28.

26. Cœlo mouebat Eurum, & virtute ſua Africum adduxit.
27. Et depluit ſuper eos carnem tanquam puluerem, & alatas volucres velut arenam maris.

26. Tranſtulit Auſtrum de cœlo: & induxit in virtute ſua Africum.
27. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes: & ſicut arenam maris volatilia pennata.

28. Quas dejecit in medium caſtrorum illorum, & circum tabernacula illorum.

28. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum.

Vid. Exod. XVI. Num. XI.

Pſal. LXXVIII. verſ. 29. 30. 31.

29. Et ederunt, ſaturatique ſunt abundè, & (a) ſatisfecit gulæ eorum.

(a) Adduxit illis deſiderium eorum. Hebr.

30. Non ſunt fraudati deſiderio ſuo, eratque adhuc cibus eorum in ore ipſorum.

31. Quum ira DEI deſæuire in eos inciperet, occideretque pingues eorum, atque ſelectiores in Iſraele dejiceret.

29. Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis.

30. Non ſunt fraudati à deſiderio ſuo: adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum.

31. Et ira DEI aſcendit ſuper eos: Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.

Vid. Num. Cap. XI. verſ. 33.

Pſal. LXXVIII. verſ. 44.

Quum lacus eorum verteret in ſanguinem, & riuos eorum, ne biberent.

Et conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.

Vid. Exod. Cap. VII. verſ. 20.

Pſal. LXXVIII. verſ. 45. 46.

45. Immiſit in eos turbam inſectorum, quæ vorarunt illos, quæ eos perdiderunt.

46. Et dedit brucho prouentum eorum, & labores eorum locuſtis.

45. Miſit in eos cynomyiam, & comedit eos: & ranam, & diſperdidit eos.

46. Et dedit ærugini fructus eorum: & arbores eorum locuſtæ.

Vid. Exod. VIII. X. 4-19.

Pſal. LXXVIII. verſ. 47. 48.

47. Perdidit vineas eorum grandine, & Sycomoros eorum concretis ex nube lapidibus.

48. Tradidit quoque grandini jumenta eorum, & pecora eorum ignitis jaculis.

47. Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.

48. Et tradidit grandini jumenta eorum; & poſſeſſionem eorum igni.

Vid. Exod. Cap. IX. verſ. 18-26. 1. Reg. Cap. X. verſ. 27.

Pſal.

RPJCB

Psal. LXXX. v. 14.
Aper è ſaltu.

Pſal. LXXX. v. 14.
Wilde Schweine aus dem Walde.

G. D. Heüman̄ sculp

Pſal. LXXVIII. verſ. 49. 50.

9. Immiſit in eos æſtum naſi ſui, impetum, indignationem, & anguſtiam, Cacodæmonum incurſiones.

). Librauit ſemitam iræ ſuæ, animæ illorum à morte non pepercit, ſed vitam eorum peſti deuouit.

49. Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immiſſiones per angelos malos.

50. Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, non pepercit à morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte concluſit.

Vid. Exod. Cap. IX. verſ. 3 - 6.

Pſal. LXXVIII. verſ. 51.

ercuſſitque omne primogenitum in Ægypto, (a) primitias dolorum in tentoriis Cham.

(a) Primitiæ dolorum primogenita ſunt; al. legunt, primitias fortitudinum.

Et percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Vid. Exod. Cap. XI. verſ. 1 - 8. Cap. XII. verſ. 29. 30.

TAB. DLVIII.

Pſal. LXXX. verſ. 14.

.per è ſaltu eam vaſtat, & omnis generis feræ, quæ in agris degunt, eam depaſcuntur.

Exterminauit eam aper de ſylua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

ELeganti *vineæ* emblemate ſiſtit Aſſaph proſperum & aduerſum Eccleſiæ Judaicæ ſtatum. Verſ. 9 - 13. *Vitem ex Ægypto traduxiſti, quam ejectis gentibus plantaſti. Repurgaſti diligenter ſuperciem ejus, & quum radices ſuas egiſſet, terram ccupauit. Umbra ejus montes obtexit, rami ius Cedros DEI. Extendebat ad mare palmites ios, & usque ad fluuium pampinos ſuos. Quae rupiſti ſepem ejus, ut ex ea decerpant, quicunue illac tranſeunt? (Vineam de Ægypto tranſuliſti: ejeciſti Gentes, & plantaſti eam. Dux tineris fuiſti in conſpectu ejus: & plantaſti radies ejus, & impleuit terram. Operuit montes mbra ejus: & arbuſta ejus cedros DEI. Exendit palmites ſuos usque ad mare: & usque ad lumen propagines ejus. Ut quid deſtruxiſti maeriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prægrediuntur viam?)* In Textu noſtro quæriur, quid ſit חֲזִיר מִיַּעַר *chazir mijaar.* Noſtræ Verſiones reddunt, *aper è ſaltu*, *das wilde Schwein aus dem Wald.* LXX. σῦς ἐκ δρυμȣ̃, *aper è ſylua*, Symmachus, ζῶα ἐρημίας, *animalia ſolitudinis.* Græcis hæc beſtia vocatur κάπρος, Latinis rejecto k. *aper.* Ad Hebræum accedere videtur Turcarum *chynzyriil ghab*, *Meninzk. Lex.* 1952. *chænazir*, Plurale τȣ̃ *chynzir*, 1947. 3149. Adjectum מִיַּעַר indicat porcum non domeſticum, ſed ſyluaticum. Habet & *Nonnus ſues ſyluaticos*, *Auguſtinus de Mirabilibus Scripturæ porcos ſyluaticos*, quoniam hæc animalia in ſyluis degere amant. Apud *Feſtum luſtra* ſignificant *lamas lutoſas*, *quæ ſunt in ſyluis aprorum cubilia.* Apud *Homerum Iliad.* λ'. veniebat aper

— βαθείης ἐκ ξυλόχοιο

Ex profunda ſylua.

Idem *Odyſſ.* τ'. v. 439.

Ἐνθάδ' ἄρ' ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς.

Ibi autem in ſylua denſa jacebat magnus aper.

 Me-

Memorat *Athenæus* L. IX. δέλφακας ὀρεινόμους, ὑλιβάτας, *porcellos monticolas & ſyluicolas. Catullus* in *Aty aprum nemoriuagum.*

זִיז שָׂדָי *ziz ſadai, fera agri,* ex veterum Græcorum interpretatione etiam eſt aper, ſed monadicus. Ita illi, καὶ μονιὸς ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν, & Vulgata, *& ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Affine Turcarum *don-uz diſiſy. Meninzk. Lex.* 3150. Poloni, ſi tres elidas literas, exhibent ipſum *ziz, zwierz, wieprz dziki.* Id. 1568. Μονιὸς Græcis κατ᾽ ἐξοχὴν audit aper. *Ælian. Hiſt.* L. VII. c. 47. καλοῦνται δὲ καὶ τῶν ὑῶν μονιοί τινες, *ſuum etiam nonnulli ſingulares vocantur.* Heſychius, μονιὸς, ὗς ἄγριος, ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις συναγελαζόμενος, *ſingularis, ſus ferus, qui cum aliis non congregatur.* A Latino *ſingularis* deſcendit Gallorum *ſanglier*, Italorum *cingialo, cingiaro.* In *Cyrilli Comm. in Oſeam* pro μονιὸς ἄγριος legas ὄνος ἄγριος, *onager*, unde ſunt, qui per זִיז *ziz onagrum* intelligunt. Commodiori & generali ſenſu denotare poteſt זִיז *omnis generis feras, quæ in agris degunt.* Quo & ſumimus Tigurini. Ita Aſſaph Pſ. L. 11. *Penes me ſunt animantes agreſtes* זִיז שָׂדָי. *(Pulchritudo agri mecum eſt.)*

De porcis in genere notari meretur, fuiſſe Ægyptiorum agricolas. Semine in terram projecto porcorum greges mittebant in agros, ut horum pedibus proculcarentur grana, ne auibus cederent in prædam. Ita ne aratro quidem habebant opus. Nilo inundante adeò molleſcebant agri humectati, ut non opus fuerit, niſi projectione frumenti, & emiſſione porcorum, qui partim roſtro ſubuertebant terram, partim ſemina calcabant. Audi *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. *Quæſt.* 5. Οὐδὲ ἀρότρου δέονται τὸ παράπαν, ἀλλ᾽ ὅταν ὁ Νεῖλος ἀποῤῥέῃ, καταβρέξας τὰς ἀρούρας, ἐπακολουθοῦντες τὰς ὗς κατέβαλον. αἱ δὲ χρησάμεναι πάτῳ καὶ ὀρυχῇ, ταχὺ τὴν γῆν ἔστρεψαν ἐκ βάθους, καὶ τὸν σπόρον ἀπέκρυψαν. *Neque aratro iis quiddam eſt opus, ſed cùm irrigatis eorum aruis effluxit Nilus, porcos continuò poſt immittunt, qui terram partim pedibus proculcando, partim roſtro ſuffodiendo, ſtatim à fundo inuertunt, atque ita ſemen abſcondunt.* Eadem refert *Eudoxus* apud *Ælianum* L. X. c. 16. Aliis è contra populis odio eſt porcus, utpote agris vineisque infeſtum animal. Irus Ulyſſi minans, ſe ei dentes pugno extruſurum, addit:

— σύος ὡς ληϊβοτείρης,

— *ut ſuis ſegetem depaſcentis.*

Ubi ſciendum, ex Lege veteri porco ſegetes alienas depaſcenti dentes fuiſſe indictâ pœnâ extruſos è maxilla. Obſeruaſſe leguntur legem hanc Salaminii, Cypri populi, apud *Ælianum* L. V. c. 45. Eandem ob cauſam Cereri porcos mactarunt in ſacrificium Athenienſes, λυμαίνονται γὰρ τὰ λήϊα, *depaſcuntur enim ſegetes. Ælian.* L. X. c. 16. Suntque porci, ſi *Ouidio* fides, ſacrificia omnium prima & antiquiſſim *Faſtor.* L. I.

Prima Ceres auidæ gauiſa eſt ſanguine porcæ
Ulta ſuas meritæ cæde nocentis opes.
Nam ſata vere nouo teneris lactentia ſuccis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Hauſit Poëta traditionem hanc ex *Pythagor* quem ita loquentem adducit *Metam.* L. XV

\- - - - - *prima putatur*
Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pand
Eruerit roſtro, ſpemque interceperit anni.

Tranſiit mos hic à Græcis ad Romanos, *præcidaneam porcam* ſacrificabant ante meſſe quod conſtat ex *Feſto* & *Gellio* L. IV. c. 6. Ea dem ob cauſam & Baccho in ſacrificium ob tus porcus. Feſtis, teſte *Scholiaſte Ariſtophanis Ranis Act.* I. *Scen.* 7. Χοῖροι τῇ Δημήτρι καὶ τῷ Διο σῳ ἐθύοντο, ὡς λυμαντικοὶ τῶν θεοῖν δωρημάτων, *ſi Cereri & Baccho immolabantur, ut qui utriſq Deis dona deperdunt.* Domeſtici porci ſi tan intulere damna, quis mirabitur inferri majo ab apris? Triſti experimento id atteſtabunt miſeri illi coloni, quibus ex decreto Princip indictâ capitali pœnâ non licet interime aprum. Deperdebat Oenei vineam Calyd nius ille aper apud *Homerum Iliad.* IX.

Ὃς κακὰ πόλλ᾽ ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν.

Qui mala multa perpetrabat frequentans (pe currens, vel edens) *Oenei vineam.*

Ouid. Metam. L. VIII. Fab. 8.

Is modò creſcentes ſegetes proculcat in herba
Nunc matura metit fleturi vota coloni ---
Sternuntur grauidi longo cum palmite fœtus
Baccaque cum ramis ſemper frondentis oliuæ

Aprum Calydonium ſiſtit cum venabulo Num mus *Arpanorum* Fig. A. ubi Diomedis caput e prona parte, qui nepos fuit Oenei, filius Ty dei, Meleagri fratris, qui Aprum illum interfe cit. Eundem Aprum cum jaculo in Meleag memoriam exhibet Nummus *Ætolorum* Fig. B ubi ex prona Meleager ipſe, vel Apollo, cap te petaſato, quod commune fuit vel venan tium, vel iter facientium geſtamen. Apri ve nationem in Circo juſſu Neronis factam ſiſti Numiſma Neronis Fig. C. Aprum ipſum Caly donium in ære Fig. D. Alia hujus generis mo numenta, quæ adferri poſſent, omitto. Suffi ciunt quippe, quæ attuli, pro Allegoria Prophe tæ ex natura & indole Apri deriuanda.

Sed quis ſit hic pluſquam Calydonius Aper qui vineam DOMINI vaſtauit, controuertitur admodùm. In *Midras*, Talmudico Libro, eſ *Eſauus Aper, fera agri Iſmael.* Intelligunt au tem

...m recutiti Eſaui nomine Romanos & Chri-...ianos, Iſmaelis Turcas. Quod planè eſt ex-...a rhombum. Quærendæ ſunt feræ, quæ ...ineam illius temporis, vel ſecutam mox, de-...aſtarunt. Merentur autem hunc titulum Aſ-...rii, qui 10. Tribus captiuas abduxere ſub Sal-...nanaſſare, & Babylonii, qui binas reliquas ſub ...Jebucadnezare. Sunt & ex Judæis, qui heic ...nui volunt Captiuitatem Babylonicam, nixi ... 6. *Lacrymis velut pane cibaſti eos, & pro po-...i propinaſti eis lacrymas maxima menſura. (Ci-...abis nos pane lachrymarum: & potum dabis no-...is in lachrymis in menſura.)* In Hebræo Textu legas בְּדִמְעוֹת שָׁלִישׁ, *lachrymis in triente*, conferenda cum רְדוּ, *deſcendite*, Gen. XLII. 2. quæ tres literæ numericè ſumtæ annos conficiunt 210. ſeruitutis Ægyptiacæ, & horum ⅓. annos 70. Captiuitatis Babylonicæ. Cui *Kimchii* explicationi obſtat, quod Aſſaphus Pſaltes vixerit temporibus Dauidis, diu proin ante Captiuitatem Babylonicam. Sed potuit hic Pſalmi LXXX. Author alius fuiſſe Aſſaph ab illo, ut fuiſſe videtur alius Pſalmorum LXXIV. & LXXIX. conditor, quandoquidem in iis manifeſta extant deſtructionis Templi & urbis indicia.

Pſal. LXXXIV. verſ. 4.

...tiam (a) paſſer inuenit ſibi domicilium, & hirundo nidum, ubi reponat pullos ſuos, altaria tua, o DOMINE virtutum, Rex meus & DEUS meus.

(a) Al. turtur.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos: altaria tua, DOMINE virtutum, Rex meus & DEUS meus.

Quærendæ heic & capiendæ ſunt duæ aues. צִפּוֹר *tſippor*, *Mercero, Schindlero*, Lexicographis benè multis denotat auiculas varias. In *Philonis* Libro eſt *ſepphora*, ὀρνίθιον, *auicula.* ...mo *Kimchio*, *Pomario*, Rabbinis aliis eſt vox ...hæc omni aui communis. Nititur interpreta-...io hæc variis Sacri Codicis teſtimoniis. Deut. ...V. 17. prohibet DEUS ſimulachra *cujuscunque volucris pennatæ* כָּל־צִפּוֹר, *quæ volat in cœlo*, ...ubi haud dubiè omne auium genus intelligitur. Deut. XIV. 11. *Omnem auem mundam comedetis.* Deut. XXII. 6. *Quando occurrerit conſpectui tuo in itinere nidus auium, in quacunque arbore, aut in terra, in quo ſunt pulli aut oua, matre incubante aut pullis ipſis aut ouis, non tollas matrem cum pullis. (Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis.)* Pſal. VIII. 9. ſubjicit DEUS hominis pedibus *volucres, quæ in aëre.* Uſurpatur eadem hæc vox in Textibus allegatis obuia de auibus maximis rapacibus. Ezech. XXXIX. 4. 17. tradit DEUS Gogi & Magogi exercitum *cœtui auium ---- omni aui pennatæ* לְעֵיט צִפּוֹר. Haud tamen diffitentur Rabbini, notare צִפּוֹר heic & alibi in Scriptura *paſſerem.* Habent & LXX. Στρουθίον. Sed de hac ipſa & *paſſeris* voce ex Græca Romanaque antiquitate oſtendi poteſt communis omni aui ſenſus. Ex hodiernis Orientalibus linguis non inuenio paſſeris cognomen, quod quandam cum tſippor affinitatem habeat, niſi huc traxeris Turcarum *tübeſſir*, *ſæfarijet*, paſſer luteus, *Meninzk. Lex.* 2964.

דְּרוֹר *Deror* à Tigurinis, Lexicographis & Verſionibus variis redditur *hirundo.* Sed potiori jure *Bochartus* hoc nomine intelligit *columbarum* omne genus, ſpeciatim φάτταν, *palumbum*, & *turturem*, τρυγόνα. Conſentiunt Verſiones, Græca, Vulgata, Chaldæa, Arabica, Syriaca. Denotat aliâs ipſum hoc vocabulum דְּרוֹר *libertatem.* Significatum hunc, ſi recipiamus pro baſi, vel combinemus, erit *deror* libera auis, quod prædicatum & hirundini quadrat & columbæ, ſed inprimis, ſi Arabes audiamus, columbæ ſylueſtri. Hoc ſenſu vocat columbarum volitantem ſocietatem αὐτόνομον ἀγέλην, *Baſilius Epiſt.* 75. Eſt autem αὐτόνομος Græcis idem, qui ἐλεύθερος, propriis viuens legibus, liber. Seipſum vocat Epaminondas ciuem ἐλευθέρας καὶ αὐτονόμου πόλεως apud *Plutarchum Lib. de Dæmonio Socratis.* Seipſum proin comparat Pſaltes columbæ, ad Altare, ad Ædem ſacram DOMINI liberè volitanti, ibique nidulanti, atque hunc paſſerum columbarumque ſtatum ei, quo tunc vixerat, à Domo DEI remotus. *Ardet, & etiam deperit anima mea ad Atria DOMINI, cor meum & caro mea ad DEUM viuum clamarunt. (Concupiſcit & deficit anima mea in atria DOMINI. Cor meum & caro mea exultauerunt in DEUM viuum.)* v. 3. Notum ex Templi Judaici Hiſtoria, Trabes Templi fuiſſe cedrinas. In hujusmodi autem trabibus nidulari ſolebant columbæ. Quadrat huc locus ex *Theocriti Idyll.* 5.

Κἠγὼ μὲν δώσω τᾷ παρθένῳ αὐτίκα φάσσαν,
Ἐκ τᾶς ἀρκεύθω καθελών, τηνεὶ γὰρ ἐφείσδει.

At mea, tu felix, donabere virgo palumbo,
Cui ſuus Arceuthi celſa latet in trabe nidus.

 Multa

Multa equidem Rabbini commentantur de laminis clauisque acutis in ſummo Templo erectis כולה עורב, *cole oreb* dictis, quibus cautum fuerit, ne Templi faſtigio inſiderent aues, ſpeciatim corui immundi. Verùm enim verò de illis ſilet Scriptura. Licet verò hujusmodi clauis armatum fuiſſet Templi culmen, nil tamen id impedit, quò minus vel paſſeres, vel columbæ, vel hirundines trabibus, quibus Templum ſuffulcitur, inſidere, ibique nidulari potuerint. In hodiernarum linguarum pro ptuariis non reperias aliquod enarratarum uium ſynonymon, *deror* noſtro affine. S quidem accedunt *Attagenis* nomina *dürra* vulg. *türag*, Plur. *derarig*. *dürraget*, Plur. *di ragiat*, & *derraget* Arab. *dürrag kuſi* Turc. *M ninzk. Lex.* 1126. 2043. Quæ tamen auis f uatica, montana, libera quidem, & mund & ἀυτόνομος, ſed non eo, quo columbæ & p ſeres, ſenſu, minus huc quadrare videtur.

Pſal. LXXXIX. verſ. 12. 13.

12. Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, (a) orbem, & quicquid in eo eſt, tu fundaſti.

(a) Ebr. Orbem, & plenitudinem ejus.

13. Aquilonem & (b) Meridiem Tu condidiſti, Thabor & Hermon in nomine Tuo ouabunt.

(b) Ebr. dexteram.

12. Tui ſunt cœli, & tua eſt terra orbem terræ & plenitudinem eju tu fundaſti.

13. Aquilonem & mare tu creaſti Thabor & Hermon in nomin tuo exultabunt.

SUpra v. 3. ita Ethan Eſraita ad DEUM: *In ipſis cœlis fidem tuam confirmaſti. (in cœlis præparabitur veritas tua in eis.)* Et v. 6. *Cœli admiranda facinora tua celebrant*, o DOMINE. *(Confitebuntur cœli mirabilia tua*, DOMINE.) Verſ. 7. *Quis in æthere (in nubibus) æquabitur* DOMINO? Majeſtatem nempe DEI celebrat Pſaltes, qualis ſeſe in tota natura, præcipuè verò ampliſſimo & pulcherrimo cœlorum ædificio manifeſtat, ut fideles excitet ad fiduciam in ipſum hunc DOMINUM & DEUM cœli conditorem, & uniuerſam Eccleſiam de protectione & liberatione reddat certam. Siue nunc intelligat cœlorum nomine Pſaltes vortices illos Solis Fixarumque immenſos, ſive cœlum, quod terram noſtram ambit, aëreum, ſtat hæc veritas, & quæ inde fluit exiſtentiæ DEI demonſtratio ab omni atomorum Epicurearum, & Atheiſticorum Sophiſmatum allapſu ſecura. Sole ipſo nempe clarior, demonſtrabilis ex iis, quæ hactenus plus ſemel de cœlo, ejus immenſa magnitudine, fluiditate, ordine, pelluciditate, motu, coloribus, aliisque qualitatibus protulimus, eſſe DEUM ens inifinitè ſapiens atque potens, & concluſionem Pſaltis v. 14. χαλκέντερον. *Tu brachium habes omnipotentia præditum, roboras manum tuam, attollis dexteram tuam. (Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua.)*

Aquilonem & Meridiem Tu condidiſti. LXX. τὸν βοῤῥᾶν καὶ θάλασσαν σὺ ἔκτισας, *Boream & Mare Tu creaſti*, Aquila, Βοῤῥὰν καὶ δεξιὰν, *Aquilonem & dexteram*, ita quoque Hieronymus. Sed Theodotion, τὸν βοῤῥὰν καὶ νότον, *Aquilonem & Auſtrum.* Quæ loquendi formula manu veluti nos ducit ad integrum cœlorum ſyſtema, ſed ſpeciatim ad inuariabilem axeos terræ in fluidiſſimo cœlo circumlatæ ſitum. Cujus conſtantiſſimæ inclinationis ſiue directionis, ut & inuariati Fixarum ſitus certiſſimus index eſt *linea meridiana*, plagarum mundi baſis, Aſtronomicarum Obſeruationum fundamentum, temporis cumprimis, quo Sol & Stellæ tum Fixæ, tum Erraticæ, culminant, longitudinum item locorum terræ, per conſequens & Geographiæ corrigendæ atque perficiendæ. Lineam hancce ducit quilibet Aſtronomus in ſuo Obſeruatorio, quamuis inſtitutis benè multis obſeruationibus, nec breui temporis morâ. Sed longius progreſſus Ludouicus XIV. Galliarum Rex, *Aquilonem* hunc & *Meridiem* per totum, quà latè patet, regnum protendens Philoſophicam quandam ſeu Mathematicam erexit Monarchiam, atque inſimul dimenſionis terræ firmiſſimam poſuit baſin. In mandatis quidem jam A. 1669. magnus Rex dederat *Picardo*, ut lineam meridianam continuaret inde ab Ambiano (Amiens) ad Maluoiſine in Gaſtinii (Gatinois & Hurepoix) limitibus, quæ diſtantia ultra gradum unum ſeſe extendit. Inuenerat autem inſignis ille Mathematicus hexapodas 57060. pro gradu. Quoniam verò hujusmodi graduum 360. peripheriam terræ abſoluunt, & minutus unius gradus error $360.^{es}$ majorem in terræ dimenſione gignit, & facilis poterat operationibus tunc ſuſceptis ſeſe immiſcere error, tum propter triangula tredecim, quæ determinari debebant in 32. Leucarum Gallicarum diſtantia, tum propter difficultatem inueniendi latitudines Poli, ubi error 4. minutorum ſecundorum alium in terra 66. hexapodarum poſt ſe trahit, con-

ɔnſultum fuit longius extendere lineam, & hoc
ſo vel corrigere, vel minuere ſaltem errores.
iſſit proin Rex hac illac Lutetiâ protendere
Ieridianam ad juga usque Pyrenea ad 10. ſe-
graduum diſtantiam, qua, ſi commiſſus fuiſ-
t error Aſtronomicus, 36.es duntaxat fuiſſet
ultiplicatus. Magnum hoc magni Regis
conſilium effectui dederunt magni Aſtronomi *Caſſinus* & *Hiræus* A. 1683. & 1700. qui Geometricas ſuas operationes confirmabant ſimul Obſeruationibus Aſtronomicis, Eclipſium ſpeciatim Jouialium, ne quid tanto operi deeſſet, quod integris voluminibus deſcripſere Academiæ Regiæ Gallicæ ſocii.

Pſal. XC. verſ. 1 - 6.

DOMINE, Tu habitaculum nobis fuiſti per omnia ſecula.

Priusquam montes naſcerentur, & terra formaretur ac orbis, à ſæculis usque ad ſæcula Tu es DEUS.

Tu reducis hominem, donec conteratur, ac tum dicis: Reuertimini, o mortales.

Nam mille anni coram Te ſunt, ut dies heſternus, qui præteriit, imo ut noctis vigilia.

Ceu nimbum dilabi illos impetu quodam facis, ſunt velut ſomnium, manè velut herba immutantur.

Quæ manè floret, ac vires accipit, veſperi arefacta reſecatur.

1. DOMINE, refugium factus es nobis à generatione in generationem.

2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo & usque in ſeculum Tu es DEUS.

3. Ne auertas hominem in humilitatem; & dixiſti: Conuertimini, filii hominum.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit: & cuſtodia in nocte.

5. Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6. Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat: veſperè decidat, induret & areſcat.

IN Cantico hoc ſuo emortuali propriæ ſuæ, noſtræque contemplationi offert vir DEI Moſes bina omnium horarum, cumprimis expirantis vitæ objecta, æternitatem immutabilitatem DEI ex una, & nullitatem ue caducitatem noſtram ex altera parte.

DOMINE, Tu habitaculum nobis fuiſti per nnia ſecula. LXX. ΚΥΡΙΕ καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν ἐν ενεᾷ καὶ γενεᾷ. DOMINE, *refugium factus es no-s in generatione & generatione.* Tu, o DEUS, ui extitiſti ante jacta mundi fundamenta, tuitus s, & potentiſſimè quidem, tuos, Eccleſiam iam, medios inter hoſtes, Noachum inter eruerſos, & in Diluuiana illa Cataſtrophe, Pa-riarchas in peregrinationibus, Iſraelitas in Æ-ypto, Exodo, & Deſerto.

Verſ. 2. *Priusquam montes naſcerentur, & erra formaretur ac orbis, à ſeculis usque ad ſe-ila Tu es* DEUS. Πρὸ τȣ͂ ὄρη γενηθῆναι καὶ πλασθῆναι ὴν γῆν καὶ τὴν οἰκȣμένην, καὶ ἀπὸ τȣ͂ αἰῶνος ἕως τȣ͂ αἰῶνος ὺ εἶ ὁ ΘΕΟΣ. En teſtimonium omni exceptio-e majus, extitiſſe montes in primo orbe, non emum in diluuio ortos, contra quod *Burne-ius* vult. En aliud æternæ ipſius ſapientiæ. Prov. VIII. 22. DOMINUS *poſſedit me initio viæ ſuæ, ante opera ejus tum eram. Ab æterno ordinata ſum, & ab initio ante terram. Nondum erant abyſſi, quum ego eſſem formata, nondum fontes aquis redundabant. Priusquam montes mergerentur, ante colles formata ſum. (DOMINUS poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant. Nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar.)* Audi quæſtionem Eliphaſi factam ad Jobum XV. 7. *Omniumne hominum tu primus natus es? & formatus es ante colles?* In omnibus his locis creatio montium ad idem tempus, ad idem principium refertur cum condito orbe, terra, abyſſis, fontibus, hominibus. Paradoxum proin eſt, & διαῤῥήδην Scripturæ Sacræ aduerſum, ſurrexiſſe montes ex actis à καταβολῆ κόσμȣ 1656. annis. Sed obſerua probè, neque Moſi, neque Scriptoribus aliis ſacris contradicere, quam hodie fouemus, ſententiam, qua montes nunc extantes formatos volumus in diluuio: minimè excludit ea montes terræ primæuæ. Hanc materiam ex-

 cuſſi

cuſſi alibi. Τὸ eſſe DEI *à ſeculis usque ad ſecula* reſpicit non duntaxat æternitatem eſſentiæ, ſed quoque æternam Decretorum Diuinorum immutabilitatem, æternam pro conſeruatione mundi & Eccleſiæ curam. Interim dum omnia mundi corpora, cœleſtia atque terreſtria, ſtatus omnes, & homines inter perpetuas mutationes fluctuantur, eſt DEUS ſolus ſemper idem, non mutatus ab illo, infinitè potens, ſapiens, bonus, ſanctus, juſtus.

Verſ. 3. *Tu reducis hominem, donec conteratur, ac tum dicis: Reuertimini, o mortales.* LXX. paulò aliter, μὴ ἀποςρέψῃς ἄνθρωπον εἰς ταπείνωσιν, καὶ εἶπας, ἐπίςρεψατε ὑοὶ ἀνθρώπων. *Ne auertas hominem in humilitatem, & dixiſti, conuertimini, filii hominum.* Conſcendit nunc Theatrum mortali ſemine cretus homo, ſimilis languenti graminis herbæ, quam videt una dies naſcier, una mori. Creatura mutabilis in momenta, fragilis, alia ſemper ab illa: mutabilis ratione motus fluidorum, & toni ſolidorum: variabilis in cogitationibus, intellectu, voluntate, ſecretionibus, digeſtionibus. Non propriis nixa pedibus, ſed quouis momento dependens ab immutabili ſuo Creatore, qui mutationibus omnibus præſidet, eas ſapientiſſimè dirigit, & potentiſſimè efficit. Ducit nos meditatio hæcce ad ἀυτογνωσίαν. Abſit à nobis, imo longiſſimè abſit, ut expoſtulemus cum DEO de fragilitate corpuſculi noſtri. Noſtri eſt, reſignare omnia diuinæ voluntati, implorare ejus gratiam atque miſericordiam, qui optimè & ſolus *nouit conditionem (figmentum) noſtram, recordans, quod ſimus puluis.* Pſ. CIII. 14. Ἔμφασιν vocis תָשֵׁב in Textu originali ſi inſpicias, reddes, *conuertes*, veluti in gyro, cujus centrum eſt vitæ & initium & finis. Circumferimur, quamdiu hanc trahimus, & in momenta mutamus directiones, ut proin lineæ quæuis curuæ conuenientiſſimum ſint mutabilitatis humanæ ſymbolum. In hoc ſuæ vitæ gyro, ſi, præualente centripeta veluti vi, approximat homo centro, *conteritur* mox, ſoluitur animæ & corporis vinculum, redit illa ad DEUM, qui eam dedit, ut hoc in puluerem. Fit autem id non pro noſtro mortalium arbitrio, ſed ex mandato & decreto ἀυτοκράτωρος, cujus eſt dicere: *Reuertimini, o mortales.* Num eò usque ſeſe extendat alloquium hocce, ut demonſtrari queat reſurrectio futura ex mortuis, aliis ego dijudicandum linquo. Id ſaltem, aliunde ex Scriptura de certitudine vitæ futuræ edocti, pro præſenti habemus, quod diſcamus, conjiciendos eſſe mentis oculos non tam in vitam hancce caducam, plenam malis, plenam dolore, ſed potius in terminandam illam nullis ſeculis, nullum ubi morborum genus eſt, ubi nulla fatigat cura animos. Idem volunt, quæ proximè ſequuntur, verba.

Verſ. 4. *Nam mille anni coram Te ſunt, ut dies heſternus, qui præteriit, imo ut noctis vigilia.* Abſorbeat meditatio vitæ ſine fine duraturæ, voluptatis nullis terminandæ ſeculis, qu
cunque poſſidemus in hac mortalitate, eti
cariſſima quæque, ſanitatem, diuitias, ho
res, voluptates. Edulcoret tædia vitæ vel u
cum æternitatis beatæ momentum, qui h
jactamur per undas. Audi canentem noſtr
per proſpera atque aduerſa Philoſophum p
ter atque Theologum v. 9. 10. *Cuncti dies no
te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus
cto citius. Dies annorum noſtrorum, quibus
uimus, anni ſunt ſeptuaginta, aut ad ſummum o
ginta: jam præſtantiſſimum horum labor eſt
moleſtia, velociter tranſit, nosque auolam
(Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in
tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea medi
buntur. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſept
ginta anni. Si autem in potentatibus,* octogi
*anni: & amplius eorum, labor & dolor. Q
niam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemu*
Emphatica dictio, *dies annorum noſtrorum.* A
nus videtur mortalibus nobis dies quilibet; h
rum numerat ſeptuagenarius 25550, qui re
cuntur ad 70. annos. Et tamen *mille anni
ram DEO ſunt, ut dies heſternus, qui præteri
imo ut noctis vigilia.* Obſerua heic vitæ h
manæ terminum jam Moſis tempore ſpatio 7
vel 80. annorum definitum, ut eſt adhucdu
Attamen *præſtantiſſimum* horum רָהְבָּם, τὸ πλε
ἀυτῶν, *faſtus, ſuperbia eorum*, omne id, qu
oculis mortalium blanditur, & vermiculos n
terræ ſuperbos reddit, eſt עָמָל וָאָוֶן, κόπος
πόνος, *labor atque moleſtia*, curæ, tædia, mo
bi, incommoda mille. Teſtis eſt omnium di
rum, quos tranſigimus, experientia. Tot m
lis remedio ſunt *ſurſum corda.* Meditatio ſa
cta ac ſeria, eſſe *mille annos coram DEO,*
dies eſt *heſternus, qui præteriit*, euanuit, inſ
mnii ad inſtar tranſiit, imo ut *noctis vigilia*, t
horium nocturnum, quo an vigilemus, an do
miamus, neſcii fere ſumus. *Theocrit. Idyll.* 2.

Θεοὶ κατένευσαν ἕνα χρόνον ἐς βίον ἐλθεῖν
Ἀνθρώποις, καὶ τόνδε βραχὺν καὶ μήοντα πάντων.

*Dii unum duntaxat tempus viuendi annuerun
Hominibus, idque breue & peranguſtum.*

Verſ. 5. 6. *Ceu nimbum dilabi illos impetu quo
dam facis, ſunt velut ſomnium, manè velut herb
immutantur. Quæ manè floret, ac vires accipit
veſperi arefacta reſecatur.* LXX. τὰ ἐξουδενώματ
ἀυτῶν ἔτη ἔσονται, τοπρωῒ ὡσεὶ χλόη παρέλθοι, τοπρωῒ ἀν
θήσαι καὶ παρέλθοι, τὸ ἑσπέρας ἀποπέσοι, σκληρυνθείη κα
ξηρανθείη. *Quæ pro nihilo habentur, eorum ann
erunt, manè ſicut herba tranſeat: manè florea
& tranſeat, veſpere decidat, indureſcat & areſcat.* Imaginem en! ad viuum pictam non ſolùm anguſti cultoris agelli, vel Iro pauperioris
mendici, ſed quoque diuitis Crœſi. Nam æ
quo pede mors pulſat pauperum tabernas, &
Regum turres. Speculum, in quo imaginem
ſui videat ille cumprimis, qui gerit ſibi faſtus
ſuper-

RPJCB

PSAL. XCI. v. 3. 5. 6.
Pestis laqueus.

Pſal. XCI. v. 3. 5. 6.
Die Peſt iſt ein Strick.

G. D. Heümann sculp

perbos. Veritatem en ἀναντίῤῥητον, quam quo-
liana comprobat experientia ! Nonne quoti-
e videmus *dilabi* hocce *ſomnium? manè floren-*
n herbam, quæ veſperi arefacta reſecatur? pal-
æ mortis ſacrificium fieri, qui breui ante
llebat amore accumulandi auri? *A la muerte*
ay coſa fuerte. Diram hanc mortem ele-
nti inundationis ſymbolo colluſtrat vetuſtiſſi-
us Pſaltes, זְרַמְתָּם, *inundaſti eos*, torrentis
inſtar, qui agros & prata limo obducit. *In-*
ibile diluuium, uti *Caluino* cluet, totum terræ
bem undis premens. Felices, imo terque
aterque, ſi ex hac meditatione ſacram addi-
imus Arithmeticam. *Ut dierum noſtrorum*
merum ſciamus, Tu nobis indica planè, ut ſa-
ntiæ animum intendamus. (Dinumerare? dex-
ram tuam ſic notam fac : & eruditos corde in
pientia.) v. 12. Calculum annorum 70. vel
. ad dies reductorium tyro quilibet nouit;
n tamen init ſubtiliſſimus Mathematicus, non
udentiſſimus Politicus, non zeloſiſſimus
heologus, non expertiſſimus Medicus, vel
raro. Egregia ſunt *Caluini* in hanc rem verba. *Quid enim? quum vix annum octogeſimum attingant robuſti, an difficile eſt ſupputare tam paucos annos? diſcunt numeros pueri, ſimul ac balbutire incipiunt. Nec vero Arithmeticam à Magiſtro diſcere opus eſt, ut numerum centenarium digitis ſupputemus. Atqui eò fœdior, & magis pudenda noſtra ſocordia, quod tam breue vitæ noſtræ ſpatium nunquam comprehendimus. Nam qui optimus erit Arithmeticus, & myriades myriadum diſtinctè ac ſubtiliter tenebit, ac excutiet, non poterit tamen octoginta annos ſupputare in propria vita. Hoc certè prodigio ſimile eſt, homines extra ſe ipſos metiri omnia interualla, cognoſcere, quot pedibus diſtet luna à centro terræ, quàm longis inter ſe ſpatiis Planetæ diuidantur, denique omnes cœli & terræ dimenſiones tenere, quum in ſe ipſis ſeptuaginta annos non numerent.* Aſt enimuerò non ſufficit *numerare dies*, *intendamus ſapientiæ animum* oportet. Qui hoc agit, is demum Philoſophi nomen meretur.

TAB. DLIX.

Pſal. XCI. verſ. 3. 5. 6.

. Nam is à laqueo venatoris, àque peſte exitiali te liberabit.

. Ut neque nocte metuendum tibi ſit à terroribus, neque interdiu à ſagitta volante.

. Non à peſti, quæ in obſcuro graſſatur, non ab exterminio vaſtante meridie.

3. Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

5. Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die.

6. A negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.

POſſunt, ut ſolent, varia malorum, quibus Pſaltes utitur, nomina applicari calamitatibus & incommodis variis, quibuscum conflictamur in hac vita, ſatanicis quoque tentationibus, ſed ſpe-
iatim diræ *peſti*, quæ deſcribitur non tam me-
licè ac phyſicè, ſed in ſuis inſultibus duntaxat,
 effectibus. Confertur ea *laqueo venatoris*,
uo aues, aliaque animalia ante captantur,
uàm ſibi metuere quid videntur. Illaqueari
olemus mortales ex improuiſo, nec laqueos
identes, nec retia. Inſultat dira hæc lues at-
ue proſternit illicò, & inexpectatò, ſaniſſimos
 robuſtiſſimos quosque, nullo diſcrimine ha-
ito ætatis, ſexus, dignitatis. Viduat breui
rua colonis, oppida ciuibus, & non absque
mphaſi *exitialis* cluet, דֶּבֶר הַוּוֹת vi vocis *pe-*
tis contritionum, LXX. λόγος ταραχώδης, *verbum* *aſperum*, Symmacho λόγος ἐπηρείας, *ſermo violenti inſultus, contumeliæ, injuriæ.*

Verſ. 5. פַּחַד לָיְלָה, *terror nocturnus*, φόβος νυκτερινὸς, *ſagitta interdiu volans*, βέλος πετόμενος ἡμέρας. Parallela ſunt, quæ extant v. 6. ubi dicitur *in obſcuro graſſari, & vaſtare meridie*, διαπορεύεσθαι ἐν σκότει, δαιμόνιον μεσημβρινόν. Num lethiferæ luis cauſa ſint inſecta infinitè, ſi ita loqui licet, parua, vel ſpicula ſubtiliſſima, arſenicalia, vel cujusnam ſint indolis ſagittæ hæ volantes, quæ ſanguini dicto citius inducunt vel rarefactionem nimiam, vel coagulationem, adhuc controuerſum eſt inter Philoſophos atque Medicos. Certum hoc eſt, non lædere duntaxat externam corporis ſuperficiem, ſed ſubuertere protinus binas, quibus ſanitas incumbit, columnas, fluidorum κρᾶσιν, & ſolidorum tonum, & paucis ſæpius horis letho dare for-

fortiſſima corpora. Non coruſcat numeroſa hæc ære caterua, non progreditur quadrupedante ſono, non vehit mortaria atque tormenta majora, & tamen validiſſimos profligat exercitus, vincit inuicta aliàs omni hoſti fortalitia, & absque labore. Inſultus non ſunt aperti, *in obſcuro graſſatur*, telis inuiſibilibus feriens mortales.

Textum noſtrum, animaduertente Cl. J. C. *Harenbergio* in *Biblioth. Brem.* Cl. VII. p. 630. mirè illuſtrat Auſter æſtuoſus Ægypto, Arabiæ, Meſopotamiæ, aliis Aſiæ Regionibus fatalis, plerumque per horæ quadrantem furens, qui hora circiter octaua matutina ſpirare incipit, in meridie feruidiſſimus eſt, & nocte ſenſim appetente remittit, afflatu ſuo, quos aggreditur, ſubitò ſuffocans, imo ſyderationem toti corpori inducens, quem furorem ut euitent vel incolæ, vel itinerantes, humi palliis tecti procumbunt, donec præterierit. Hunc ventum *Sammiel* Arabes nuncupant. Eum deſcribit *Theuenot ſuite du voyage au Leuant.* P. II. L. I. c. 12. 13. 16. & L. III. c. 10. ubi ita: *C'eſt un vent chaud, qui regne en Eté depuis Moſul jusqu' a Sourat, mais ſeulement en terre, & non ſur l'eau: & quand une perſonne a reſpiré ce vent, elle tombe tout d'un coup morte ſur la place, quoy qu'il y en ait quelque fois, qui ont le tems de dire, qu'ils brulent en dedans. D'abord qu'un hom[me] eſt tombé mort de ce vent, il deuient tout no[ir] comme de l'ancre: & ſi on le prend par le br[as] ou par la jambe, ou en tout autre endroit, ſa ch[air] quitte les os, & reſte entre les mains de celuy, [qui] le veut leuer.* Armeni *Badiſamur* preſtere[a] hunc vocant, qui *Balſoræ*, Arabiæ oppido 1665. Julio, Auguſto ac Septembri menſib[us] tanto furore ſæniit, ut intra dies 20. 4000. [mor]tho intulerit. Apud Malabares hic mitior pa[ru]lò eſt, teſte *Ziegenbalg Bericht von der Küſt[e] der Malabaren Continuat.* III. p. 117. Vultq[ue] laudatus Harenbergius, expertum hunc ve[n]tum, ſono horrido inualeſcentem, fuiſſe Elia[m] contra quem caput pallio obuoluerat Proph[e]ta. 1. Reg. XIX. 11. 13. Abſit tamen, ut δαιμ[ό]νιον hoc μεσημβρινὸν, ut LXX. Sammielem vocan[t] dæmonibus ipſis tribuamus cum Rabbinis Fluddianis & Helmontianis. Ad hos confu[]giunt cauſarum naturalium ignari, veluti a[d] aſylum. Nodum ſoluit Atmoſphæra Aſiatic[a] ſub Meridiem valde rarefacta, in quem vicin[] Arabiæ Deſertæ atque Felicis, ipſius quoqu[e] Africæ ſublato æquilibrio cum impetu rui[t]. Ut nec ſulphureis particulis, quæ Theuenoti[o] placent, vento meridiano admixtis opus ha[]beamus. Vento huic ſi ſeſe intermiſceant co[]pioſæ particulæ aqueæ, infringi furorem ne[]ceſſe eſt, quod experiuntur Malabares.

Pſal. XCI. verſ. 13.

Pardum calcabis & Aſpidem, conculcabis Leunculum atque Draconem.

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

ATtentionem heîc merentur quatuor animalia שַׁחַל, פֶּתֶן, כְּפִיר, תַּנִּין, *Schachal*, *Pethen*, *Cephir*, *Thannin*, quorum nominibus ſubintelligi poſſunt quoque furioſiſſimi quique Eccleſiæ hoſtes.

שַׁחַל *ſchachal*, propriè Leonem denotat eumque nigrum: ita & reddit Vernacula noſtra, *du wirſt auf Löauen — gehen.* Latina habet *Pardum*, qui etiam admitti poteſt. Vocis hujus ſignificatum excuſſi ad Job. IV. 10. 11. Sed vetuſtiſſimi Interpretes vel *Aſpidem* volunt, vel alium Serpentem. LXX. ἐπὶ ἀσπίδα — ἐπιβήσῃ. Vulgata: *Super Aſpidem — calcabis.* Apollinaris: Ἀσπίδα θαρσαλέως ἐπιβήσῃ. Collimant Verſiones Syriaca, Arabica, Æthiopica. Plerique ſanè ſerpentino generi fauent, licet quoad ſpecies inter ſeſe differant, & Arabes *Viperam* ſeligant, Syri *Amphisbænam.* Eſt & ſerpentis ſpecies Arabibus *ækzel*, voci *Schachal* affinis, apud *Meninzk. Lex.* 5791. Conſultius judicant illi, & Orientalium loquendi mori adaptatum magis ſocios jungere Serpentes quàm his Leones, imo incongruum calcare Leones vel Pardos. Subſcribit & *Bochartus*, conjectatque, Serpentem intelligi debere nigrum, quemadmodum vox שַׁחַל denotet quoque Leonem nigrum. Auxilio venit Ἄσπις αἰθαλόεσσα & μελαινομένη, *fuliginoſus atratus ſerpens*, *Hæmorrhous* item *fuliginoſus*, αἰθὸς, & *Dipſas*, quæ *ſubobſcura nigricat extrema cauda*, ὑποζοφόωσα μελαίνεται ἄκροθεν οὐρῇ, apud *Nicandrum in Theriac.* v. 172. 288. 337. μέλας item ὕδρος apud *Orpheum de Lap.* Occurrunt apud Zoologos Serpentes varii nigri, quibus enumerandis ſuperſedeo.

פֶּתֶן *Pethen* eſt procul omni dubio ex Serpentibus, & quidem ipſa *Aſpis.* De qua plura ad Job. XX. 14. Deut. XXXII. 33. Pſal. LVIII. 5. Cujus venenum adeò penetrans, ut ſolâ applicatione ad pectus paucas intra horas interficere dicatur. Unde judicare facile, quàm ſit res plena pericli, calcare eam. Quæ loquendi formula occurrit quoque apud Oneirocriticos in *Suida.*

Ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει.

Qui calcat angues, vitat inſultus hoſtium.

Ha-

Habent Græci Interpretes, Vulgata, & Apollinaris βασίλισκον pro *pethen*.

כְּפִיר *Cephir* heic iterum non *Leunculus* eſt, uem Verſiones noſtræ habent, ſed Serpens. ıpud *Nicandrum in Theriac.* v. 463. *Cenchris* el *Cenchrines*, Κέγχρινος, audit λέων αἴολος, *Leo arius*, διὰ τὸ πολύςικτον τῶν φολίδων, propter muluarias maculas, Leo διὰ τὸ γενναῖον, ἤτοι διὰ τὸ ὀρὴν τὴν ȣ̓ρὰν βαςάζοντα διεγείρειν ἑαυτὸν εἰς μάχην, quoiam pugnam init erectâ caudâ, ἢ διὰ τὸ δάκνειν ϗ ῥοφᾶν τὸ αἷμα τȣ̃ ἀνθρώπȣ, quia Leonum ad in:ar mordet, & ſanguinem exſugit.

De תַּנִּין *thannin*, *Draconibus*, alibi egi plura. Si cui lubet, inſuper habitis, quæ de Serentibus hactenus diximus, inhærere Leonibus, poterit is, in fauorem Tigurinæ, aliarumque Verſionum Europæarum, allegare exemplum Danielis, & Serpentum calcationem conferre cum promiſſione CHRISTI. Marc. XVI. 18. ὄφεις ἀρȣ̃σι, *calcabunt ſerpentes*, impleta ad literam exemplo Pauli Act. XXVIII. 5. qui *excuſſâ vipera in ignem nihil mali* ea *paſſus eſt*. Qui allegorias amat, per *Leones* atque *Leunculos* intelligere poteſt perſecutiones manifeſtas & violentas, inſidias verò occultas per *Serpentes* atque *Dracones*. *Plautus* initio *Perſæ*.

Cum Leone, & cum excetra
Deluctari mauelim, quàm cum amore.

Pſal. XCII. verſ. 11.

Meum verò (*a*) cornu extolletur ut Monocerotis, delibutus ero oleo virenti.

(*a*) Al. leg. Tu attolles cornu meum.

Et exaltabitur ſicut unicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia uberi.

LXX. Καὶ ὑψωθήσεται ὡς μονοκέρωτος τὸ κέρας μȣ, ϗ τὸ γῆρας μȣ ἐλέῳ πίονι. *Et exaltabitur ſicut unicornis, cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia pingui.* Pro ἐλέῳ alii, ἐν ἐλαίῳ, *in oleo*. Theodoretus ex Symnacho, ἡ παλαίωσίς μȣ ὡς ἐλαία εὐθαλὴς, *vetuſtas mea ſicut oliua vigens & benè germinans.* De *Unicornu*, *Reem*, quod *Rhinoceros* potius ſit, quàm quoduis aliud animal, egi ad Num. XXIII. 22.

Reſpicit inunctio, quæ *oleo* fit, eoque *virenti*, recenti, dulci, ſuaui, quacum Pſaltes feliciſſimum ſuum ſtatum, & firmam in DEO fiduciam confert, Orientalium gentium morem, quæ ab omni æuo magni æſtimarunt inunctiones, iisque vires corporis roborarunt. De qua re iterum alibi plura.

Pſal. XCII. verſ. 13. 14. 15.

3. Juſtus ut Palma florebit, & ſicut Cedrus in Libano in altum ſuccreſcet.
4. (*a*) Plantati in domo DOMINI in atriis DEI noſtri florebunt.

(*a*) Juſti ſcilicet.

5. Adhuc in ſenecta germinabunt, ſucculenti & virentes.

13. Juſtus ut Palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.
14. Plantati in domo DOMINI, in atriis domus DEI noſtri florebunt.
15. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta uberi, & bene patientes erunt.

Vid. Job. Cap. XXIX. verſ. 18.

Pſal. XCIII. verſ. 1.

— Et orbis ſic firmatus eſt, ut non nutet.

— Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

LXX. ἐςερέωσε (ὁ ΚΥΡΙΟΣ) τὴν οἰκȣμένην, ἥτις ȣ̓ σαλευθήσεται. *Firmauit* (DOMINUS) *orbem terræ, qui non commouebitur.* Inuenit in Pſalmo hocce Eccleſia DEI, & quoduis membrum ſolatii fontem, & ad eum confugit irruentibus calamitatibus variis & tentationibus, ſi quando

v. 3. *Suſtulerunt flumina, ſuſtulerunt flumina ſtrepitum ſuum, ſuſtulerunt flumina fluctus ſuos. (Eleuauerunt flumina, eleuauerunt flumina vocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos.)* Stat, quam nulla violentia frangit, ſpes firmiſſimo tum Omnipotentiæ, tum Prouidentiæ Diuinæ fundamento. Verſ. 1. DOMINUS *Rex eſt, induit celſitudinem, induit* DOMINUS *robur, ſeque accinxit.* (DOMINUS *regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt* DOMINUS *fortitudinem, & præcinxit ſe.)* Verſ. 2. *Jam inde ab exordio conſtitutum eſt ſolium ejus, eſtque ab æterno. (Parata ſedes tua ex tunc: à ſeculo tu es.)* Verſ. 4. *Plusquam ſtrepitus aquarum immanium, procellarumque maris admirabilium, potens eſt* DOMINUS, *qui in excelſo præſidet. (A vocibus aquarum multarum. Mirabiles eleuationes maris: mirabilis in altis* DOMINUS.) Argumento P[…] ti eſt firmitas terræ. *Orbis ſic firmatus eſt, […] non nutet.* Conuictus mox erit de veritate [h]jus effati, quisquis vel obiter Syſtema mu[n]… Copernicanum inſpexit. Videt is ſphær[am] milliarium 1720. in diametro, in fluidiſſi[mo] aëre pendulam, cauam paſſim intus, & firm[iſ]ſimis nixam columnis, trabibus ſaxeis, met[al]licis, terreis colligatam. Ædificium, cujus […]ctum eſt mollis, leuis, fœcunda terra, cinctu[m] undique fluido aëris ætherisque element[o], Globum ſpatio 24. horarum gyratum cir[ca] proprium axem, prouolutum quotannis in i[m]menſæ amplitudinis orbita Elliptica circa S[o]lem, eadem ſemper inclinatione Axeos, ſ[…] DEI potentiâ fultum.

TAB. DLX.

Pſal. XCIV. verſ. 9.

Is, qui aurem condidit, quomodo non audiret?

Qui plantauit aurem, non au[…]diet?

Binæ jam ſequuntur Tabulæ, pro organo auditus una, pro organo viſus altera; binas ſuggerit Pſaltes pro DEI exiſtentia demonſtrationes, quas numeroſas promimus ex totius corporis humani brutique ſtructura, ad Atheorum etiam pertinaciſſimorum confuſionem atque conuictionem. Non eſt quippe pars, non vas, non fibrilla, quæ non alta voce deprædicet laudes ſummi Creatoris, nosque incitet ad cognoſcendum & colendum optimum illud Numen, quod οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχει. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. Act. XVII. 27. Hinc enim noſtra creatio, noſtra conſeruatio, quicquid vel ſumus, vel poſſidemus. Hac baſi nititur cultus omnibus mortalibus naturalis & rationalis, omnis, quam DEO debemus, gratiarum actio.

Conſcendant nunc cathedram bini Oratores, *auris* & *oculus*, nosque excitent ad laudes & gloriam DEI, ad officia omniperfecto, omnipræſenti Creatori, ſapientiſſimo Rectori, optimo Conſeruatori præſtanda. Bina hæc nobiliſſimorum ſenſuum organa non adſpici debent veluti per tranſennam, quod fit ab interpretibus Anatomiæ ignaris. Merentur hæ infiniti artificii machinæ omnem noſtram attentionem, conſiderari in omnibus ſuis partibus, ſtructura & uſu. Sufficit nobis, quæ noſtra eſt cœcitas, non plebejis duntaxat, ſed literatis quoque, ſcire, quod audiamus, videamus, auribus inſtructi ſimus & oculis. Ulterius progredi licet[…] ſed plerunque non lubet. Similes fere ſumu[s] iis, qui vix horologii indicem prætereunte[s] aſpiciunt, &, quem deſignat, numerum, int[e]rioris ſtructuræ & ignari, & incurioſi. Qu[æ] inprimis eſt & accuratè inſpicienda, ſiquiden[m] ex opere velimus laudare artificem. Et ut[i]nam bina hæc artificioſiſſima auditus atque vi[]ſus organa, non per turpiſſimum abuſum ve[r]teremus in opprobrium DEI, mille actus pec[…] caminoſos, noſtram perniciem! Conſiſtit au[]tem, quod in anteceſſum præfari lubet, inui[]cti argumenti robur in eo, ut ex ſtructura ſin[]gularum partium, membranarum, glandula[]rum, muſculorum, cauitatum, ductuum, o[ſ]ſiculorum auris tum externæ, tum internæ, ſi[…] & membranarum & humorum oculi redda[]mur quàm certiſſimi, eſſe omnia hæc ad cer[]tum quendam finem ordinata, nec vider[e] nos poſſe, vel audire quidquam absque de[]terminato hoc Mechaniſmo; per conſequen[s] ex infiniti artificii ſtructura demonſtremus infi[]nitum artificem.

Ille DEUS eſt — qui non calamo tantu[m] cantare, & agreſte atque inconditum carmen a[d] aliquam tantùm oblectationem modulari docuit[,] ſed tot artes, tot vocum varietates, tot ſonos[,] alios ſpiritu noſtro, alios externo cantu edituro[s] commentus eſt. Seneca de Benefic. L. IV. c. 6[.] Eſt ſanè eximium quid tremulus aëris motus[,] ſonus, linguarum atque ſcientiarum organon[;] qui[…]



Psal. XCIV. v. 9.
Deus ὠτοτέχνης.

Pſal. XCIV. v. 9.
Das Ohr ein Wercke Gottes.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

ui non duntaxat debebat ad aurem externam ppelli, ſed ad interiora auris, imò intimos us receſſus, admitti. Ad hunc finem, ne ræterlabatur is, capiti affixa eſt utrinque *auri-ula*, eaque cartilaginea, ne frangatur ex quo-s ictu, vel lapſu, præterea in varios gyros nfractuoſos excauata, ut undique aduentans nus aurem ſubintrare, imo concentrari poſ-:. Pinguedine caret cutis, quæ auriculam te-t, ne abſorbeatur ſonus veluti in conclaui ta-etibus cincto. Ad auriculam hanc in ſitu fir-iandam faciunt *muſculi*, qui inſuper in brutis um mouent, & pericula auertunt. Ab hac uri externa deriuatur ſonus ad *meatum audito-um*, cujus ſtructura cylindrica, incurua inſer-t tum collectioni, tum exaltationi, radiorum nororum. Eſt hic canalis oſſeus, ſed intus iembranâ glandulosâ cinctus, quæ *cerumen* cernit humectando meatui & auertendis inſe-is, ne ad interiora repant, inſeruiens; in em-ryonibus inſuper, quamdiu clauduntur utero iatris, membranâ veluti intergerina mucosâ ræcingitur hic idem meatus, ne damni quid atiatur tympanum ab humore amnii, in quo ıfans natat, unde infantes excluſi primis die-us vel nihil audiunt, vel parum. Sequitur *embrana tympani* expanſa, verſus interiora au-s aliquantum conuexa, pro faciliori radiorum ollectione, omnis generis tremulis motibus :cipiendis apta, transmittens mox hoſce ad ſſicula auditus, *malleum*, *incudem*, *ſtapedem*, *os orbiculare*, ſuis quoque muſculis inſtructa, iorum unum ab altero veluti à vecti moue-r. Ita penetrat ſonus ad internam cauitatem, *ncha* dictam, ſed quoque qui ore recipitur uc venit per *Tubam Euſtachianam*, quæ non lùm auxilio venit ſurdaſtris, ſed quoque hu-iores ſuperfluos in concha forte collectos de-uat ad palatum. Mox atque ſonus mediante apede appulit ad *feneſtram oualem*, per ſex ve-iti nouas portas aditum inuenit ad intima au-s, quinque nempe ad *labyrinthum*, qui artifi-ioſiſſimè in ipſo *oſſe petroſo* exciſus conſtat tri-us ſemicirculis oſſeis; per unicam tandem ad *ochleam*. Hos autem ſumma arte elaboratos anales ſuccingit intus *neruus auditorius*, qui npreſſiones ſonoras excipit, ad ſenſorium ommune defert, atque in mente ex infinitis liis eas præcisè excitat ideas, quæ ſonis ipſis, cet infinities fere variantibus, reſpondent. Qui vel obiter Organi hujus Auditorii Sciagra-hiam inſpicit, quam integris libris deſcripſere *chelhammerus*, *du Verney*, *Valſalua*, inſuper-ue conſiderat, quod adſit non ſolùm in nobis ominibus, ſed quoque in omnibus quadru-edibus & auibus, in ſingulis quidem pro rata orporis, capitis, portione, & uſus neceſſitate, andemque attendit ad uſum ipſum, quem la-iſſimum præbet in addiſcendis artibus atque cientiis, & hominum conuerſatione, judicabit s protinus, ſi non eſt mentis inops, excogita-am eſſe, ſi ita loqui licet, ſtructuram hanc ab Ente aliquo infinitè ſapienti, elaboratam à po-tentiſſimo, &, ut verbo omnia contraham, eſ-ſe DEUM, qui *aurem condidit*.

Intelliget Otographiam hanc, qui Anatomes eſt gnarus, ignaro ſubuenient figuræ, quæ ſe-quuntur.

Fig. I. A. A. Helix.
B. B. Anthelix.
C. Antitragus.
D. Tragus.
E. Lobus auriculæ.
F. F. Cauitas innominata.
G. Scapha.
H. H. Concha quaſi in duas cauitates di-ſtincta, ſuperiorem & inferiorem.

Fig. II. A. Muſculus ſuperior.
B. B. Helix.
C. C. Muſculi poſteriores.
D. D. Fibræ transuerſæ carneæ.
E. Muſculus anterior.

Fig. III. A. Glandulæ meatus auditorii ſeba-ceæ cum corpore ſuo reticulari.
B. Incus.
C. Malleus.
D. Portio oſſea ex pariete ſinuoſitatis ma-ſtoideæ.
E. Chorda tympani.
F. Membrana tympani, à malleo antror-ſum eleuata.
G. Tuba Euſtachiana.
H. Tubæ principium.
I. Tubæ finis.

Fig. IV. A. Caput mallei ſecundum illam par-tem, per quam cum incude articulatur.
B. Manubrium.
C. Caput mallei ſecundum partem oppo-ſitam.
D. Proceſſus minor.
E. Proceſſus minimus.
F. Proceſſus major, ex quibus proceſſibus conſtituitur manubrium.

Fig. V. G. Malleus.
H. Muſculus proceſſus minoris.
I. Muſculus proceſſus minimi.
K. Muſculus proceſſus majoris.

Fig. VI. L. Incudis ea pars, quæ articulatur cum malleo.
M. Proceſſus longior incudis.
N. Os orbiculare, quod unitur extremitati dicti longioris proceſſus.
O. Proceſſus breuior incudis.

Fig. VII. P. Stapes cum oſſe orbiculari.
Q. Muſculus ſtapedis.

Fig. VIII. R. Glandulæ meatus auditorii cum ſuo corpore reticulari à meatu ſeparatæ.

Fig. IX. S. Stapes.
T. Ejus Capitulum, cujus cauitati os orbi-culare ſuperpoſitum.
V. Baſis ſtapedis gibba veſtibulum reſpi-ciens.
X. Ejusdem facies externa concaua.

Fig. X. totam Organi Auditorii ſtructuram exhibet, ab anteriori parte, qua faciem ſpectat.

a. Extremitas Aquæductus Fallopiani, à qua Auditorii Nerui portio dura erumpit.

b. Portio oſſea ex pariete ſinuoſitatis maſtoideæ, cui alligatur proceſſus breuior incudis.

c. Muſculus minimi proceſſus mallei.

d. Muſculus proceſſus majoris, qui per totam Tubæ Euſtachianæ longitudinem extenditur, à canali ſuo oſſeo liberatus.

e. Cartilaginis Tubæ Euſtachianæ anterius latus, in quod præcedentis muſculi fibræ carneæ inſeruntur.

f f. Muſculus nouus Tubæ Euſtachianæ.

g. Muſculus ſtapedis liberatus à ſuo cana oſſeo.

h. Canalis ſemicircularis major.

i. Canalis ſemicircularis minor.

k. Canalis ſemicircularis minimus.

l. Veſtibulum.

m. Cochlea.

n. Nerui auditorii portio mollis unam partem verſus cochleam demittens, altera verò, quæ in ſurculos 5. diuiditur, in veſtibu lum protendens.

Omnia ex *Valſalua de aure humana.*

TAB. DLXI.

Pſal. XCIV. verſ. 9.

Qui oculum finxit, quo pacto non videret? Aut qui finxit oculum, non conſiderat?

PErgimus properante pede ad ſtructuram *oculi*, qui microcoſmus eſt veluti in microcoſmo, camera infiniti artificii obſcura, absque qua tota mundi διακόσμησις nihil, imo homines & animantia bruta miſerrimæ forent creaturæ, lumine orbæ. *Oculi pars corporis pretioſiſſima, & qui lucis uſu vitam diſtinguunt à morte. Plin.* L. VIII. c. 37. Pſaltis teſtimonio conſtat, DEUM *finxiſſe oculum.* Comprobabimus palmariam hanc veritatem ex conſideratione ſtructuræ, & comparatione cum *camera obſcura* artificiali, quâ objecta externa, ædificia, arbores, homines, integer alicujus regionis proſpectus pulcherrimè repræſentantur in charta linteoue albo, imò cum natiuis ſuis coloribus per radios lucis veluti penicilla depinguntur, homines capitibus ambulantes, motitantia arborum folia, volantes per aëra aues. Non memorabuntur *palpebræ*, quæ clypeorum ad inſtar tenerrimum viſus organum defendunt in hominibus, quadrupedibus, auibus, ab injuriis externis, cilia item & *ſupercilia*, quibus cumprimis auertitur illapſurus puluis. Quaquauerſum patere debebat oculorum proſpectus; *Lubricos oculos fecit natura mobiles, ut & declinarent, ſi quid noceret, & aſpectum, quo vellent, facile conuerterent. Cic. Nat. Deor.* L. II. c. 57. Hunc in finem Creator oculis affixit *muſculos, attollentem, deprimentem, adducentem, abducentem, obliquum ſuperiorem, obliquum inferiorem*, qui ſinguli ſuos habent Antagoniſtas: His accedit in brutis, quæ prona terram ſpectant, *ſeptimus*, qui totum ambit oculum, & ejus prolapſum impedit. Adſunt præterea *glandulæ* & *ductus lacrymales*, quorum lymphâ oculus irrigatus mobilior redditur. Ex *tunicis* oculi bulbum cingentibus prima eſt *cornea*, ex pluribus aliis conſtans membranis, inuicem ſuperſtratis, pellucida, extrorſum conuexa, ut radios undique aduenientes exciperet, & ad interiores cameras transmitteret, inſuperque internas partes & humores defenderet. Ex *humoribus* oculi primus eſt *aqueus*, qui radios incidentes ad perpendiculum refringit verſus *pupillam*, quæ *tunicæ uueæ* feneſtra ſeu apertura per mechaniſmum quendam mirabilem, inſciâ & inuitâ anima, ſeſe conſtringit, ſi lumen adſit nimium, dilatat, ſi debile nimis id ſit, imo & pro variante diſtantia objectorum nunc propius accedit fundo oculi, ſi illa ſint remota, nunc ab eo recedit, ſi propinqua: qui verè diuinus mechaniſmus effectui datur partim per muſculos externos bulbo oculi inſtratos, partim per extenſionem contractionemue *ligamentorum ciliarium*, quæ & ipſa totidem ſunt, ſed ſubtiliſſimi muſculi retro pupillam inter uueam & cryſtallinum humorem ſiti. Eſt *humor* hîc *Cryſtallinus*, ab anteriori parte ex ſegmento ſphærico conſtans, à poſteriore parabolico, ſingularis prorſus ſtructuræ, colligens magis, propter denſiorem ſui compagem, radios lucis, ut in fundo oculi præciſè penicilli radiorum coeant, in unico nempe puncto ii, qui ex uno objecti puncto fuere egreſſi. Spatium inter cryſtallinum & oculi fundum explet *vitreus humor* ejuſdem prope cum cryſtallino denſitatis, ut qui in hoc fuere refracti, rectâ viâ vitreum tranſeant. In fundo tandem oculi expanſa ſiſtitur *retina tunica*, texturæ ſubtiliſſimæ, quæ aliud nihil eſt, quàm expanſio ipſius *nerui optici*, & penicillos radiorum excipit, imò objecta quæuis cum colori-



Psal. XCIV. v. 9.
Deus ὀφθαλμοτέχνης.

Psal. XCIV. v. 9.
Das Auge ein Werck Gottes.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

oribus ſuis picta ſiſtit. Fluitat ſubtiliſſima hæc nembranula, multis vaſis ſanguiferis intertex-a, in fundo hemiſphærico concauo, quia per-ecta objectorum repræſentatio fieri non pote-at in fundo plano. Hæc ipſa objectorum pi-tura ut tantò diſtinctior fieri poſſet, nec di-urbaretur ab aliis radiis lateralibus, imo ob imiam reflexionem viſus læderetur, cinxit Creator cameram hanc obſcuram naturalem *Tunica Choroide*, quæ in homine nigerrima eſt, ed in illis brutis, quæ noctu vident, & pabu-um quærunt, Iridis ad inſtar pulcherrimis co-oribus variegata. Mox atque objecta externa n proportionata ſua magnitudine, figura, co-oribus in retina fuere picta, continuatur hæc mpreſſio *nerui viſorii* ductu ad ipſum cere-rum, excitatque in promptuario idearum di-iſſimo, mente, eas præciſè ideas, quæ obje-tis reſpondent, modo omnibus mortalibus nperſcrutabili. Sic demum formatur judi-ium, vel ratiocinium, de objectorum figura, nagnitudine, diſtantia, coloribus, motu, quie-e, circumſtantiis aliis.

Ex hocce ſtupendi artificii viſus organo de-nonſtranda nunc venit DEI exiſtentia, ut di-camus τὰ ἀόρατα καθορᾷν, & gloriam ipſius ἀοράτα lignis celebrare encomiis, ad noſtram ſalutem. Præeat *Briggius Ophthalmogr.* c. 1. *Inter præci-uas corporis animati partes, quæ magni Condi-oris noſtri ſapientiam oſtendunt, nulla ſanè repe-itur, quæ majori pompa elucet, quàm ipſe ocu-us, aut quæ elegantiori forma concinnatur. Dum nim aliæ partes vel minori ſatellitio ſtipantur, vel in tantam venuſtatem haud aſſurgunt, Ocelli peculiarem honorem & decus à ſupremo Numine fflatum referunt, & nunquam non ſtupendæ ſuæ otentiæ characteres repræſentant. Nulla ſanè pars tam diuino artificio & ordine muſculos ſuos & humores complectitur*, &c. De veritate hac palmaria conuicti erimus magis, ſi conſidere-mus ſtupendam in tot animantibus varietatem: prominentes leporum, auium, & ad latera ma-gis poſitos oculos, quorum beneficio inſidias facilius detegere & euitare poſſunt: ſex octoue aranearum ex rapina inſectorum viuentium ocu-los, qui capitis immobilitatem abundè com-penſant: Cochlearum oculos in extremis cor-niculis locatos, quos pro neceſſario uſu vel in-tra teſtas retrahere, vel exporrigere valent: In-ſectorum oculos immotos, ſed numeroſos: Talparum ſub terra viuentium ocellos, palpe-bris piloſis probè defenſos: oculorum elonga-tiones, contractionesue variantes pro varia ob-jectorum diſtantia, & diuerſitate medii, per quod radii lucis tranſeunt, ſpeciatim in piſci-bus & auibus, quorum illi degunt in elemento fluido craſſiori, hæ victum quærunt in diuer-ſæ denſitatis aëre: Oculos tandem in homine binos, ſed qui unicam unius objecti ideam in mente excitant.

Si cui cum Atheo, de exiſtentia DEI con-uincendo, res eſt, ſequenti methodo commo-dè uti poterit. Introduc eum in cameram ob-ſcuram, oſtende omnem apparatum, foramen exiguum in valua exciſum, lentem conuexam ei inſertam, quæ colligat illabentes radios, chartam vel pannum albi coloris in certa ab apertura feneſtræ diſtantia ſuſpenſum, omnia reliqua totius conclauis clauſa, & quære ab ipſo, an hæc omnia ita contigerint caſu fortui-to, vel ab homine ratione prædito ita fuerint adornata? Conuicto, quod haud difficili nego-tio fiet, de hac veritate, oſtende ſtructuram oculi, quæ etiam eſt camera, ſed infiniti artifi-cii, obſcura, & pete ab illo, annon & hæc pro Authore habeat artificem, eumque infinitum? qui non ſolùm eam inuenit, & corpori reliquo pariter omnem intellectus humani captum ſu-peranti junxit? Quære porrò, num ſtructuræ hæ mirandæ elaboratæ fuerint ab anima ipſius hominis, vel excogitatæ à parentibus? ad quam quæſtionem reſpondebit mox, ſcepticus licet, negando, quandoquidem multæ ſint homi-num milliones, quibus ſtructura oculi, & ſic reliquarum omnium totius corporis partium ne cognita quidem eſt, & expertiſſimi quique Anatomici fateri coguntur, ne nunc quidem poſt aliquot mille annorum labores eſſe planè perſpectam. Repræſenta ei porrò, eſſe ſuos ipſius oculos formatos tales, vel potius euolu-tos, à parentibus hujusdem ſtructuræ ignaris, horum corpora iterum à majoribus pariter idio-tis, ita quoque brutorum oculos ab aliis ſuæ ſpeciei brutis, iisque ἀλόγοις; aperiet vel ſola hæc propagationis ſucceſſio oculos: urge, qua-lenam laturus eſſet judicium de horologiopœo, automata hujusmodi elaborante, quæ juniora alia ejusdem perfectionis per ſucceſſionem vel mille annorum progenerarent, fatebitur is, no-lens volens, fore hoc opus artificis infinitè ſa-pientis atque potentis, non intellectus finiti; tantò quidem lubentius, ſi conſideret infinitam prope varietatem, & incredibilem numerum oculorum, in toto mundo exiſtentium, qui in-gens in aëre, aquis, terra anſam dedit quæ-ſtioni, quæ extat in *Schwenteri Math. Erquick-Stund.* P. I. *Probl.* 54. an uno eodemque tem-pore plures ſint oculi in mundo, quàm capitis pili? Quod ſi porrò viatori tuo viam monſtra-ueris ad cerebrum, à cerebro ad mentem, quæ propriè loquendo videt, non oculus, nouum illi aperies cognitionis & glorificationis DEI theatrum. Heic etiam perſpicaciſſimus quis-que Philoſophus ἐπέχει, cum ſtupore conſide-rans unionem animæ & corporis, certarum idearum harmoniam ordinatiſſimam, in omni-bus hominibus eandem, & inuariatam, cum certis modificationibus & impreſſionibus lucis, infinitam varietatem & pulchritudinem colo-rum, & quæ ſunt hujus generis alia. Hac me-thodo, potius quàm ullâ aliâ, pertinaciſſimus quisque Atheus, amentiſſimus quisque idoli naturæ adorator duci poterit ad cognitionem DEI, & cogetur fateri cum Pſalte, DEUM *fin-*

 xiſſe

xiſſe oculum, eſſe proin à nobis deuotiſſimo cultu venerandum, vitam noſtram ad Numinis hujus ſupremi voluntatem, legesque tum reuelatas, tum mentibus noſtris impreſſas conformandam: compulſorio ad officia noſtra ſit porrò integer, quem hactenus enucleauimus, Textus: *Is, qui aurem condidit, quomodo non audiret? qui oculum finxit, quo pacto non videret?* non audiret, non videret, quæ in hoc terræ punctulo, in abditiſſimis etiam angulis peraguntur? non videret cogitationes in imis cerebri cordisue receſſibus? Affectus occultiſſimos, hypocritam illum, qui ſimulat ficto pia pectora vultu, dolos, fraudes, inuidiam, odium, perjurum, adulterum, injuſtum judicem, Pſeudo-Politicum, Pſeudo-miniſtrum? Quî quæſo is, qui cor formauit, illud non perſcrutaretur? qui animam condidit, cogitationes haud noſceret? imo quî ſceleratiſſimum creaturarum abuſum haud puniret, imo flammis ſaliret æternis? Vel, annon poterit, qui diuino artificio objecta viſus in fundo oculi pingit, & unam picturam poſt aliam, minutiſſimas omnes, ſed ſumma arte elaboratas animo ſiſtit, qui tot variantes ſonos, tot ſuauiſſima modulamina menti præſentat, leui mutatione theatri ideas excitare terrificas, & mentem cruciare infernalibus furiis? tenſas moderatè fibras nerui vel auditorii, vel viſorii, vel relaxare, & ſic momento citius vel ſurditatem inducere, vel cæcitatem, vel tendere magis, & hoc ipſo cauſari dolores atrociſſimos, ipſa deliria? delicatiſſimos Solis radios vertere in ſtygias tenebras, aut tartareum ignem?

Claudant tractationem hanc icones, quæ oculi ſtructuram repræſentent.

Fig. I. exhibet muſculos oculi in ſitu naturali.
A. A. Cranii reſecti pars cauernoſa.
B. B. Interior candicans portio cerebri diſſecta.
C. C. Cerebellum.
D. Neruorum opticorum coitus.
E. E. Eorundem ad ſingulos oculos digreſſio.
F. Caruncula lachrymalis extra ſitum.
G. Muſculus oculi attollens.
H. Muſculus deprimens.
I. I. Muſculus adducens.
K. K. Muſculus abducens.
L. Muſculus obliquus inferior.
M. Muſculus obliquus ſuperior, cujus tendo per trochleam N. tranſit.
O. Neruus opticus.
P. Cornea tunica, in cujus medio eſt pupilla.

Fig. II. Oculus vituli ſiniſter.
a. Glandula oculi innominata.
b. Angulus oculi major.
c. Angulus oculi minor.
d. d. d. Lobi, in quos anterior glandulæ, limbus eſt diuiſus, per quorum interſtitia vaſa lymphatica e. e. e. exeunt.

Fig. III. Muſculi oculi ouilli.
A. Neruus opticus.
B. Muſculus ſeptimus brutorum.
C. C. Muſculi 4. recti ſupra deſcripti.
D. Muſculus trochlearis.
E. Muſculus obliquus inferior.

Fig. IV. a a. Tunica adnata.
b. b. Cornea.
c. c. Uuea.
d. d. Sclerotis.
e. e. Dura nerui optici membrana.
f. f. Choroides.
g. g. Tenuis nerui optici membrana.
h. h. Retina.
i. i. Medullaris nerui optici ſubſtantia.
l. Intima medulla vitreæ affixa.
m. m. Cryſtallina tunica.
n. n. Pupilla.
o. o. Corneæ pellucida pars.
A. Humor aqueus.
B. Humor cryſtallinus.
C. Humor vitreus.

Fig. V. Vitrea tunica cum ligamentis ciliaribus.

Fig. VI. Cornea humana facie poſteriore viſa.
A. Ligamentum ciliare.
B. Proceſſus ciliaris muſculoſus.
C. Circulus minor proceſſus ligamenti ciliaris, in quem deſinunt tendines proceſſus ciliaris, Ruyſchio dictus Circulus minor Iridis. Iris enim eſt facies exterior, proceſſus ligamenti ciliaris facies interior.
D. Pupilla.
E. Corneæ margo. *Ruyſch. Theſ. Anat.* II. p. 86.

Fig. VII. ſub microſcopio. A. Tendinoſa ſubſtantia proceſſus ciliaris.
B. Muſculoſa ejusdem ſubſtantia.
C. Circuli minoris fibræ circulares, pupillæ conſtrictioni deſtinatæ.

Fig. VIII. Humor cryſtallinus vitulinus, cum ejusdem membranula ambiente, aranea dicta, per quam plurimæ diſſeminatæ viſuntur arteriolæ.

Fig. IX. In oculo juuenci. a. Limbus palpebræ ſuperioris.
b. Limbus palpebræ inferioris.
c. Corneæ pars.
d. Membrana nictans.
e. Ejusdem ſemilunaris & niger limbus.
f. f. Glandulæ lachrymalis excretorii ductus.
g. Lachrymalis glandula, boum & aliorum brutorum propria.
h. Lachrymalis caruncula pilis ornata, iisdem animantibus & homini communis. Ex *Morgagni Aduerſ. Anatom.* VI. p. 134.

Fig. X. Oculus humanus ſiniſter.
a. Angulus palpebrarum internus, & in eo caruncula lachrymalis.

b. Mem-

b. Membrana ſemilunaris rubella, quæ quo-
d ſedem nictanti brutorum membranæ re-
ondet.
c. Limbi palpebræ ſuperioris pars illa, in
ua prominentia eſt, in cujus extremo pun-
tum lachrymale inſculptum.

Ex eodem.

Fig. XI. oſtendit modum, quo radii ex A. B. & C. venientes in oculo refracti in fundo repræſentent imaginem in a b c. inuerſam.

Pſal. XCV. verſ. 4. 5.

. In cujus manu ſunt abſtruſiſſima terræ, ejus ſunt montium cacumina.
. Cujus eſt mare, nam fecit illud, & continentem manus ejus finxerunt.

4. Quia in manu ejus ſunt fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.
5. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus ejus formauerunt.

SUccedunt inuicem quatuor Verſiculi in hoc Pſalmo, qui optimo jure dici poſſunt Theologiæ Naturalis Compendium; adſunt & materia, & methodus argu-
ıentandi, theſis, demonſtratio, & inde nata
onclusio.

Theſis extat v. 3. DOMINUS DEUS *ma-
ıus eſt*, *& Rex magnus præ omnibus Diis*, &
ictitiis nempe, quales ſunt gentium idola, &
ıgelis, qui paſſim in Sacris Dii cluent. Imo
ero DOMINUS, DEUS Iſraelis, ſolus eſt ma-
nus, ſolus DEUS.

Theſin hanc probat Scriptor ſacer non ar-
umentis metaphyſicis, ex abſtractis ideis, non
gumento illo Carteſii, quod in ipſa Republi-
a Literaria ſuum pro & contra patitur, ſed, ut
ota Scriptura Sacra, ad captum & conuictio-
em omnium, ex operibus. *In cujus manu*
ınt abſtruſiſſima terræ, מֶחְקְרֵי־אָרֶץ, *inueſtigatio-*
es terræ, *penetralia terræ*, LXX. τὰ πέρατα τῆς
ῆς, *fines terræ*; Retecta ſunt oculis ejus ima
iſcera terræ, cauitates omnes, hydrophylacia,
olumnæ, quibus fulcitur, ædificii, cujus te-
tum incolimus, & vix nouimus, baſes, abyſſi,
uæ omnia condidit. *Ejus* quoque *ſunt mon-*
ium cacumina, τὰ ὕψη τῶν ὀρέων. Ipſe quippe ſa-
a terraſque accumulauit, juga montium æter-
â glacie niueque texit, paſcuis pinguiſſimis
miciuit, & viridiſſimis veluti Smaragdis con-
ecorauit. *Taſius:*

— *Di Neve e di Pruine*
Sparſe ogni ſtrada, ivi ha poi fiori ed herba.
Proſſo al canuto mento, il verde crine
Frondeggia, él ghiaccio fede a i gigli ſerba
Et a le Roſe tenere.

pſe hic idem Architectus ædificium hoc mon-
oſum extruxit, cujus baſes ſunt ſtrata ſolidiſſima, *abſtruſiſſimis* illis terræ *innixa*, columnæ & pilæ fortiſſimæ, anterides prominentiæ montium laterales, muri ſaxa, imo muri mille modis variantibus colligati, conclauia ſub dio, cœlo aërique expoſita, paſcua Alpina, valles pulcherrimis floribus, odoratiſſimis herbis, veluti tapetibus pretioſiſſimis conſitæ. Structuras haſce montoſas erexit DEUS tum in prima, tum in ſecunda creatione, diluuio, veluti Pyramides, Coloſſos, monumenta potentiæ, ſapientiæ & bonitatis ſuæ, in proportionata ad reliquam terram & incolarum uſus altitudine, quam ad DEI gloriam emenſurare ſolemus partim Inſtrumentis Geometricis, partim vix tripedali baculo barometrico. *Ejus* porrò *eſt mare*, *nam fecit illud*, *& continentem manus ejus finxerunt*, αὐτȣ̃ ἐςιν ἡ θάλασσα, καὶ αὐτὸς ἐποίησεν αὐτὴν, καὶ τὴν ξηρὰν αἱ χεῖρες αὐτȣ̃ ἔπλασαν. De quo fluidarum ſolidarumque partium diſcrimine & juſtiſſima proportione alibi plura. Concluſio ſiue veritatis hujus fundamentalis applicatio extat v. 6. 7. *Agite ergo, proſternamur*, *incurui procumbamus*, *genua ſubmittamus ante conſpectum DOMINI*, *factoris noſtri. Nam ipſe eſt DEUS noſter*, *nos verò populus paſcuorum ejus & grex manus ejus.* (*Venite*, *adoremus*, *& procidamus*, *& ploremus ante DOMINUM*, *qui fecit nos. Quia ipſe eſt DOMINUS*, *DEUS noſter*, *& nos populus paſcuæ ejus*, *& oues manus ejus.*) Quod officium in genere quidem tangit omnes homines, quotquot ſunt operum DEI attenti contemplatores, & deuoti admiratores, ſed ſpecialiori ſenſu, ſtrictiori & altiori fideles. Eſt quippe hic Pſalmus Meſſiæ debitum homagium, gratiarum ſubmiſſa actio pro maximis humano generi præſtitis beneficiis.

Pſal. CII. verſ. 7. 8.

7. Similiſque factus ſum Onocrotalo (gaudenti) ſolitudine, ac buboni (agenti) in locis deſertis.
8. Vigilo (equidem) & ſimilis ſum paſſeri ſeorſim agenti in tecto.

7. Similis factus ſum Pelicano ſolit dinis: factus ſum ſicut nyctic rax in domicilio.
8. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſ ſolitarius in tecto.

Iconem en animæ tentationum fluctibus agitatæ, fame & deſiderio gratiæ diuinæ anxio laborantis & tantum non confectæ. v. 4. *Dies mei abſumpti ſunt ut fumus*, qui vel à ſolo aëre agitato diſſolutus breui diſparet, imo proprio inteſtino motu conſumitur, adjuuante inſuper calore; ita & homo, fumus & umbra, quem angunt peccata propria, conſumunt juſta DEI judicia, exæſtuant in eo viſcera, carent requie oſſa. *Oſſa mea ut focus exuſta ſunt.* Verſ. 5. 6. *Cor meum percuſſum exareſcit ſicut fœnum, usque adeò, ut ſim oblitus cibum capere. Oſſa etiam mea & caro mea cohæreſcunt præ gemitibus meis. (Oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.)* Nunc pergit Pſaltes.

Verſ. 7. *Similis factus ſum Onocrotalo (gaudenti) ſolitudine.* LXX. πελεκᾶνι ἐρημικῷ. De hac aue קָאַת *kaath* & variantibus de ea opinionibus legatur Lev. XI. 18. Quadrant ſcopo præſenti & animæ de ſalute anxiæ, tentationibus preſſæ *Onocrotalus* & *Ardea*, ea cumprimis ſpecies, quam *Butaurum*, Itali *Trombono* & *Tarabuſa*, *Terrabuſa*, Germani *Rohrdommel*, *Lorind* vocant; ſunt quippe aues hæ terribili boatu inſignes. Butaurum præfert *Beza:*

Je ſuis au Butor ſemblable.
Du deſert inhabitable.

Obſtare videtur locus, ſunt quippe hæ aues aquaticæ, ſed in deſertis habitat קָאַת teſtibus Pſalte, Jeſaia XXXIV. 11. *Poſſidebunt eam Ibis* (ardeæ ſpecies) קָאַת *& caſtor, bubo, & coruus habitabunt in ea. Et extendet ſuper eam regulam inanitatis, & lapides vacuitatis. (Et poſſidebunt illam Onocrotalus, & Ericius, & Ibis, & Coruus habitabunt in ea: & extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem.)* Zeph. II. 14. *Onocrotalus & Caſtor in ornamentis liminum degent, vox canet in feneſtra ſolitudinis, in limine, quoniam Cedrum eruet. (Onocrotalus & Ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur ejus.)* Quibus binis locis prædicitur deuaſtatio Idumææ atque Aſſyriæ. Notandum, non omne deſertum eſſe aridum, ſed dari paludoſa, auibus prænominatis amic Ex vaſtiſſimis deſertis ſunt interiora *marmaric* & tamen in iis memorat *Ptolemæus Cleartis p ludem*, *Lacci paludem*, *Lycomedis paludem.* S & offenderunt Iſraelitæ in Arabiæ Deſerto aqu in Mara & Elim. Exod. XV. 23. 27.

De aue כּוֹס, *Cos*, vid. Leuit. XI. 17.

Tertia auis eſt צִפּוֹר, *tſippor*, *paſſer.* *Vigil & ſimilis ſum paſſeri ſeorſim agenti in tecto.* LXX ὡσεὶ ϛρουθίον μονάζων ἐπὶ δώματι, Vulgata, *ſicut pa ſer ſolitarius in tecto. Apollinaris:*

Ἢ ϛρουθόν τιν᾽ ἄυπνον ἐόντ᾽ ἐν δώματι μοῦνον.

Aut paſſerem aliquem, qui inſomnis eſt in tect ſolus.

Deſcribit hanc auem *Suidas* ut timidam, δειλ ὄρνεον, qui præ curis & metu dormiat parum ὑπὸ ἀγωνίας ἐλαύνει τὸν ὕπνον. Appoſitè ad ſtatum Pſaltis præſentem, notum quippe, non in u tramuis, imo ne in alterutram, aurem dormi re, qui conficitur curis, propter fluidi nerue in exteriorem corporis peripheriam influentis prædominium. Exemplo ſunt Hypochondriaci, Melancholici, tentationum aculeis puncti. Conjectante *Bocharto* à voce μόνιος, *ſolitarius*, Galli deriuarunt paſſeris, quo utuntur, nomen, *Moineau. Hieronymus* in hoc nullam paſſeris expreſſam facit mentionem, *fui ſicut auis ſolitaria ſuper tectum.* Ex Judæis nullus paſſeris agit procuratorem. Et ſanè ex præcedentibus colligi poſſe videtur, loqui Pſaltem potius de ſolitariis auibus nocturnis, quæ interdiu ſomnum capiunt, noctu vigilant, ſed quoque terribiles edunt clamores, quæ circumſtantiæ non fauent paſſeri. Forſan igitur *tſippor* nomine intelligi debet *noctuæ* vel *bubonis* ſpecies, de quibus conſtat, noctu inſidere tectis, & clamore ſtrepere terrifico. *Noctu noctua canit ac vigilat. Varro Ling. Lat.* L. IV. Eſt porrò bubo ſolitaria auis, non gregale animal. *Virgil.* L. IV. *Æneid.*

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Viſa queri, & longas in fletum ducere voces.

De

e ululatu alia en ex Veteribus teſtimonia.
uid. *Metam.* L. VI. *Fab.* 4.

- - - - tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine ſedit.

in *Ibin.* v. 223.

Sedit in aduerſo nocturnus culmine bubo.

bullus L. I. *Eleg.* 6.

- - è tectis ſtrix violenta canat.

opert. L. IV. Epiſt. Arethuſæ ad Lycotam.

Siue in finitimo gemuit ſtans noctua tigno.

irgil. *L. I. Georg.*

- - - - - de culmine ſummo
Nequicquam ſeros exercet noctua cantus.

Imo verò, ſi Hiſtoriolis fides, eſt hæc feralis & Prophetica, futurorum malorum prænuntia auis. Notum eſt ingens, quod A. 1652. Tiguro accidit ex diſploſa turris caprariæ ſtructura, puluere pyrio à fulmine accenſo, prædictum, ut voluere, à flebili bubonum ibi nidulantium ululatu. Ante *Commodi*, Imperatoris obitum, *bubo ſupra cubiculum ejus deprehenſus eſt tam Romæ quam Lauinii. Lamprid. & Dio in Commodo.* ὁ βύας ἐπ' ἀυτȣ ἐβυξεν. *Bubo ſuper illud* (Capitolii tectum) *bubulauit.* Actiacum bellum prænuntiaſſe fertur ulula Templo Pacis & aliis quoque ædibus ſacris inſidens, teſte eodem *in Auguſto.* Idem memorat *Ammianus* de morte *Valentiniani* L. XXX. *Apud Sabariam eodem adhuc conſtituto bubo culminibus regii lauacri inſidens, occentansque funebria.* Diſtinguerem, ſi philoſophari heic licet, inter incendia, bella, & hujusmodi calamitates alias, quæ fortuito contingunt caſu, & Principum aliorumue mortalium ultima fata, atque ex lethaliter decumbentium corporibus exhalare effluuia, quæ ſentiant allectæ forſan ab iis aues ferales, haud negauero.

Pſal. CII. verſ. 26. 27. 28.

26. Nam primùm terræ fundamenta jeciſti, & cœli ſunt opus manuum tuarum.
27. Quæ interibunt, Tu autem perſtas, & uniuerſa ut veſtis veteraſcunt, teque immutante illa immutantur.
28. Verùm Tu idem es perpetuò, & anni tui non finiuntur.

26. Initio tu, DOMINE, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.
27. Ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.
28. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

Sunt *æternitas* & *immutabilitas* DEI duo eſſentialia DEI attributa, nitunturque ſumma Entis Summi perfectione. Id proin, quod aliquando cœpit eſſe, quod mutationi eſt obnoxium, quod aliquando definet eſſe, DEI nomine venire nequit. Satis ſuperque demonſtratum hactenus, eſſe eum, qui *terræ fundamentum jecit, & cœlos* tanquam *opus manuum ſuarum* condidit, infinitè potentem, infinitè ſapientem, per conſequens DEUM. Argumento id eſt omnibus hominibus, ſanâ prædítis ratione, ut ſeſe Monarchæ huic cœli & terræ potentiſſimo deuotiſſimi ſubdant; ſolatio fidelibus, ut colant hunc ſuum DOMINUM & DEUM, in omni tentatione ei confidant, verâ fide & infucatâ pœnitentiâ ejus gratiam quærant & amplectantur.

Quorſum oculis circumſpicimus cunque in magnifico hoc mundi theatro, mutata videmus & mutabilia omnia: mortales nos ipſi morimur naſcentes, mutati in momenta: umbræ ſumus ambulantes: ſuccedit una generatio alii. Easdem ſubeunt mutationes animalia & plantæ. Terra integra, qua latè patet, inſignes ſuſtinuit mutationes cumprimis in diluuio, ſuſtinetque indies. Oculos ſi attollamus ad ſydera, mutationes obſeruamus in Fixis, Erraticis, Sole, Cometis, quæ quidem innoteſcunt propius Aſtronomis, qui teleſcopiis veluti ſcalis cœlos ſcandunt. Eò autem, quo oculi ipſi armati pertingere nequeunt, ducit nos Scriptura Sacra, quæ ipſa cœlorum palatia, veteribus Philoſophis incorruptibilia, mutabilia ſiſtit. *Interibunt, Tu autem perſtas, & uniuerſa ut veſtis veteraſcunt, teque immutante illa immutantur.* Non de annihilatione loquitur Pſaltes, ſed de immutatione, renouatione: dabit ἀλλοίωσις hæc nouos cœlos, terram nouam, de quibus alibi. Ubi agitanda erit quæſtio, num ad uniuerſam mundi fabricam ſeſe extenſura ſit alteratio hæc,

de qua Pſaltes, & ex eo Diuus Paulus Hebr. I. 10. 11. 12. vel ad terræ verticem ſolum. Paulina allegatio ita ſe habet: Σὺ κατ᾽ ἀρχὰς, ΚΥΡΙΕ, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας. Καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σου εἰσὶν οἱ οὐρανοί. Ἀυτοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις. Καὶ πάντες ὡς ἱμάτ[...] παλαιωθήσονται. Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς, [...] ἀλλαγήσονται. Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, καὶ τὰ ἔτη σου οὐκ ἐκλ[...]ψουσι. Prorſus uti LXX. in Textu noſtro.

Pſal. CIII. verſ. 5.

Et os tuum ſuauitate implet, ut recuperes juuentam tuam ſicut aquila.

Qui replet in bonis deſiderium tuum renouabitur, ut aquilæ, juuentu[s] tua.

Non eſt temporis vitæque momentum, quo non ſufficientiſſimam habeat cauſam homo gratias agendi DEO deuotas pro creatione, conſeruatione, pro corpore ſuo infiniti artificii, pro anima rationali & immortali, ejusque pretioſiſſimis donis in ſtatu ſano atque ægro, præſertim verò gratiæ, ſi nempe vitam agat rationi conuenientem, Legibus à DEO latis congruam, in intimis animæ ſuæ penetralibus ſentiens ſanctificantis afflatus diuini principia & incrementa. *Prædica* DOMINUM, *anima mea, & omnia viſcera mea Nomen ejus ſanctiſſimum. Prædica* DOMINUM, *anima mea, & non obliuiſcere omnia, quæ in te contulit. Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui ſanat omnes morbos tuos. Qui vindicat ab interitu vitam tuam, & undique te cumulat benignitate & miſericordia.* (*Benedic, anima mea,* DOMINO: *& omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Benedic, anima mea,* DOMINO, *& noli obliuiſci omnes retributiones ejus: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.*) Ita ſonat Pſalmi noſtri, qui unus eſt ex præcipuis gratiæ diuinæ encomiaſticis, frontiſpicium. Verſ. 1-4. Quæ ſequuntur proximè verba: *Qui os tuum ſuauitate implet*, ὁ ἐμπιπλῶν ἐν ἀγαθοῖς τὴν ἐπιθυμίαν σου, neque gratulationi ſunt, neque ſolatio, auri cœcis amore, qui ingentia lucra captant, non molli diffluentibus luxu, non voluptatum mancipiis, quæ ventri ſeruiunt, & diu noctuque cuticulam curant.

Ut recuperes juuentam tuam ſicut aquila, ἀνακαινισθήσεται ὡς ἀετοῦ ἡ νεότης σου. Explicandum heic, quid ſit renouatio aquilæ. Non ea mens eſt Scriptoris ſacri, quod auium hic Rex ſenectâ depoſitâ reapſe rejuueneſcat; rejuueneſcit is, vel quaſi, ἀνακαινίζεται, quoties excidunt ei plumæ veteres, & ſuccreſcunt nouæ. Ita ſenectutem exuit ſerpens, exuuiis verno tempore depoſitis, nouâ veſtitus cute: quando nempe brumâ rigente contrahitur corpus, cutis exterior abſcedit, quam integram ſæpe offendas ad ſepes. *Exuuias* haſce *ſerpentis* ipſi Græci vocarunt γῆρας, Romani *ſenium*, *ſenectutem*. Sic & renouatur homo, quoties graui ſuperat[o] morbo abſcedit Epidermis, excidunt pili; in al[]tiori ſenſu, quoties exuuiis veteris Adami de[]poſitis noua fit creatura, καινὴ κτίσις. Senſus hi[c] eſt verborum Textus planiſſimus, & ſimpliciſ[]ſimus, nullis inuolutus tricis. Ridiculas en[] Doctorum recutitorum fabulas! *Saadiæ* apud *Kimchium*, aquilam æſtu nimio incaleſcentem, quoties nempe ſphæræ illi imaginariæ ſupremæ ignis propius aduolat, ſeſe præcipitare in mare, refrigerari ibi & renouari, ut nouæ ſuc[]creſcant plumæ, ſcilicet loco veterum fortè ab intenſo illo elementi rapacis calore exuſtarum: contingere id quotannis ad annum usque centeſimum, ſeculo autem præcisè elapſo denuò præcipitatam alitem interire. Hujusmodi ſuperfinas hyper-philoſophicas gloſſas lege quoque in *Porta Cœli* f. 22. Hæ ſi minus arrideant, adi *Damirem*, Scriptorem Arabem, docebit is te, *Melanaetum* ſenem, debilem & cœcum juuenum alis portari ad Indos, ad certum quendam præalti montis fontem, in quo excidant plumæ, ſuccreſcant nouæ, redeat viſus. Hujusmodi aniles pueriles ue fabulas adoptarunt naturæ rerum parum periti Patres. Lege Auctorem *Epiſtolæ ad Præſidium*, quem *Hieronymum* eſſe nonnulli volunt: *Euſtathium in Hexaemeron.* p. 27. *Epiphanium*. Sanior eſt *Auguſtinus in Pſal.* CII. interire fame aquilam ſenem, ex roſtro ſuperiore accreſcente, ni eo ad petram detrito eſu vires collapſas reficeret. Docent hæc Naturæ Conſulti *Ariſtot. Hiſt. Animal.* L. IX. c. 33. *Plinius* L. X. c. 3. *Horus Apollo* L. II. c. 92. Neque tamen huic ipſi traditioni nimium confidit diuus Pater, quod ex ſequentibus conſtat ejus verbis: *Renouabitur juuentus noſtra ſicut aquila, tantummodo nos vetuſtatem noſtram ad petram conteramus. Siue illa vera ſunt — quæ dicuntur de aquila, ſiue ſit fama potius hominum quàm veritas. Veritas eſt tamen in Scripturis, & non ſine cauſa hoc dixerunt Scripturæ. Nos, quicquid illud ſignificat, faciamus, & quam ſit verum non laboremus.* Saniſſimus omnium *Hieronymus in Jeſ.* XL. *Crebrò diximus, aquilarum ſenectutem reuireſcere mutatione pennarum.*

Pſal.

Pſal. CIII. verſ. 11. 12.

Nam quanto interuallo cœlum altius eſt terra, tantum præualet benignitas ejus erga timentes ipſum.
Et quàm longè diſtat ortus Solis ab occaſu, tam longè remouit à nobis ſcelera noſtra.

11. Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.
12. Quantum diſtat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

NUnquam prorſus poterit cœlorum expanſio ſemper finita in parallelo poni cum infinita DEI bonitate, ſiue per שָׁמַיִם *ſchamajim* intelligamus lum aëreum, ſiue æthereum illud ſyderibus erjectum. Aſcendit illud ad pauca duntamilliaria, &, ſi altius ſcandat Lunam verſus, extenuatur, ut tandem fere pro vacuo hari queat, in diſtantia 50000. milliarium, quæ Lunæ à terra. Superius illud æthereum, idiſſima vacuo ſimilis materia, in qua corra Planetica natant, eſt nobis quidem imenſum; ſuos tamen fines habet cœlum ſola-, ſuos habebunt cœli Fixarum, ſed nobis ortalibus incognitos. Sed bonitas DEI eſt, DEUS ipſe, immenſa prorſus: haud capiunt m omnium cœlorum cœli, ſed neque dimentur bonitatem ejus. Senſus proin Pſaltis : erit, non poſſe nos unquam comprehenre, vel emenſurare τὸ βάθος, τὸ ὕψος, τὸ μῆκος bonitatis, ita ſapientiæ, potentiæ, aliarum EI perfectionum, ut omnibus noſtris experientis & ratiociniis emenſurare nequimus, neque dimetiemur unquam magnitudinem & amplitudinem cœli materialis.

Ita quoque intelligenda venit diſtantia *Ortus ab Occaſu*. Sunt hæ loquendi formulæ generales, ſeſeque protendunt non duntaxat à terra ad Solem, quæ diſtantia quadantenus eſt cognita, ſed plus ultra: in limitibus vorticis ſolaris conſtitutis nobis licet protendere ulterius Lineam Ortus & Occaſus in alios Fixarum cœlos, & in infinitum usque, quod quidem cogitando aſſequi nequimus.

Si quis fortè ex Textu ab infinita DEI bonitate argumentaretur pro infinitate mundi, is ſciat velim ex antedictis, claudicare conſequentiam. Sint Philoſophi, qui mundum ſtatuunt infinitum, cum infinitate DEI compatibilem. Infinities tamen diſtant æra lupinis. Eſt DEUS infinitè potens, mundus infinitè amplus, ſed impotens. Imo, dicunt illi, eſt infinitæ extenſionis materialis productum argumentum infinitæ potentiæ DEI. Infinitatem quandam obſeruari non ſolùm in vaſtiſſimo mundo, ſed in qualibet vel minima atomo, ejusque diuiſibilitate in infinitum.

Pſal. CIII. verſ. 14. 15. 16.

4. Ipſe enim nouit conditionem noſtram, recordans, quod ſimus (a) puluis.
(a) Jezer propriè ſignificat opus figlinum.
5. Hominis ætas fœno ſimilis eſt, floretque, ut flos in agro.
6. Qui nullus erit, quum eum ventus peruaſerit, neque (homines) loci ejus agnoſcent eum.

14. Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum; Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus.
15. Homo ſicut fœnum dies ejus: tanquam flos agri ſic efflorebit.
16. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.

IMaginem ecce! hominis caduci, miſeri, ὁδηγὸν ad DEI potentiam conſeruantem, atque miſericordiam; lectionem pro nobis, quotquot ſumus, mortalibus, terræ ermiculis, imo puluiſculis, ut non nos eleuenus unquam ſupra nos, ſupra conditionem noſtram, ut commendatam habeamus τὴν αὐτογνωσίαν, ut nos humiliemus deuoti. Fac *floreamus*, ut multicolores *in agro flores*, in honoribus, diuitiis, dominio, voluptatibus, eſt tamen *ætas noſtra fœno ſimilis*, cadit vita, *cum ventus* aduerſitatum, morborum, tentationum,

variorum malorum *peruaſerit*, *nulli ſumus*, *neque loci noſtri agnoſcunt nos.* Ubi ſteterimus, ubi floruerimus, ignorabitur.

Sic roſa, ſic violæ prima moriuntur in herba,
Candida nec toto lilia menſe nitent.

Marceſcunt nempe hi flores & cadunt, afflante leui vento vel calido nimis, vel frigido. Caue cogites, interire pari modo animam, quæ immortalis eſt, ſed ita, ut quouis momento pendeat à ſuo Creatore. Eſt corpus hominis, cum aliis collatum, exiguum, exiguitati commenſurabilis eſt infirmitas, infirmitati miſeria & corruptio. Nihilo cingitur homo undique, reſpectu præteriti non eſt amplius, reſpectu futuri nondum eſt, ratione præſentis partim eſt, partim non eſt. Homo in vario ſuo ſtatu miſer eſt totus, peccato obrutus in conceptione, laboribus in partu, ærumnis in vita, ſorbendus ab ineuitabili letho. Addunt ſin læ ætates noua miſeriarum momenta; Inf tia eſt ignorantia & obliuio ſui, adoleſcentia ror breuis, ſenectus mors languens. Omn quæ eum ambiunt, finem minantur: mo ſemina latent in aëre, alimentis, in vita ip quæ ſe conſumit ipſam. Eſt mors ipſa fi tot, quæ ſuperauimus, periculorum, nauf giorum, morborum. Naſcentes morimur, nisque ab origine pendet; morimur contin & vitam ipſam non ſentimus, niſi perden Mortui ſumus, dum viuimus, intuitu tot an corum, filiorum, parentum, quos amiſimu tot voluptatum, quas guſtauimus. In hac ta vix aliud nobis agere licet, quàm venia petere abeundi ab aliis. Legatur *Abbadie A de ſe connoitre ſoy mêmes*, in quo aliqua ex h cogitatis me legiſſe memini.

Pſal. CIV. verſ. 1.

Anima mea, prædica DOMINUM, DOMINE, DEUS meus, (rebus geſtis) maximus es, (&) gloriam atque decus induiſti.

Benedic, anima mea, DOMINO: DOMINE, DEUS meus, magnificatus es vehementer. Confeſſionem & decorem induiſti.

Isdem prope radiis Gratiæ Gloriæque Diuinæ encomiaſticis fulget frontiſpicium Pſalmi CIII. *Prædica DOMINUM, anima mea, & omnia viſcera mea Nomen ejus ſanctiſſimum.* Ibi laudat DOMINUM Pſaltes ex opere redemptionis gratioſiſſimo, heic ex operibus creationis & conſeruationis potentiſſimis ac ſapientiſſimis. Locum ibi habet Theologia reuelata, heîc naturalis. Præfigunt & Græci Interpretes hanc inſcriptionem huic Pſalmo: Ψαλμὸς τȣ̃ Δαβὶδ ὑπὲρ τῆς τȣ̃ κόσμȣ συςάσεως. In priori ſchola conuerſatur homo de propria ſua & proximi ſui ſalute, hancque operatur metuens ac tremens, & pro obtenta laudes decantat, & gratias agit DEO ſoſpitatori. Heic contemplatur opera DEI in natura, uſui ſuo applicat, & elogia canit Creatori atque Conſeruatori potentiſſimo, optimo. Legat cum attentione βιβλιόφιλος Caput primum Geneſeos, Librum integrum Hiobi, Pſalmum CIV. cujus Commentarium nunc inchoamus, innumera alia Sacri Codicis loca, apparebit ei luculenter, magni habitam fuiſſe Theologiam Naturalem à viris DEI, magno molimine cultam. In Verbo DEI reuelato prodit ſupremum Numen veluti ex abſcondita Majeſtatis ſuæ luce, ſeſeque hominibus manifeſtat in Lege & Euangelio, per Miracula & Portenta, per Prophetias & Viſiones, miſſionem Filii, effuſionem Spiritus Sancti. In Libro Mundi exhibet ſeſe DEUS tanquam in ſpeculo hominibus quibusuis, ipſis Gentilibus, omni tempore, loco omni. Enarrant & his cœli Gloriam DEI. DEUM ſi ex Libro Naturæ non agnoſcunt, culpa non recidit in Librum ipſum, ſed propriam applicationem. Opus quippe heic ratiocinio, τὰ ἀόρατ αὐτȣ̃ καθορᾶται τοῖς ποιήμασι νοȣ́μενα. Rom. I. 20. Haud interim diffitemur, eminere cognitionem illam ex Libro Gratiæ præ altera, quæ hauritur ex Libro Naturæ, veluti eminet lenta inter viburna Cupreſſus. Ignorat hæc Sanctiſſimæ Trinitatis, Incarnationis Filii DEI, aliaque hujus generis tranſcendentalia myſteria, voluntatem & Leges DEI, qua latè patent, imo tempus & ordinem creationis, lapſum hominis. Apologia nulla Chriſticolæ, qui utrùmque horum Librorum, Naturæ & Verbi reuelati, in manibus habet, & pro lubitu euoluere valet, ſicque ad duplicem pertingere cognitionem, utramque autem negligit. Quum contra, qui omnes animi vires eò intendit, ut duplicem hanc acquirat ſcientiam, cognoſcit verum DEUM, admiratur majeſtaticas ejus virtutes, credit in DEUM, gaudet & gloriatur in DEO, adorat & plenis deprædicat buccis Potentiam, Sapientiam & Bonitatem DEI, DEUM ſuper omnia laudat, colit, amat, metuit, fide in CHRISTUM apprehendit meritum ejus, & vitam agit Legi & voluntati Diuinæ congruam, eamque in ſacrificium offert quotidianum, imo horarium. Imo in momenta ſeſe excitat ipſum ad laudes DOMINI: *Prædica, anima mea, DO-*

MI-

IINUM. Et ex Pſal. CXLV. 1. 2. *Extollam , o mi DEUS, Rex, & prædicabo Nomen tuum mpiternis temporibus. Quotidie Te prædicabo, ; Nomen tuum laudabo ſempiternis temporibus. Exaltabo te, DEUS meus, Rex: & benedicam mini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per gulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen um in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.)* Pſal. XLVI. 1. 2. *Anima mea, lauda DOMINUM. uidem DOMINUM laudabo, dum viuam, pſallam DEO meo, dum ſuperſtes ero. (Lau-, anima mea, DOMINUM, laudabo DOMI-UM in vita mea, pſallam DEO meo, quamdiu ero.)* Sunt hæc elogia DEI vita ejus, gau-um, voluptas, deliciæ animæ ſuæ, vitæ æ-rnæ prægustus, ſacrificia, holocauſta, ἀνταξοσις omnibus hecatombis ſuperior, omne, iod dare poſſumus. Sed prodeat hæc laus on ex ore hypocritæ, verùm fluat ex corde rriſticolæ. *Prædica, anima mea,* DOMINUM, fit Pſaltes. Anſam huic elogio dat creatura iælibet. Exclamare licet & oportet non ſo-m ex aſpectu ampliſſimi cœlorum theatri: *uis ſimilis eſt* DOMINO, DEO *noſtro, qui in to rebus præſidet? (Quis ſicut DOMINUS, EUS noſter, qui in altis habitat?)* Pſ. CXIII. 5. d quorumcunque aliorum corporum, viliſſi-æ muſcæ. *Plurima patraſti tu,* DOMINE, DEUS *us*, ubi LXX. πολλὰ ἐποίησας σὺ, ΚΥΡΙΕ, ὁ ΘΕΟΣ, τὰ θαυμάσιά σε. Pſ. XL. 6. Sint proin deliciæ oſtræ non voluptates carnales, peccaminoſæ, d præconia DEI. Quoties cogitamus de nctiſſimo hoc & altiſſimo Nomine & Numi-, toties perfundat nos ſubmiſiſſima deuotio, tos occupet pietas, irroret ſanctitas. Diri-ntur omnes noſtri motus ad DEUM, ſic & ſideria noſtra, impetus noſtri. Colit Philo-phus Chriſtianus DEUM non duntaxat ut reatorem uniuerſi, ſed & ut Creatorem ſuum tentiſſimum, Conſeruatorem, Saluatorem timum. DOMINE, DEUS *meus*, canit Da-d. *Ego DOMINI ſum.* Jeſ. XLIV. 5. Phi-ſophus, inquam, Chriſtianus, qui oculos ſuos nul conjicit in opus gratioſiſſimum redem-ionis per CHRISTUM, Gentile ſubſiſtente in eatione & conſeruatione. Utramque ideam mbinat Dauid. Pſal. LXII. 12. 13. *Semel at-e iterum loquutus eſt DEUS, idque audiui EO eſſe robur. Quod & tibi, DOMINE, bo-tas adeſt, quodque Tu rependis cuique juxta opus um. (Semel locutus eſt DEUS, duo hæc audi-, quia poteſtas DEI eſt, & tibi, DOMINE, iſericordia: quia tu reddes unicuique juxta ope-ı ſua.)*

Præconium ipſum laudis diuinæ exprimunt ræcellentia hæc verba: *Rebus geſtis maximus , & gloriam atque decus induiſti.* ἐμεγαλύνθης όδρα, ἐξομολόγησιν καὶ εὐπρέπειαν ἐνεδύσω, *magnifica-s es vehementer, confeſſionem & decorem induiſti.* Ita LXX. Theodotio & alii μεγαλοπρέπειαν, quaſi *magnidecentiam*, Aquila ἐπιδοξότητα καὶ διαπρέπειαν, *claritatem & decorem*, Symmachus, ὕμνον καὶ εὐδοξίαν ἠμφιάσω, *hymnum & gloriam induiſti.* Inſcriptio digna portæ totius, quam Pſaltes in hoc hymno deſcribit, διακοσμήσεως mundi. Quæcunque oculis uſurpamus, ſi κτίσεις ſunt, ſi opera DEI, redibit ſummo jure ad eum omnis gloria, utpote qui omnipotenti brachio ſuo ex Nihilo omnia produxit, & hac ipſa productione infinitas ſuas perfectiones quàm clariſſimè manifeſtauit. Diſcant in hac ſchola docti pariter ac indocti, diſcant exilio mulctare Idolum Naturæ, & DEO omnia, Gloriam omnem, tribuere. *Tu naturæ DEO nomen mutas. Quanto pulchrius, ſi dixeris: DEUS hoc aut illud fecit.* Ita *Seneca* alicubi. Undique & ubique circumuolat *naturæ* nomen in Orbe Chriſtiano, in omnium verſatur ore, nullibi in Sacris Literis obuium. Reformatione eſt heic opus. Conuictus eſt de hoc præconii officio ex operum conſideratione, quisquis ea propius inſpicit, ſcrutatur profundè. Sed non ſubſiſtendum in Theoria, tendendum eſt ad Praxin, eſt omnis vita noſtra conformanda ad normam illius cognitionis. En δαδεῦχον Dauidem Pſal. XXXIII. 6. 7. *Verbo* DOMINI *cœli facti ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Congregat aquas maris ut cumulum, reponit in penetralia abyſſos. (Verbo DOMINI cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Congregans ſicut in utre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.)* Mox autem ſubdit: *Timeat DOMINUM omnis terra, metuant ab eo uniuerſi, qui habitant orbem; (Timeat DOMINUM omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem;)* ab Omnipotenti nempe, qui omnia condidit, & iterum annihilare valet. *Quia, quum ipſe dicit, fit, & quum præcipit, extat. (Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.)* Quis, quæſo, dubitet, *gloriam* omnem & *decus*, præconium omne, obedientiam noſtram deberi ei, qui Ens eſt infinitè perfectum? Quem *cœli, cœlique cœlorum non capiunt.* 1. Reg. VIII. 27. *Qui menſus eſt volâ ſuâ aquas, & cœlos palmo æſtimauit. Qui comprehendit tribus digitis puluerem terræ, & appendit montes in ſtatera, & colles in bilance. (Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?)* Jeſ. XL. 12. cui *cœlum eſt ſolium, terra verò ſcabellum pedum ſuorum.* Jeſ. LXVI. 1. Qui *altitudines cœlorum æquat, profundior eſt inferis. Cujus quantitas longior eſt terrâ, & latitudo ejus major quàm mare.*

(Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces?)
Job. XI. 8. 9.

 TAB.

TAB. DLXII.

Pſal. CIV. verſ. 2. 3.

2. Luce (namque) amictus eſt tanquam veſtimento, & cœlos ut cortinam extendit.
3. Qui cœnacula ſua contignauit in aquis, poſuitque nubes ſuum vehiculum, & (a) volat pennis venti.

(a) Ambulant ſuper pennis ſpiritus.

2. Amictus lumine ſicut veſtimento extendens cœlum ſicut pellem:
3. Qui tegis aquis ſuperiora ejus. Q ponis nubem aſcenſum tuum: q ambulas ſuper pennas ventorun

ENarrant heic Gloriam DEI cœli & corpora cœleſtia, aër, meteora aquea & aërea.

Cœli, infinitæ prope ſubtilitatis fluidum, cum vacuo potius quàm ſpatio ſolidiſſimis globulis repleto comparandum, multoties ſiſtuntur in Sacræ Scripturæ theatro. Jeſ. XLV. 12. *Ego ſum*, inquit DOMINUS, *cujus manus extenderunt cœlos, & omni militiæ eorum impero*. Et v. 19. (18.) *Sic dicit* DOMINUS *creans cœlos*. Audi & ſequere eundem Prophetam ita ad contemplationem cœlorum & cœleſtium corporum nos inuitantem. XL. 26. *Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium, & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet. (Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat, præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.)* Dauidem ipſum ἀστρόνομον Pſ. VIII. 4. *Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas Tu præparaſti.* Imo auſculta *cœlos* ipſos *enarrantes Gloriam* DEI, *& extenſionem opus manuum ejus annuntiantem.* Pſ. XIX. 1. Sunt nempe Cœli & Stellæ σιγῶντες ἐπαινέται τῆς μεγαλουργίας ΘΕΟΥ, *taciti magnificentiæ DEI ebuccinatores*, verbis *Nazianzeni*. Sunt Cœli liber apertus, Stellæ characteres omnibus hominibus legibiles. Docent nos hæc corpora non ſolùm exiſtentiam DEI, ſed & magnitudinem, gloriam, incomprehenſibilitatem, oſtendunt nobis lucem inacceſſibilem. Soli DEO, cœlorum Monarchæ, competit & jure hæc gloriatio, *ſublata manu mea in cœlum dico, viuo ego in æternum.* Deut. XXXII. 40. *Cœlum ſolium meum eſt, terra verò ſcabellum pedum meorum.* Jeſ. LXVI. 1.

Luce, inquit Philoſophus noſter, *amictus eſt tanquam veſtimento*, ἀναβαλλόμενος φῶς ὡς ἱμάτιον. Lux propriè tribui nequit cœlo κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicto, ſed quidem ſtellis flammigeris, quas inter eſt Sol. Transmittunt cœli lucem, ut remittunt Planetæ, fulgentes & ipſi, licet non propriâ, ſed mutuatitia luce. Videtur DEUS *luce amictus tanquam veſtimento* comparari Monarchæ induto ſtellis, veluti veſtimento picto croco & fulgenti murice, cum gemmis intertextis. Qui lucis naturam, proprietates & uſus attentè conſiderat, fatebitur facile, eſſe Ens totius uniuerſi nobiliſſimum, tale, quod omnibus omnium temporum Philoſophis, quotquot fuere hactenus, obſcurum manſit, manſurum forte omnibus futuris. Si quem excipere lubet, cui arcana hæc fuerint retecta, da gloriam Illuſtri *Newtono*. Quid, quæſo, foret terra, imò uniuerſus mundi orbis, absque luce, niſi maſſa obſcura, denſiſſimis inuoluta, & plus quàm Cimmeriis, tenebris? Quid oculi noſtri niſi inutile, ſuperfluum, organum? Si omnis Salomonis pompa nihil eſt comparatè ad lilium agri, Matth. VI. quid erunt omnes Principum Regumque Adamantes, Rubini, Margaritæ, omnes omnium gemmarum, auri argentique theſauri collati cum Sole, & lampadibus Fixarum ardentibus? imo nihil collati cum flamma unius lucernæ? Si autem *lux* eſt *veſtimentum* duntaxat DEI, quid, quæſumus, judicii ferendum erit de Eſſentia DEI, de Majeſtate DEI infinitè glorioſa? In hac mortalitate valet illud Exod. XXXIII. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Attamen conſpiciendum ſe præbet DEUS, lux æterna, in Verbo ſuo, in operibus ſuis, ſpeciatim luce, & corporibus lucentibus. Facundæ linguæ munere fungitur Sol, funguntur Stellæ, quinimò Cicindelæ, lignum putridum, qualeſcunque Phoſphori. Audi clariſſimum *Derham Theol. Phyſ.* L. I. c. 4. *A preſent nous pouvons contempler avec admiration les Oeuvres de DIEU, nous pouvons voir la gloire des Cieux, & regarder les beautés de nos campagnes fleuries. Le plumage charmant des oiſeaux, la parure exquiſe d'un grand nombre des Betes à quatre pieds, celle des inſectes, & des autres creatures ſe preſen-*

PSAL. CIV. v. 2. 3.
Atmoſphæra Dei armamentarium.

Pſal. CIV. v. 2. 3.
Die Dunſt-Kugel als Gottes Zeug-Hauß.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

ntent a nos yeux. Nous pouvons tracer des
rſpectives de differentes Contrées, examiner
vec admiration cette addreſſe, & cet art mer-
eilleux du Createur, qui brillent dans toutes les
rties des animaux, & des plantes. En un mot,
ous pouvons conſiderer toute l'harmonie de ce
is monde, & de ces globes, qui roulent ſur nos
tes, & contempler la Sageſſe de **DIEU** *dans*
acune de ſes creatures.

Cœlos ut cortinam extendit, ἐκτείνων τὸν οὐρανὸν
ρεὶ δέῤῥιν. Non deſcribit, luce licet diuinâ col-
ſtratus, Dauid extenſionem hanc infinitæ flui-
itatis & ſubtilitatis talem, qualis eſt, non re-
ucit ad calculos immenſa cœlorum ſpatia ſi-
eribus interjecta, non definit tenuitatem rela-
: ad cœlum aëreum: accommodat ſeſe ma-
nus Philoſophus captui noſtro, ſimplicitati
oſtræ, & extenſum hoc incomprehenſibilis &
agnitudinis & fluiditatis propius nobis ſub
mblemate cortinæ vel aulæi, quo ædium no-
rarum parietes exornamus, ſiſtit. Sed neque
ibtiliſſimus quique Philoſophus aliam adhi-
ere potuit quàm extenſi ideam, cujus quidem
articulæ quoad figuram, magnitudinem, qua-
tates alias, nobis prorſus ſunt incognitæ. Flui-
um adeò ſubtile, quod ſpatio 7. minutorum
adios lucis inde à Sole transmittit ad terram,
t absque refractione ad usque aëra noſtrum.
odem, quo Pſaltes, idiomate utitur Sacra Scri-
tura alibi. DOMINUS *extendit cœlos*. Zach.
II. 1. *Ego ſum, cujus manus extenderunt cœ-*
s. Jeſ. XLV. 12. Diſcant heic acutiſſimi qui-
ue Philoſophi ſe nihil ſcire, diſcant paucum
lud, quod ſciunt, vel etiam magno labore
rutati ſunt, conſecrare Gloriæ DEI. Confi-
ebimur, ſi quod res eſt dicere velimus, quod
aſſus eſt Jobus XXVI. 14. *Iſta duntaxat ex-*
rema ſunt viarum ejus, & quantulam portionem
udiuimus de iſto negotio? Quis autem tonitru
otentiæ illius cognoſceret? (Ecce, hæc ex parte
icta ſunt viarum ejus, & cum vix paruam ſtil-
am ſermonis ejus audierimus, quis poterit toni-
ruum magnitudinis illius intueri?) Quod ſi for-
è mortali inflati faſtu extollamus ultra quàm
ar eſt τὸ parum ſcire noſtrum, rigidum nobis-
um, ut cum Jobo, inſtituit examen DEUS,
ui ſuſtinendo impares ſumus. *Accingere quæſo*
umbos tuos ut vir fortis, & demonſtra mihi, quæ
e rogabo. (Accinge ſicut vir lumbos tuos, inter-
rogabo te, & reſponde mihi.) Job. XXXVIII. 4.
Ex Dauidicis verbis, *cœlos ut cortinam extendit*,
ninimè determinare licet figuram cœli, quæ
antopere crucem fixit priſcæ Eccleſiæ Patribus.
Non ſphæricam ſtatuere *Ambroſius Hexaem.*
L. I. c. 6. *Chryſoſtomus Homil.* XIV. *in Ep. ad*
Hebr. Theodoretus in Cap. VIII. ad Hebr. Theo-
phylactus in id. ſed cortinæ-formem, vel ex
Jeſ. XL. 22. *inſtar tentorii expanſam*, σκηνὴν, Hebr.
VIII. 2. Quin imò ad duellum, ſed incruen-
tum, prouocat *Chryſoſtomus* eos, qui ſphæri-
cam figuram cœlo adſcribunt. Πῶς εἰσιν οἱ σφαιρο-
ειδῆ οὐρανὸν εἶναι ἀποφαινόμενοι; Audi excuſſo torno paratam deciſiuam ſententiam Diui *Hieronymi* L. III. *Comm. in Galat.* c. 5. *Eſt in Eccleſia ſtultiloquium, ſi quis cœlum putet fornicis modo curuatum, Eſaiæ, quem non intelligit, ſermone deceptus.* Quum contra Carteſiani pariter atque recentiores alii Philoſophi totum uniuerſum diſpeſcant in vortices ſphæricos, vel ellipticos, imo illi particellis cœli ſingulis globularem figuram aſſignent. En quò delabamur, ſi metaphoricas ſæpe Sacræ Scripturæ locutiones explicare velimus ad literam! Heic ſanè cœlum repræſentandum foret nobis ſub idea veli vel aulæi expanſi, vel & tentorii conici polygonius. Eſt cœlum expanſum ſubtile, ſed in omnes plagas, accommodans ſeſe ſpatio ſeu loco cuilibet, figuræ cujuslibet, ut fluidum quodque vaſi, quo continetur. Imo, ſi vera dicere velimus, certi nihil pronuntiare poſſumus de figura cœli ſolaris, terræ, fixarum, quoniam termini horum cœlorum nobis ſunt incogniti. Ad ſubtilitatem potius expanſi hujus reſpicere videtur Pſaltes, quàm ad figuram, & ex illius conſideratione nos ducere ad θεογνωσίαν, inuitare ad laudes DEI: & ſcopo haud excidit, licet non præciſè demonſtret Mathematicam cœli formam. Oculis ſi fides eſt, cœlum fornicis figuram habet, & nemini non conſtat, eſſe hunc ipſum fornicem cœli non ætherei, ſed aërei, imo formam hanc ipſam meram eſſe viſus fallaciam, colorem cyaneum opticæ particularum aërearum condenſationis effectum. Admirationem ſi excitat vitrea illa Archimedis ſphæra, in qua Stellæ tum erraticæ tum fixæ ſuis quæque locis affixæ & motæ fuere effigiatæ; ſphæra illa Janelli Cremonenſis 1500. æneis circulis inauratis inſtructa, quam Carolo V. præſentauerat; ſphæræ modernorum armillares & ſolidæ, automataue alia, quæ Fixarum exhibent ſitum, ordinem, motum: quæ non admiratio ſubire debet mentes noſtras ex conſpectu cœli ſtelliferi prototypi, ubi non adſunt rotæ & pondera appenſa, non ænei circuli, ſed immenſæ molis corpora in fluidiſſimo nullius reſiſtentiæ, per conſequens Planetas minimè dirigente cœlo, inde ab exordio mundi ad noſtra tempora, haud interrupto ordine natantia, nec unquam vel latum, ut ajunt, unguem extra orbitas ſuas vagantia? Si cui lubet ad literam explicare *lucem* tanquam *veſtimentum*, & *cœlos* tanquam *cortinam*, ei ſubſidio venire poterit Philoſophia *Newtoniana*. Heic poterunt diuerſi & multicolores radii, quibus omnia cœlorum ſpatia ſunt perfuſa, peraptè repræſentare veſtem Tyrio murice ſaturatam, Arabico lucentem bombyce, Oſtro auroque rigentem. Quamuis colores illi omnigeni, tam homogenei quàm heterogenei, inconſpicui ſint in cœlo ipſo, conſpicui duntaxat veluti in ſuis extremis penicillis, in corporibus ipſis coloratis.

Deſcendimus, duce Dauide, ex cœlo immenſæ & magnitudinis & tenuitatis altiſſimo ad aëreum noſtrum & nubiferum. *Cœnacula ſua contignauit in aquis, poſuitque nubes ſuum vehiculum, & volat pennis venti.* ὁ ςεγάζων ἐν ὕδασι τὰ ὑπερῷα ἀυτȣ͂, ὁ τιθεὶς νέφη τὴν ἐπίβασιν ἀυτȣ͂, ὁ περιπατῶν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων. *Qui tegit in aquis ſuperiora ejus, qui ponit nubes aſcenſum ſuum. Qui ambulat ſuper pennas ventorum.* LXX. His meteoricis ſimul & metaphoricis locutionibus iterum repræſentatur, & veluti depingitur, Diuina Majeſtas in aëre, ventis ac nubibus: ſupra fuit ſtelliferum cœlum DEI πολύςικτον veſtimentum: heic cœnacula adornat & occupat ὁ παντοκράτωρ in aëre; ſunt nubes ipſæ vehiculum, præteruolans axe leui, promotum alis ventorum. Confirmat hic Textus ſenſum Gen. I. 6. ubi τὸ רָקִיעַ Moſis, *expanſio in medio aquarum*, non tam explicari debet per cœlum ſtelliferum, & aquas ei circumfluas, ſed potius per atmoſphæram noſtram, ut aquæ ſuperiores per nubes. *Pluuia* ſanè illa *quadraginta dierum, cœli feneſtris (cataractis) apertis*, ſuper terram effuſa, Gen. VII. 11. 12. non delapſa fuit ex aſtrifero cœlo, ſed ex nubibus, cœlo aëreo. Ita & intelligendus locus Pſal. XVIII. 10. *Flectebat cœlos, atque deſcendebat, ſub pedibus ejus caligo.* Jer. X. 13. *Quum ille vocem dat, ingens aquarum vis in aëre coit, & eleuat nubes ab extremitate terræ. (Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ.)* Job. XXVI. 8. *Cohibet aquas in ſuis nubibus.* Conſiderat nempe heic & Pſ. XVIII. θεόπνευςος Pſaltes aërem, nubes, meteora alia ut armamentarium, imo exercitum DEI, imo irati DEI, qui ubi ſeſe dimittit in nubibus, terræ appropinquat. Tunc nempe *de fulgore, qui coram eo eſt, nubes ejus pertranſeunt, grando & carbones igniti;* Tunc *ejaculatur ſagittas, diſjicitque eos*, comparent *fulgura multa, quibus conſternatos* homines *reddit, profundiſſima aquarum receptacula, reteguntur orbis fundamenta ab increpatione DOMINI, à reſpiratione flatus naſi ſui. (Præ fulgore in conſpectu ejus nubes tranſierunt, grando, & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum, ab increpatione tua, DOMINE, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.)* Pſ. XVIII. 13. 15. 16. In Textu noſtro magnifica ſiſtuntur opera creationis, opera DEI non irati, ſed magni & glorioſi: Palatia, currus, in nubibus, cunctis terræ Principibus inimitabilia: Hydrophylacium ampliſſimum, quod toti terræ uſui venit. *Tribuite*, o mortales, DEO *fortitudinem, cujus magnificentia eſt ſuper Iſraelem, cujus fortitudo eſt in æthere. (Date gloriam DEO, ſuper Iſrael magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.)* Pſ. LXVIII. 35. Hoc vehiculo DEUS haud ſemel eſt uſus: Moſi acceſſerat in denſa nube: Nubibus & igne cinctus in monte Sinai: Columna nubis Iſraelitarum fuit ὁδηγὸς per deſertum: nube comparuit DEUS in Sanctuario Exod. X Num. IX. X. XIV. XVI. Ex nube loquutus DEUS in noui fœderis Oeconomia de Fili Matth. XVII. CHRISTUS ipſe nube ceu vehicu aſcendit in cœlum, reuerſurus ultimo judi die ἐν νεφέλαις ȣ̓ρανȣ͂. In nubibus conſpicienda ſe offerunt maria ingentia ſuſpenſa & natanti de quibus fuſius ad Job. XXVI. 8. Vitam pro trahimus medii inter bina maria, ſuperum inferum. Quoties itaque adſpicimus nube toties commemoranda veniunt beneficia inge tia DEI, adoranda ejus potentia & bonitas, juſtitia, quæ aquis ex nubibus effuſis peſſun dedit terram primæuam. In parem nos r piant admirationem, non minorem excitent i nobis deuotionem multi & pretioſi, quos a *aëre* trahimus, uſus, terræ, terricolis, animan tibus, plantis, abſolutè neceſſarii, de quibu alibi plura. Qui vel obiter elementum hocc conſiderat, miracula videt miraculis accumu lata, miracula in ejus proportionata ad terran altitudine, fluiditate, denſitate, elaſticitate, con ſtanti æquilibrio, & tamen variato in momen ta, miracula in omnibus quatuor anni tempo ribus, in conſtitutionibus ordinariis & inſolitis, in omnibus Climatibus, Meteoris omnibus. Ex quibus memorat Dauid *ventos. Volat* DEUS *pennis venti.* De horum cauſis, effectibus, varietatibus in diuerſis Regionibus actum eſt paſ ſim. In omnes quadrat inconcuſſa veritas, quam ex ſanctiſſimo ore protulit Saluator Joh. III. 8. τὸ πνεῦμα ὅπȣ θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν ἀκȣ́εις, ἀλλ᾽ ȣ̓κ οἶδας, πόθεν ἔρχεται, καὶ πȣ͂ ὑπάγει. Fatebuntur mecum omnes Philoſophi, DEUM eſſe, qui *educit ventos de receptaculis ſuis, (theſauris ſuis.)* Jer. X. 13. Qui *eleuat nubes ab extremitate terræ — educitque ventum è ſuis theſauris.* Pſ. CXXXV. 7. Haud ignorabant id Gentiles, Æoli adoratores. Audi *Senecam Quæſt. Nat.* L. V. c. 17. 18. *Inter cætera prouidentiæ opera hoc quoque aliquis ut dignum admiratione ſuſpexerit. Non enim ex una cauſa ventos aut inuenit, aut per diuerſa diſpoſuit. Sed primum ut aëra non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilem redderent, vitalemque tracturis. — In hoc prouidentia ac diſpoſitor ille mundi DEUS aëra ventis exercendum dedit — non ut nos Claſſes partem freti occupaturas compleremus milite armato — Dedit ille ventos ad cuſtodiendam cœli terrarumque temperiem, ad euocandas ſupprimendasque aquas, ad alendos ſatorum atque arborum fructus, quos ad maturitatem cum aliis cauſis adducit ipſa jactatio, attrahens cibum in ſumma, &, ne torpeat, promouens. Dedit ventos ad ulteriora noſcenda: fuiſſet enim imperitum animal, & ſine magna experientia rerum homo, ſi circumſcriberetur natalis ſoli fine. Dedit ventos, ut commoda cujusque regionis fierent communia, non ut legiones equitemque geſtarent, nec ut pernicioſa gentibus arma transueherent.* Eſt ventorum impetuoſa vis ſymbolum

olum infinitæ inuiſibilis DEI potentiæ: tanta s, quæ *confringit marinas naues, (conterit na- s Tharſis.)* Pſ. XLVIII. 8. Arbores craſſiſſi- mas radicitus extirpat, ædes & turres proſternit. Et quidni? ſi DEUS ipſe *pennis venti volat.*

Pſal. CIV. verſ. 4.

Qui (*a*) legatos ſuos effecit Spiritus, & miniſtros ſuos ignem flammantem.

(*a*) Vel, Angelos.

Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.

LXX. ὁ ποιῶν τὰς ἀγγέλες αὐτῆ Πνεύματα, καὶ τὰς λειτεργὰς αὐτῆ πῦρ φλέγον. Duplici ſenſu poſſunt hæc verba ſumi, directo & inuerſo, ut in priori ſubjectum ſint Angeli, Prædicatum Spiritus, πνεύματα, venti, ignis, poſteriori venti, ignisque flammans ſint ἄγγε-, Legati, id eſt, ut omnia totius uniuerſi corpora, organa in manu DEI. Sed conſtat ex ebr. I. 7. ubi hoc Dauidis teſtimonium allegatur, intelligendos eſſe *Angelos* κατ' ἐξοχὴν ita ctos, entia ſpiritualia, ἀόρατα, de quibus nil obis innoteſcit niſi ex Verbo DEI reuelato. ocet nos inexhauſtus hic fons ſacer, duplex ſe Angelorum à DEO creatorum genus, bos & malos; comparuiſſe hos illosue haud mel ſpecie viſibili, corpore aſſumto: defeciſſe à DEO malos, qui prius fuere boni & ſani. Quæ nos latent de harum κτίσεων numero, ſubordinatione, tempore creationis, apoſtaſiæ malorum cauſa occaſionali, magnitudine corporum aſſumptorum, ea mirari potius quàm curioſius rimari licet. Id verò ex ἀγγελογραφία reuelata, ex conſideratione eſſentiæ & rium habemus, quod diſcamus, ut DEI Creaturis agnoſcamus & adoremus potentiſſimam pientiam, quæ tot diuerſa entium corporeorum & ſpiritualium genera, & ſpecies mirè variantes condidit, quæ tamen entia omnia junctim licet ſumta nihil ſunt, ſi conferantur cum, qui ſolus eſt immortalis, à ſe, æternus, EUS, qui ſolus miracula patrat.

Sterilis eſt hactenus Pneumaticæ illa pars, quæ ἀγγελογραφίαν ſeu Δαιμονολογίαν continet, licet fortè in ſe ampliſſima. Conjectare ſanè licet, eſſe entium cogitantium innumera genera, quæ ſuo ſingula modo ebuccinent laudes Creatoris; ut ſunt innumera corporum viuentium inde ab homine ad minimi puncti animalcula, ſic quoque in linea aſcendenti innumera entium rationalium inde ab homine usque ad DEUM, à quo tamen omnia quouis momento dependeant in ſuo eſſe, & conſeruari, & operari, ſemper ad nutum Conditoris parata; In Sacris ſanè occurrunt *Angeli*, *Archangeli*, *Throni*, *Principatus*, *Seraphim*, *Cherubim.* Gen. III. 24. Jeſ. VI. 1. 1. Theſſ. IV. 16. Eph. I. 21. Col. I. 16. Et quærere licet, licet haud definire, annon prænobilium harum κτίσεων aliquæ unita habeant ſubtilia corpora, ut anima unita eſt corpori noſtro? comparuere certè paſſim viſibili ſpecie. Annon huc referri debeant Genii illi, qui aliquando ſunt mortis conſpicui prænuntii, vel in inſomniis extraordinariis ſeſe ſiſtunt mentibus noſtris? Notum eſt, eſſe ſenſuum noſtrorum organa objectis viſibilibus proportionata, & ceſſare in minutiis, armata licet. A ratione proin videtur haud alienum, eſſe creaturas, quæ mundos illos nobis inuiſibiles penitius introſpiciunt, minimas aëris, aquæ, peſtiferorum μιασμάτων, radios Solis, aliaque hujus generis innumera vident, audiunt, odorantur, guſtant, tangunt, norunt: ſpatia illa cœlorum immenſa, atmoſphæram noſtram, viſcera terræ, Planetas peruagantur: quibus mundi noſtri ſub alio apparent Schemate, modificationibus aliis: quas tamen DEUS, ſupremum illud & independens Ens, creauit, nouit, dirigit, iisque imperat: in quarum notitiam & nos deueniemus, exutâ hac mortalitate, glorificati corporibus & mentibus.

TAB. DLXIII.

Pſal. CIV. verſ. 5 - 9.

5. Terramque fundauit ſuis baſibus, ut ſempiternis temporibus non moueant.
6. Abyſſum (quoque) occultauit quaſi veſtimento, ut ſupra montes ſtent aquæ.
7. Quæ fugiunt ab increpatione tua, & à ſono tonitrui tui præcipites feruntur.
8. Aſcenduntque montes, & in valles deſcendunt ad eum locum, quem eis fundaſti.
9. Terminumque præſtituiſti, quem transgredi nequeunt, ne iterum terram operiant.

N. Poſſunt etiam hi duo (poſteriores) verſus de montibus intelligi, quod ſurgant & valles ſubſidant, &c. ut Hieron. & Græci intellexerunt. Chaldæus tamen etiam de aquis interpretatur.

5. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam: non inclinabitur in ſeculum ſeculi.
6. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus ejus: ſuper montes ſtabunt aquæ.
7. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.
8. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.
9. Terminum poſuiſti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.

Deſcribitnr heic emphaticis terminis globi terr- aqu - aërei creatio tum prima, tum ſecunda, ejusque potentiſſima conſeruatio; de qua ſuo loco plura. Verſiculis 5. & 6. veluti totidem tormentis validis ſubruere tentant Ptolemaici Syſtema Copernicanum, & tres cumprimis ſuggeſtus extruunt. Videamus, quales.

In primo ſuggeſtu plantatur vox יָסַד *jaſad, fundauit. Terram*, inquit Pſaltes, *fundauit.* Inde prona inferunt conſequentia Ptolemæi aſſeclæ, eſſe terram immobilem & immotam, loco ſuo dimoueri ineptam, ædificii ad inſtar, quod baſi ſua ſtat firmum. Cui ſuæ ſententiæ firmandæ inſuper ſeruiunt *columnæ terræ*, Pſal. LXXV. 4. & alibi memoratæ. Jactum hunc non tam tormenti, quàm teli, retundunt Copernicani promptâ facilitate, negando conſequentiam. Stat & his terra fundata ſuis baſibus, & adeò firmiter, ut ne nutare quidem, nedum diſſipari queat. Stat proin & antecedens, quale in Scriptura extat, inconcuſſum. Subſcribit & ratio & experientia. *Fugiant* licet *aquæ ab increpatione DEI, præcipites ferantur à ſono tonitrui ſui; aſcendant montes, & deſcendant in valles*, perſtat tamen terra, firmiter nixa ſuis baſibus: ſiue conſideretur in partibus ſuis integralibus, ex quibus conſtat, ſiue ut Planeta. Adeò firma eſt partium ſolidarum fluidarumque compages, ut illæ diſſipari, hæ diſflari haud queant. Quamuis in imis terræ viſceribus ampliſſima ponantur hydro - & aërophylacia, non collabitur tamen ſupremus fornix. Suo ſtat loco Regio, Prouincia, Urbs quæuis. Sed columnæ terræ, quod aliàs dictum, quærendæ ſunt potius in fluidiſſimis corporibus, aëre & æthere, horumque vi grauitante, vel & interiori terræ ſtructura, quàm extra terram, utpote quæ non inſiſtit columnis propriè ita dictis, *ſuſpenſa ſuper nihilum* Job. XXVI. 7. Par ratio eſt *columnarum cœli* Job. XXVI. 11. Et ſanè ab ipſis Ptolemæi ſectatoribus naſo ſuſpenderetur adunco, qui à columnis cœli argumentari vellet pro ejus immobilitate. Sunt hujusmodi locutiones, uti & מוֹסְדוֹת *fundamenta cœlorum*, 2. Sam. XXII. 8. intelligendæ ſemper ſenſu metaphorico, naturæ rerum ipſarum congruo: notantque, quod modò dictum, nunc interiores terræ partes, ut unæ inſiſtunt aliis, uti 2. Sam. XXII. 16. *retegebantur orbis fundamenta* מוֹסְדוֹת *ab increpatione* DOMINI: & Pſ. XVIII. 16. ubi eadem occurrunt verba. Nunc ſignificat *fundare* idem quod *creare.* Ita Joh. XVII. 24. Eph. I. 4. πρὸ καταβολῆς κόσμου, *ante fundationem terræ.* Confer. Jeſ. XL. 21. *An horum rudes eſtis? An hæc non audiuiſtis? Annon à rerum primordio hoc nuntiatum eſt vobis? annon docti eſtis à jactis terræ fundamentis?* מוֹסְדוֹת הָאָרֶץ. Subinde & metaphorico ſenſu co-



Psal. CIV. v. 5-9.
Terra ſuis fundata baſibus.

Pſal. CIV. v. 5-9.
Die Erde auf ihren Grund-Veſten.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

lumnæ & fundamina terræ in Sacris cluent
incipes & Magiſtratus terræ. Huc referunt
ulti locum Mich. VI. 2. *Audite montes actio-
m (judicium) DOMINI, & firmiſſima terræ
ndamenta*, מוֹסְדֵי אָרֶץ, & Pſal. LXXXII. 5. de
eptrigeris injuſtis rerumque ignaris: *Nihil
runt, nec intelligunt, in tenebris ambulant, nu-
unt cuncta fundamenta terræ*, כָּל־מוֹסְדֵי אָרֶץ.
nc eſt, quod Hebræi אָדוֹן *Dominum* deriuent
אֶדֶן *baſi*, ut Græcorum βασιλεὺς idem eſt,
od βάσις τοῦ λαοῦ, *baſis, fundamen populi*. Idem
olemaici fatentur de Sole, quod Copernica-
pronuntiant de terra, motum licet incom-
ehenſibili planè velocitate circa terram non
fflari, vel diſſipari, ſed perſtare. Perſtat ita
oque manetque terra in ſua orbita, in ſuo
tu, ut nec in Perihelio euaporent aquæ, ne-
e congelaſcant in Aphelio.

Inſeruiunt dicta hactenus retundendo alte-
Ptolemaicorum telo, quod ſuggerit vox
מְכוֹנֶיהָ *baſes ejus*, notans propriè ſedem, lo-
m, uti & Aquila & Symmachus reddunt per
ραν: quinimò cœlum ipſum vocatur paſſim
מָכ, ſedes DEI & beatorum. Conueniunt in
& Ptolemaici & Copernicani, adſignatum
iſſe terræ à DEO certum locum, ſedem, or-
itam, è quo non diuagetur unquam.

Tertium anti - Copernicanis argumentum
bminiſtrant verba בַּל־תִּמּוֹט, *ne nutet*. Nos,
ſempiternis temporibus non moueant. Sie, die
rde, *wird nimmermehr verruckt ewiglich*. LXX.
κλίνεσθαι. Radix מוֹט ſignificat in proprio ſen-
, *motus fuit, dimotus, nutauit, vacillauit*, item
ectem, libræ ſcilicet, qui nutat hinc inde, us-
ue dum lances ſint in æquilibrio. Quadrat
erpulchrè radicalis hic ſignificatus terræ Co-
ernicanorum, utpote quæ in orbita ſua con-
anter decurrit, absque quod euagetur, &
ræterea inclinationem axeos ſuæ ſeruat ean-
em, quod demonſtratum alibi. Lucem fœ-
eratur huic Copernicanorum explicationi Pſal.
VII. 6. (5.) *Firma greſſus meos in orbitis tuis,
e pedes mei nutent. (Perfice greſſus meos in ſe-
itis tuis, ut non moueantur veſtigia mea.)* Ubi
erum neque vox מוֹט, neque intentio Dauidis,
olunt immotam unquam ſedem, vel quietem
onſtantem. Eò certè tendunt Dauidis pre-
es, ut ne latum quidem unguem euagetur ex-
ra orbitas præceptorum DEI. Ita legimus Pſ.
CXXI. 3. *Non ſinet pedem tuum vacillare* אַל־יִתֵּן
לַמּוֹט. *(Non det in commotionem pedem tuum.)*
Et Pſ. XVI. 8. *Propono mihi* DOMINUM *per-
etuò, à dextris enim mihi eſt, ne nutem*, בַּל־אֶמּוֹט,
(Prouidebam DOMINUM *in conſpectu meo ſem-
er: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear,)*
cui parallelus locus Act. II. 25. adhibet vocem
σαλεύω, fluctuum ad inſtar agitari hinc inde, *flu-
ctuare, vacillare*. Dabo id facile Interpreti-
bus, neque Ptolemaicum egiſſe Pſalten, neque
Copernicanum, obſeruabat is, & ſciebat, cer-
tius quàm illi omnes, θεόπνευστος, ſtare, perſtare,
manere terram in quocunque ſuo ſtatu, ſuſti-
nente manu potentiſſima DEI. Sufficiat no-
bis impræſentiarum oſtendiſſe, vanam eſſe Pto-
lemaicorum jactantiam, ſiquidem locum hunc
Pſaltis oggerant nobis tanquam arietem fortiſ-
ſimum, quo proſtratus penitus ſit Copernica-
niſmus. Ebuccinent Ptolemaici laudes Crea-
toris ex ſuo Syſtemate, ſed &, quod faciunt,
decantent Copernicani ex ſua Hypotheſi. Di-
ſcamus hac ipſa occaſione, καὶ ὡς ἐν παρόδῳ, ap-
plicare Scripturam Sacram ſcopo, cui eſt dica-
ta, ad præconia DEI ex operibus, ad ſalutem
noſtram, potius quàm ad deciſionem Contro-
uerſiarum Phyſicarum, aut Aſtronomicarum.
Inconcuſſa ſtat ſemper hæc veritas, ſtare, vel
moueri, terram verbo potentiſſimo DEI, ex
mandato DEI.

Spectant Verſiculi 6. 7. 8. Diui Pſaltis par-
tim creationem, quâ *terra fuit inculta ac va-
cua, tenebræque ſupra abyſſum, & ſpiritus DEI
motabat ſuper aquas. (Terra erat inanis & va-
cua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & ſpi-
ritus DOMINI ferebatur ſuper aquas.)* Gen. I. 2.
partim Cataſtrophen illam Diluuianam, qua *in-
ualuerunt aquæ, auctæque ſunt vehementer ſuper
terram — opertique ſunt omnes montes excelſi,
qui fuerunt ſub uniuerſo cœlo. (Et aquæ præua-
luerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes
montes excelſi ſub uniuerſo cœlo.)* Gen. VII. 19.
Quadrant utique verba Pſaltis: *Abyſſum occul-
tauit quaſi veſtimento, ut ſupra montes ſtent aquæ:
Quæ fugiunt ab increpatione tua, & à ſono toni-
trui tui præcipites feruntur.* Ἄβυσσος ὡς ἱμάτιον τὸ
περιβόλαιον αὐτοῦ, ἐπὶ τῶν ὀρέων στήσονται ὕδατα. Ἀπὸ ἐπι-
τιμήσεώς σου φεύξονται, ἀπὸ φωνῆς βροντῆς σου δειλιάσουσιν.
Quorſum vero aufugerint, docet v. 8. *Aſcen-
duntque montes, & in valles deſcendunt, ad eum
locum, quem eis fundaſti.* Ἀναβαίνουσιν ὄρη, καὶ κατα-
βαίνουσι πεδία εἰς τόπον, ὃν ἐθεμελίωσας αὐτοῖς. Forma-
ri namque debebat ex nucleo terræ aquis un-
dique circumfluo, plano & ſphærico, habita-
culum in montes & valles diſtinctum: Stratis
autem terræ ex conſilio & potentia immediata
DEI eleuatis refluebat aqua in caua terræ tunc
formata, quod aër recondendis illis aquis ſu-
perfluis ſuffenus haud eſſet. Nullibi debebat
terra manere aquis inundata, ſed omnis homi-
nibus animalibusque inſeruire pro commoda
habitatione. Propterea in prima creatione de-
bebant *congregari aquæ ſub cœlis unum in locum,
ut appareret continens*, Gen. I. 9. in creatione
ſecunda *reuerti aquæ de terra, & magis magis-
que decreſcere, (reuerſæ ſunt aquæ de terra, eun-
tes & redeuntes.)* Gen. VIII. 3. Utrobique ve-
rò DEUS *terminum præſtituit aquis, quem trans-
gredi nequeunt, ne iterum terram operiant.* v. 9.
ὅριον ἔθου, ὃ οὐ παρελεύσονται, οὐδὲ ἐπιστρέψουσι καλύψαι τὴν
γῆν. Ut implemento haud careret promiſſio
ſolemnis Gen. VIII. 21. 22. *Poſthac non amplius
execrabor terram propter hominem — neque
percutiam ultra omne viuens, quemadmodum feci.
Adhuc erunt omnes dies terræ, ſementis & meſſis,
frigus & æſtus, æſtas & hyems, dies & nox non*

 ceſſa-

ceſſabunt. (Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines — non igitur ultra percutiam omnem animam viuentem, ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.) Debebat *mare* juxta verba Jobi XXXVIII. 8. *erumpere, ut egrederetur ex utero, (erumpebat mare quaſi de vulua procedens,)* ſed poſtea DEUS *obicem atque valuas oppoſuit, ac dixit: Hucusque peruenies, nec ulterius, & hic depones tuos tumentes fluctus, (poſuit vectem & oſtia, & dixit: usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos,)* v. 10. 11. de quibus maximi momenti mutationibus alibi plura. Medium ſi quæras, vel vinculum, quo DEUS uti voluit ad colligandam terram aquis, & cohibendum has, ne *limites transgrederentur*, inuenies grauitatem. Stabilitatem hanc mundi perſpexit quoque *Cicero Nat. Deor.* L. II. c. 45. *Nihil majus, quam quod ita ſtabilis eſt mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil excogitari quidem poſſit aptius. Omnes enim partes ejus undique medium locum capeſſentes, nituntur æqualiter: maximè autem corpora inter ſe juncta permanent, cum quodam quaſi vinculo circumdata colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & conuertit extrema. — Eadem ratione mare, cum ſupra terram ſit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undique æqualiter, neque redundat unquam, neque effunditur.*

Stare vidimus, aſſerente Dauide, terram, ſtare etiam motam, perſtare in eſſe ſuo, ut ne puluiſculi quidem fecerit jacturam, perſtare in ordinatiſſimo motu, in orbita ſua, eamque non excedere unquam. Et tamen, licet non contra Pſalten, aſſerimus moueri terram, dimoueri, dimotam eſſe dudum, perſtare tamen; dimoueri, non à Principibus terræ, qui puluiſculum terræ in Prouincias diuidunt, & diſpartiuntur inter ſe, ſed ab alio hominum genere, qui Reges ita alloqui audent, δώς μοι πᾶ ςῶ καὶ κινῶ τὴν γῆν. Soluamus, quod vel bellariorum loco appono, ænigma. Terram in centro uniuerſi & immotam locauit antiquitas, quieta heic manſit ad Ariſtarchum usque, & inde ab Ariſtarchi æuo ad Copernici tempora, qui felici non minus quàm audaci molimine centro illo ſuo mundi exturbauit terram, atque inter Planetas, ſubleuato in Thronum Sole, locauit, triplici motu mouendam, ſed locauit ita, ut centrum eſſet proprii ſui vorticis, & ſingulis menſibus Monarcham hunc circumiret ſatell Luna. In hoc ſuæ tranquillitatis & in Luna dominii centro permanſit ad noſtra usque te pora, accinentibus Aſtronomis omnibus. Nu iterum, terminatâ forte motus quietisue Ep cha, exturbatur ab *Alexandro Sarrauio*, Ben dictini Ordinis Patre, qui maximâ ſua lau A. 1726. Problema de Æſtu Maris ab Acad mia Burdigalenſi propoſitum ſoluit, palman que reportauit. Ex ejus Tractatu *du Flux & reflux de la Mer* ea duntaxat heic promam quæ ſcopo præſenti, Tabulæque, quam ſiſto illuſtrandæ inſeruiunt. In hoc non dejecti ſe reformati Copernicaniſmi ſtatu triplici Fig. gaudet motu terra 1. circa propriam Axin intr 24. horas. 2. circa Lunam ſpatio $29\frac{1}{2}$. dierum qui proin erit menſtruus. 3. annuo unà cum Luna circa Solem; vel unico, quia duo poſte riores accidentales dici queunt. Comparen juxta nouum hoc Syſtema Phaſes Lunæ, uti in Copernicano; & eædem, ſiue Luna moueatu circa terram, ſiue hæc circa Lunam. Pro terræ verò motu circa Lunam ſequentes militan rationes. 1. docent nos Obſeruationes Aſtronomicæ, Nouam Lunam eſſe in Apogæo, plenam in Perigæo. Terræ namque Lunæque vortex in motu ſuo annuo propter fluidi ætherei reſiſtentiam preſſus inter C. & G. ellipticam figuram induit. Luna & terra ſi ſint in majore diametro B D. nempe in Plenilunio & Nouilunio, Luna in A. Terra in B. tantò remotius ab inuicem diſtant, quia B. longius abeſt à Sole, majoremque exerit vim centrifugam. Sed minor diſtantia erit in D. ſi terra fuerit Solem inter & Lunam A. Qui ſitus, nec alius, præcisè reſpondet obſeruationibus. Quæ 2. nos certos reddunt de velociori motu Lunæ Nouæ quàm Plenæ, quod Phænomenon iterum ex allegata figura clarum, punctis circa B. longius ab inuicem diſtantibus, quàm circa D. 3. ſubſidio venit inæqualitas anni periodici ac ſynodici, explicanda iterum optimè ex hoc ſyſtemate. Sed heic, ne eccentricus ipſe fiam, figo pedem, Lectorem remittens ad ipſum Authorem. In Fig. II. repræſentatur duodecima Orbitæ annuæ, quam Luna decurrit circa Solem, pars inde à Nouilunio A. per Plenilunium B. ad Nouilunium C. & ſitus terræ atque Lunæ ad quemlibet terrationis (ſit venia verbo, quod reſpondet Lunationi) ſiue motus terræ circa Lunam diem. In $7\frac{1}{2}$. & $22\frac{1}{2}$. ſunt Quadraturæ.

Ex quo Schemate patet, deſcribere terram quotannis circa Solem Lineam veluti ſerpentiformem.

Pſal. CIV. verſ. 10. 11. 12.

. Et emittis fontes, qui fiunt (a) torrentes, ut inter montes decurrant.

(a) In torrentes inter montes ibunt.

Ut potent (b) feras omnes, & onagri leuent ſitim ſuam.

(b) Omne animal agrorum.

. Et juxta eos degant aues cœli, quæ inter (c) ramos (arborum) vocem edunt.

(c) Hieron. nemorum. Chald. & Rab. Sal. ramos interpretantur.

10. Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.

11. Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.

12. Super ea volucres cœli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.

DUcit nos heic Pſaltes non ad vaſta maria, non ad lata, longo exercita curſu flumina, Euphratem, Nilum, ſed ad *fontes* & *riuos*, in montibus ſſim, imo ubique fere ſcaturientes, vel ex poribus abyſſi ſurgentibus, vel aqua cœlitus ıſa ortos, qui confluxu ſuo per valles inteos amnes efformant. Deprædicat ingens c DEI beneficium, cujus nos Heluetii teſtes nus ἀναντίῤῥητοι, applicantes nobis illud Mo- de Canaanitide Elogium Deut. VIII. 7. OMINUS, DEUS *tuus, introducet te in terram nam, terram, in qua ſunt torrentes aquarum, ıtes & abyſſi erumpentes ex vallibus & monti-*. (DOMINUS, DEUS *tuus, introducet te in ram bonam, terram riuorum, aquarumque, & ıtium: in cujus campis & montibus erumpunt uiorum abyſſi.)* Eſt, ut quæuis Planta, anial & animalculum quoduis, ita quilibet fons, nticulus, donum DEI: Meretur cuilibet aponi Inſcriptio: *Et hic Dii ſunt.* Ægyptium ıendam adduc in terram Canaan, Belgam in ontoſam noſtram Heluetiam, admirabitur erque innumeros aquæ dulciſſimæ, cryſtalıæ puritatis fontes, ubique ſcaturientes in ontibus ac vallibus, ebuccinabit uterque amo ore præconia DEI, quorum nos ſaturi ſuus immemores. Duxerint ſibi honori Poë Græci, deſcripſiſſe in laudes Deorum & Paæ montes, valles, riuos, fontes, ſaxa & lades, ego gloriæ haud minori duco, poſt exıtlatos innumeros labores, & magnas factas ıpenſas, inter alia Hiſtoriæ Helueticæ Natulis Specimina ſcripſiſſe Hydrographiam, in ſum patriæ, in laudes DEI. Quanti ſit haendum aquæ dulcis beneficium, atteſtari po:runt Troglodytæ illi, quibus aliquot dierum inera emetienda fuerunt, ut hauſtâ ex Nilo quâ leuarent ſitim, teſtibus *Diodoro Siculo* .III. *Strabone* L. XVI. Nautæ illi, quos ſitis ı mediis vaſti Oceani aquis adeò ſæpe torıet, ut pluuiam velis veſtimentiſque illapſam uido ore exſugant: Hagar illa, cujus guttur arida ſiti urebat in deſerto Gen. XXI. Ἄριστον μὲν ὕδωρ, canit *Pindarus.* Fatebitur idem quiſquis aquæ multiuarios atque neceſſarios uſus applicatiuè ad ſanitatis noſtræ conſeruationem, ad plantarum & animalium nutritionem conſiderat attentè. Multa heic dicenda forent de fontium variis qualitatibus, leuitate, ſapore, colore, calore, frigore, uſu vario. Sed voluminis hæc res eſt, non arcti Commentarii, non pagellæ. Præterit ipſe Pſaltes ſilentio pretioſos & varios uſus, quos aquæ hominibus ſanis pariter atque ægris præſtant, & eorum duntaxat hac vice meminit, qui redundant in animalia. *Potant feras omnes, & onagri leuant ſitim ſuam.* Et *juxta eos* (fontes) *degunt aues cœli, quæ inter ramos arborum vocem edunt.* Ποτιοῦσι πάντα τὰ θηρία τοῦ ἀγροῦ, προσδέξονται ὄναγροι εἰς δίψαν αὐτῶν. Ἐπ' αὐτὰ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσει, ἐκ μέτρου τῶν πετρῶν δώσουσι φωνήν. Deprædicatur alibi quoque in Sacris ſingularis hæc gratioſiſſima ſimul ac prouidentiſſima pro ζώοις ἀλόγοις cura, absque qua ſiti fameque pereundum foret animantibus. *Dat* DEUS *pecori ſuum paſtum*, ita & potum, *& pullis coruorum, qui eum vocant*, Pſal. CXLVII. 9. ἐμβλέψατε, ita prouidentiſſimus Saluator noſter, εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. Matth. VI. 26. Imo verò attendenda heic venit ſpecialis pro feris prouidentia. Domeſticorum curam habet pro commodo ſuo ipſe homo. *Agnoſcit juſtus animam jumenti ſui*, Prov. XII. 10. Quinimo ex mandato DEI incumbit nobis cura etiam pro animalibus proximi, imo infenſiſſimi cujuslibet hoſtis. *Si occurreris boui inimici tui, aut aſino ejus erranti, mox reduces eum illi. Si videris aſinum ejus, qui te odit, ſuccumbentem ſub onere ſuo, num ceſſabis? & derelinques eum? (non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.)* Exod. XXIII. 4. 5. De *auium* cantu, vario, ſuaui, mirandis organis, Muſica DEI benefacta laudante, multa dicenda reſtarent, quæ diximus alibi.

Pſal. CIV. verſ. 13-18.

13. Qui rigat montes è ſuis cœnaculis, & de fructu ejus operum ſatura fit terra.

14. (Et) producit fœnum pecori, & herbam *(a)* ad uſum hominis, ut proferat panem de terra.

(a) Ad ſeruitium vel culturam hominis.

15. Et vinum, quod exhilarat cor hominis, & *(b)* oleum, quod nitidam reddat faciem, & panem, qui cordi vires ſumminiſtret.

(b) Ad faciendum nitere faciem ab oleo.

16. Arboresque DOMINI *(c)* ſucco abundant (velut) Cedri in Libano, quas plantauit.

(c) Satura erunt ligna.

17. Ubi aues nidificant, & Ciconiæ domus eſt in abietibus.

18. Celſos montes ibicibus, & petras (dedit) confugium *(d)* alpinis muribus.

(d) Hieron. variè interpretatur, in annotatiunculis tamen Pſalterii Græci videtur Murem alpinum deſignare.

13. Rigans montes de ſuperioribus ſu[...] de fructu operum tuorum ſat[...]bitur terra.

14. Producens fœnum jumentis, [...] herbam ſeruituti hominum, [...] educas panem de terra.

15. Et vinum lætificet cor homin[...] ut exhilaret faciem in oleo, & p[...]nis cor hominis confirmet.

16. Saturabuntur ligna campi, & ce[...]dri Libani, quas plantauit.

17. Illic paſſeres nidificabunt. Herc[...]dii domus dux eſt eorum.

18. Montes excelſi ceruis: petra re[...]fugium herinaciis.

Q*Ui rigat montes è ſuis cœnaculis, & de fructu ejus operum ſatura fit terra. Producit fœnum pecori, & herbam ad uſum hominis, ut proferat panem de terra.* Ποτίζων ὄρη ἐκ τῶν ὑπερῴων αὐτοῦ, ἀπὸ καρποῦ τῶν ἔργων σου χορτασθήσεται ἡ γῆ. Ὁ ἐξανατέλλων χόρτον τοῖς κτήνεσι, καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων. Si ulla ullibi eſt terræ habitatæ Prouincia, quæ pleno gutture Dauidi accinit ad laudes DEI, Heluetia eſt, cujus *montes rigat* DEUS *è ſuis cœnaculis.* Majori quantitate aquam cœlo heic labi quàm alibi, conſtantes meæ docent Obſeruationes Hyetometricæ. Eſt proin, cur quilibet aſperæ aliàs Canaanitidis noſtræ incola optimam DEI deprædicet prouidentiam, præcinente Eliphazo Job. V. 9. 10. *Qui edit ingentia opera, eaque inueſtigabilia, & res mirandas, illasque innumeras. Qui dat pluuiam ſuperficiei telluris, & aquas immittit vicis. (Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia absque numero. Qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis uniuerſa.)* Job. XXXVII. 5. 6. *Qui res maximas gerit, quas ignoramus. Niui enim dicit: Sis in terra, & nimbo, ut ſit modica pluuia, & pluuiis ſuæ potentiæ, ut ſint nimbus. (Qui facit magna & inſcrutabilia. Qui præcipit niui, ut deſcendat in terram, & hyemis pluuiis, & imbri fortitudinis ſuæ.)* Hæc & alia hujusmodi DEI beneficia, quæ pudenda noſtra ingratitudo eſt, haud aſpicimus, ut qui[...]dem deceret. Neceſſitate quadam naturæ hæ[...] omnia fieri occœcati credimus. Ut omnin[...] in nos quadret illa Prophetæ querimonia Jer. V. 23. 24. *Populo iſti fuit cor rebelle ac contumax, defecerunt & abierunt. Non dixerunt in corde ſuo, timebimus ſaltem* DOMINUM, DEUM *noſtrum, qui dat nobis imbrem tempeſtiuam & ſerotinam ſuo tempore. (Populo huic factum eſt cor incredulum & exaſperans, receſſerunt & abierunt. Et non dixerunt in corde ſuo: Metuamus* DOMINUM, DEUM *noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo.)* Si ἀναπολόγητοι ſunt Gentiles, quibus ſe DEUS οὐκ ἀμάρτυρον ἀφῆκεν, ἀγαθοποιῶν, οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς, καὶ καιροὺς καρποφόρους, Act. XIV. 17. Quantò minus à culpa eximendi nos ſumus, quibus & Liber Naturæ eſt præ oculis, & Scripturæ Liber in manibus? Eſt pluuia donum DEI omnibus hominibus commune, ſed DEI arbitrarium. βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, Matth. V. 45. Quid quæſo foret terra, quid montes noſtri, absque pluuia? Pone, fluminibus ac riuis irrigari valles omnes, oppida, pagos: Quis irrigaret agros, prata, hortos, vineas? Quis alimentum ſubminiſtraret cuilibet frumenti culmo? Quis aquas affunderet plantis alpinis, arboribus ſyluaticis? Argumento hoc ad hominem uſus legifer ille Heros in ſua ad Iſraeliticum

m populum adlocutione. *Terra iſta*, Canaa-
is in parallelo locanda cum Helvetia, *ad
m tu jam proficiſceris, ut occupes eam, non eſt
t terra Ægypti, de qua egreſſi eſtis, ubi ſemi-
bas ſemen tuum, & rigabas pedibus tuis, quem-
nodum hortum olerum. Terra autem iſta, ad
m tu tranſis, ut eam poſſideas, montes habet
valles, & ex aquis cœleſtibus irrigatur. (Ter-
, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut
ra Ægypti, de qua exiſti, ubi jacto ſemine in
torum morem aquæ ducuntur irriguæ: Sed
ntuoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans
uias.)* Deut. XI. 10. 11. Quàm triſte eſt ſpe-
culum, cumprimis in Climatibus illis cali-
ribus Orientis, ſi quando DEUS cœlum,
n dicam per triennium & ſex menſes, uti
nporibus Eliæ, ſed per unicum duntaxat
enſem claudit? Quàm terra exſucca aquam
t, & præ ſiccitate fiſſuras agit? Quàm per-
nt homines & jumenta & plantæ? Quæ non
t calamitas, ſi Ahabus Abdiæ, Protominiſtro
, in mandatis dat, quod legimus 1. Reg.
VIII. 5. *Vade per regionem ad cunctos fontes
uarum, & ad omnes torrentes, ſi forte inue-
amus gramen, ut viuos conſeruemus equos &
los, ne nos deſtituamur jumentis. (Vade in ter-
m ad univerſos fontes aquarum, & in cunctas
lles, ſi fortè poſſimus inuenire herbam, & ſal-
re equos & mulos, & non penitus jumenta in-
reant.)* Audi, ſi graphicam calamitoſiſſimi
mporis deſideres ideam, lamentantem Jere-
iam XIV. 3. 4. 5. 6. *Magnates eorum miſerunt
nores ſuos ad aquas: qui quum ad foſſas veniſ-
ſent, & aquas non inueniſſent, reverſi ſunt va-
is ſuis vaſis pudefacti, & præ pudore caput
um operuerunt, propterea quod tellus emarcuit,
uia non deſcendit in eam pluuia, agricolæ pude-
cti caput ſuum obuelarunt. Quin & cerua,
tem in agro fœtum peperit, reliquit, quod non
pereſſet herba. Et onagri ſteterunt in vertici-
us montium ventum haurientes inſtar draconum,
ficientibus oculis eorum præ fœni penuria. (Ma-
res miſerunt minores ſuos ad aquam: venerunt
d hauriendum, non inuenerunt aquam, reporta-
unt vaſa ſua vacua: confuſi ſunt, & afflicti, &
peruerunt capita ſua. Propter terræ vaſtita-
em, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt
gricolæ, operuerunt capita ſua. Nam & cerua
agro peperit, & reliquit, quia non erat herba.
t onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ven-
um quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia
on erat herba.)* Æſtatis extorridæ Anni 1477.
ege deſcriptionem apud *Pontanum*.

Interea nullus cœlo demittitur imber,
Areſcunt herbæ paſſim ſitientibus arvis:
Pratorum perit omnis honos, nemora alta laborant æſtibus.
Languentes impune cadunt cum matribus hœdi,
Exanimesque jacent paſſim cum matribus agni;
Infelix animam conuulſo in ceſpite linquit
Taurus, & ingentem ipſe cadens dat mole ruinam.

Fuit fortè hic Annus 1473. quo nulla cecidit in noſtris oris Helveticis pluuia per nouem hebdomadarum ſpatium inde à 20. Jun. ad cujus menſis finem uuæ fuere maturæ, fructus alii omnes præcoces, olerum hortenſium ingens inopia & caritas, exaruere fontes ac riui. Egimus alibi de infinita ſapientia, quæ ſeſe monſtrat in euaporatione aquarum, veſicularum aquearum in vapores tornatione, libera in aëre ſuſpenſione, ac natatione, quod miraculum laudibus exaltat Amos V. 8. *Euocat aquas maris, refunditque eas ſuper faciem terræ: ejus nomen eſt* DOMINUS. Jobus XXXVIII. 28. *Habetne parentem pluuia? Aut quis genuit guttas roris?*

Pergo, præeunte Pſalte, viſurus, quomodo DEUS *producat fœnum pecori, & herbam ad uſum hominis, ut proferat panem de terra.* Dedit DEUS ingens hoc miraculum effectui non ſolùm in creatione, *dicens: Progerminet terra germen, herbam ſeminificantem ſemen, lignum frugiferum, ferens fructum juxta ſpeciem ſuam, cujus ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram.* Gen. I. 11. Sed opus hoc ipſum potentiâ & ſapientiâ ſuâ condignum adhucdum proſequitur Ter Optimus, Ter Maximus, cujus *oculi jugiter ſunt ſuper terram, ab initio anni ad finem uſque.* Deut. XI. 12. De Diuino hoc opere, de plantarum ſtructura infiniti artificii, earum productione & generatione alibi actum fuſius. Ducit nos heîc Dauid non ad hortos herbis pulcherrimis cultiſſimos, non ad flores mille colorum, dulcis odoris, roſas, tulipas, hyacinthos, ſed ad paſcua gramine conſita, quod pedibus calcamus, nihili æſtimantes ingrati mortales. Nam

Præſentemque refert qualibet herba DEUM.

& viliſſimo gramini quadrat, quod dulciſſimus Saluator de *liliis agri* pronuntiat Matth. VI. 28. 29. ὅτι ȣ̓δὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτȣ̃ περιεβάλετο ὡς ἓν τȣ́των. Id neminem noſtrûm latet, inſeruire aulæum hoc, multicoloribus herbis intertextum, graminiferum, nutrimento & uſui hominum & brutorum, mutari in lactei candoris chylum, in lac ipſum, in ſanguinis purpuram, quinimò in carnes, venas, oſſa, omnem corporis noſtri ſubſtantiam; ex hoc fonte profluere lactis, butyri, olei, mellis riuos. Diuitias en ſummi cœlorum terræque Monarchæ! qui ſolus de ſe ipſo gloriari poteſt. *Non eſt ut accipiam de domo tua juuencum, nec de caulis tuis hircos. Meæ ſiquidem ſunt omnes feræ ſyluarum, pecudes in mille montibus. Noui cunctas in montibus volucres, penes me ſunt animantes agreſtes. Si eſuriero, non eſt ut tibi indicem, quum meus ſit orbis, & quidquid ille continet. (Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis*

hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus.) Pſ. L. 9. Paſcua uberrima ac pinguia non inuenias duntaxat in regionibus planis, ſed pretioſiſſima in montibus, imo ſummis Alpibus, ad radices niuis, montiumque glacialium, cinctos præruptis ſaxis veluti muris. Et ſanè huc videtur oculos conjicere Pſaltes, verſiculo proximè præcedenti mentionem faciens montium expreſſam. Habent quod glorientur Alpicolæ noſtrates de paſcuorum ſuorum præſtantia, & innumero pecorum ibi pabulantium numero, majori fortè jure quàm ſuperbus ille colonus apud *Virgilium*, qui ita:

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Floret amœniſſime, exultat atque jubilat gloria Libani, ſplendor Carmeli, atque Saron. (Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.) Jeſ. XXXV. 3. (2.) De ingenti hoc DEI beneficio egi paſſim & fusè in Hiſtoria mea Naturali Heluetiæ. Id autem non nobis ſolis eſt conceſſum. Non eſt regio, cui deeſt quidquam ad uſus domeſticos pariter atque Medicos, imò ad voluptatem.

Pergit diuus Pſaltes in commemoratione beneficiorum DEI ad *panem*, *vinum*, *oleum*, & nos cum eo.

De *pane* teſtatur, DEUM *proferre eum de terra, qui cordi vires ſumminiſtret*: de *vino*, quod *exhilaret cor hominis*: de *oleo*, quod *nitidam reddat faciem*. De his prædicatis ſunt monenda nonnulla.

Adeò pretioſa, corporique noſtro amica res eſt *panis*, ut hoc nomine comprehendantur omnes cibi, ut aquæ titulo omnis potus. Alimenti nomine venit panis in voto Jacobi: *Dabit* DEUS *mihi panem ad comedendum.* Gen. XXVIII. 20. Eliſa ad Regem Iſraelis: *Appone eis* (Syris) *panem & aquam, ut comedant & bibant.* 2. Reg. VI. 22. Eccleſ. IX. 7. *Lætus ede panem tuum.* Dignatur dulciſſimus Seruator panem pro omni alimento inſerere Orationi Dominicæ, τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Matth. VI. 11. Alia Sacri Codicis loca ſilentio prætereo. Hic *panis*, optimum corpori noſtro nutrimentum, *profertur de terra.* Ita nempe, quod ex terra, maſſa rudi, informi, excreſcant omnis generis culmifera & ſpicifera frumenta, triticea, auenacea, hordeacea, & adeò feliciter, ut unicum granum, modo nobis incomprehenſibili, ſeſe multiplicet trigeſies, ſexagies, centies, quum tamen plantarum nutrimentum non ſit niſi aqua & terra, vel terræ limus ſolus. Grana hæc, ſi matura fuerint, triturantur, moluntur, ſubiguntur, præuiâ fermentatione coquuntur in panem, mutantur in ventriculo, actione omnibus hominibus inimitabili, in [...]ctei coloris chylum, mox in purpureum la[...] cem, tandemque in oſſa, cartilagines, neru[...] vaſa, carnem, cutim, cor, cerebrum, & qu[...] lescunque partes corporis. In Indiis parat[...] ex *Maiz*, *frumento Indico*, in America ex ra[...] ce *Yuccæ* ſeu *Manihot*, quæ recens venenat[...] ſed præparata optimum dat panem *Caſſaui* [...]ctum. In Rhætia ex *Caſtaneis*; in Regionib[...] Septentrionalibus ex ſiccatis *piſcibus*, & arb[...] rum coniferarum *corticibus*. Alpicolis noſt[...] *caſeus* eſt vice panis. Ubique fere terraru[...] panis *profertur de terra*, & ubi non produ[...] tur, haberi poteſt per commercia. Cibus p[...] pauperibus æquè ac diuitibus, cibus, quo com[...] modè carere non poſſumus; ita accommodu[...] nobis, ut ejus nunquam capiamus faſtidium[...] cibus *ſumminiſtrans cordi vires*, optimo nem[...] pe, quod non ſolùm cordi, primariæ corpori[...] rotæ, ſed toti reliquo corpori ſuppeditat, ali[...] mento. Quapropter DEUS populum quen[...] dam vel regionem puniturus panem ſurripit[...] DEUS *exercituum aufert de Jeruſalem & de Ju*[...] *da fulcientem virum, & fulcientem fœminam*[...] *omne fulcrum panis, & omne fulcrum aquæ* *(Dominator*, DOMINUS *exercituum, auferet à Jeruſalem & à Juda validum & fortem, omn*[...] *robur panis, & omne robur aquæ.)* Jeſ. III. 1 ubi in originali Textu legitur מִשְׁעָן, LXX. ἰσχὺς fulcimentum, robur, baſis nutrimenti, quo roboratur corpus. Leuit. XXVI. 26. *Cum confregero vobis baculum panis, pinſent decem mulieres panem veſtrum in furno uno, reddentque panem veſtrum in pondere, comedetis, & non ſaturabimini. (Poſtquam confregero baculum panis veſtri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non ſaturabimini.)*

Progredior ad potum, quem indignis nobis conuiuis dat optimus largitor DEUS. *Vinum*, inquit Dauid, *exhilarat cor hominis*, οἶνος εὐφραίνει καρδίαν ἀνθρώπου. Premitur, quod nemini non notum, Lyæus hic latex ex uuis, delicato fructu debilis & tantùm non inutilis ligni, ex quo ne *clauus* quidem parari poteſt, ut *ſuſpendatur ad eum quodcunque vas*, quod *traditur igni in deuorationem, (ut dependeat in eo quodcunque vas*, quod *igni datum eſt in eſcam,)* Ezech. XV. 3. ut nullius uſus lignum confertur Hieroſolymæ. Producit planta hæc in fertilioribus Europæ Prouinciis præſtantiſſima vina, rubra, quæ ſanguinis terræ nomine cluebant olim, alba, citrina, Hiſpanica, Gallica, Rhenana, Moſellana, Heluetica, quæ & omnia alia jure meritò excellentiſſimis DEI donis ſunt adnumeranda. De præſtantia & copia vini Terræ Sanctæ teſtis eſt benedictio Judæ à Jacobo Patre data. *Ligans ad vitem pullum ſuum, & ad Sorek filius meus aſinam ſuam. Eluet in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uuarum operimentum ſuum. (Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino*

ſtolam ſuam, & in ſanguine uuæ pallium ſuum.) :n. XLIX. 11. *Termes* ille *& botrus uuarum,* *torrentem Eſcol* ab exploratoribus decer-is, ac Moſi allatus, quem *duo geſtarunt ve-*. Num. XIII. 24. Sed inſigne hoc DEI do-m, ſi *exhilarare* debeat *cor hominis*, aucto guinis motu, & fluidi neruei copioſiori in dis muſculos influxu, non eſt largis ingurgi-dum hauſtibus, verùm moderatis aſſumen-n. Eſt vinum palato ſimul gratum, & ſani-proficuum. Amorem, quo deperit Eccle-ſponſum, vino confert Solomon Cant. IV. *Quantum præſtant vino amores tui?* & I. 1. *nores tui vinum bonitate ſuperant. (Meliora t ubera tua vino.)* Ipſe Diuus Paulus Timo-:o ſuo vini moderatum ſuadet uſum. 1. Tim. 23. μηκέτι ὑδροπότει, ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν ςό-ζόν σε. Sed eſt quoque ex noxiis quàm ma-nè rebus Bacchi liquor, ſeu purus immodi-hauſtus, ſeu per Alembicum deſtillatus. In-ſſatur ſanguis, relaxantur tenſæ antea fibræ, iantur ſecretiones, obnubilatur intellectus, rruit tandem tota machina, & præceps ſæ-in teneris adoleſcentiæ annis. *Ludicra res vinum, tumultuoſa ebrietas: quicunque in hoc at, nunquam ſapiet. (Luxurioſa res vinum, tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, n erit ſapiens.)* Prov. XX. 1. Audi intermi-tionem Propheticam Jeſ. XXIV. 7. *Luxit mu-m, deformatæ ſunt vites, ad gemitum tracti, icunque læto fuerant corde, (Luxit vindemia, irmata eſt vitis, ingemuerunt omnes, qui læta-ntur corde.)* Verſ. 9. *Non bibent vinum cum ntico, ſicera amara erit iis, qui eam bibent. mara erit potio bibentibus illam.)* Comple-entum Prophetiæ habe in deuaſtationibus rrarum vino optimo feraciſſimarum, in Ma-medis lege vini prohibitoria, quæ totum in-ndat Orientem. Notari meretur, vel ὡς ἐν ιεῷ, & occaſione Textus noſtri, moderatum ni uſum neque interdictum eſſe in Veteri, ne-e in Nouo Teſtamento, neque Naturæ Le-, neque rationis dictamine, ſed ſolum abu-m. Placet DEO neque monachica, auſtera miùm, vita, & eremitica, neque voluptuoſa, xurioſa. *Inuexit* DEUS populum ſuum *in blimitatibus terræ, ut comederet prouentus agro-m, deditque ei, ut ſugeret mel de petra, oleum-e è duriſſimo ſaxo, butyrum boum, & lac o-ium, cum adipe arietum pinguium, & hirco-m, cum adipe delicatiſſimi tritici, & ſangui-em uuæ biberet meracum. (Conſtituit populum per excelſam terram: ut comederet fructus agro-um, ut ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo uriſſimo: Butyrum de armento, & lac de oui-us cum adipe agnorum, & arietum filiorum Ba-n, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uæ biberet meraciſſimum.)* Deut. XXXII. 13. 14. romittitque DEUS peculio ſuo, Babylonicæ aptiuitatis vinculis detento Jer. XXXI. 12. *Ve-ient & jubilabunt in excelſo Zion, & fluent ad onitatem DOMINI in frumento, in muſto, in oleo.* Sed percipite minas, qui multo perfun-ditis tempora Baccho. Hoſ. II. 9. *Conuerſus rurſum accipiam frumentum meum ſuo tempore, & oleum* (LXX. οἶνον, vinum,) *in conſtituto ſuo tempore, & eripiam lanam meam & linum meum, quibus operiebat ignominiam ſuam.*

Viſuri ſumus porrò, quanam ratione v. 15. *oleum nitidam reddat hominis faciem.* Modus hic eſt loquendi prorſus ſingularis, qui explica-tionem & poſtulat, & meretur. Habent LXX. pro הַצְהִיל ἱλαρῦναι, Vulgata, *exhilarare*, ſed Rabbini, *purificare, nitere (ſplendere) facere*, Lutherus, *daſs ſeine Geſtalt ſchön werde von Oel*, qui proin פָּנִים non tam ſumit pro facie ho-minis κατ' ἐξοχὴν ita dicta, quàm pro totius cor-poris forma, & habitu. Vult ſanè & *Buxtorf-fius* in *Lexico*, notare hanc vocem etiam *aſpe-ctum, ſuperficiem, & quamlibet anteriorem re-rum ſpeciem*, quæ quidem notio deſignare po-teſt in ſpecie faciem, partem illam hominis characteriſticam, ſpeculum, in quo ipſos ani-mi affectus cernere licet. Latam quoque ſigni-ficationem habet vox שֶׁמֶן *ſchemen*, ſumitur namque non ſolùm pro *oleo*, ſed pro pingue-dine quauis; uti Pſal. CIX. 24. & Jeſ. XXV. 6. pro cibis pinguedine probè conditis. *Faciet* DOMINUS *exercituum omnibus populis in mon-te iſto conuiuium pinguium, conuiuium fecium, de pinguibus medullatis* שְׁמָנִים *ſchemanim.* Num. IV. 16. pro *oleo luminaris* שֶׁמֶן הַמָּאוֹר *ſchemen hammaor*, & *oleo unctionis*, שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה *ſche-men hammiſchchah.* Haud impediunt varii hi ſignificatus, quò minus pro præſenti ſeligamus oleum, quod habent Verſiones noſtræ. Ne-que nos moratur *Sim. de Muis Comm. in* h. l. p. 607. qui τὸ הַצְהִיל *exhilarare* prædicat non de oleo, ſed præmemorato vino, ut ſenſus Dauidici Textus ſit, à Nectare hoc exhilarari faciem, atque nitere, haud aliter ac ſi fuiſſet inuncta oleo, ut ſanè videmus rubeſcere vino madidos. Circa oleum nunc notandnm 1. de-purari eo cutem ab immunditie. *Oleum pur-gat faciem.* Plin. L. XXIII. c. 4. Inſinuat nem-pe ſeſe oleum intra cutaneas rugas, adhæret ſordibus à ſudore relictis, & lubricitate ſua ſe-parat. Et conſiſtit ipſa *Saponis* abſterſoria vis non tam in ſale, quàm oleo, ut nouimus ma-nus pice fœdatas oleo purgari potius quàm ſa-pone, & *Plinio* teſte L. XXIV. c. 1. oleo *picem ex pannis extrahi.* Lege fuſius de hac re *We-delium Theoria Saponum Medica. Sect.* VIII. c. 2. 2. Nitentem reddit cutim oleum, læuem, at-tactu mollem, ut inde incidentes radii felicius & ordinatius reflectantur, veluti ex ſpeculo; Oleum inprimis Amygdalinum, quod com-mendat *Plinius* L. XXIII. c. 4. *Oleum Amygda-linum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nito-rem commendat, varos cum melle tollit è facie.* In hunc ipſum finem, & ut gaudium veluti ex facie eniteret, in uſu frequenti fuere Veteribus capitis unctiones. Lucem fœneratur hæc ob-ſeruatio admonitioni illi Saluatoris, qua diſci-

 pulos

pulos non vult eſſe tetricos, neque flagellantes, neque hypocritas. Matth. VI. 16. 17. Ὅταν δὲ νηςεύητε, μὴ γίνεϑε ὥσπερ ὁι ὑποκριταὶ, σκυϑρωποὶ. ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα ἀυτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηςεύοντες —— σὺ δὲ νηςεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι. Non enim unxere Veteres faciem ſolam, ſed ſæpe caput integrum oleis odoratis balſamicis. Conſtat id ex Pſ. CXXXIII. 2. ubi mentio fit *unguenti boni capiti infuſi deſcendentis in barbam.* Apud *Athenæum* legimus *Dipnoſoph.* L. XV. c. 14. *Cum pueri unguenta in vaſculis aureis, & in alabaſtris circumferrent, quidam Cynulcum intuitus illius faciem unguento plurimo perunxit.* Sed communiter unctionem præuertit lotio. *Homer. Odyſſ.* III.

Ἀυτὰρ ἐπεὶ λοῦσέν τε, καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ:

Porro poſtquam lauit, & unxit pingui oleo.

Et L. XXIII.

Ἐυρονόμη ταμίη λοῦσεν, καὶ χρίσεν ἐλαίῳ.

Euronome gubernatrix lauit, & unxit oleo.

3. Teſtari poterunt Medici de præſtanti oleorum & oleoſorum uſu, in fiſſuris cutis à frigore cauſisue acribus quadrare ſeuum vel axungiam quamuis cereuiſiæ vinoue mixtam, cremorem lactis: unguenta conducere varia in ſcabie, lepra, affectibus cutaneis. 4. In climatibus cumprimis calidioribus conſeruat oleum vires minuendo diaphoreſin, in frigidioribus arcendo frigus; ut utrobique beneficium hoc præſtant veſtes. Ibi nempe, ubi nudum corpus exponitur ardentibus Solis radiis, & ex ductibus excretoriis multùm exhalat fluidi, corrugata cutis complanatur per oleoſa, auertitur radiorum ſolarium æſtus prompta ab uncti corporis reflexione, occluduntur pori, ſicque tranſpiratio nimia impeditur. Ad hunc ipſum finem ſolent ſequioris ſexus Italæ faciem ante lauare oui albumine miſto cum Amyli farina quàm ſeſe Solis calori exponunt, ne tenera cutis uredinem vel fuſcum colorem contrahat. In frigidioribus contra climatibus defenditur eâdem armaturâ cutis contra glacialium particularum ſpicula, & clauditur ſimul corpore calor. 5. Emollitur oleo cutis, ſpeciatim faciei, & tenera redditur, ita quoque lacte, quod *Plinio* teſte L. XI. c. 41. *Conferre aliquid & candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppæa certè, Domitii Neronis conjux, quingentas ſecum per omnia trahens fœtas* (aſinas) *balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens.* Sic molliendis manibus inſeruit unguentum ex butyro recenti loto cum cera alba & multo oleo amygdalino, & pomatum quoduis. Qua ipſa cutis emollitione promouetur ſimul ſanguinis circulus, minuitur extremarum fibrarum ad vires pellentes cord reſiſtentia, roboratur corpus. Quem in fine corpora inungere ſolebant Athletæ oleo, & ſimul motus artuum facilitaretur, itinerant quoque ſecum portabant oleum pro remed contra laſſitudinem, utpote quæ cutim ſicca fibraſque rigidas reddit. 6. Notari meretu Veteres non ſolùm in uſum traxiſſe oleum ſim plex & commune, ſed odoratis variis rebus i termixtum. In Sacris proſtat *oleum unction ſanctum, unguentum confectum opere unguentari* Exod. XXX. 22. (25.) *Oleum lætitiæ.* Pſ. XLV 8. *Unguentum & ſuffitus, quæ cor exhilarant* (*Unguento & variis odoribus delectatur cor.* Prov. XXVII. 9. Animaduertendum denique haud deeſſe oleo ſubtiles particulas, quæ pe ipſos cutis poros ad ſanguinem usque penetrant, quod vel ex inunctionibus mercurialibus conſtat: ſimul tamen craſſiores, viſcoſiores, tenaciores, unde oleum & oleoſa facile corporibus obuiis adhæreſcunt, cui Phænomeno reſoluendo quadrat non tam figura particularum rotunda, quàm ramoſa, lanæ - vel plumæformis.

Sequitur actio potentiſſima DEI in arbores. Verſ. 16. *Arbores DOMINI ſucco abundant velut Cedri in Libano, quas plantauit.* Χορτασθήσεται τὰ ξύλα τοῦ πεδίου, αἱ κέδροι τοῦ Λιβάνου, ἃς ἐφύτευσεν. Cluent heic arbores omnes *arbores* DOMINI, ut Cedri Libani, ita abietes, larices, quercus, fagi in noſtris regionibus, Palmæ in Indiis, neque id abſque emphaſi. Eſt quippe omnium Creator, DOMINUS, qui alimentum illis, ut omnibus plantis, largitur ſtructuræ omnium & ſingularum conforme, quæ res nunquam hactenus profunda ſatis admiratione potuit capi. Extendit ſeſe hoc proprietatis jus in omnes creaturas, utpote quas *fecit omnes manu ſua.* Jeſ. LXVI. 2. Ejus ſunt *omnes feræ ſiluarum, pecudes in mille montibus, (jumenta in montibus & boues.)* Pſal. L. 10. Eſt DEUS non ſolùm arborum Creator potentiſſimus, ſed & Conſeruator optimus. Sollicitus, ſi ita loqui licet, Hortulanus, qui unicuique plantæ & arbori dat alimentum conueniens, imo præparat ipſe. Non ſumus mortales nos proprietarii, ſed feudatarii. *Ego feci cœlum & terram, hominem & jumenta, quæ ſunt in ſuperficie terræ, virtute mea magna, & brachio meo extento, & tradidi ea, quæ mihi placuit.* Jer. XXVII. 5. DOMINI *eſt terra, & quicquid ea continet, orbis, & qui eum inhabitant.* (DOMINI *eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & uniuerſi, qui habitant in eo.)* Pſ. XXIV. 1. Ita DEI ſunt *Sol.* Matth. V. 45. *Venti.* Exod. XV. 10. *Tonitru.* Job. XXXVII. 2. *Glacies & frigus.* Pſ. CXLVII. 13. *Iris.* Gen. IX. 13. *Frumentum & muſtum, panis, aqua, lana, linum, oleum.* Hoſ. II. 5. *Argentum & aurum.* Hagg. II. 9. Sunt hæ expreſſiones totidem ὁδηγοὶ ad DEI cognitionem. Sed cenſus noſter feudalis ſit elogium DEI. In moderna noſtra Philoſophia veritas hæc inſcripta legi-

ˌitur omnibus corticibus, floribus, foliis, ıctibus, ligno, medullæ arborum, quarum rtium omnium ſtructura, ſub microſcopiis rimis conſpicua, in admirationem, imo ſtu-rem, rapit naturæ ruſpatores quosuis. Ar-rum nutritio, augmentatio, propagatio ſunt ocul dubio omni opus DEI, jucundum no-, & utile, & neceſſarium: ſubminiſtrat li-um ignem pro culina, fructus cibos, corti-; veſtes, partes aliæ alios uſus, quapropter ebantur Judæi in veteri Oeconomia Primi-s offerre DEO in ſacrificium, in homagii ſi-um. Et eſt memoratu digniſſima formula, a uti debebant oblaturi frugum illud ſacrifi-ım Deut. XXVI. 10. *Nunc adfero primitiuos ıctus telluris, quam dediſti mihi*, DOMINE. proin pomarium quoduis, ſylua quæuis, ıntarium DOMINI. Specialem autem facit entionem Dauid, ut paſſim Scriptura, *Liba-* & *Cedrorum Libani*, arboris proceræ, trun-recti, brachiorum expanſorum, viroris con-ntis per totum annum, quacum in parallelo cari poſſunt larices & abietes noſtræ, quæ eadem ſunt coniferarum claſſe. Tanquam gulare quid memorat *Plinius* L. XVI. c. 40. *drum ad undeciremem Demetrii ſucciſam in Cy-centum triginta pedum, craſſitudinis verò ad um hominum complexum.* Notum, adhibi-n fuiſſe pulcherrimum hoc & præ aliis pro-r reſinoſam ſubſtantiam durabile lignum pro rica Arcæ Fœderis, menſa Panum Propoſi-nis, & tota Templi. Neque reticenda heic jactantia glorioſuli illius Aſſyriæ Regis. Jeſ. XVII. 24. *Copia equitatus mei in juga mon-m aſcendi ego, ad latera videlicet Libani, & cidi excelſa Cedrorum ejus, electas pinus ejus. n multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi itudinem montium, juga Libani: & ſuccidam ex-ſa Cedrorum ejus, & electas abietes illius.)* Sed le-ntur quoque cachinni, quibus hæ ipſæ ratione rentes creaturæ Sennacheribum naſo ſuſpen-nt adunco Jeſ. XIV. 8. *Abietes & Cedri Li-ni de te lætantur, dicentes: Abhinc, quo tu ja-iſti, nemo eſt, qui aſcendat ad incidendum nos. bietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & Cedri Li-ni: Ex quo dormiſti, non aſcendit, qui ſucci-t nos.)*

In arboribus DOMINI, Cedris, aliisque oceris *nidificant aues*, v. 17. צִפֳּרִים *tſipparim*. telligunt nonnulli *paſſeres*. Ita LXX. ἐκεῖ στρου-θία ἐννοσσεύσουσι, Symmachus, ὅπου στρουθία ἐννοσσεύσει. ulgata, *illic paſſeres nidificabunt*. *Apollinaris*:

Κεῖσε νεηγενέων πέλεται στρουθῶν ἀλεωρή.

Illic nuper natorum paſſerum eſt perfugium.

oſtræ Verſiones habent in genere *aues*, uti & quila, ἐκεῖ ὄρνεα νοσσεύσουσιν, *Hieronymus, ibi aues dificabunt*. Majori certè jure Libani ſanè, edrorumque culmina non ſunt commoda aſſeribus habitacula, ſed potius ædium trabes ac tecta. Vocem, quæ heic occurrit, צִפּוֹר *tſippor* aues in genere, imò auiculas, denotare oſtendimus ad Pſ. LXXXIV. 4.

Ciconiæ domus eſt in abietibus. In originali Textu occurrit vox חֲסִידָה *chaſidah*, quæ propriè denotat (auem) piam, explicata fuſius ad Leuit. XI. 19. Argumento ſanè eſt vel hic Dauidis Locus, חֲסִידָה non ſignificare *ſtruthionem*, quæ auis non altum volat, neque in abietibus nidos ſuos conſtruit. Hunc nidum Pſaltes vocat בֵּית *beth, domum*, ita & Pſ. LXXXIV. 4. *Paſſer inuenit ſibi domicilium*. *Virgil. Georg.* L. II.

Antiquasque domos auium cum ſtirpibus imis
Eruit.

In vetuſto Epigrammate Græco *hirundo* quoque πηλοδομεῖ θάλαμον, *thalamum ſibi pro domo ex luto ædificat*. Nidificatoriâ hac arte pollet ſpeciatim *ciconia*, ex variis ſarmentis, ligni fruſtulis, aliis rebus undequaque, præprimis ex locis uliginoſis, collectis tantâ arte conſtruens nidos in tectorum, caminorumque faſtigiis, turrium culminibus, arborum ſummitatibus, omni tempeſtati ventisque inuictos, qui in admirationem rapiunt peritiſſimos quosque Architecturæ magiſtros. Audi *Caſp. Heldelinum* in *Encomio Ciconiæ*: *Ciconia primo protinus aduentu veterem nidum repetit: quem, ſiquidem ſaluum & incolumem inuenit, collectis hyberno ſitu ſordibus ſtatim repurgat, inſtauratque: ſin ſæuiore aliqua ventorum tempeſtate dejectum cernit, ramentis illico ex agris paluſtriue ulua comportatis poſſeſſionem ſedis nouo nido occupat. Pomœria primùm rotunda ſciaterio valde ſimilia figit, mox ædificat, deinde conſtabilit. Poſtremò ſi quid diſtortius horret, admirabili quadam roſtri induſtria in ordinem componit.* In noſtris oris rari quid eſt, ſi ciconia nidificet in abiete, vel larice. Sed non præjudicat id veritati à Dauide prolatæ. In aliis Regionibus domeſticæ occurrunt ciconiæ, ſed & ſyluaticæ, quæ arboribus inædificant domicilia ſua. *Olympiodorus in Jobum* de ipſa ciconia: οὐ γὰρ εἰς γῆν τίκτει ὁ πελαργός, ἀλλ' εἰς τὰ ὑψηλὰ τῶν δένδρων. *Non in terra parit ciconia, ſed ſummis arboribus. Alkazuinus*, Scriptor Arabs: *Neque nidum ſibi ſumit niſi in loco celſo, puta in pharo, aut in arbore. Heldelinus* citatus: *Nidificat in editioribus ædium faſtigiis, aut aridis proximè, idque rarius, arboribus.* Si *Bellonio* fides, Ciconiæ Europææ brumam tranſigunt in Ægypto, circa Antiochiam, & montem Amanum; fortè & in Libano. Quidſi חֲסִידָה nomine intelligantur quæcunque aues in altis arboribus nidificantes. Huc pertinent *ardeæ*, quæ τοῖς LXX. placent. τοῦ ἐρωδιοῦ ἡ οἰκία ἡγεῖται αὐτῶν, *Erodii domus dux eſt eorum. Theodoretus* ex *Aquila*: ἡρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ. *Herodio abietes domus ei.*

Sub finem tractationis hujus annotari volo, ſatis fuiſſe otii Dauidi, quo potuerit Theologiam Naturalem excolere in migrationibus ſuis

& perſecutionibus. Haud deerat unquam occaſio commoda. Tantùm non ſingulis hymnis inſcribi poſſet hoc dictum : *Veſtigia DEI video.* In præaltis, ubi caſtra ſua, fugitiuus ſæpe, ponebat, montibus, præruptis ſaxis, cryptis, unde ſuas mutuabatur loquendi formulas. Heic DEUM laudat ut Caſtellum, Petram, Liberatorem, tutamen ſuum : Obuiæ fortè abietes aliæque arbores proceræ in montibus altis & voraginibus profundis anſam dabant cogitandi, quàm degentes ibi aues, quadrupedes, animalia alia à DEO creata viuant commodè, & conſeruentur. Monitorii loco ſit hoc piſcatoribus, venatoribus, ut diſcant non ſolùm inſidiis variis captare vel occidere animantia varia : Agricolis, ut ſciant non ſolùm putare vites, aratro ſcindere agros, ſerere, fœnum reſecare, frumenta horreis indere : operariis, mercatoribus, textoribus, ut noſcant, non ſolùm lanam, ſericumque carpere, coria tractare, laboribus ſuis viuere, corradere opes; ſed hi omnes, imo nos quotquot ſumus m tales, quò conuertimus cunque oculos, DEU optimum & Creatorem potentiſſimum cogn ſcere & adorare. Sit & hæc lectio pro no naturæ ruſpatoribus, & quibuscunque lite rum cultoribus, ut non ſolùm curioſi ſim rerum variarum collectores, Muſeorum va ſupellectili inſtructorum poſſeſſores, eruc contemplatores, ſed pii, ſed officiorum er DEUM, erga proximum præ aliis obſerua tes ; κτισέων ἀλόγων ad imitationem actiones n ſtras dirigamus juxta Leges à Creatore noſt præſcriptas, & vel Scripturâ S. duce à ſerpe tibus diſcamus prudentiam, à columbis inf catam ſimplicitatem, à ciconiis tempus lab rum, imò conuerſionem à ſemita vitiorum a viam regiam virtutum, μετανοὴν noſtram, ab ap bus & formicis ſedulitatem, ordinem, conco diam, ab animalibus qualibuscunque curan pro liberis & domeſticis.

TAB. DLXIV.

Pſal. CIV. verſ. 19 - 23.

19. Lunam fecit, ut tempora diſtinguat, & Sol nouit occaſum ſuum.
20. Quum tenebras inducis, fit nox, in qua omnes feræ ſilueſtres prodeunt.
Thirmoſch, ſeſe mouere ut reptilia & piſces.
21. (Quemadmodum) Leonis catuli rugientes ad prædam, & ut quærant cibum ſuum ſibi à DEO paratum.
22. Ubi Sol ortus eſt, ſeſe recipiunt, & in cubilia ſua cubitum eunt.
23. Homo autem aggreditur opus ſuum, & negotio ſuo (inſtat) usque ad veſperam.

19. Fecit lunam in tempora : ſol cognouit occaſum ſuum.
20. Poſuit tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.
21. Catuli Leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à DEO eſcam ſibi.
22. Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.
23. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam usque ad veſperum.

Contemplationi Operum DEI continuò intentus Vir DEI exſaturari nequit. Terram nunc aſpicit, & terreſtria corpora, nunc ſeſe euibrat, & hac quidem vice ex montibus in cœlum. Nunc occupat ipſum totum plantula quæuis obuia, animalculum ex viliſſimis, mox animo obuerſantur corpora mundi totalia, vaſtiſſima, quorum licet maxima pars eorum, quæ ſcimus, minima ſit eorum, quæ ignoramus, minima tamen eorum, quæ ſcimus, in ſummam nos rapit admirationem.

Verſ. 19. *Lunam fecit, ut tempora diſtinguat.* ἐποίησε Σελήνην εἰς καιρὰς. Præponit Dauid Lunam Soli, utpote terræ ſatellitem, non ultra 50000. milliaria à nobis diſtantem ; cujus corpus opacum, lumen à Sole mutuatitium pro vario ad eum ſitu nunc creſcit, nunc decreſcit : magnitudo 47.es minor terra : cujus vortex ellipticus nunc minori ſuo diametro terram premit, nunc majori : motus in longitudinem & latitudinem adeò intricati, ut plus operæ inſumſerint omnis æui Aſtronomi iis euoluendis, quàm remotiſſimorum Planetarum circumuolutionibus, qui non

PSAL. CIV. v. 19 - 23.
Leunculi ad prædam rugientes.

Pſal. CIV. v. 19 - 23.
Nach dem Raub brüllende junge Löwen.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

n ſolùm habet ad ſingulos menſis dies ſua ogæa & Perigæa, ſed hæc ipſa & nodos vat; qui non quidem gyratur circa proprium ntrum, ſed libratur duntaxat; de cujus inxu in hanc terram, maria, corpora valetuaria hominum certiores ſumus, quàm de bitabilitate. Deut. IV. 19. ſeuerè intimat DEUS pulo ſuo, *ne attollant oculos in cœlos, & viSole, Luna, Stellis cum uniuerſo exercitu cœum proſternantur, & adorent colantque ea.* quenti aſpectu dignatur ſidera Pſaltes, ſed admiretur has κτίσεις, & infinitam DEI potiam ac ſapientiam condignis celebret encos. Ita & nos. Ille Pſ. VIII. 4. *Equidem ſuiam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lun & Stellas, quas tu præparaſti.* Ingentia eſtat Luna terræ beneficia lumine ſuo & mo, illuminando tenebricoſas noctes, & menando tempora, menſes nempe & annos, ſcit lunares. *Lunam fecit* DEUS, *ut tempora inguat.* Ad ea attendere debebat cumpris Veteris Teſtamenti Eccleſia, & ad Lunæ rſum præcipua determinare Feſta, imo quo Nouilunio DEO, non Lunæ, Creatori, non τει, ſacrificiis celebrare laudes, & gratias age- *In initiis menſium veſtrorum ſacrificabitis OMINO holocauſtum. (In Calendis, id eſt, menſium exordiis, offeretis holocauſtum DOINO.)* Num. XXVIII. 11. *Clangite cornu a Luna, ſtato die ſacrificii noſtri. (Buccinate Neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis ve.)* Pſ. LXXXI. 4. Si quis exactius noſſe cu hæc Lunæ tempora, per conſequens & uſus le pro ſocietate hominum pendentes ponrare, atque ad cognitionem & Gloriam DEI licare, ei ingredienda ſunt Aſtronomiæ poeria. Heic edocemur, Lunam proprium m motum, ab uno Eclipticæ puncto ad idem, minare diebus 27. horis 7. minutis 43. ſendis 7. ſed Solem demum attingere diebus 29. ris 12. minutis 44. ſecundis 3. & hac ſua olutione definire *menſem.* Inde quoque ndet ciuilis in *ſeptimanas* diſpartitio, quæ UM ipſum Authorem agnoſcit. Diſparti item anni in menſes, ſiue duodecies quaor ſeptimanas; unde *Lutheri* verſio Textus ſtri ita ſonat: *Du macheſt den Mond, das hr darnach zu theilen.* Sed ſunt *Anni Luna-* diſtinguendi probè à *Solaribus. Lunaris Ans*, Orientalibus Populis cumprimis familia-, duodecim conſtat Lunationibus, ſiue menus: *Solaris*, quem annuus Solis vel terræ otus dimetitur, abſoluitur diebus 365. ho- 5. minutis 49. ex qua reuolutione annus mmunis fit dierum 365. intercalaris 366. t hæc ipſa Chronologiæ baſis, quâ Hiſtoriæ ſius certitudo, & innumeri in ſocietatem hunanam redundantes uſus fundantur. Conſtat ex hactenus dictis, optimo jure dici poſſe *unam Calendarium ſocietatis humanæ perpetuum.* una ſi reuolutionem ſuam quotannis ſemel untaxat abſolueret, uti Sol, haud quidem indigeret terra lumine per noctes, ſed careremus diſpartitione illa commoda לְמוֹעֲדִים, in tempora ſtata, particulas temporis, menſes & hebdomadas. Omnia hæc anſam nobis præbent DEI ſapientiam & bonitatem celebrandi ſufficientiſſimam.

Pergo, properante pede, non enim eſt breuis ad aſtra via, ad *Solem. Sol nouit occaſum ſuum.* ὁ ἥλιος ἔγνω τὴν δύσιν αὐτȣ̃. Loquendi formula planè ſingularis, Heliolatriæ, ut prima videtur fronte, fauens. Sanè ſi Phœbeja hæc lampas in ſenſu literali *nouit occaſum ſuum*, per conſequens motum ſuum ordinatiſſimum, quo regit ſigna duodena volubilis anni, abſoluit intelligens ac volens, diſputari nequit cultus λατρείας ei, vel adjuncto Genio. Sed facile videt, qui non habet oculos luminis inanes, non poſſe Solem, ens merè corporeum, noſſe, ſcire, intelligere, velle quidpiam, non magis atque horologium nouit rotularum ſuarum coordinationem & motum, vel indicis ſui reuolutionem. Eſt omnino Sol admiratione dignus, ſed non adoratione. Ad DEUM, Ens Potentiſſimum, Sapientiſſimum, Optimum ducit nos flammans globus, millioneſies terrâ major, in centro immenſi Vorticis Planetarii fixus, majeſtatica lux, à qua omne Planetis lumen, calor omnis, isque proportionatus ſingulis; Fons, à quo hi lucis indigi proportionatè diſtant; Sedes Regia, cujus centralis gyratio 27. dierum ſpatio abſolui ſolita omnium Planetarum reuolutiones poſt ſe trahit: Corpus, quod metaphorico ſenſu non ſolùm *nouit*, ſed innumeris ſuis, iisque diuerſis radiis, veluti linguis totidem eloquitur magnalia DEI. Imago & ſpeculum Diuinæ Gloriæ, Lucis inacceſſibilis. Monarcha, quem terra non ſpoliauit, licet ſibi motum diurnum pariter ac annuum appropriauerit, ſed potius hoc ipſo majeſtaticam dignitatem ſeruauit & auxit. Attentionem id meretur, quod Pſaltes memorat occaſum Solis, *Sol nouit occaſum ſuum*, quum alibi in Sacris, ſed quoque apud Gentiles, celebretur Ortus. *Quæ eſt illa, quæ proſpectat ſicut Aurora, formoſa ut Luna, electa ut Sol. (Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.)* Cant. VI. 9. Ita Sponſus de Sponſa, Eccleſia. Innuere vult Dauid, Occaſum Solis non minus eſſe glorioſum ac utilem ortu, quandoquidem nocte inſequente ad quietem redeant homines & animalia, & reficiantur plantæ. Occaſum ortui jungit Amos IV. 13. *Auroram reddit caliginem, qui graditur ſuper excelſa terræ, DOMINUS, DEUS Exercituum nomen ejus. (Faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ, DOMINUS, DEUS Exercituum nomen ejus.)* Poſcit id prouidentiſſima DEI cura, ut viuant creaturæ per viciſſitudines noctium atque dierum. *Facis ouare exitus matutini & veſpertini temporis. (Exitus matutini & veſpere delectabis.)* Pſ. LXV. 9. Poſtulat duplex hoc, utrumque ingens, benefi-

 cium

cium ſacrificium matutinum atque veſpertinum, encomia laudis deuota. *Commodum eſt celebrare DOMINUM, & pſallere Nomini Tuo, o Altiſſime! prædicare manè Bonitatem Tuam, & Fidem Tuam in noctibus. (Bonum eſt confiteri DOMINO, & pſallere nomini tuo, Altiſſime! Ad annunciandum manè miſericordiam tuam & veritatem tuam per noctem.)* Pſ. XCII. 1. 2. Sed quoque viam ſternit Solis occaſus ad Verſiculum proximè ſequentem.

Verſ. 20. *Quum tenebras inducis, fit nox, in qua omnes feræ ſilueſtres prodeunt.* ἔθȣ σκότος καὶ ἐγένετο νὺξ, ἐν αὐτῇ διελεύσονται πάντα τὰ θηρία τȣ̃ δρυμȣ̃. Eſt ingens DEI beneficium dies, ſed & μέγα λίαν δῶρεον nox. Et dubitare quis poſſet, cuinam debeatur prærogatiua. Tempore ſane prior eſt nox. *Tenebræ fuere ſupra abyſſum — dixitque DEUS: Fiat lux, & facta eſt lux.* Gen. I. 2. 3. Judæi propterea, & poſt eos Itali, νυχθήμερον inchoarunt à veſpera. Nox ſi deforet, æſtu omnia contabeſcerent, ignem conciperent ſyluæ, euaporarent aquæ, languore perirent homines & animantia. Labori dicatus dies, quieti nox. Haud obſtat, quod ſint animalia, quæ interdiu quieſcunt, noctu prædantur. Sunt & hæc Diuinæ ſpecialis Prouidentiæ teſtes ἀναντίῤῥητοι, quæ talem dedit oculis ſtructuram, ut noctu videre, & de victu proſpicere ſibi poſſent, imo talem, quæ interdiu reddit cœca, noctu videntia. Quid quæſo contingeret homini itineranti, agros colenti, iis in Regionibus, cumprimis deſertis, quæ Leonibus, Urſis, Tigridibus abundant, ſi carniuoræ hæ beſtiæ prædam ſectarentur interdiu. Hanc ipſam obſeruationem ſuggerit Pſaltes. *In qua nocte omnes feræ ſilueſtres prodeunt. Quemadmodum Leonis catuli rugientes ad prædam, & ut quærant cibum ſuum à DEO ſibi paratum. Ubi Sol ortus eſt, ſeſe recipiun in cubilia ſua cubitum eunt.* Σκύμνοι ὠρυόμενοι ... σαι, καὶ ζητῆσαι παρὰ τȣ̃ ΘΕΟΥ βρῶσιν αὐτοῖς. Ἀ... λεν ὁ ἥλιος, καὶ συναχθήσονται, καὶ ἐν ταῖς μάνδραι... τῶν κοιταθήσονται. Comprobat id experienti... λεωντογραφία naturalis. Beſtiam hanc ob... ipſum *Alaupho* nuncupant Arabes, quod n... prædam quærat. In antro ſuo lucubran... Leonem ita deſcribit *Statius* L. VII. v. 670.

Qualis ubi primam Leo manè cubilibus alt...
Erexit rabiem, & ſæuo ſpeculatur ab ant...
Aut Ceruum, aut nondum bellantem fronte...
uencum.

Eſt interim Leo nobilis DEI κτίσις, nutrime... non minus, quàm alia animalia, indigens: ... gitus ejus, nobis licet formidabilis, preca... eſt ſeu ſupplicatio ad DEUM, quam Crea... non reſpuit. Huc & collimat Dauid: *Leo... catuli rugiunt ad prædam, ut quærant cibum ſu... à DEO ſibi paratum.* Ita *dat DEUS pec... ſuum paſtum, & pullis coruorum, qui eum v... cant.* Pſ. CXLVII. 9.

Homo autem aggreditur (de die nempe) *op... ſuum, & negotio ſuo inſtat usque ad veſperam...* ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐπὶ τὸ ἔργον αὐτȣ̃, καὶ ἐπὶ τὴν ἐργ... σίαν αὐτȣ̃ ἕως ἑσπέρας. Eſt & hæc directio ſapien... tiſſima DEI, ſummi Rectoris mundi. Non de... bebat otio torpeſcere homo, ſed laborare. ... maledictioni illi Gen. III. 19. *In ſudore vultu... tui veſceris pane tuo* adſociatur à Bonitate Diui... na benedictio. Non duntaxat diuertit nos la... bor à ſcelerata vita, vitiis nefandis, ſed condu... cit ipſi ſanitati: roborantur fibræ, promouetu... ſanguinis circulus, felicius peraguntur ſecre... tiones omnes.

Pſal. CIV. verſ. 24.

Quanta ſunt opera tua, DOMINE, quæ uniuerſa feciſti per ſapientiam! Eſtque terra plena tuis poſſeſſionibus.

Quam magnificata ſunt opera tua, DOMINE! omnia in ſapientia feciſti; impleta eſt terra poſſeſſione tua.

Digniſſima hæc encomiaſtica Epigraphe, quæ præfigatur omnibus Syſtematibus Phyſicæ, quæ inſcribatur portis omnium Templorum, Palatiorum Regiorum, imo ſuperliminaribus Nobilium, mercatorum, opificum, colonorum, venatorum, piſcatorum, aucupum, quæ legatur in omnibus metallifodinis, officinis fuſoriis, vineis, agris, pratis. Perluſtratis cœlis terraque, locis cultis & incultis, conſideratis attentè numero, magnitudine, infinito artificio, immenſa varietate creaturarum, exultans Pſaltes admirationis, gaudii, deuotionis plenus pleno exclamat ore: *Quanta ſunt opera Tua*, DOMINE! ὡς ἐμεγαλύνθη τὰ ἔργα σȣ, ΚΥΡΙΕ; addita ſtuporis, quo perfuſus fuit, ratione, *uniuerſa feciſti per ſapientiam.* πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας. Fulminis eſt hic ictus, quo proſternuntur Athei, idola omnia. Commentarium lege ex DEI ipſius dictamine apud Prophetam Jer. X. 10. &c. DOMINUS DEUS *verus eſt, DEUS viuus, & Rex ſempiternus. — Dii, qui cœlum & terram non condiderunt, perdentur de terra, & de ſub cœlis ipſis. Qui terram condit ſua virtute, ſapientia ſua orbem diſponit, prudentia ſua cœlos extendit. Quum ille vocem dat, ingens aquarum vis in aëre* coit,

it, & eleuat nubes ab extremitate terræ, fulgu-
: in pluuiam vertit, atque educit ventos de re-
ptaculis ſuis. (DOMINUS DEUS *verus eſt, ipſe*
EUS viuens & Rex ſempiternus. — Dii, qui
:los & terram non fecerunt, pereant de terra,
: de his, quæ ſub cœlo ſunt. Qui facit terram
fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia
, & prudentia ſua extendit cœlos. Ad vo-
n ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, &
uat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura
pluuiam facit, & educit ventum de theſauris
s.) Μνημόσυνον dignum, quod pia mente re-
lat, quisquis Solem, Lunam, Stellas, Cœlos,
intas, animalia, imo quoduis in tota natura
rpus adſpicit. Manuductio ad DEUM ex
μογνωσία. Longè abeſt, imò longiſſimè Pſal-
; à frequentiſſima nobis loquendi formula:
uàm præclara ſunt opera naturæ! quàm mi-
producit, imò ludit, natura! Euibrat ſeſe
πνευςος ad primam omnium entium cauſam.
uanta ſunt opera Tua, DOMINE? Ita quoque
ihu Job. XXXVI. 24. *Tu memineris, ut opus*
um amplifices, quod homines intuentur. — Ec-
DEUS modis omnibus maximus eſt, ut ignore-
is numerum annorum ejus, & viam eum perue-
gandi. (Memento, quod ignores opus ejus, de
o cecinerunt viri. — Ecce DEUS magnus
ncens ſcientiam noſtram; numerus annorum ejus
æſtimabilis.) Admiratione nos perfundit au-
maton multa arte paratum: encomiis extol-
nus inuentorem & artificem. Præteruolant
momenta fere muſcæ, aues, natantes vide-
ıs piſces, gradientia quadrupeda, profer-
:ntia reptilia, ſurgentes plantas, propagari
nus humanum, ordinatiſſimos curſus abſol-
:re Solem, Lunam, Stellas, & hæc omnia,
et infiniti ſint artificii ſingula, curamus nihi-
! En plusquam cimmerias, quibus inuolui-
ur, tenebras! Oculos aperimus, ora pandi-
us, & repetitis vicibus *miracolo* clamamus,
ıoties ſcenicis ludis ſumus præſentes, mi-
osque videmus geſticulantes, obſcœna ſæpe
cantes, cœci, ſurdi & muti ad totius mundi
κόσμησιν, cœli terræque ornatum! Quàm ra-
ſunt Dauides, Solomones, Jobi, vel inter
teratos ipſos, qui opera naturæ conſiderant
nquam opera DEI! quàm pauci Bernhardi,
ıorum libri ſunt quercus & fagi! Tanta ſi nos
:cupat cœcitas in rebus ſenſus noſtros affi-
:ntibus, quid mirum, ſi non magis, imo ſi
inus attendamus ad miracula illa gratiæ, quæ
EUS operatur in Eccleſia? Promant de ſtu-
:nda hac negligentia querelas Legis Diuinæ
epoſitarii, quibus incumbit demonſtrare po-
ılo DEI τὸ πλάτος, τὸ μῆκος, τὸ βάθος, καὶ ὕψος
ς χάριτος τȣ̃ ΘΕΟΥ. Eph. III. 18. Prædicat Pſal-
s noſter quantitatem, diſcretam nempe, ope-
ım diuinorum. *Quanta ſunt opera Tua*, DO-
IINE! Et Pſ. CXXXIX. 17. 18. O DEUS, *quàm*
ıucas tuas cogitationes aſſequor! & grandes
mmæ excreſcunt! Quas ſi numerare velim, plu-
:s ſunt quàm arena. (Mihi nimis honorificati
ſunt amici tui, DEUS: nimis confortatus eſt prin-
cipatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper are-
nam multiplicabuntur.) Celebrat porrò, & cum-
primis Sapientiam atque Bonitatem DEI. *Uni-*
uerſa feciſti per ſapientiam. Eſtque terra plena
tuis poſſeſſionibus. Πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας, ἐπληρώ-
θη ἡ γῆ τῆς κτίσεώς σȣ. Eſt ſapientia hæc æterna,
quæ fuit πρὸ καταβολῆς κόσμȣ. *Quoniam ipſe dixit,*
& facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.
Prov. VIII. 22. 23. DOMINUS *poſſedit me ini-*
tio viæ ſuæ, ante opera ejus tum eram. Ab æter-
no ordinata ſum, & ab initio ante terram. (DO-
MINUS *poſſedit me in initio viarum ſuarum, an-*
tequam quicquam faceret à principio. Ab æterno
ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fie-
ret.) Sapientia, quæ nihil facit fruſtra, omnia
ad certum eumque optimum finem. Lege repe-
titam toties operum creatorum clauſulam: *Vi-*
dit DEUS, quod eſſet bonum. Gen. I. Sapien-
tia imperſcrutabilis nobis mortalibus, quia in-
finita. *Tune*, ita Zophar ad Jobum Cap. XI. 7. 8. 9.
tune perueſtigando inuenires DEUM? Tune in-
uenires DEI Optimi Maximi perfectionem con-
ſummatam? Quæ quum altitudines cœlorum æquet,
quid efficies? quum profundior ſit inferis, quid in-
telliges? Cujus quantitas longior eſt terrâ, & la-
titudo ejus major quàm mare. (Forſitan veſtigia
DEI comprehendes, & usque ad perfectum, omni-
potentem reperies? Excelſior cœlo eſt, & quid
facies? profundior inferno, & unde cognoſces?
Longior terra menſura ejus, & latior mari.) Sit
finis ultimus & noſtræ ſapientiæ, ut ex naturæ
cognitione & cauſarum inueſtigatione DEUM
cognoſcamus artificem, celebremus, adore-
mus, ipſi obediamus. Lectionem hanc nobis
commendat Jobus XXVIII. ubi benè multa Di-
uinæ Sapientiæ Elogia hocce terminantur Co-
rollario: *Dixit homini: Ecce timor DEI eſt ſa-*
pientia, & vitare malum eſt intelligentia. Hac
Sapientia Bonitateque DEI plenus eſt mundus,
plena in ſpecie *terra*. *Eſt terra plena tuis poſ-*
ſeſſionibus. Materiam darent Cedro digna hæc
verba Libro integro, quem vix inchoauerit poſt
Neſtoreos annos acutiſſimus licet Philoſophus,
licet finiuerit. *Terra*, ingens Planeta, ſpatio
24. horarum circa Axin ſuam, & quotannis cir-
ca Solem volubilis, eadem ſemper Axeos ſuæ
inclinatione. Terra, ſcabellum pedum DEI,
hominum animantiumque habitaculum, vege-
tabilium mater, repleta theſauris, tum in ſu-
perficie, tum viſceribus. Penuarium, quod
continuò exhauritur, & protinus readimpletur.
Promptuarium cibi, veſtitus, pecuniæ, ſupel-
lectilis, omnium rerum uſui & voluptati ſer-
uientium. Sedes commoda non ſolùm Regi-
bus & Principibus, ſed quoque ruricolis & mi-
ſerabilibus Iris. *Benignitate Tua, DOMINE, plena*
eſt terra, quare doceto me decreta Tua. (Miſericor-
dia tua, DOMINE, plena eſt terra, juſtificationes
tuas doce me.) Pſ. CXIX. 64. *Quum peregrinus ſim*
in terra, ne me celes Tua mandata. (Incola ego ſum in
terra: non abſcondas à me mandata tua.) Verſ. 19.

TABB. DLXV. DLXVI. DLXVII.

Pſal. CIV. verſ. 25 - 30.

25. Ipſum mare (a) vaſtum & latiſſimum eſt, ubi reptilia innumera ſunt animalia, tum parua, tum magna.

(a) Magnum & latum manibus.

26. Illac eunt naues, & ipſa Balæna, quam formaſti, ut in eo ludat.

27. Uniuerſa autem ex Te pendent, ut eis cibum des ſuo tempore.

28. Teque dante colligunt, & te manum aperiente ſatiantur bonis.

29. Si autem abſcondas faciem tuam, turbantur: ſique ſpiritum eis eripias, expirant, & reuertuntur in ſuum puluerem.

30. (Rurſum animalia) creantur, ſi tuum ſpiritum mittas, & renoues terræ faciem.

25. Hoc mare magnum & ſpatioſu manibus: illic reptilia, quoru non eſt numerus, animalia puſi la cum magnis.

26. Illic naues pertranſibunt: Drac iſte, quem formaſti ad illuden dum ei.

27. Omnia à Te expectant, ut des il lis eſcam in tempore.

28. Dante te illis, colligent: aperient te manum tuam, omnia imple buntur bonitate.

29. Auertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

30. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.

EST Verſiculus proximè præcedens 24. quem modò explicauimus: *Quanta ſunt opera Tua, DOMINE, quæ uniuerſa feciſti per ſapientiam! Eſtque terra plena tuis poſſeſſionibus*, Parentheſis exclamatoria, quæ Dauidi opera DEI conſideranti in mentem venit, & labia mouit; ſit & incitamento nobis, ut occaſione quauis, ubique locorum, interim dum vacamus labori, vel inſudamus, hujusmodi ſuſpiria pectore emittamus, gloriæ diuinæ encomiaſtica. Agricola in agro, vinea, paſcuo: Artifex in ſua officina, præſens ferro, æri, corio, aliis, quæ tractat, corporibus: Mercator ſerico, lanæ, goſſypio: Nobilis in venatione; Piſcator, dum captat piſces, auceps, dum aues, & ſic porrò alii alibi. Pro objecto ſuo habebat hactenus Pſaltes præter cœleſtia corpora terræ partes ſiccas, nunc pergit ad fluidas, inprimis ad mare.

Ipſum mare, inquit v. 25. *vaſtum & latiſſimum eſt, ubi reptilia innumera ſunt animalia, tum parua, tum magna.* Ἄυτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ εὐρύχωρος. ἐκεῖ ἑρπετὰ, ὧν ἔκ ἔςιν ἀριθμός. Littora quærit, & æquora ſulcat, quinimò in profundam nos ducit abyſſum; contemplationi noſtræ offerens vaſtiſſimam amplitudinem atque profunditatem maris, animalia ſine numero tum natantia tum reptilia, tot, quot μύρμακες ſunt ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι. De vaſtitate immenſa, ſed terræ proportionata, maris egimus alibi. Memorant Hiſtoriæ, Darium Regem in admirationem raptum, dum ex alto promontorio proſpectabat in Euxini Ponti æquora medias cingentia terras: Rapietur quilibet, occaſionem nactus

Neptunum procul è terra ſpectare furentem.

Horat. L. I. *Epiſt.* 11. ii cumprimis, qui alto ſeſe committunt Oceano. Profunditas maris tanta eſt, quæ ne quidem bolide hactenus explorari potuit, quacum paſſim in Scriptura Sacra confertur τὸ βάθος diuitiarum cognitionis & ſapientiæ DEI. Hominem ſi DEUS conuincere vult de nihilo ſuo, de ignorantia ſua, adloquitur DEUS ut olim Jobum XXXVIII. 16. *Num perueniſti ad guttas maris? & in perueſtigationem abyſſi penetraſti? (Nunquid ingreſſus es profunda maris, & in nouiſſimis abyſſi deambulaſti?)* Sed eſt hæc ipſa, vaſtiſſima licet, maris amplitudo, latitudo, profunditas nihil prorſus, ſi conferatur cum immenſa Majeſtate & Gloria DEI. Qui *menſus eſt volâ ſua aquas* maris. Jeſ. XL.

TAB. DLXV.

Psal. CIV. v. 25-30.
Reptilia Maris.

Pſal. CIV. v. 25-30.
Unzählbare kriechende Meer-Thiere.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

PSAL. CIV. v. 25-30.
Testacea et erustacea.

Pſal. CIV. v. 25-30.
Thiere mit Schalen und Decken bekleidet.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

TAB. DLXVII.

PSAL. CIV. v. 25-30.
Omnia ex te pendent.

Pſal. CIV. v. 25-30.
Alle warten auf dich.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

.. 12. *Congregat aquas maris ut cumulum, re-nit in penetralia abyſſos.* Pſal. XXXIII. 7.

Sed non eſt mare, cujus vaſtitatem cele-
it Pſaltes, hydrophylacium duntaxat, idque
iſſimum, verùm piſcina quoque & θηριοτρο-
ν. Ibi *reptilia innumera ſunt animalia*, *tum*
ua tum magna, ποικιλία παντὸς ζώε, ut verbis
r Siracidis. Comprehendit ποικιλία hæc,
am admirari nunquam poſſumus ſatis, pri-
piſces, dehinc exanguia magna & parua,
llia & cruſtacea, atque teſtacea, Cancros,
llas marinas, Conchas, Cochleas, Inſecta,
to omnia numero, varietate tanta, quæ et-
diligentiſſimos quoſque naturæ indagato-
latent. Animantia omnia in aquis viuentia
144. aſcendunt, ſi *Iſidoro* fides eſt *Origin.*
XII. c. 6. ad 153. ſi *Oppiano* in ἁλιευτικοῖς, &
eronymo in Ezech. VI. 14. ad 176. ſi *Plinio*
XXXII. c. 11. qui numeri tolerari poſſunt, ſi
nera ſpectes, minimè, ſi ſpecies. Majorem
rtean merentur aſſenſum Malabares, qui
0000. numerant piſces, reptilia 1100000.
forte non digitis, Hiſtoriæ Naturalis impe-
. Certior eſt numerus incertus, indefini-
, qualis eſt & ſtellarum.

—— τάκεν ἔτις ἀείδελα μυθήσαιτο
Θνητὸς ἐών.

ppian. Halieut. L. I. Pelagia ſunt innumera,
orum varietates & figuram citius in monti-
s & ſicco addiſces, quàm in profundo pela-
: inter reliquias diluuii nempe inuenies po-
s, quàm obtinebis ab urinatoribus. Noui
orſus deteguntur hodie θηριοκόσμοι, cumprimis
r miſcroſcopia. Reſpublicas offendas in re-
s publicis; Animalia ſua & animalcula ha-
nt ζῶα ſingula, imo plantæ & ſaxa, quorum
toria in noſtra tempora eſt reſeruata, imo ne
idem ab æuis futuris præſtolanda. Non
in ſufficiunt nobis animalia marina 600.
ot numerat Mahometes in *Damire Cap. de*
cuſtis, neque Talmudiſtarum 700. Agnoſci-
us nos cum Dauide *innumera*; & hac, ut qua-
s alia, occaſione deuotis celebramus laudi-
s Creatorem ſummum, qui tot κτίσεις ad ho-
inis uſum condidit, huicque dominium in
nnia tradidit, *dominium in piſces maris*. Gen.
28. Sunt terra, mare, aër, penuaria inſtru-
iſſima, unde homo alimenta promit. Viuit
imal quoduis in elemento ſuæ ſtructuræ con-
enienti. Suffocationis periculum protinus in-
rrit auis in aquis, piſcis in aëre: Sed ſunt
uoque ἀμφίβια. *Omnis ſpiritus* (omne, quod
iritum ducit,) *laudet DEUM. Halleluja.* Co-
phon hic eſt Hymnorum Dauidis Pſ. CL. 6.
ντιφωνίαν lege Apoc. V. 13. πᾶν κτίσμα, ὅ ἐςιν ἐν
ῷ ἐρανῷ, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς, καὶ ἐπὶ τῆς
αλάσσης ἅ ἐςι, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα, ἤκεσα λέγοντας·
ῷ καθημένῳ ἐπὶ τῦ θρόνε, καὶ τῷ ἀρνίῳ ἡ εὐλογία καὶ ἡ τι-
ὴ καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τὲς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Verſ. 26. *Illac eunt naues*, in mari nempe.
Ἐκεῖ πλοῖα διαπορεύονται. Obſeruate heic quoque,
imo manibus palpate Sapientiam atque Bonita-
tem DEI. Debebat mare, ex rationibus alibi
allegatis, eſſe immenſæ fere vaſtitatis, ſed ta-
men ſocietas humana cis & trans maria viuere
in mutuo commercio, continentis incolæ cum
Inſulanis. Huic fini haud quadrabant cymbæ,
opus erat nauibus iisque magnis, quæ impe-
tui reſiſterent tumidis expoſtæ procellis, & flu-
ctus furentes ſecarent: haud conueniebat aqua
dulcis, in qua magnæ, onerariæ, bellicæ, vi
ſola grauitatis ſubmergerentur, ſed quidem
aqua grauior ſalſa, qua tanquam medio foue-
tur inter homines commercium, quæ naues
etiam oneroſiſſimas ſuſtinet ſimul & naturæ ani-
malium marinorum eſt adæquata.

Ex animalibus marinis *Leuiathanem* in thea-
trum producit Pſaltes: *Ipſa Balæna, quam for-
maſti, ut in eo ludat.* Δράκων ἔτος, ὃν ἔπλασας ἐμ-
παίζειν αὐτῷ. Eſt hic *Leuiathan* ex omnium In-
terpretum conſenſu *Cetus* ſiue *Balæna*, quam
monſtroſæ magnitudinis beſtiam Verſio noſtra
vernacula ſuo potuiſſet genuino exprimere no-
mine, quod fecit Latina. Hujus belluæ fit paſ-
ſim mentio in Sacris, eaque glorioſa. *Creauit
DEUS cetos magnos. (Creauit DEUS cete gran-
dia.)* Gen. I. 21. Audi querelas mouentem
Jobum VII. 12. *Num pelagus ſum? num Cetus
ſum, quod mihi obices circumdediſti? (Nunquid
mare ego ſum, aut cetus, quia circumdediſti me
carcere?)* Pſ. CXLVIII. 7. *Laudate DOMI-
NUM terreſtres*, *Dracones* (Ceti) *& omnes
abyſſi.* Loca alia ſilentio nunc prætereo. Po-
tentiam ſuam atque Sapientiam manifeſtare
cumprimis voluit DEUS in his maximæ molis
belluis, quæ metum ſimul incutiunt homini-
bus & voluptatem excitant. Metuunt ſibi ab
illis etiam, qui maximè valent animo, ſed quo-
que perfunduntur gaudio, ſi ludibundas vident
in mari, ſi maris hunc tyrannum captant, &
ſubigunt, uncinis nempe ferreis dorſo impa-
ctis, funeque 200. orgyjarum vel plurium, ſau-
cium & volutantem ſeſe & cum morte potius
quàm piſcatoribus luctantem attrahunt, atque
in partes ſcindunt.

Verſ. 27. & ſequentibus prædicat Pſaltes
DEI pro conſeruatione animalium marinorum
prouidentiſſimam curam, & abſolutum domi-
nium. *Uniuerſa autem* &c. Πάντα πρὸς σὲ προσ-
δοκῶσι, δῦναι τὴν τροφὴν αὐτοῖς εὔκαιρον. Δόντος σε αὐ-
τοῖς, συλλέξεσιν. ἀνοίξαντος δέ σε τὴν χεῖρα, τὰ σύμπαντα
πλησθήσονται χρηςότητος. Ἀποςρέψαντος δέ σε τὸ πρόσω-
πον, ταραχθήσονται. Ἀντανελεῖς τὸ πνεῦμα αὐτῶν, καὶ ἐκλεί-
ψεσι. καὶ εἰς τὸν χῦν αὐτῶν ἐπιςρέψεσιν. Ἐξαποςελεῖς τὸ
πνεῦμά σε, καὶ κτισθήσονται, καὶ ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς
γῆς. Res eſt, quam nihili communiter æſtima-
mus, admiratione digniſſima, quod animal &
animalculum quoduis, in aquis, aëre, terra,
& ſub ea, cibum & quærat & inueniat, imo
promptius & certius, quàm nos ipſi. Res,
quæ nulla ratione adſcribi poteſt intellectui illo-

 rum,

rum, quo carent, ſed unicè debet Creatori illorum & noſtro, qui omnibus dedit πνοὴν, ϗ ζωὴν, ϗ πάντα. Act. XVII. 25. *In cujus manu ſita eſt anima omnium, quæ vita prædita ſunt, & ſpiritus uniuerſæ humanæ carnis. (In cujus manu anima omnis viuentis, & ſpiritus uniuerſæ carnis hominis.)* Job. XII. 10. Hinc anſam ſumit Saluator optimus ſollicitos nimium de victu ſuo mortales tum reprehendendi, tum & conſolandi. Matth. VI. 25. 26. μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τὶ φάγητε ϗ τὶ πίητε. μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν, τὶ ἐνδύσησθε. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, ϗ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος. ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, ϗ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. Non natura, ſed potentiſſimus hic Paterfamiliâs *dat pecori ſuum paſtum, & pullis coruorum, qui eum vocant.* Pſal. CXLVII. 9. Noſtri, hominum ratione præditorum, eſt, œcumenicam hanc familiam introſpicere omni momento, gratias DEO pro ejus nutritione agere deuotiſſimas, tantò quidem magis, quod & ipſi vitam trahamus inde, conſiderare, præeunte Dauide, quàm non ſolùm creatio entium à DEO unicè dependeat, & in ſolidum, ſed & conſeruatio. *Si abſcondas faciem tuam, turbantur, ſique ſpiritum eis eripias, expirant, & reuertuntur in ſuum puluerem.* DEUS ut eſt fons vitæ ſpiritualis & diuinæ in fidelibus, ita eſt vitæ naturalis in omnibus creaturis. *Creantur, ſi tuum ſpiritum mittas.* Tandem non natura, ſed DEUS eſt, qui *terræ faciem renouat.* v. 30. Eſt & hoc opus Diuinæ Potentiæ ac Bonitatis, ad quod pauci, ut quidem deberent, attendunt. Creſcit quotannis frumentum, vinum, oleum, incuriis nobis, & ne quærentibus quidem, quis horum omnium ſit director, motor quis? Quotannis renouari videmus terræ faciem, indui noua & fertili veſte, & tamen æſtimamus nihili. Qui mentis ſuæ eſt compos, exclamet præcinente Dauide v. 31. *Sit DOMINI Majeſtas æterna, & gaudeat DOMINUS operibus ſuis. (Sit gloria DOMINI in ſeculum, lætabitur DOMINUS in operibus ſuis.)*

Stupenda ſunt, quæ circa ſtructuram, viuendi modum, motum, quo pro acquirendo opus habent animalia, ad quæ redeo, marina, obſeruant moderni Phyſici. Rapidiſſimo, qui nemini non notus, gaudent omnis fere generis piſces: lentiſſimo teſtacea & cruſtacea. Juuabit, ne in generalibus ſubſiſtere videar, adferre ſpeciales nonnullas obſeruationes.

Exhibet Fig. I. *Muſculum fluuiatilem*, cum ligamento coriaceo, quod valuas jungit ad latus roſtri. Fig. II. *Muſculum marinum*, cujus ligamentum interius magis eſt, prouti illud fluuiatilis externum. Omnes hi muſculi, uti teſtacea alia, valuas ſuas claudunt, aperiunt, progreſſiuo gaudent motu, imo ſunt, qui ſupra aquas veluti ſaltant. Ligamentum, de quo ante, effectus exerit contrarios prorſus, claudit nempe & aperit. Clauſuram verò efficiunt
cumprimis muſculi intra teſtas conſpicui, c
tractione ſua, qua durante ligamentum illuc
anguſtias comprimitur; relaxatis illis dilatat
ſe ſpongioſa hujus ſubſtantia, & valuas ap
élaſticitate ſua. Motum progreſſiuum ſ
Fig. III. & viam veluti ſerpentiformem. E
rit nempe erectus ſiue in acie marginis ſt
muſculus lingulam carneam extra valuas,
arenæ inſigit, partem ſui anteriorem hoc i
deprimens; affixus eandem contrahit, ſicc
integram domunculam poſt ſe trahit, in i
hac ſuâ via alimentum quærens, quod faci
quoque cochleæ aquaticæ. Inſeruiunt ex
uatæ ipſæ ſemitæ ſuſtentaculi loco, & ac
ipſius teſtæ idem præſtat beneficium, quod v
meris in ſulcando agro. Qui tenuis ſunt
ſtæ, ut fluuiatiles nonnulli, ope ligamentoru
& muſculorum, quorum actiones prompte i
uicem ſuccedunt, ſuperficiem aquæ percutiu
pari fere ratione, atque percutitur aër ab al
auium, ſicque in ipſa aquæ ſuperficie veluti ſa
tant. Hi ipſi muſculi totos ſeſe fodiendo aren
cooperiunt, aduentante frigore: reſpirant it
ut aquam ex una cardinis parte intromittan
emittant retentam aliquandiu ex altera. Fig. IV
exhibet Lingulam, quam promit muſculu
viam quærendo, & cibum: quæ & brachii
pedis, vel illius potius beneficium præſtat, u
progreſſurus muſculus ſimilis ſit homini pron
in ventrem decumbenti, & manus extenſæ op
ſeſe protrahenti; hac ſolâ obſeruatâ differenti
quod homo motum hunc exequatur flexion
extenſi brachii, muſculus vero contractione
accurtatione. Quodſi hoc animal alicubi pe
dem figere velit, exequitur id iterum per lin
gulam, fila ducendo, quibus veluti anchoran
jacit, quod alibi occaſione pinnæ, ex qua byſ
ſus, demonſtraui. Situm hujus lingulæ inter
num oſtendit Litera A. Fig. V. Fig. VI. *Chaman*
repræſentat, quæ ſeſe aliquando per plures di
gitos ſub limo abſcondit, miro artificio deſcen
dens, iterumque aſcendens, & ope lingularum
B B. ad ſuperficiem limi protenſarum aquam
haurit & euomit. Variat autem in variis chamis, aliiſue conchis profunditas deſcenſus pro varia lingularum illarum longitudine, neque tamen unquam ſeſe mergunt profundius, quàm ut lingulis ſuis protenſis ſuperficiem arenæ vel limi attingere poſſint. Breues admodùm lingulas habet *pectunculus, la palourde.* Fig. VII.

Eſt *Lepas* ſiue *Patella, l'œeil de Bouc, Berdin, Berlin*, Fig. VIII. adeò tardi, & fere inobſeruabilis motus, ut fuerint ex Scriptoribus Hiſtoriæ Naturalis, qui eum denegârint, & affixam ſemper eidem ſaxi loco crediderint. Gaudet tamen progreſſiuo motu, licet tardiſſimo, eumque exercet ope molis carneæ C. Fig. IX. quæ inuerſam ſiſtit patellam, pari ratione atque cochlea terreſtris.

Admirandus prorſus eſt *Urticæ marinæ* mechaniſmus explicatus fuſius à *Reaumurio* dans les *Mem. de l'Acad. Roy.* 1710. p. 608. &c. *Ed. Belg.*

ſlg. Animal eſt hoc viuiparum lentiſſimi mo-
s, Proteo ſimile, quod conſtat ex Fig. X. XI.
I. TAB. DLXV. Fig. XIII. TAB. ſeq. ut horæ
itio vix digiti emetiatur ſpatium. *Cul de Che-*
l, Cul d'Ane dictum: corniculis horridum.
otum ipſum librationis veluti efficit canali-
lorum, quibus conſtat, tum rectorum tum
cularium alterna repletio & euacuatio Fig. XII.
ctionis autem corniculorum Fig. XIII. Ani-
l Guloni ſimile, quod ore A. Fig. X. inte-
is abſorbet conchas, & animalia contenta
gendo forte vorat, teſtis iterum rejectis.

Haud minorem meretur attentionem *Stella*
rina, quæ licet πολύπες, & 1520. pedes ha-
at, (*Bellonius* aſcendit ad 5000.) lentiſſimi
nen eſt motus. Pedes hi ſiue cornicula ſunt
actione, ſi reſpondentes iis glandulæ vel glo-
li aquâ repleti Fig. XIV. D. D. premuntur,
ad inactionem redeunt retracta, illis reimple-
. In Fig. XIV. exhibetur Stellæ pars ſupe-
or, ſeu dorſum, & eſt ex radiis unus diſſe-
is, ut fabrica interior tum vertebrarum, tum
indularum illarum B B. conſpici queat. In
g. XV. depingitur baſis, & in eo quidem ra-
o, qui ex parte ſeſe ſub ſaxo abſcondit, ſitus
dum, quem habent in progreſſiuo motu.
centro ſtellæ conſpicitur os, cum quinque
ntibus. De pedibus illis numeroſis id me-
orare conuenit, inſeruire & motui, & quieti,
atenus ſeſe corporibus obuiis affigunt forti-
, glutine medio ex corniculis illis exſudante:
i quoque patella glutine mediante ſeſe ita fir-
ter affigit ſaxis, ut 30. librarum viribus opus
ad illam auellendam.

Eſt hac ipſa occaſione prædicanda proui-
ntiſſima DEI pro animalibus marinis, ſpe-
itim littoralibus, cura. Hæc, quæ non na-
nt, vel difficulter, & tardo motu, effugere
ud potuiſſent ſpumoſi maris iras, & hac il-
, in quouis etiam maris fluxu & refluxu, ja-
ita perire neceſſariò debuiſſent, niſi prouidiſ-
optimus Creator mediis, quibus ſe affigere
ſſent ſaxis, ſabulo, arenæ, imo una aliis, ut
pe conglomerata offendimus teſtacea. Hinc
, quod cancris & aſtacis dederit fortiſſimas
elas, aliis, quod ſupra vidimus, mirum ſeſe
b arenis condendi, & interim ope cornicu-
rum reſpirandi atque alimentum trahendi ar-
cium: exemplo fuere muſculi, chamæ, con-
ylia alia: aliis, uti Patellis, Stellis marinis,
iten & talem ſtructuram, quâ firmiter adhæ-
re queant ſaxis, & corporibus quibusque ob-
is. Eſt adhæſionis, ſi ita loqui licet, volun-
riæ inſigne exemplum patella, quæ non tam
e affigit ſaxis ope muſculi, quem fortem qui-
m habet in ſua baſi, ſed potius glutinis bene-
io, quod ex baſeos glandulis exſudat, & ab-
itur aquâ ex aliis canaliculis effluâ, quoties
cum mutare tenetur ob alimenti inopiam.
onſidera, θεόφιλε, artificium prorſus ſtupen-
im, quò ſeſe corporibus affigunt muſculi ma-
ni Fig. XVI. Eſt Lingula illa, de qua ſupra,
non maſſa carnea ſimplex, quæ cœcis viam monſtret, vel & gluten exſudet, ſed cylindrus artificioſiſſimæ ſtructuræ, cauus ſecundum directionem axeos, quo mediante fila ducunt, & centenis ſæpe veluti totidem funibus anchoras jaciunt. Nent proin ut araneæ, bombyces, erucæ. Ita nent pinnæ, de quibus alibi, imo materiam byſſi. Nent pectines & pectunculi, ſed fila breuiora & craſſiora. Fig. XVII.

Sed dantur quoque animalia immota, adhæſionis inuoluntariæ exempla, quæ ſedem fixam nunquam per vitam mutant: *Tubuli* nempe *marini*, qui domunculas cylindricas, ſed ſæpe ſerpentiformes, ſibi parant vel ex proprio ſucco viſcoſo, vel ex fragmentis teſtarum, & vel conchyliis ſeſe affigunt Fig. XVIII. interim dum horum valuæ creſcunt, vel corporibus quibuscunque aliis. Hujusmodi tubulorum faſciculum integrum exhibet Fig. XIX. Animal autem ipſum, in iis latens, armato viſu, Fig. XX.

Verticali motu, ſed qui per totam vitam non ultra pedem vel ſesqui ſeſe protendit, gaudet *Solen*, *Dactylus*, *Couteau*, *Coutelier* à forma ita dictus, qui totus ſiphoni melius comparari poſſet, cujus hemicylindri mediante membrana L N N. inuicem ſunt connexi Fig. XXI. TAB. DLXVII. Inſeruit ei portio I R P. piſtillum referens terebræ loco, qua mediante arenam perpendiculariter perfodit, & retractâ fodiendo iterum pergit, breuique domunculam ſuam cylindricam fabricat, quæ per vitam ei manet. Inſeruit idem hoc piſtillum, ut pro deſcenſu terebræ, ita & pro aſcenſu ſuſtentaculi loco, cui inſiſtat enitens ſurſum concha.

Plus negotii faceſſit *Pholadibus*, aux *Dails*, perforatio, ſiue nidi formatio, quoniam materia eſt durior, lutoſo-ſaxoſa; quæ ſucceſſu temporis prorſus ſaxea redditur. Nidi, quos ſibi formant hæ conchæ, formam habent coni truncati, inferna parte ampliores, supernâ anguſtiores, ut ſemel incluſis, & magis magisque mole ſua auctis non concedatur beneficium redeundi, ſed incarceratæ maneant, manente interim coni ſuperiori parte aperta, ut lingula A I. quam exerunt, aquam haurire poſſit. Fig. XXII. exhibet Pholadem ipſam cum lingula A I. Fig. XXIII. nidos, quos ſibi ſtruunt in ſaxo lutoſo, cum lingulis, quas ultra ſuperficiem ejus protendunt A K.

Sequitur *Stellæ marinæ* alia ſpecies, quam vocat *Reaumurius Etoile a rayons en queve de Lezards*, *Stellam radiis caudæ lacertæ ſimilibus*. Fig. XXIV. Hæc non exequitur motum progreſſiuum ope pedum, ut illa, quam ſupra deſcripſimus, ſed beneficio ipſorum radiorum, ita ut verſus B. progreſſura ſeſe incuruent radii vel brachia R R. dum interim oppoſita M M P. extenſa manet, ſed contra terram protenſa, ut ſolemus pilo ad littus porrecto in contrarias partes pellere nauem.

Agmen animalium marinorum, quorum quidem impræſentiarum meminiſſe juuat, claudat *Echinus marinus, l'Ourſin de mer, Chataigne de mer*. Fig. XXV. Animal tardiſſimi etiam motus, quod tamen 2100. conſtat ſpinis, tanquam totidem pedibus, quibus exequitur, & omniuario quidem ſitu, ſeu pronus jaceat, ſeu ſupinus, motum progreſſiuum; has autem inter ſpinas collocata ſunt cornua 1300. quibus extenſis & tumidis, ſucco viſcoſo repletis, ſeſe affigit iis in locis, ubi abundantia alimenti ſedem ſuadet fixam. Repræſentatur Echinus hic nudus, & ſpinis armatus, uterque pronus atque ſupinus.

Ex *vaſti & latiſſimi maris reptilibus innumeris, animalibus tum paruis tum magnis* ſufficiant, quæ produxi, demonſtrandæ Dauidicæ pr poſitioni. Qua occaſione non poſſum non gnis celebrare encomiis *Reaumurii* indefeſſa diligentiam, cujus hic fuit labor, hæc quie hoc opus, ut inquireret in animalium marin rum mechaniſmum, actiones, viuendi m dum, & vel exinde DEI Optimi Maximi con probaret ſapientiſſimam potentiam, & prou dentiſſimam pro illorum conſeruatione curan Quoniam autem inexhauſto huic ζωοτροφεῖν d ſcribendo non unus ſufficit Hercules, rogat cupio, quotquot maris ſunt accolæ, Hiſtori Naturalis ſtudioſos, ut inſiſtendo his veſtigi pergant excolere hanc Phyſicæ partem, nobiſcum deuotiſſimis laudibus extollere μεγαλεῖα τȣ̃ ΘΕΟΥ.

Pſal. CV. verſ. 28.

Et immiſit tenebras, quibus (omnia) obſcurauit, neque reluctati ſunt verbo ejus.

Miſit tenebras, & obſcurauit: & no exacerbauit ſermones ſuos.

Vid. Exod. Cap. X. verſ. 21.

Pſal. CV. verſ. 29.

Aquas eorum vertit in ſanguinem, & occidit piſces eorum.

Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.

Vid. Exod. Cap. VII. verſ. 17. &c.

Pſal. CV. verſ. 30.

Edidit quoque terra eorum ranas, in Regum arcaniſſima loca penetrantes.

Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.

Vid. Exod. Cap. VIII. verſ. 2.

Pſal. CV. verſ. 31.

Ejus etiam juſſu venerunt omnis generis inſecta, & pediculi per omnes fines eorum.

Dixit, & venit cynomyia, & cinipheſ in omnibus finibus eorum.

Vid. Exod. Cap. VIII. verſ. 16.

Pſal. CV. verſ. 32. 33.

32. Et pro pluuiis eorum dedit grandinem, & ignem flammantem in ipſorum terra.

32. Poſuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum:

33. Per-

. Percuſſitque vites eorum, & ficus eorum, & confregit arbores per ipſorum fines.

33. Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Vid. Exod. Cap. IX. verſ. 22.

Pſal. CV. verſ. 34. 35.

.. Ejus quoque juſſu venerunt locuſtæ, & innumeri bruchi.
. Qui depaſti ſunt omnes herbas in ipſorum regione, depaſti etiam ſunt fructus telluris ipſorum.

34. Dixit, & venit locuſta & bruchus, cujus non erat numerus.
35. Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.

Vid. Exod. Cap. X. verſ. 12.

Pſal. CV. verſ. 36.

)ccidit denique omnia primogenita in regione ipſorum, primitias (videlicet) uniuerſæ virtutis eorum.

Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.

Vid. Exod. Cap. XI. verſ. 4. &c.

Pſal. CV. verſ. 39.

:xpandit (quoque) nubem pro velo, & ignem, qui noctu luceret.

Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.

Vid. Exod. Cap. XIV. verſ. 20.

Pſal. CV. verſ. 40.

Populo) petente adduxit coturnices, & pane cœleſti ſaturauit eos.

Petierunt, & venit coturnix: & pane cœli ſaturauit eos.

Vid. Exod. Cap. XVI. verſ. 4. &c.

Pſal. CV. verſ. 41.

Poſtremo aquæ profluxerunt aperto ſaxo, quæ decurrerunt per loca arentia ut flumen.

Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.

Vid. Exod. Cap. XVII.

Pſal. CVI. verſ. 9.

Increpuitque mare rubrum, ut areſceret, ac traduxit eos per abyſſum tanquam per deſertum.

Et increpuit mare rubrum, & exi catum eſt: & deduxit eos in byſſis, ſicut in deſerto.

Vid. Exod. Cap. XIV.

Pſal. CVI. verſ. 15.

Ac dedit, quod popoſcerunt, ſed (ſimul) immiſit macilentiam ipſorum animæ.

Et dedit eis petitionem ipſorum: miſit ſaturitatem in animas ec rum.

Vid. Num. Cap. XI. verſ. 33.

Pſal. CVI. verſ. 17. 18,

17. (Quamobrem) terra ſe aperiens abſorpſit Dathan, & operuit congregationem Abiramicam.
18. Ignis etiam exarſit in cœtu iſtorum (&) flamma, quæ impios corripuit.

17. Aperta eſt terra, & deglutiuit Da than: & operuit ſuper congre gationem Abiron.
18. Et exarſit ignis in ſynagoga eo rum: flamma combuſſit pecca tores.

Vid. Num. Cap. XI. verſ. 32.

TAB. DLXVIII.

Pſal. CVII. verſ. 3.

Quodque congregauerit eos ex Regionibus ab Oriente & Occidente, Aquilone, & à Mari.

De Regionibus congregauit eos, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari.

PLagarum* diſtinctionem dictauit neceſſarius uſus, & ipſa natura; eſt hinc illa ipſi mundo coæua: ſed eſt, vel Textu noſtro teſte, antiquiſſima quatuor cardinalium. Sunt in rei natura tot plagæ, id eſt, interſectiones Horizontis & Circuli verticalis, quot Horizontis ipſius puncta, ſiue, numero infinitæ. Sed ex infinitis his ſelegerunt Aſtronomi, Geographi, Nautæ, plebs ipſa, eas, quæ neceſſarii ſunt uſus, vel ad regionum ſitum determinandum, vel ad ventos diſterminandos. Sydera ut indices ſunt temporis, horologia, menologia, & eniautologia diuina, ita ſunt quoque plagarum, de quibus nunc, Cardinalium. *Orientem* oſtendit Sol oriens, *Occaſum* occidens: *Septentrionem* ſtella polaris arctica, *Meridiem* ſitus oppoſitus, & ſidera culminantia. Qui Geographorum linguâ loquuntur, *Septentrionem* & *Auſtrum* vocant interſectiones Horizontis & Meridiani, illam Polo Septentrionali, hanc Meridionali vicinam: *Ortum* & *Occaſum* interſectiones Horizontis ortiui & occidui cum verticali primario. Diſtant hæ *Cardinales* ab inuicem interuallo 90. graduum. *Collaterales primariæ* à Cardinalibus angulo 45. graduum: *Secundariæ primi ordinis* à cardinali



Psal. CVII. v. 3.
Plagæ Mundi.

Pſal. CVII. v. 3.
Die Welt=Gegenden.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

RPJCB

PSAL. CVII. v. 23-29.
Fervent ſpirantibus æquora ventis.

Pſal. CVII. v. 23-29.
Meer-Stürme.

I. A. Fridrich sculps.

primaria collaterali vicina angulo 22. grad. . minutorum, *ſecundi ordinis* à cardinali vel maria collaterali & ſecundaria primi ordinis . grad. 15. minut. Omnes plagas 32. (nam idem numeramus communiter, & iisdem minibus deſignamus ventos,) ſiſtit Schema in bula expoſitum. Uſum plagarum inſignem experiuntur, qui maria ſulcant, item, qui *errant in deſerto, in ſolitudine per itinera, (errauerunt in ſolitudine in inaquoſo.)* Pſ. CVII. 4. Illis quippe δαδούχοις *deducuntur in viam rectam, qua perueniant ad oppidum habitatum.* v. 7. imo DEO Duce, plagarum authore.

TAB. DLXIX.

Pſal. CVII. verſ. 23 - 29.

3. Qui mare nauibus ingrediuntur, quique negotium ſuum peragunt in vaſtiſſimis aquis.
4. Illi viderunt opera DOMINI, & illius miracula in profundo mari.
5. (a) Qui ſuo imperio ciet ventum procelloſum, qui alte fluctus ipſius attollit.

(a) Et dixit & fecit ſtare ventum turbinis.

6. Ut modò in cœlum aſcendant, modò in abyſſum deſcendant, animaque ipſorum (b) malis preſſa colliqueſcat.

(b) In malo.

7. Et eant in orbem, ac oberrent ut ebrii, omniſque ſapientia illis eripiatur.
8. Hi etiam clamauerunt DOMINUM in ſuis periculis, qui educit eos è ſuis anguſtiis.
9. (c) Et ſedata tempeſtate reddit mare tranquillum, ut deſinant fluctus, quibus jactabantur.

(c) Faciet ſurgere turbines ad ſilentium, & ſilebunt fluctus eorum.

23. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.
24. Ipſi viderunt opera DOMINI, & mirabilia ejus in profundo.
25. Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus ejus.
26. Aſcendunt usque ad cœlos: & deſcendunt usque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.
27. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.
28. Et clamauerunt ad DOMINUM, cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.
29. Et ſtatuit procellam ejus in auram: & ſiluerunt fluctus ejus.

Qui ſpumoſis maris fluctibus unquam vitam ſuam expoſuit, haud diffitebitur, fuiſſe illi robur, & æs triplex circa pectus, qui primus juxta *Horatium*

Fragilem truci commiſit pelago ratem.

Eſt vix tripollicaris aſſer ſepimentum inter aërem & profundiſſimæ abyſſi aquas, vitam inter & mortem, totidem vix digitis ſumus à morte remoti. Eſt Nautica inuentum ex utiliſſimis, imo neceſſariis, proin & antiquiſſimis, ſed à tenuibus ea, ut aliæ ſcientiæ & artes, ſurrexit initiis. Maximis cumulant laudibus Poëtæ veteres nauim *Argo*, & *Argonautas*, qui ex Græcia transfretarunt in Pontum Euxinum. Sed nihil eſt ea nauigatio, ſi conferatur cum *Hiramica* & *Solomonea*, & hæc nihil, comparata hodiernis *Indicis*; Littora olim legere habebant neceſſe, nunc ſolâ aciculâ magneticâ duce alto ſeſe committunt Oceano, nihili curantes ventos furentes, nihili ſpumantes undas. Sed omnis hæc maria ſulcandi ars, Matheſeos ciuitate donata, *Architectura naualis*, naues dirigendi ſcientia, non ſolùm ad Indos & Garamantas ducit nos mortales, ſed omne, quod agunt, patiuntur, obſeruant, ad DEUM. *Qui mare nauibus ingrediuntur, quique negotium ſuum peragunt in vaſtiſſimis aquis, illi viderunt opera DOMINI, & illius miracula in profundo mari.* ὁ καταβαίνοντες εἰς θάλασσαν ἐν πλοίοις, ποιοῦντες ἐργασίαν

ἐν ὕδασι πολλοῖς. Ἀυτοὶ εἶδον τὰ ἔργα ΚΥΡΙΟΥ, καὶ τὰ θαυμάσια ἀυτοῦ ἐν τῷ βυθῷ. Θαυμάσια in mari ipſo, in innumeris vegetabilibus, & animalibus, & zoophytis; ſi placidum ventis ſtat mare, & magno miſcetur murmure Pontus. Sed hæc ipſa malacia, hæ veſani maris turgidæ undæ minimè ſunt fortuiti alicujus caſus productum, verùm ſapientiſſimæ DEI Prouidentiæ, uti quæcunque contingunt in uniuerſo. *Qui ſuo imperio ciet ventum procelloſum, qui alte fluctus ipſius attollit. — Sedata tempeſtate reddit mare tranquillum, ut deſinant fluctus, quibus jactabantur.* Εἶπε, καὶ ἔστη πνεῦμα καταιγίδος, καὶ ὑψώθη τὰ κύματα ἀυτῆς. — Καὶ ἐπέταξε τῇ καταιγίδι, καὶ ἔστη εἰς αὖραν, καὶ ἐσίγησαν τὰ κύματα ἀυτῆς. Et quotus eſt, quæſo, quisque Nautarum, etiam ἀθεοτάτων, qui id inficias eat, *ſi modò in cœlum aſcendant, modò in abyſſum deſcendant:* ſi *eant in orbem, ac oberrent ut ebrii*, ἀναβαίνουσιν ἕως τῶν οὐρανῶν, καὶ καταβαίνουσιν ἕως τῶν ἀβύσσων — ἐταράχθησαν, ἐσαλεύθησαν ὡς ὁ μεθύων. Si eò redigantur anguſtia, ut *anima* conflictata periclis, *malis preſſa colliqueſcat, omnisque ſapientia illis eripiatur*, ἡ ψυχὴ ἀυτῶν ἐν κακοῖς ἐτήκετο — καὶ πᾶσα ἡ σοφία ἀυτῶν κατεπόθη. Si *clamant ad* DOMINUM *in ſuis periculis, qui educit eos è ſuis anguſtiis.* ἐκέκραξαν πρὸς ΚΥΡΙΟΝ ἐν τῷ θλίβεσθαι ἀυτοὺς, καὶ ἐκ τῶν ἀναγκῶν ἀυτοῦ ἐξήγαγεν ἀυτούς.

Peculiarem attentionem meretur emphatica expreſſio, quæ extat v. 27. *Eunt in orbem, ac oberrant ut ebrii, omnisque ſapientia illis eripitur.* Quæ verba procul dubio intelligenda ſunt de eo ſtatu, quo una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus, & vaſtos
voluunt ad littora fluctus; quo jactatæ trem
dum in modum naues nunc ventis ſæuien
bus, nunc undis ſpumantibus in prædam
dunt, à binis his rapacibus elementis vel
captæ & abſorptæ; quo mors, eaque viol
ta, eſt in foribus: omnia miſcentur clamo
bus, quiuis ad DEUM ſuum preces ultim
mittit: ubi deſperatio nihil relinquit conſi
Verſiculo enim proximè præcedenti mentio
procelloſæ tempeſtatis, qua *aſcendunt modò
cœlum, modò in abyſſum deſcendunt.* Sed co
modam heic nanciſcimur occaſionem loque
di de morbo illo vertiginoſo, quem experiu
tur, qui primâ vice ſe mari committunt, ſtip
tum nauſeâ, vomitibus, laſſitudine. Tribue
dum venit hoc incommodum non peculia
aquæ marinæ conſtitutioni, ſed deducendu
facilius longè à prima Lege fundamentali m
tus: *Corpus omne perſeuerat in ſtatu ſuo quieſce
di vel mouendi uniformiter in directum, niſi qu
tenus à viribus impreſſis cogitur ſtatum illum m
tare.* Vi hujus Legis manent ſanguis, fluidu
nerueum, fibræ ſolidæ in eodem ſtatu, quam
diu inſiſtimus continenti, verſantes in aëre l
bero, ſed æquilibrio hocce excedunt jactati flu
ctibus maris: hinc anomalia in motu ſangui
nis omniumque fluidorum, manetque, done
fluida dicta ſeſe accommodauerint motui ma
ris & nauis. Hinc eſt, quod iisdem accidenti
bus obnoxii ſæpe ſint, qui in aquis dulcibus
nauigant, nauigationi inaſſueti, teneræ inprimis διαθέσεως, iis item, qui rotantur in gyrum.

Pſal. CVII. verſ. 33. 34. 35.

33. Qui flumina vertit in deſertum, & venas aquarum in loca ſiticuloſa.
34. Et terram frugiferam in ſterile ſolum propter incolarum vitioſitatem.
35. Qui vertit deſertum in ſtagnum aquarum, & torridam terram in venas aquarum.

33. Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim.
34. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea.
35. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum.

SUbſunt omnia in uniuerſo monarchico Supremi Numinis regimini, ſpeciatim terra hæc noſtra, vel, ſi mauis, terrella, & in ea Prouincia, urbs quæuis, ager quiuis, vinea quælibet. Varias hactenus ſuſtinuit mutationes terræ ſuperior ſaltem cortex, maximam in ſtrage diluuiana, qua diſſolutus tranſiit in liquamen. Inde ab illo tempore particulares paſſæ ſunt mutationes Prouinciæ integræ, & urbes, & plures forte, quàm Hiſtoricorum referunt Annales, & quidem per terræ motus, inundationes, torrentum defluuia: Sodoma & confœderatæ urbes per pluuiam igneo-ſulphuream, cujus interitus triſtes adhuc viſuntur reliquiæ ad Mare Mortuum: In Belgio videas paſſim tractus benè magnos, habitatos olim, nunc tectos mari: in Regnis Siculo & Neapolitano urbes integras dirutas vel à flammiuomis montibus, vel à terræ concuſſionibus: in Aſia Prouincias olim populoſiſſimas, lacti- & melli-fluas, nunc penè ſteriles, atque deſertas, & dat ipſa terra olim ſancta, nunc maledicta ſpeciale exemplum. Sunt equidem cauſæ hujusmodi mutationum, quales

Cana-

RPJCB

PSAL. CIX. V. 23.
Abeo ut umbra.

Pſal. CIX. v. 23.
Ich fahre dahin wie ein Schatten.

G. D. Heümann sculps.

ınanæa ſuſtinuit Regio, aliquando politicæ ıgis quàm naturales; habent tamen & hæ :um ſuum: transferri poteſt & ſolet juſto DEI licio, & ſapientiſſimo conſilio, pinguitudo ræ vel neceſſaria vel ſuperflua ex una re- ɔne in aliam; ut ſanè quotannis transfertur cundiſſimus limus ex Abyſſinia in Ægyptum, Heluetia in Belgium. In regionibus noſtris frequentiores forent, quàm ſunt, montium ſus, *flumina verterentur in deſertum, & venæ uarum in loca ſiticuloſa*, ποταμοὶ εἰς ἔρημον, καὶ διέ- οι ὑδάτων εἰς δίψαν, Hebr. לְצִמָּאוֹן *letſimmaon*, *in culoſum locum*, vel, *in ſitim*, ut vertunt Vul- ta & Hieronymus, *terra frugifera in ſterile ſolum*, γῆ καρπόφορος εἰς ἅλμην, לִמְלֵחָה *limlechah*, *in ſalſuginem*. Ne quis autem exiſtimet, pendere mutationes hujusmodi à decreſcente ſenſim natura, & omnes omnino Prouincias terræ ſucceſſu temporis in ſterile ſolum mutatum iri metuat, addit Pſaltes, *verti* quoque *deſertum in ſtagnum aquarum, & torridam terram in venas aquarum*, ἔρημον εἰς λίμνας ὑδάτων, καὶ γῆν ἄνυδρον εἰς διεξόδους ὑδάτων. Ut ſanè pinguedine ex Alpibus deflua fœcundantur regiones inferiores ſitu & imæ. Et poſſunt paſſim latentes hactenus in viſceribus terræ prorumpere, prouidente optimo DEO, & rigare vicinos agros, prata, regiones integras, maximo harum emolumento.

TAB. DLXX.

Pſal. CIX. verſ. 23.

:t) abeo ut umbra, quum declinat, ac velut locuſta excutitur.	Sicut umbra, cum declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

INſtabilem ſuam & miſeram conditionem comparat fugitiuus Dauid *umbræ* partim, partim *locuſtis*, & ſic quoque tanquam Typus ſtatum CHRISTI & Eccleſiæ.

Abeo ut umbra, quum declinat, ὡσεὶ σκιὰ τῷ ἐκκλῖναι αὐτὴν ἀντανῃρέθην. Ita quoque Pſal. II. 12. *Mei dies inclinauerunt tanquam umbra.* : ipſum nempe, & conditionem ſuam con- rt Nihilo. Eſt umbra propriè loquendo Ni- il, abſentia lucis. Quò major eſt umbra, eò ıajus eſt, ſi majus dici poteſt, Nihilum. Hæc ɔrſan eſt ratio, cur non ſeligat Pſaltes *umbram* ıeridianam, quæ omnium eſt minima, ſed eſpertinam, *declinantem*, quæ mox ſeſe con- ertit in noctem, in priuationem totalem lucis, ıdicaturus imminentem ſibi umbram mortis.

Excutior veluti locuſta. ἐξετινάχθην ὡσεὶ ἀκρίδες. Iotandum heic, eſſe locuſtam animal inquie- ım, ἀλτικὸν, plenum timoris, à generoſitate qui remotum. Unde DEUS ad Jobum XXIX. 20. (23.) *Num excitabis equum ut locu- am?* Et obſeruandum inſuper, locuſtæ non ſſe nidum proprium, non fixam alicubi ſedem: Ɔeponit ea paſſim oua ſua vel in terra, vel in upium fiſſuris. Eſt & hoc intuitu locuſta em- lema jactati hac illac à perſecutore Saule Da- ıidis. Emphaticè ſimul & myſticè inſtabilem ıanc locuſtæ ſedem depingit Propheta, ubi de nercatoribus Niniuitis per mare pauperiem fugientibus, per ſaxa, per ignes, Nah. III. 16. 17. (15. 16.) *Onera te (hominibus) tanquam brucho. Onera te tanquam locuſtis. Auxiſti mercatores tuos ſupra ſtellas cœli, bruchum videlicet auolantem ſtatim, ut impetum cepit. (Congregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta. Plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſint cœli: bruchus expanſus eſt, & auolauit.)* Sententiam audi definitiuam. *Comatuli tui locuſtam referunt, ingenui tui attelaborum examen imitantur tempore frigido in ſepibus conſidentium, ſed orto Sole diffugientium, ut neſciatur locus eorum, ad quem peruenerint.* In quæ verba ita *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. c. 2. *Tu quidem es urbs populoſiſſima, & incolæ tui tibi videntur eſſe locuſtis numero pares. Et in mœnibus tuis multi mercatores & principes aſylum quærunt, quomodo locuſtæ in ſepibus, cum frigent. Sed non eſt quod confidas tam numeroſæ multitudini, aut horum mercatorum opibus: vel Principum & Ducum tuorum viribus intumeſcas. Quippe ut orto Sole locuſtæ auolant, & ſepem eam deſerunt, quæ in tempore frigoris pro ſuffugio illis fuerat. Sic Populi, Mercatores, Principes, qui, cum res tulit, ad mœnia tua confugerant, quamprimum rei alibi melius gerendæ occaſio & ſpes affulgebit, unanimi conſenſu te ita derelinquent, ut ne minimum quidem ſuperſit illorum veſtigium.*

Pſal.

Pſal. CXI. verſ. 2.

Magna ſunt DOMINI facta, quæ inquiruntur ab omnibus, qui delectantur ipſis.

Magna opera DOMINI: exquiſ in omnes voluntates ejus.

Dignum aureum hoc Χρυσοςόμα Pſaltis effatum, quod adamantino ſtylo inſcribatur omnium θεοσόφων & φυσιοσόφων mentibus, & in capite atque calce ſyſtematum ponatur, quod fecit conſummatus Theologus atque Philoſophus *Derham Theol. Phyſique.* Sciſcitanda ſunt, inquirenda, imo ſingulari cura perquirenda (quam emphaſin dat vox דָּרַשׁ) Opera tum Gratiæ, tum Naturæ. Culpandi heîc veniunt non ſoli Athei, ſed omnes ii, qui Opera DEI obiter, & veluti per tranſennam adſpiciunt. In cenſum autem horum operum, de quibus Pſaltes, non veniunt duntaxat maxima & totalia, ſed minima, quæ communiter negligimus, quæque. Ex omnibus, maximis, medioxumis, minimis prolucet infinitum artificium, Majeſtas Diuina. *Delectantur* iis magis & magis, qui ea profundius introſpectant. Ad id conceſſi nobis ſunt ſenſus, datus intellectus. Eſt proin laudabilis curioſitas in viliſſimis, dummodo hunc Gloriæ DEI ſibi proponat finem. Obmuteſcat τὸ *cui bono?* quod perſæpe objicitur. Valeat exhortatio Elihu Job. XXXVI. 24. 25. *Tu memineris, ut opus DEI amplifices, quod homines intuentur. Quod omnes homines ſpectant, & mortales contemplantur, quanquam eminus. (Memento, quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri. Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.)* Pudorem incutiant ipſi Ethnici, qui magna DEI elogia prædicarunt ex naturæ contemplatione. Audi *Ciceronem Nat. Deor.* L. II. c. 34. 35. *Quodſi omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulcriores: videamus, utrum ea fortuita ſint, an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante, diuinaque prouidentia. Si ergo meliora ſunt ea, quæ naturâ, quàm illa, quæ arte perfecta ſunt, nec ars efficit quid ſine ratione, ne natura quidem rationis expers eſt habenda. Qui igitur conuenit, ſignum, aut tabulam pictam cum adſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem: cumque procul curſum nauigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moueatur. — Mundum autem, qui & has ipſas artes & earum artifices & cuncta complectatur, conſilii & rationis expertem putare? Quodſi in Scythiam, aut in Brittanniam, ſphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noſter effecit Poſidonius, cujus ſingulæ conuerſiones idem efficiunt in Sole, — quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra perfecta ratione? Hi autem dubitant de mund ex quo & oriuntur & fiunt omnia, caſune i ſit effectus, — an ratione, an mente diuina? Archimedem arbitrantur plus valuiſſe in imita dis ſphæræ conuerſionibus, quàm naturam in e ciendis,* &c. Idem paulò ante de natura, qua pro Semideo colunt multi: *Omnem ergo re naturam ipſe* DEUS. Eſt ſanè mundus Cod DEI, characteres ſingula corpora, quorum l ctioni & contemplationi jugiter incumbere d bemus. Imo eſt *Philoſophia Catechiſmus ad F dem.* Ne quis zelo fortè nimio abreptus flage let hæc verba, non mea ſunt, ſed *Cyrilli* 1. *con tra Julian.* Innumera produci poſſent, qu huc collimant, ex Gentiliſmo teſtimonia. Be nè multa inuenies in integro, eoque elegan *Galeni de Uſu Partium Libro*, quem, vellem imitarentur Anatomici moderni, qui utpluri mum in ſtructura ſubſiſtunt, certiora licet & meliora, quàm illi Veteres, edocti. *Magn* illa creationis *opera*, uti euidentiſſimè demon ſtrant infinitam Potentiam atque Sapientiam DEI, ita inſpirare quoque debent timorem atque obedientiam. Huc tendit exprobratio ipſius Ter Optimi Ter Maximi facta ad populum ſuum *ſtultum & excordem, quibus oculi ſunt, ſed non vident, aures habent, ſed non audiunt. An me non metuetis, ait DOMINUS? an à facie mea non contremiſcetis? quum poſuerim arenam terminum mari, idque perpetuo decreto, ne tranſgrediatur eum: ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt: tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum. (Audi, popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos, non videtis, & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait DOMINUS? & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud.)* Jer. V. 21. 22. Ad populum, inquam, excordem & ſtupidum, qui agnoſcere neque potuit, neque voluit, creaturarum à Supremi Numinis arbitrio dependentiam. *Non dixerunt in corde ſuo: Timebimus ſaltem* DOMINUM, DEUM *noſtrum, qui dat nobis imbrem tempeſtiuam & ſerotinam ſuo tempore, juramentis ſtatutis meſſem ſeruat nobis, (plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.)* v. 24. Lege omnino Librum XI. ſupra laudati *Derhami.*

Pſal.

Pſal. CXIV. tot.

Quum egrederetur Iſrael ex Ægypto, (&) domus Jacobi à populo diuerſæ linguæ,	1. In exitu Iſrael de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro,
Juda factus eſt ejus Sanctuarium, (&) Iſrael ipſius Imperium.	2. Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus, Iſrael poteſtas ejus.
Quod cum mare vidiſſet, refugit, (&) Jordanis retrorſum repulſus eſt.	3. Mare vidit, & fugit: Jordanis conuerſus eſt retrorſum.
Montes (autem) ſubſilierunt ut arietes, (&) colles ut (a) agni ouium. (a) Filii.	4. Montes exultauerunt ut arietes: & colles ſicut agni ouium.
Quid accidit tibi, o mare, quod refugiſti? o Jordanis, quod repulſus es retrorſum?	5. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Jordanis, quia conuerſus es retrorſum?
(Quid vobis) o montes, quod exiliiſtis ut arietes, & colles ut agni ouium?	6. Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium?
(b) Tuque terra expaueſcito metu DOMINI, metu DEI Jacob. (b) A facie DOMINI dole ut parientes, &c. Verbum huli etiam Chald. & R. Abraham imperatiuum judicarunt ut Mich. IV.	7. A facie DOMINI mota eſt terra, à facie DEI Jacob.
Qui vertit ſaxum in ſtagnum aquoſum, (&) ſilicem in fontem abundantem aquis.	8. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

FUit miraculoſa Abrahamicæ Progeniei ἔξοδος ex Ægypto amoris diuini non σημεῖον duntaxat, ſed τεκμήριον. Haud proin mirum, ſi ejus toties mentio fiat in ſcriptura, ſpeciatim Dauidicis Hymnis. Exemplo ſit nobis, & incitamento, ut memoriâ nunquam excidere ſinamus liberationem ex Ægypto myſtica. Manet *Juda*, CHRISTI Eccleſia, DEI *Sanctuarium*, *Iſrael ipſius Imperium*, ἁγίασμα αὐτῦ, Ἰσραὴλ ἐξυσία αὐτῦ. Nunquam non *egredi* debet *Iſrael ex Ægypto*, *& domus Jacobi à populo diuerſæ linguæ*, ἐκ λαῦ βαρβάρυ, qui ſenſus eſt Textus originalis, מֵעַם לֹעֵז, à populo, qui barbarâ loquitur linguâ. Sunt quippe Barbari οἱ δυσεκφόρως, καὶ σκληρῶς, καὶ τραχέως λαλῦντες, explicante *Strabone* in *Homeri Iliad.* β′. v. 176. ubi Carii cluent βαρβαροφώνοι.

Non omnia, quæ populo DEI contigerunt, miracula enarrat Pſaltes, ſed quæ vidit exiens Ægypto, & intrans in terram promiſſam, caput & calcem, ſed quibus complectitur omnia alia. *Mare* Rubrum *refugit*, *& Jordanis retrorſum repulſus eſt.* Ἡ θάλασσα ἔφυγεν, ὁ Ἰορδάνης ἐςράφη εἰς τὰ ὀπίσω. Quinimo adloquitur inuicta hæc non Xerxi ſoli, ſed omnibus mortalibus inuicta elementa, deridens horum inertiam, vel celebrans potius obedientiam. *Quid accidit tibi, o mare, quod refugiſti? quid tibi, o Jordanis, quod repulſus es retrorſum?* τί σοι ἐςὶ θάλασσα, ὅτι ἔφυγες; καὶ σὺ Ἰορδάνη, ὅτι ἐςράφης εἰς τὰ ὀπίσω; Hiſtoriam horum miraculorum, quorum illud primam veluti conſtituit aciem, hoc poſtremam, videſis Exod. XIV. 11. Joſ. III. 13. 16.

Peculiarem attentionem merentur, quæ Pſaltes narrat de montibus. *Montes ſubſilierunt ut arietes, & colles ut agni ouium.* τὰ ὄρη ἐσκίρτησαν ὡσεὶ κριοὶ, καὶ οἱ βυνοὶ ὡς ἀρνία προβάτων. Singularis prorſus eſt hic loquendi modus, quo montes comparantur arietibus, agnis colles. Rarior tantò, quod nihil horum extet in Hiſtoria Peregrinationis Iſraeliticæ, ut omnino conjectare liceat, alludere Dauidem meteoricis hiſce locutionibus ad ea, quæ contigerunt in νομοθεσία ad montem Sinai. Exod. XIX. 16. 18. *Facta ſunt tonitrua & fulgura, & nubes graues ſuper montem, & vox cornu vehementiſſima. Mons autem Sinai totus fumabat, eo quod deſcendiſſet ſuper eum DOMINUS in igne, & aſcendit fumus ejus tanquam fumus fornacis calcariæ, & mons totus vehementer contremuit. (Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat. Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod deſcendiſſet* DO-

DOMINUS DEUS ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace: eratque omnis mons terribilis.) Ubi non duntaxat contremuit terra, ut ſolet tonitruante cœlo, ſed adfuit terræ motus. Conſtat id luculenter ex v. 7. Pſalmi noſtri. *Tuque terra, expaueſcito metu* DOMINI, *metu* DEI *Jacob.* LXX. in Perfecto: ἀπὸ προσώπου ΚΥΡΙΟΥ ἐσαλεύθη ἡ γῆ, ἀπὸ προσώπου τοῦ ΘΕΟΥ Ἰακώβ. Inferre idem licet ex φαινομένου circumſtantiis, igne & fumo. Viderunt proin Iſraelitæ Vulcanum ſæuientem, trementem, euomentem flammas. Adhibet Poëta noſter ſacer ſimilem fere phraſin Pſ. XXIX. 6. ubi de effectibus tonitrui. *Subſilire facit eos*, Cedros, *ſicuti vitulum*, *Libanum*, *& Sirion ſicut filium unicornium. (Comminuet eos tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.)*

Ultimum, quod memorat Pſaltes, mira lum eſt profluuium aquæ è rupe. *Qui ve ſaxum in ſtagnum aquoſum, & ſilicem in fon abundantem aquis.* τοῦ στρέψαντος τὴν πέτραν εἰς λί ὑδάτων, καὶ τὴν ἀκρότομον εἰς πηγὰς ὑδάτων. Lega Exod. XVII. 6.

Habeo, quæ porrò moneam de monti ſubſultatione, forſitan non ſolum Sinai cont muiſſe, ſed & vicina ei juga, imo περίχωρον, t quam teſtes præſentiæ diuinæ. Si quis fo miraculum illud referre velit ad tranſitum Mare Rubrum, cujus mentio fit v. 3. is, me phorico licet ſenſu, montium colliumue ſubſ tus applicare poterit ſpumantibus maris illi fluctibus, & proprio de ipſa terra vicina, ſi hæc miraculoſi tranſitus occaſione fortè t muit.

Pſal. CXVIII. verſ. 12.

Si me circumdederint ut (examen) apum, deficient ut ignis ſpinas (corripiens.)

Circumdederunt me ſicut apes, & ex arſerunt ſicut ignis in ſpinis.

Conferuntur perbellè heic Eccleſiæ hoſtes cum examine *apum*; ita & Jeſ. VII. 18. *Fiet eodem tempore, ut DOMINUS ſibilo annuat muſcæ, quæ eſt ad finem fluminis Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſyriorum. Hæ omnes venient & conſident in vallibus deſertis, & cauernis petrarum, in omnibus caſis, & in omnibus palatiis. (Et erit in die illa, ſibilabit DOMINUS muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur: Et venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in uniuerſis foraminibus.)* Notum ex Hiſtoria Naturæ, quantas noxas inferre queat exiguum hoc animalculum hominibus atque jumentis. *Statius Thebaid.* L. X.

Sic ubi pumiceo paſtor rapturus ab antro
Armatas exegit apes, fremit aſpera nubes,
Inque vicem ſeſe ſtridore hortantur, & omnes
Hoſtis in ora volant.

Eſt in exemplis, equos ab iis occiſos. Plin. L. XI. c. 18. *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 40. Apud *Ælianum* L. XVII. c. 35. legas *Raucios*, Cretæ populos, patriâ ab apibus pulſos; apud *Antipatrum* L. I. *Antholog.* c. 37. Hermonacti filium ab apibus occiſum.

Τὸ βρέφος Ἑρμώνακτα διεχρήσασθε Μέλισσαι.

Infantem Hermonactem interfeciſtis apes.

In *Theocriti Idyll.* 19. querelas mouet Κηροκλέπτης *Cupido* apud *Venerem*,

- - - - - ὅτι γε τυτθὸν
Θηρίον ἔντι μέλισσα, καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ.

- - - - - *quod tam exile*
Animalculum cum ſit apis, tanta vulnera faciat.

Leguntur & paſſim apes copiarum & armorum loco fuiſſe, Themiſcyrenſes à Lucullo obſeſſi præter Urſos, aliasque feras emiſiſſe σμηνὴ μελισσῶν, apum examina, ad abigendos hoſtes. *Appian. Mithridat.* Ita quoque *Alba-Græcenſes* ab Amurathe obſeſſi apud *Bonfinium Dec.* III. L. IV. Fuit ex Henrici Imperatoris Ducibus, qui à Giſelberti, Lotharingiæ Regis, copiis undique cinctus ejus Equitatum reddidit ad pugnam ineptum, projectis inter equos apum aluearibus, teſte *Witichindo L. I. de Geſt. Saxon.* Eodem, accenſorum nempe aluearium, & ex muris A. 1513. obſeſſæ Urbis Tanli Africæ in hoſtes demiſſorum ſtratagemate uſi ad extrema redacti obſeſſi Barrigam Luſitanum, copiarum Regis Emanuelis Imperatorem, abegiſſe leguntur apud *Oſorium L. VIII. de Reb. Emmanuel.* Unde accedit fides iis, quæ habet *Jamblichus in Photio* de obſidione Rhodanes & Sinonidis, fugari poſſe integros exercitus apibus, φεύγουσιν ὁ στρατὸς τῷ τῶν μελιττῶν πολέμῳ πονούμενοι. Ab adulterii crimine cauerent ſibi benè multi, ſi nudi exponerentur examinibus apum irritatis,

, donec intumuerit integrum corpus aculeis
dique punctum, quam pœnam Judæi adul-
is inflixiſſe leguntur in *Buxtorffii Synag.* c. 34.
rtunt LXX. Textum noſtrum ita, ἐκύκλωσάν με
ὶ μέλισσαι κηρίον, *circumdederunt me ſicut apes*
um. Sed videtur vox Κηρίον eſſe ſuperflua,
n enim de domeſticis & mitibus apibus lo-
itur heic Pſaltes, quæ circum fauos volitent,
l de irritatis, pungentibus, hoſtilibus copiis.
ſi ad copias potius quàm nocentes vires re-
xiſſe dixeris Dauidem. Noxam quod atti-
t, quam apes inferunt pungendo, dolorem
mpe, inflammationem, tumorem, conjecta-
utique licet, non oriri hæc accidentia à ſola
nctura, ſed ab acri, quod in vulnus depo-
nt, veneno, quemadmodum nouimus id
ri à Scorpionibus.

Solatio ſunt Dauidi afflicto verba, quæ proximè ſequuntur, *deficient ut ignis ſpinas corripiens*, ubi LXX. καὶ ἐξεκαύθησαν ὡς πῦρ ἐν ἀκάνθαις, *& exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Breuitas nempe indicatur furoris, quo Pyrgopolynices illi ſæuiunt, magna crepantes, ſed non niſi crepitantes. *Ignis* quippe *hic ingenti quidem fragore oritur, ac in momento longiſſimè ſerpit, corripit vicina omnia, at ſimul dicto citius extinguitur. Sic impii hoſtes mei odio flagrant, contentione perpetuò infeſtant, toti in eo, ut perdant, fretum tamen nomine DOMINI non euincunt, ſed perrumpit illos iſte, ac proſcindit in eo, qui ſe confortat. Pellican.* in h. l. *Spero, quod eas* (apes) *in nomine DOMINI exciſurus ſim, (in nomine DOMINI, quia ultus ſum in eos.)* Quæ verba fiduciæ plena ter repetit Pſaltes.

Pſal. CXIX. verſ. 70.

uorum cor craſſeſcit ad adeps, ego autem ex lege tua voluptatem capio.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus ſum.

OStendit Hieropſaltes diſcrimen inter eum, cujus cor eſt in DEO confiſum, intellectus omnes in Operum Diuinorum contemplatione delicias
uærit, voluntas in DEO eſt tranquilla; & im-
um, qui cœlum in terra quærit, in volupta-
ous carnalibus ſummum Bonum, cujus *cor*
aſſeſcit ut adeps, טָפַשׁ כַּחֵלֶב לִבָּם. Cor nimiâ
nguedine cinctum, ad generoſos animi affe-
us ineptum, ad expellendum ſanguinem iners,

corpus integrum porci ad inſtar ſaginati impinguatum. Græci habent, ἐτυρώθη ὡς γάλα ἡ καρδία αὐτῶν, *ut lac coagulatum eſt cor eorum*, Scholia, ἐσκληρύνθη, ἀπελιθώθη, *induratum eſt, in lapidis morem obriguit*; uti Nabalis illud, quod *emortuum eſt in ipſò, ut fieret tanquam lapis*, 1. Sam. XXV. 37. Hujusmodi *cor lapideum* cluet Ezech. XXXVI. 26. Λιθοκάρδιος Baſilio immiſericors in ſenſu morali.

Pſal. CXIX. verſ. 90.

uaque fides per uniuerſa Secula, qui paraſti terram, ut conſiſtat.

In generatione & generationem veritas tua; fundaſti terram, & permanet.

Vid. Pſal. CIV. verſ. 5. & alibi.

Pſal. CXIX. verſ. 120.

a) Perhorreſcit corpus meum præ timore tui, & judicia tua reuereor.

(*a*) Horripilauit à formidine tua caro mea.

Configе timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.

Vid. Job. Cap. IV. verſ. 15.

TAB. DLXXI.

Pſal. CXX. verſ. 4.

Pariter ſagittis acutis, quas vir fortis intorquet, & carbonibus juniperorum ſimilis eſt.

Sagittæ potentis acutæ, cum carb nibus deſolatoriis.

CONfert Pſaltes doloſas, fraudulentas, calumniatorum linguas *ſagittis acutis*, βέλεσι ἠκονημένοις, quibus proximum pungunt, ſcindunt, proſcindunt, imo perfodiunt: ſed quoque *carbonibus juniperorum*, LXX. ἄνθραξι τοῖς ἐρημικοῖς, *carbonibus deſolatoriis*, Auguſtinus *vaſtatoribus*, alius ex Græcis, ἐσοιβασμένοις, *conſtipatis*, ſed & alius ἀνθρακιαῖς ἀρκευθίναις, *carbonibus juniperinis*. Juniperi umbra ſi grauis eſt & noxia, cur non magis carbones, iique igniti? De illa ita canit *Virgilius:*

Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus umbra,
Juniperi grauis umbra, nocent & frugibus umbræ.

Junipero acrem ineſſe ſalem, conſtat ex guſtu, & viribus diureticis, celebratis inprimis in Hydrope. Eſt & oleum penetrantiſſimum, in multis malis proficuum. Sed hæc omnia partim ſunt fabuloſa, partim aliis plantis, harumue ſalibus, carbonibus, oleis, communia. Pendet omne momentum à genuino vocis רתם *rothem* ſignificatu, quem excuſſimus ad Job. XXX. 4. quò Lectorem mittimus. Quadraret conuitiatorum comparatio cum carbonibus juniperorum, ſi verum foret, quod *Cardanus* refert *de Plantis* L. VIII. p. 343. Truncum li
juniperini accenſum & proprio cinere con
ctum ignem ſeruare annuum. Habitum en
diu, imo fere per omnem vitam ſeruant,
maledicendi ſtudio ſunt aſſueti. Sed fabula
illam annui ignis exſibilauit *Scaliger*. In Jo
ſuffragium dedi potius *Geniſtæ*. Interea L
ctori, vel in gratiam Verſionum noſtrarum,
plerarumque aliarum, exhibeo Fig. I. *Junip*
rum minorem montanam folio latiore, fructu lo
giore C. B. quæ *Juniperus* eſt *alpina* I. B. A
pibus Helueticis familiaris. Hanc ita, & opt
mè, deſcribit *Cluſius*: *Cubitalem altitudinem no*
excedit, ſed depreſſa eſt, & quaſi humi ſpar
(apud nos etiam bicubitalis, & altior,) *multo*
que craſſioribus & breuioribus conſtat ramis quà
vulgaris, lentis etiam fractuque contumacibus &
contortis: tenellos ramos ambiunt terna folia, æ
qualiter ſemper naſcentia, ut in vulgari: verùm
latiora, breuiora, craſſiora, nec minus quàm ill
pungentia, colore interius ex cœruleo candicante
exterius viridi. Fructum in ramulis geſtat, vul
gari ſimilem, paulò tamen longiorem (imò & ma
jorem, craſſiorem,) *ubi maturuerit, nigrum.*
Fig. II. ſiſtit *Geniſtam ſpinoſam majorem longiori*
bus aculeis C. B. *Geniſtellæ ſpinoſæ affinem Nep*
quibusdam I. B. Dat ſaltem hæc facie ſpinoſ
horrida aptum maledicis ſymbolum.

Pſal. CXXI. verſ. 6.

(Ideo) Sol interdiu non te percutiet (radiis,) neque Luna noctu.

Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.

QUotidianâ experientia teſte calefaciunt radii Solis æſtiui, in climatibus calidioribus, imo pungunt, urunt, reflexione vel refractione collecti, dolores corpori, motum celeriorem ſanguini inferunt, imo duriſſima quæque reſoluunt, conſumunt, liquant. Nihil proin difficultatis inuoluunt priora commatis verba: *Sol interdiu te non percutiet radiis*, ἡμέρας ὁ ἥλιος ου συγκαύσει σε, quæ in ſenſu metaphorico quadrant homini, qui DEO eſt confiſus, ſub umbra alarum ejus ſecurus. Sed id non æquè dici poteſt de Luna, utpote cujus radii, concentrati licet per ſpecula cauſtica, lenteſue uſtorias, ne minimum ſenſibilis caloris gradum corporibus objectis communicant. Neque proin audiendus *Suidas*, qui ſub Titulo Σελήνη Planetæ huic vim humectantem & calefacientem tribuit, & ut ſententiæ ſuæ majus adderet robur, allegat ipſum hunc Dauidicum Textum. Φασὶ τὴν Σελήνην μὴ μόνον ὑγρὰν εἶναι, ἀλλὰ καὶ θερμαίνειν ὁμοίως τῷ ἡλίῳ τὰ σώματα. Δαβὶδ, ἡμέρας ὁ Ἥλιος ου συγκαύσει

Psal. CXX. v. 4.
Linguæ petulantia lædit.

Pſal. CXX. v. 4.
Schädliche Pfeile der Verläumder.

P. G. Harder sculp.

RPJCB

καύσει σε, οὐδ' ἡ Σελήνη τὴν νύκτα. Rem ſi peniſ conſideremus, ne quidem humectans vis
næ tribuenda eſt, nedum calefaciens. Tures ibimus, ſi ſupplendo Ellipſin Lunæ deis potius vim refrigerantem, *neque Luna no-*
te refrigerabit. Lucem fœnerantur verba obi ad Labanem Gen. XXXI. 40. *Interdiu ſumpſit me æſtus, nocturno verò tempore gelu.* *(Die noctuque æſtu urgebar, & gelu.)* Imo ne hanc quidem explicationem tolerat ſenſus literalis, Luna quippe propriè loquendo neque calefacit, neque refrigerat, neque exſiccat, neque humectat, ſed pendent mutationes hæ unicè ab Atmoſphæra noſtra. Lunâ nobis fulgente frigidæ ſunt noctes, non quia fulget, ſed quia aër eſt ſerenus. Expoſuimus hæc alibi fuſius.

Pſal. CXXIX. verſ. 6. 7.

Et ſimiles euadant fœno, quod in tectis (naſcitur,) quod areſcit, antequam (quiſquam) euellat.
Ut metens non impleat manum ſuam, neque ſinum ſuum, qui manipulos colligit.

6. Fiant ſicut fœnum tectorum, quod, priusquam euellatur, exaruit.
7. De quo non implebit manum ſuam, qui metit, & ſinum ſuum, qui manipulos colligit.

Ymbolum Eccleſiæ hoſtibus infauſtum gramen ex lapidum, vel tegularum juncturis atum, quod ob alimenti inopiam vel marceſcit, vel tanquam inutile terræ productum extrahitur ante, quam ad maturitatem perueniat, certè præmaturo fato perit.

Pſal. CXXXIII. verſ. 3.

cut ros (montis) Hermon, qui deſcendit in montes Zion. —

Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. —

CRucem Interpretibus figit, quomodo *ros Hermon deſcendere* poſſit *in montes Zion*, centum fortè milliarium Romanorum ſpatio diſtantes? Nom quippe, rorem haud altè aſcendere, & ox vel breui iterum delabi, ut illis ipſis plan- ſolatio ſit, unde fuit ortus. De rore monno dubium haud eſt, eſſe præcellentiorem, ia plantæ ipſæ ſunt præſtantiores campeſtriis, aliisque inferiori ſolo natis. De quo paſn egi in *Hiſtoria* mea *Naturali Heluetiæ.* Beficium proin ingens accederet plantis monm Zion, ſi ros ex altioribus longè jugis mon- Hermon ibi deponi poſſet. Dubium hoc odandum ſibi ſumſit Cl. J. C. *Harenbergius* in *ibl. Brem.* Cl. VIII. p. 970. & omnino aſſerit, ſſe rorem, addo vapores alios in montibus llectos, æquilibrio inter aërem rariorem inriorum regionum, & frigidiorem montanum ſublato, defluere, & ſitientes Zionis ſiccitates humectare. Mentem fuiſſe hanc Hieropſaltæ aſſerit is *1. ex rei ipſius veritate, 2. ex ſimilitudine olei à ſummo ad ima pergentis, moti ac defluentis, 3. ex retenta vocum natiua ſignificatione, 4. ex roris iſtius ſaluberrimi aptiſſima comparatione cum ſalubritate concordiæ fraternæ, 5. ex Abſalomi natalibus, cujus mater ex Geſſur orta erat, quorſum ipſe Abſalom, peracta cæde, confugiebat, qui locus ad Chermonem erat ſitus.* Haud ſemel in mentem mihi venerat, annon pluuiæ in regionibus, quæ montibus præaltis ſunt adſitæ, qualis eſt Heluetia noſtra, ſint præſtantiores iis, quæ in regionibus planis decidunt, utpote hujusmodi rore montano fœtæ, quemadmodum ſunt copioſiores, experientiâ teſte, & è contra minus fœcundæ regionum maritimarum, utpote ſale marino aliquando prægnantes?

Pſal. CXXXV. verſ. 7.

Qui eleuat nubes ab extremitate terræ, & fulgura (a) conuertit in pluuiam, educitque ventum è ſuis theſauris.

(a) Facit ad pluuiam.

Et ducens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis.

De operibus hiſce DEI, ſurgentibus ex terra vaporibus, ex terra omni, ex aquis, de fulgure, pluuia, ventis actum paſſim, ut omnino actum agerem, ſi fuſius de iis heic differerem.

Pſal. CXXXVI. verſ. 5.

Qui cœlum condidit ſua intelligentia, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Vid. Gen. Cap. I. verſ. 1.

Pſal. CXXXVI. verſ. 6.

Qui extendit terram ſuper aquas, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

Qui firmauit terram ſuper aquas: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Vid. Gen. Cap. I. verſ. 2.

Pſal. CXXXVI. verſ. 7. 8. 9.

7. Qui fecit luminaria magna, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.
8. Solem, qui dominium teneat diei, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.
9. (Et) Lunam atque ſtellas, quæ dominium teneant noctis, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

7. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum miſericordia ejus.
8. Solem in poteſtatem diei: quoniam in æternum miſericordia ejus.
9. Lunam & ſtellas, in poteſtatem noctis: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Vid. Gen. Cap. I. verſ. 14. 16.

Pſal. CXXXVI. verſ. 13. 14.

13. (Et) fidit Mare Rubrum ſectionibus, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

13. Qui diuiſit Mare Rubrum in diuiſiones: quoniam in æternum miſericordia ejus.

14. Ac

RPJCB

PSAL. CXXXVII. v. 1. 2.
Citharæ ad ſalices ſuſpensæ.

Pſal. CXXXVII. v. 1. 2.
Cithern und Harffen an Weiden gehänget.

I. G. Pintz sculps.

. Ac traduxit per illud Iſraelem, quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.

14. Et eduxit Iſrael per medium ejus: quoniam in æternum miſericordia ejus.

Vid. Exod. Cap. XIV. verſ. 21. 22.

TAB. DLXXII.

Pſal. CXXXVII. verſ. 1. 2.

Ad flumina Babylonis ſedemus, & lachrymamur, quum ipſius Zion memoria ſubit.

Noſtraſque Citharas ſuſpendimus in ſalices, quæ ſunt in ea.

1. Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion.

2. In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra.

DUbium haud eſt, eſſe עֲרָבִים arabbim, ſalices; conſentiunt omnes Interpretes, habent & LXX. ἰτέας. Arabes cognata voce hanc arborem *garabon* vocant. Quamuis hæc ɔx non extet inter ſalicis ſynonyma in *Lexico Ieninzkiano*. Congruit & locus, *ad flumina abylonis*, Euphratis alueos. Prouenire in huido ſolo ad amnium ripas, & foſſas, atque ıudere multo irrigante fluido, nemo eſt, qui noret. *Homer. Odyſſ.* ε.

Φράξε δέ μιν ῥίπεσσι διαμπερὲς οἰσυΐνῃσι
Κύματος εἶλαρ ἔμεν, πολλὴν δ' ἐπεχεύατο ὕλην.

Communiuit autem ipſam cratibus undique ſalignis,
Fluctus propugnaculum ut forent, multumque ingeſſit materiam.

Ne inſalutatis ſalicibus abhinc diſcedat φυτόφιλος hoſpes, ex nouo orbe Fig. I. appono *ſalicis folio late ſplendente arborem, floribus paruis pallidè luteis pentapetalis è ramulorum lateribus confertim exeuntibus.* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* II. p. 98. quæ fortè eſt *ſalix arbor folliculifera tetraphyllos lucide atrouirentibus acutis foliis Americana. Black Sallow Barbadenſibus vulgò. Pluk. Phyt. Tab.* 221. *Fig.* 2. *Almag.* p. 328. Sed quoque non minus raram ex Alpibus Heluetici. *Salicem alpinam Alni rotundo folio repentem Boccon. Muſ.* P. II. *Tab.* I. quæ eidem vocatur *Salix alpina minima lucida repens Alni rotundo folio.* 19. Ignoſcat rigidus Cenſor Utopienſis Botanico citharas ex arbore Americana ſuſpendenti, ſed quoque ſalicem ex humillimis & repentibus producenti. Ad Hiſtoriam Naturæ nunc potius oculos conuerto, quàm ad Hiſtoriæ ipſius circumſtantias.

Pſal. CXXXIX. verſ. 1-4.

. DOMINE, Tu me ſcrutatus es, & pernouiſti.

. Tu noſti, ſiue ſedeam, ſiue ſurgam, (&) procul intelligis cogitationem meam.

. (a) Inceſſum & accubitum meum euentilaſti, & omnes vias meas (b) exploratas habes.

(a) Semitam.
(b) Hier. præuidiſti, intellexiſti.

4. Quia non eſt verbum in lingua mea, quod non uniuerſum noueris, DOMINE.

1. DOMINE, probaſti, & cognouiſti me.

2. Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam; intellexiſti cogitationes meas de longe.

3. Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti.

4. Quia non eſt ſermo in lingua mea: Ecce DOMINE, tu cognouiſti omnia, nouiſſima & antiqua.

CElebrat Hieropſaltes dignis, quod ſæpe ſolet, encomiis DEI, tanquam Entis infinitè perfecti, Omniſapientiam, Omnipotentiam, Omnipræſentiam & Prouidentiam. Subſcribet nemo non ex ipſis Gentilibus, qui ſanæ eſt rationis, & ad ſe ipſum, actiones & paſſiones ſuas, fata ſua attendit, ſimul & ad Entis infiniti naturam & proprietates. Infinitus ſanè intellectus, omnium poſſibilium idearum capax, non poteſt non omnia præterita, futura, præſentia, poſſibilia, contingentia, ſcire, præuidere, dirigere. DEUS *quatenus infinitus intellectus ſeu mens infinita omnia poſſibilia in infinita ſua eſſentia uno infinito & perfectiſſimo intuitu complexus eſt, ſeu cognoſcit ab æterno, ideoque omnia, quæ unquam fuere, ſunt, aut eſſe poſſunt, à parte ſcilicet rei, eidem ſemper adſunt, ſeu præſentia ſunt, uti & eorundem relationes, habitus, effectus omnes, & conſequentiæ, imo variationes omnes poſſibiles, & in æternum futuræ. Raphſon Demonſtr. de DEO. Prop.* IX. p. 51. Intellectus hic DEI, cognitio & ſcientia DEI, quæ eſſentiam DEI ipſam conſtituunt, ſi ſunt infinita, ex infinitæ perfectionis fonte fluentia, collabetur protinus, ut Dagonis illud Idolum ad Arcæ præſentiam, omnis Epicureiſmus, & Atheiſmus, & ſubjiciet hominum quilibet infinitè ſapienti huic directioni totum ſe, omnia ſua, ſubmiſſione deuotiſſima. Quod ſi is omnia nouit, noſtrum erit, omnia cogitata noſtra, ſermones noſtros, actiones noſtras ad ſanctiſſimæ ſuæ voluntatis polum dirigere, tantò lubentius autem, quia Omnipotenti haud deerunt caſtigandi nos & punien ſi deflexerimus, media. Huic fundamento nituntur conſequentiæ, quas Dauid form v. 8 - 12. *Si aſcendero in cœlum, Tu ibi es: & ſternam lectum meum in inferno, tu ades. Si mam pennas auroræ, & habitem in extrema pa te maris, etiam ibi manus tua reget me, & de tera tua præhendet me. Et ſi dicam, verum nebræ me contegent, etiam nox ipſa lux eſt cir me. Ac ne tenebræ quidem aliquid tibi occulta & nox ut dies lucet, tenebræque & lux tibi ju ta habentur. (Si aſcendero in cœlum, tu illic e ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pe nas meas diluculo, & habitauero in extremis m ris: Etenim illuc manus tua deducet me, & t nebit me dextera tua. Et dixi: forſitan tenebr conculcabunt me: & nox illuminatio mea in d liciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à t & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eju ita & lumen ejus.)* Nullus heic fugæ locus nil juuat in ſpiſſiſſimis tenebris occultatio. Pro num inde eſt judicare, quàm veſana ſit il mortalium ſtupiditas, qui ſceleribus ſuis tegu menta quærunt, perjuriis nubem objiciunt Sed &, quàm arctis ſit clauſus limitibus homi num, etiam ſubtiliſſimorum Philoſophorum & Geometrarum intellectus, qui tantos ſibi ſu munt labores in methodis ſuis analyticis, ge neticis, indiuiſibilium, de maximis & minimis infinitorum, veritates indagaturi per tardiſſimos paſſus, per vias tenebricoſis errorum ſpinis obſitas: quum è contra omnia ſint coram DEO nuda, retecta, clariſſima, ſemper præſentia.

Pſal. CXXXIX. verſ. 5. 6. 13 - 16.

5. A tergo & à fronte me finxiſti, & mihi admolitus es manum tuam.	5. Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.
6. Admirabilem in me formando ſcientiam exhibuiſti, & ſublimiorem, quàm ut eam poſſim attingere.	6. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.
13. Tu enim poſſides renes meos, & me (a) contexiſti in ventre matris meæ.	13. Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de utero matris meæ.
14. Tibi confiteor, quod miris & ſtupendis modis formatus ſim, quodque eximia ſint opera tua, quæ optimè nouit anima mea.	14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.
15. (b) Robur meum non tibi occultatum eſt, quum in abſtruſo formarer, & velut opere Phrygio effingerer in nouiſſimis terræ partibus.	15. Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

(a) Significat, ut ſecundis fuerit inuolutus.

(b) Siue os meum.

16. Oculi

. Oculi tui me viderunt, quum eſſem fœtus informis, (c) & in libro tuo uniuerſa (membra) deſcripta fuerunt, quæ (deinceps multis) diebus formarentur, quibus ne unus quidem dies apud Te conficitur.

(c) Et ſuper librum tuum uniuerſa ſcribentur, diebus formabuntur, & non unus in eis.

16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Miracula videt, eaque numero innumera, qui hominis, vel proprium ſuum corpus; Miracula in toto, miracula in ſingulis partibus, in qua-
s glandula, fibrilla quauis, quauis guttula
nguinis: miracula ex parte Creatoris, mira-
la in creatura, ibi ſapientiſſimum artificem,
ic infiniti artificii machinas: in oculo came-
m obſcuram inimitabilem, in naribus ant-
m, in aure tubam ſtentorophonicam, in
entibus molam, in aſpera arteria organum
eumaticum, in pulmonibus follem, in cor-
hydracontiſterium, in toto ſanguinis circu-
machinam hydraulicam, in corpore toto ar-
ficium omni intellectu humano infinities ma-
is. Ut omnino habeat quiuis mortalium,
uod exclamet præcinente Dauide: *Tibi con-
eor, quod miris & ſtupendis modis formatus
n, quodque eximia ſint opera tua, quæ optimè
ouit anima mea.* ἐξομολογήσομαί σοι ὅτι φοβερῶς ἐ-
υμαςώθης, θαυμάσια τὰ ἔργα σȣ, καὶ ἡ ψυχή μȣ γινώσ-
ι σφόδρα. De hac veritate palmaria conuicti
rimus tantò certius, ſi in hacce ſtupendi arti-
cii ſtructura unum conclaue introſpiciamus
oſt aliud, attendentes cumprimis ad tam mul-
uariorum motuum cauſas: quorum nempe
lii ſunt inuoluntarii, imo nobis fiunt inuitis,
t motus cordis, circulus ſanguinis, reſpiratio,
entriculi digeſtoria actio, ſecretiones, tranſpi-
ationes, incrementum, vita, vires ad abigen-
os & curandos morbos: alii communes, ut
ræcedentes, brutis, inuoluntarii pariter, me-
hanicè ſeſe exerunt in exterioribus membris,
lamores in euidentibus periculis, fuga malo-
um, quem in finem obtinuere aues ungues,
oues cornua, apes aculeum, leones dentes,
lia animantia inſtrumenta alia: *Phocylides.*
. 118.

"Οπλον ἑκάςῳ νεῖμε ΘΕΟΣ, φύσιν ἠερόφοιτον,
"Ορνισι μὲν πολλὴν ταχύτητ', ἀλκήντε λέȣσι,
Ταύροις δ' αὐτοχύτοις κεράεσσιν, κέντρα μελίσσαις
"Εμφυτον ἄλκαρ ἔδωκε, λόγος δ' ἔρυμ' ἀνθρώποισι.

Huc pertinet noſtrum, quod mechanicè fit, incedere, ſtare, cubare, dormire. Sed eſt tertii generis motus rationalis, quo totum corpus, vel pars, transfertur de loco in locum juxta animæ nutum, & homo diſtinguitur à brutis. Omnibus autem hisce motibus tribui neceſſariò debet principium vel cauſa efficiens; hæc anima noſtra rationalis eſſe nequit, priores quippe contingunt eâ inſciâ, imo & inuitâ, contingunt & in brutis ratione carentibus, utpote quæ etiam edunt, bibunt, vident, audiunt, imo acutius ſæpe nobis, pericula euitant. Neceſſe omnino eſt, ut vis hæc ipſis nobisque inſita impreſſa ſit & concreata ab ipſo Creatore. *Horat.* L. II. *Sat.* I. v. 50.

Ut, quo quisque valet, ſuſpectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, ſic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde niſi intus
Monſtratum —

Ex eodem principio hylarchico, ſed diuino, callo & nouo cortice obducitur reſectus arboris ramus, ne noxam patiatur totum. Fruſtra allegabis heic inſtinctus naturales, Archæos, Spiritus Architectonicos, & quæ ſunt hujus generis alia. Riſui ſanè ſeſe exponeret, qui ὀργανοποιὸν organo, horologiopœum automato ſpiritum quendam tradidiſſe dixerit, quo directore motus tam ordinati fierent. DEUS hæc omnia facit, machinam, & impetum, ἐν αὐτῷ ζῶμεν, κινέμεθα καὶ ἐσμέν. Operatur is, & ſolus, omnia in omnibus. Operatur & in tertii generis motibus, & animæ noſtræ nîl relinquitur, niſi tradita ab ipſo DEO directio. Organiſtæ proin ſumus aptè comparandi, qui pro varia digitorum flexura & applicatione hæc illaue modulamina cantat.

Sed quid dixeris, quæſo, de mira noſtra formatione? nonne fatebitur quilibet parens, ſe nec inuentorem eſſe nec formatorem prolis? ſecuriſſimam heic & breuiſſimam viam init Pſaltes. Ita is v. 5. 6. *A tergo & à fronte me finxiſti*, id eſt, totum me, omnes & ſingulas partes meas, externas, internas, *& mihi admolitus es manum tuam; Admirabilem in me formando ſcientiam exhibuiſti, & ſublimiorem, quàm ut eam poſſim attingere.* Σὺ ἔπλασάς με καὶ ἔθηκας ἐπ' ἐμὲ τὴν χεῖρά σȣ. ἐθαυμαςώθη ἡ γνῶσίς μȣ ἐξ ἐμȣ̃, ἐκραταιώθη, ȣ̓ μὴ δύναμαι πρὸς αὐτήν. *Tu enim* v. 13. *poſſides renes meos*, recondita quæuis viſcera mea, *& me contexiſti in ventre matris meæ.* ὅτι σὺ ἐκτήσω τȣ̀ς νεφρȣ̀ς μȣ, ΚΥΡΙΕ, ἀντελάβȣ μȣ ἐκ γαςρὸς μητρός μȣ. v. 14. *Tibi confiteor, quod miris & ſtupendis modis formatus ſim, quodque eximia ſint opera tua, quæ optimè nouit anima mea.* Eſt cognitio hæc ipſa

ipſa non theoretica duntaxat, ſed practica; eſt ἐξομολόγησις, confeſſio, admiratio pia earum rerum, quas capere nequimus. Verſ. 15. *Robur meum non tibi occultatum eſt, quum in abſtruſo formarer, & velut opere Phrygio effingerer in nouiſſimis terræ partibus.* Ουκ ἐκρύβη τὸ ὀςῦν μυ ἀπὸ σῦ, ὃ ἐποίησας ἐν κρυφῆ, καὶ ἡ ὑποςασίς μυ ἐν τοῖς κατωτάτω τῆς γῆς. Oculis opus habet artifex ad videndum ea, quæ elaborat. Sed fingit ὁ ἀρχιπλάςης, operatur in obſcuro, in denſiſſimis tenebris, ſunt ei retecta omnia. Perbellè comparat Pſaltes habitaculum illud uteri tenebricoſum, imo carcerem, quo per nouem menſium decurſum clauditur infans, lucis & reſpirationis uſurâ priuatus, viſceribus terræ abſconditis, *nouiſſimis terræ partibus*, τοῖς κατωτάτω τῆς γῆς. Et emphaticè exprimit radix originalis רָקַם *rakam*, compingere, contexere, arte ſingulari compaginare, diuinum hoc corporis humani artificium omni Anatomicorum captu ſuperius. Quid igitur, obſecro, impediet, quo minus ille, qui nos ita *in abſtruſo format*, perſpiciat plenè intimos corporis animæque receſſus? Verſ. 1-4. DOMINE, *tu me ſcrutatus es, & pernouiſti. Tu noſti, ſiue ſedeam, ſiue ſurgam, & procul intelligis cogitationem meam. Inceſſum & accubitum meum euentilaſti, & omnes vias me[…] exploratas habes. Quia non eſt verbum in l[…]gua mea, quod non uniuerſum noueris,* DOMIN[…] (DOMINE, *probaſti, & cognouiſti me. Tu c[…]gnouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem mea[…] Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemita[…] meam & funiculum meum inueſtigaſti. Et omn[…] vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingu[…] mea.)* Digna cedro verba, ſingulis hominu[…] cordibus inſcribenda. Verſ. 16. *Oculi tui […] viderunt, quum eſſem fœtus informis, & in libr[…] tuo uniuerſa membra deſcripta fuerunt, quæ dei[…]ceps multis diebus formarentur, quibus ne un[…] quidem dies apud te conficitur.* ἀκατέργαςόν μυ […]δον οἱ ὀφθαλμοί συ, καὶ ἐπὶ τὸ βιβλίον συ πάντες γραφ[…]σονται. ἡμέραι πλαθήσονται, καὶ ὐδεὶς ἐν αὐτοῖς. Eſt […] ἀκατέργαςον, informe corporis humani intell[…]gendum ita, ut viſui noſtro apparet, non re[…]ſpectu DEI, qui in prima creatione perfect[…] formauit omnia, ut conceptus & partus no[…] ſint niſi euolutiones. Tunc jam *in Libro* DEI[…] ſapientia æterna, quæ non opus habet proto[…]collo, *fuerunt omnia membra deſcripta, quæ dein[…]ceps multis diebus formarentur*, quorum dierum nullus tunc fuerat, illorum nempe dierum, quos nouem menſium mora poſcit.

TAB. DLXXIII.

Pſal. CXL. verſ. 4.

Suamque linguam acuerunt ut ſerpens: (&) venenum aſpidis eſt in labiis eorum.

Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labiis eorum.

ELegans eſt calumniatoris, & conuitiorum, quæ euomit, ſymbolum *lingua ſerpentis*, non ratione noxæ, ſed figuræ acuminatæ, ſed quoque *venenum aſpidis, quod eſt in labiis*, ſub labiis, in certis veſiculis latens, venenatæ indolis. De lingua *Seneca* in *Medea* v. 686.

— Serpens corpus immenſum trahit,
Trifidamque linguam exertat, & quærens, quibus
Mortifera veniat.

De veneno ipſo lege Job. XX. 16. *Venenum aſpidum ſuget, eumque occidet lingua viperæ. (Caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ.)* עַכְשׁוּב *acſchubh* reddimus *aſpidem*. Interpres omni exceptione major eſt Diuus Paulus Rom. III. 13. ubi ipſum allegat Textum noſtrum: ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. Vox ipſa Hebræa deriuanda non tam à עֶכֶס *eches*, quod nunc viperam ipſam denotat, nunc ejus venenum, & coincidit cum Græcorum ἔχις, vipera: ſed potius ab Arabico *achaſa*, retorquere, reflectere rem ad principium ſuum. *Nicander Theriac.* v. 159.

Ὁλκῷ δὲ τρυχόωσαν ἄλων εἱλίξατο γαίῃ,
Σμερδαλέων δ' ἀνὰ μέσσα κάρη πεφρικὸς ἀείρει.

Deſcribit tereti ſinuoſa volumina tractu,
Horrendumque caput medio ſic tollit ab orbe.

Ita & Etymologus de ſerpente, qui contorquendo ſeſe dimicat. Συςρέψαν ἑαυτὸ πολεμεῖ, καὶ μάχεται. Gyri hi, in quos ſeſe retorquet ſerpens, Græcis audiunt οἶμοι. *Heſychius* οἶμον, οἶμος, κύκλος, τρίβος. ὅθεν καὶ τῆς Ἀσπίδος κύκλυς οἴμυς ἐκάλεσαν. Hinc & Clypei rotundi vocantur *Aſpides. Virg. Æn.* L. III.

Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Apud

PSAL. CXL. V. 4.
Venenum ſub Aſpidis labiis.

Pſal. CXL. v. 4.
Gifft unter den Lippen der Schlangen.

I. G. Pintz *sculps.*

RPJCB

RPJCB



PSAL. CXLIV. V. 13.
Terra frugibus felix, ubere læto.

Pſal. CXLIV. v. 13.
Fruchtbarkeit des Landes.

G. D. Heūmañ sculps.

ud *Homerum* ἀσπίδες εὔκυκλοι, ἀσπίδες ὀμφαλόεσ- *Iliad.* δ. & ξ. ubi Scholiaſtes, ϛρογγύλαι, πε- ρεῖς. Serpentis ſi cujus venenum eſt præſen- ſimum ſimul & acerrimum, eſt *viperæ caudi- æ*, ſeu *anguis crotalophori*, qui Braſilienſibus *iciningа*, *Boiçinininga*, *Boiquira*, Luſita- *Caſcauela*, *Tangador*, Anglis *Rattle-Snake*, ermanis *Rätteſchlange*, Mexicanis *Teutlaco- ihqui*, *Teutlacot-Zauhqui*, i. e. Domina ſer- ntum, & *Hoacoatl* nuncupatur. Hujus ve- num adeò acre, ut paucis momentis Mo- ſum enecet, teſtibus experimentis in Ill. *Hans ane* ædibus Londini ante paucos annos in- utis. Hujus ſerpentis integram Anatomen dit *Edu. Tyſon* in *Tranſact. Angl.* n. 144. & ex *Rajus Synopſ. Quadrup.* p. 291. Conferan- r & *Tranſactiones Philoſ.* n. 399. 401. Serpen- n hunc, qui crepitaculorum ſonitu aduen- m ſuum indicat, & ſic homines obuios for- tè ad fugam hortatur, exhibet Fig. I. Non va- cat nunc, integram dare anguis hujus deſcri- ptionem, nec fortè foret è re. Occaſionem tamen ſuggerit Textus, ut haud omittam ea ſi- ſtere, quæ ad explicationem *veneni ſub labiis* latentis faciunt. Fig. II. exhibet caput inte- grum, ubi g. eſt lingua bifida, in i. conjun- cta, f. Larynx, c c h. Dentes minores utrius- que maxillæ, qui inſeruiunt rapiendæ & ſer- uandæ prædæ, d d. Dentes in maxilla ſuperio- ri canini, recurui ἰοφόροι, è quorum fiſſuris ad baſin conſpicuis venenatus liquor in veſiculis latens exprimitur, (quos integros maxillâ exem- ptos ſiſtit Fig. III.) a. Naſi cauitas, b. Foramen, quod inſeruire videtur auditui, e e e. locus, ubi veſiculæ veneno plenæ deliteſcunt. Fig. IV. ex- hibet crepitaculum primum k. caudæ verte- bris l. adnexum. Fig. V. Crepitacula tria inui- cem connexa. Fig. VI. Crepitacula ſex.

TAB. DLXXIV.

Pſal. CXLIV. verſ. 13.

intque cellæ noſtræ plenæ (a) exhi- bentes annonam perpetuam, o- uesque noſtræ pariant mille & de- cies mille in vicis noſtris.

(a) Proferentes de annona ad annonam.

Promptuaria eorum plena: eructan- tia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis.

Adhibet heic Dauid vocabulum צאן *tſon*, commune, ut Græcorum μῆ- λον, *capris* & *ouibus*. Deſcendere id videtur à radice צנא, vel צנה *tſana*, *tſanah*, ſoboleſcere, fœtifica- e, fœcundum eſſe. Conuenit hæc proprie- as inprimis *ouibus*, præ aliis animantibus mun- lis, & eluceſcit ex Textu, ubi memorantur מאליפות *maaliphoth*, χιλιοπλασιαζόμενα, quæ *mil- e*, & מרבבות *merybbabhoth*, μυριοπλασιαζόμενα, uæ *decies mille* geſtant. Ita legimus Pſ. LXV. 4. *veſtientur campi gregibus*, (*induti ſunt arie- es ouium*,) metaphorâ eleganti deſumpta à eſte, quæ terram obtegit. Celebratur ouium œcunditas alibi quoque in Sacris. Jobo erant rius 7000. poſtea 14000. oues. I. 3. XLII. 12. *Meſa*, *Rex Moabitarum*, *armentarius erat*, *pen- lebatque vectigal Regi Iſraelitico*, *nempe centum millia agnorum*, *& centum millia arietum cum la- na.* (*Meſa*, *Rex Moab*, *nutriebat pecora mul- ta*, *& ſoluebat Regi Iſrael centum millia agno- rum*, *& centum millia arietum cum velleribus ſuis.*) 2. Reg. III. 4. Agarenis abigebant Rube- nitæ 250000. oues, 1. Paral. V. 21. *Sacrifica- uit Rex Solomon victimam — centum atque vi- ginti millium ouium* pro initiatione Domus DEI, 2. Paral. VII. 5. *Segregauit Joſias*, duarum dunta- xat Tribuum Rex, *oues*, *agnos & hœdos capra- rum*, *omnia ad Paſa — numero triginta millia*, 2. Pa- ral. XXXV. 7. Nihil ſunt hæc, ſi conferas cum iis, quæ *Joſephus* refert *Bell. Jud.* L. VII. c. 17. de Paſchate Hieroſolymæ celebrato ſub Ceſtio, & mactatis bihorii ſpatio 250600. ouibus. Au- getur miraculi idea, ſi verum eſt, quod in *Da- mire* legimus, oues quotannis ſemel duntaxat parere. Quum contra *Ariſtot. Hiſt.* VI. c. 19. & in *Mirabil.* afferat, in Oriente cumprimis, bis in anno parere, & utplurimum geminas, & *Ælianus* L. IV. c. 32. de Indicis ouibus, parere ſimul tres quatuorue agnos. Ouium hanc fœ- cunditatem *Apollini Nomio* tribuebant Græci, hinc *Callimachi* votum *Hymno in Apollinem*, ut ouis

Ἡ δὲ κε μυνοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο,

Quæ unipara erat, gemellipara repente fiat.

De Libycis ouibus narrat *Homerus Odyſſ.* δ. ter parere in anno.

Τρὶς γὰρ τίκτει μῆλα τελέσφορον εἰς ἐνιαυτόν.

Ter enim pariunt oues in anno perfecto.

Eſt hæc Hyperbole condonanda Poëtæ: *Gerunt oues partum diebus* CL. *Plin.* L. VIII. c. 47.

TAB. DLXXV.

Pſal. CXLVII. verſ. 16. 17. 18.

16. Qui dat niuem tanquam lanam, & pruinam ſpargit ut cinerem.
17. (Et) projicit glaciem ſuam ut laminas: quis frigus ipſius ſuſtinebit?
18. Miſſoque verbo ſuo liquefacit ea, & vento ſuo afflat, ut aquæ fluant.

16. Qui dat niuem ſicut lanam: n
bulam ſicut cinerem ſpargit.
17. Mittit cryſtallum ſuam ſicut bu
cellas: ante faciem frigoris e
quis ſuſtinebit?
18. Emittet verbum ſuum, & liquef
ciet ea: flabit ſpiritus ejus,
fluent aquæ.

Introducit nos, ut paſſim, ita heic, Hieropſaltes in ταμεῖα niuis, pruinæ, glaciei, imo ad DEUM, ad cujus tanquam cauſæ unicæ efficientis nutum mouentur omnia. *Qui mittit eloquium ſuum terræ, ut verbum ejus celeriter currat.* v. 15. Dictum nempe eſt factum. Eſt omnipotens DEI voluntas contemplationis Phyſicæ initium & finis.

Dat niuem tanquam lanam, τȣ̃ διδόντος χιόνα ὡσεὶ ἔριον. Veſtit terram niue veluti lanâ, frumenta & gramina, agros & paſcua laneo veluti veſtimento defendens à frigore. Sed eſt quoque nix coloris reſpectu lanæ ſimilis, & formâ externâ. *Theodoretus*, γίνεται δὲ χιὼν μανή τε, καὶ μαλακὴ, καὶ ἐρίȣ κάταγμα μιμȣμένη. Obſeruat *Euſtathius* in *Dionyſium Periegetem* p. 91. Veteres niuem appellitaſſe ἐριῶδες ὕδωρ, aquam laneam.

Ita *Martialis L. IV. Epigr.* 3. vocat *denſum v*
lus aquarum.

> *Aſpice, quàm denſum tacitarum vellus aquar*
> *Defluat in vultus Cæſaris atque ſinus.*

In ſuppoſita illa *Alexandri ad Ariſtotelem* E
ſtola legas, *cadere mox in modum vellerum c*
perunt niues. Herodotus in *Melpomene*, ἐοικ
χιὼν πτεροῖσι, *plumis ſimilis nix.* Arabibus ip
Poëtis nix venit nomine *alarum cœli.* Cr
cem fixit χιονογενεσία omnis æui Philoſophis, n
dum eſt res confecta: adhuc hodie ad acut
ſimos quosque Philoſophos quadrat illa adl
cutio *Arnobii* L. II. *Poteſtis interrogati planu*
facere, ſcientiſſimeque monſtrare, quid niuem
plumulas ſuperiat cruſtulas? De reliquis Mete
ris memoratis in Textu egimus paſſim.

Pſal. CXLVIII. verſ. 1-13.

1. Laudate DOMINUM, *(a)* cœlites, laudate eum in excelſis locis.
   (a) E cœlo.
2. Laudate eum, omnes angeli ejus, laudate eum, omnes exercitus ejus.
3. Laudate eum, Sol & Luna, laudate eum, omnes Stellæ *(b)* claræ.
   (b) Lucis.
4. Laudate eum, cœli *(c)* ſupremi, & aquæ, quæ ſupra cœlos ſunt.
   (c) Cœli cœlorum.
5. (Hæc inquam) laudent nomen DOMINI, ipſo enim jubente creata ſunt.
6. Eaque ſtabiliuit, ut æternùm perſtent, ac *(d)* Legem præſcripſit, quam transgredi nequeunt.
   (d) Decretum dedit, & non præteribit.

1. Laudate DOMINUM de cœlis
laudate eum in excelſis.
2. Laudate eum, omnes angeli ejus
laudate eum, omnes virtutes ejus
3. Laudate eum, Sol & Luna: laudate eum, omnes ſtellæ & lumen.
4. Laudate eum, cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt,
5. Laudent nomen DOMINI: quia ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.
6. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, &
non præteribit.

7. Lau-



PSAL. CXLVII. v. 16. 17. 18.
Quis ſuſtinebit Domini frigus.

Pſal. CXLVII. v. 16. 17. 18.
Wer kan bleiben vor Seinem Froſt.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

Laudate DOMINUM, terreſtres, dracones & omnes abyſſi.
Ignis & grando, nix & exhalatio, ventus procelloſus, qui verbum ejus proſequitur.
Montes & omnes colles, arbor fru-ctifera, & omnes Cedri.
Beſtia & omne pecus, reptile & auis pennata.
Reges terræ & omnes populi, principes & omnes judices terræ.
Juuenes & virgines, ſenes pariter & adoleſcentes.
(Hi) laudent nomen DOMINI, quia nomen ipſius ſolum ſublime eſt, cujus gloria ſuperat terram & cœlum.

7. Laudate DOMINUM de terra, dracones, & omnes abyſſi.
8. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.
9. Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes Cedri.
10. Beſtiæ, & uniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ.
11. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ,
12. Juuenes & virgines, ſenes cum junioribus,
13. Laudent nomen DOMINI: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius. Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram.

Eſt hic Hymnus choralis omnium κτίσεων Muſica. Comparent in Theatro omnia entia creata, ſpiritualia & corporea, angeli, corpora, homines, ſin-li ſuo modo laudes DEO decantaturi. Præ-nunt entium nobiliſſima, *angeli*. *Clamant hi, us ad alium, & dicunt: Sanctus, Sanctus, San-us DOMINUS Exercituum, plena eſt uniuer-tellus majeſtate ejus.* Jeſ. VI. 3. Hi cluent Da-di v. 2. *Exercitus*, δυνάμεις. Paulo Col. I. 16. χαὶ, ἐξουσίαι. Angelorum cœlitum Chorum ſe-uuntur entia merè corporea, ſed quæ & ipſa, o modo, elogia ſui Creatoris, ut automata tificis ſui, decantant: *Sol*, *Luna*, *Stellæ* tum xæ tum erraticæ, luce & lumine, calore, ma-itudine, motu regulariſſimo, eodem ſem-er, vel variato ſitu: *Cœli* omnes, aëreum empe expanſum, & ætherea illa ſuperiora. *quæ, quæ ſupra cœlos ſunt*, τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν, nubes: *Dracones*, δράκοντες, balænæ nempe, piſcium aliorum primipili, *omnes abyſſi*, cum animantibus ibi degentibus quibusuis. *Ignis*, fulmina & fulgura, *grando*, *nix*, *exhalatio*, *proceloſi*, aliique, *venti*. *Montes & colles*, *arbores fructiferæ*, *Cedri omnes*, imo plantæ omnes inde à Cedro Libani usque ad Muſcum vel Hyſſopum, qui naſcitur è pariete. *Beſtia & omne pecus*, *reptile & auis pennata*. Agmen claudunt homines, cujus ſint ſexus, ætatis, ſtatus cunque, *Reges terræ*, populorum quiuis Duces, *populi omnes*, horum *Principes*, *& omnes judices terræ*. *Juuenes & virgines*, *ſenes pariter & adoleſcentes*. Hi omnes, quia ſuum eſſe, creationem ſuam & conſeruationem, quicquid habent & ſunt, à DEO habent, *laudent nomen* DOMINI, *quia nomen ipſius ſolum ſublime eſt*, *cujus gloria ſuperat terram & cœlum*.

PROVERBIA SALOMONIS.

Prov. Cap. I. verſ. 7.

Timor DOMINI ſcientiæ initium eſt, ſapientiam & diſciplinam ſtulti contemnunt.

Timor DOMINI principium ſapientiæ. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.

Omnem religionem tum naturalem tum reuelatam complectitur *timor* DOMINI. Eſt autem religio præcipuum idque fortiſſimum ſocieta-tis humanæ vinculum, absque quo ſubſiſtere nequit illa, ſiue in ſtatu naturali, ſiue ciuili. In illo ſi deſit timor DEI, deuorabit unus alium, erit quilibet proximi cujuslibet carnifex, imo diabolus. Chimæræ ſunt honeſtas, probitas, fides, boni norma erit proprium commodum, vel virium, quibus nocere quis poſſit, defectus. In ſtatu ciuili haud continebunt homi-

nes ratione officii erga Magiſtratus & obedientiæ juramenta, non pœnæ, non Principi debita gratitudo. Machinabitur contra hunc cædes, rapinas, & quicquid lubet, qui mortem contemnit. *Senec. Herc. Fur.* v. 425.

Cogi qui poteſt, neſcit mori.

Nullus Principum fidere poterit militibus Prætorianis. *Juuenal. Sat.* VI. v. 346. 347.

— pone ſeram: cohibe: ſed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?

Nocebit ex membris ſocietatis alteri quodlibet, ut ſibi prodeſſe poſſit. Necem inferet unus alteri, modò deſint homicidii teſtes. Nulla charitas, compaſſio, amicitia, niſi fundata ambitione vel commodo. Fidat, ſed cui, videat victurus tranquillè. Principi ipſi ἀθέῳ ſtabit pro ratione voluntas: erunt juſtitia, dignitates omnes venales, vel tradentur eæ paraſitis. Subditorum felicitas in ſacrificium cedit Principis vel voluntati, vel commodo. Sint fortè, qui inſurgant regnis, in id omne collimabunt conſilia Regis, ut ſubditi dolo atque vi contineantur intra rationis & deuoti reſpectus gyrum, vel virtute viribusque ſpolientur: ſed è contra omnes intendent neruos, ut abjiciant graue ſibi Tyrannidis jugum, diuiſi interim inter ſe ipſos & diffiſi. Inter diffidentes conjuges promptiſſimum & ſecuriſſimum remedium erit

vel venenum, vel pugio. Ipſi Parentes,
mini, Dominæ haud erunt tuti à liberis,
uis, ancillis. Cohibenda ſunt atrociſſima
mina quæuis per dictamen conſcientiæ, &
næ æternæ metum. Animæ quidem imm
talitatem extra omne dubium ponit Verb
DEI reuelatum, ſuggerit tamen & ratio a
menta ſuffena, quæ veritatem hanc vitæ æ
næ fundamentalem ſuffulciant.

Quæ hactenus protuli ſanæ Politicæ f
damenta conueniunt & aliis ſocietatis huma
partibus. Medicus ἄθεος plus noxæ inferre
tis eſt, quàm centum latrones. Rerum d
narum præco ἄθεος externâ religionis ſpecie a
tetur pro integumento ſuorum vitiorum, &
prauatarum paſſionum. Religio & timor D
ſi deeſt, terra integra aliud nihil eſt, quàm h
ſpitium hominum amentium, imo ſicarioru
Verbo, eſt *timor DOMINI initium ſcienti*
vel *ſapientiæ*; quod auro pretioſius dictum i
ratâ vice inſinuat Rex ſapientiſſimus Prov. IX. 1
Dauid item Pſal. CXI. 10. & Jobus XXVIII. 2
Timor DEI eſt ſapientia, & vitare malum eſt i
telligentia. (Timor DOMINI, ipſa eſt ſapienti
& recedere à malo, intelligentia.) Ubi por
notandum, non tam intelligi heic debere tim
rem ſeruilem, qualis mancipiorum eſt, ſed p
tius filialem. Eſt DEUS timendus non ſolù
ut Judex ſeuerus atque juſtus, ſed quoque
benigniſſimus Pater, imo Pater in CHRISTO
& amandus ſuper omnia.

Prov. Cap. III. verſ. 15.

Gemmis hæc eſt pretioſior, & omnia, quæ expetere potes, æquiparari ei non poſſunt.

Precioſior eſt cunctis opibus ſapien
tia: & omnia, quæ deſiderantur
huic non valent comparari.

SApientiam comparat Solomon rebus pretioſiſſimis, & præfert Verſ. 14. *Potior eſt merx illius merci argenti, & prouentus ejus auro puro puto. (Melior eſt acquiſitio ejus negotiatione auri & argenti, primi & puriſſimi fructus ejus.)* Auro proin & argento, metallorum nobiliſſimis, heic *gemmis*, λίθοις πολυτελέσι. In Textu originali legas פְּנִיִּים *penijim*, nempe *margaritis*, (vid. Job. XXVIII. 18.) quæ olim à Chaldæis, Judæis, Græcis accenſitæ fuerunt lapidibus pretioſis. *Theophraſtus de Lapidib.* ὁ μαργαρίτης λίθος. *Athenæus*, ὁ μαργαρῖτις λίθος. Græci juniores λιθομάργαρον. Latini quoque Poëtæ habent *lapillos*, *niueos lapillos*. *Ouid. de art. am.* L. III.

Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Silius Italicus L. XII.

Lucet in aure lapis rubris aduectus ab Indis.

Seneca in *Hippolyto.* v. 388.

- - - nec niueus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

Et in *Hercule Oetæo* v. 661.

Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda.

Hæc in gratiam Verſionum noſtrarum, quæ habent *gemmas, Edelgeſteine*. Exprimere tamen potuiſſent margaritas, quia communi gemmarum nomine & ideâ non veniunt hæ. Sanè noſter *Lud. Lauaterus* habet *margaritas. Comm.* p. 30. *Pretioſior eſt margaritis.*

Prov.

Prov. Cap. III. verſ. 19. 20.

19. Sapientia fundauit DOMINUS terram, cœlos autem intelligentia condidit.
20. Scientia illius dehiſcunt abyſſi, & æthera rorem deſtillant.

19. DOMINUS ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia.
20. Sapientia illius eruperunt abyſſi, & nubes rore concreſcunt.

Vid. Gen. Cap. VII. verſ. 11. Pſal. CXXXVI. verſ. 5. 6.
Job. Cap. XXVIII. verſ. 4. 8. 16. 28.

Prov. Cap. V. verſ. 4. 5. (3. 4.)

4. Quoniam fauum ſtillant labia (a) alienæ, & guttur ejus blandius eſt quàm oleum.

(a) Alienam, meretricem intelligunt.

5. Poſtrema verò ejus amara ſunt velut abſinthium, & acuta ceu (b) gladius biceps.

(b) Eb. gladius orium.

3. Fauus enim ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.
4. Nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & lingua ejus acuta quaſi gladius biceps.

EXercere valent hæc verba Phyſicum, Medicum, Ethicum. Offendit Phyſicus quatuor *ſapores*, dulcem, blandum ſeu oleoſum, amarum, acutum. unt ſapores omnes medium à DEO ordinaum, quo cibi aliaque ſapida, quæ linguam aficiunt, diſcerni ab inuicem poſſunt. Orgaum eſt *lingua*, vel potius papillæ extremæ erui guſtatorii. Sapores ipſos ab inuicem ditinguit ſapidarum particularum figura varia. unt enarrati ſapores potiſſimi, ut ad eos reliqui forte omnes reduci queant. Totidem & gnouere veteres. τὰ δὲ εἴδη τῶν χυλῶν, γλυκὺς, λιπαρὸς, αὐστηρὸς, στρυφνὸς, δριμὺς, ἁλμυρὸς, πικρὸς, ὀξὺς. *Theophr. de Cauſ. Plant.* L. VI. c. 1. *Dulcedo*, ut heic faui, propriè נֹפֶת *nopheth*, *ſtillationis*, ſtillantis faui, LXX. μέλι ἀποστάζει, conſiſtere videtur in particulis læuibus, globuloſis, quas inter poſitæ ſunt paſſim acuminatæ, ſed molliter pungentes, linguam grato ſenſu afficientes, ut plumæ ſolent per cutis ſuperficiem tractæ, quæ, ſi ſeparantur ab illis, euehuntur, & concentrantur, acrimoniam manifeſtant. Sapor pinguis, *oleoſus*, exhibet meros veluti globulos, qui lubricando magis quàm pungendo afficiunt, & ſoli ingrati quid ſenſibus exhibent. *Amaræ* particulæ, ut heic *abſinthii*, conjectante *Williſio* ſunt uncinatæ, haud profundè penetrantes, conferendæ haud ineptè cum capitulis Dipſaci per cutis ſuperficiem tractis, unde eſt, quod ventriculo illatæ viſcoſitates parietibus adhærentes abſtergant, & veluti abradant. *Acria* conſtant particulis tenuibus, rigidis, àcutis, quæ acuum aut aculeorum urticæ ad inſtar organum guſtus pungunt, imo perfodiunt. Pulcherrimè eas comparat ἱεροφιλόσοφος noſter *gladio bicipiti*, μαχαίρᾳ διστόμῳ. Offendas eas in aromatibus, aqua forti. Ita fere, ut nos, philoſophabatur corpuſculorum minimorum rigidus Examinator *Democritus*. Δημόκριτος — γλυκὺν μὲν τὸν στρογγύλον — στρυφνὸν δὲ τὸν μεγαλόσχημον, τραχὺν δὲ τόν πολυγόνιον. *Theophraſt.* Lib. cit. c. 2.

Medici eſt, ex modernæ Medicinæ principiis, mechanicis cumprimis, homini luxuriei, Veneri dedito demonſtrare, quàm *labia alienæ*, proſtibuli, *fauum ſtillent, & guttur ejus blandius ſit quàm oleum, poſtrema verò ejus amara, velut abſinthium, & acuta ceu gladius biceps.* μέλι ἀποστάζει ἀπὸ χειλέων γυναικὸς πόρνης, ἣ πρὸς καιρὸν λιπαίνει σόν φάρυγγα, ὕστερον μέντοι πικρότερον χολῆς εὑρήσεις, καὶ ἠκονημένον μᾶλλον μαχαίρας διστόμου. quàm corrumpatur integra maſſa fluidorum, deſtruatur ſtructura ſolidorum, ab acrimonia exedantur extremi faucium, & earum inprimis partium, quibus peccatur, tubuli, imò ſæpe corrodantur oſſa ipſa, id quod maximo ſuo incommodo experiuntur, qui ex Veneris caſtris redeunt Gonorrhœa & Lue Venerea infecti.

TAB.

TAB. DLXXVI.

Prov. Cap. V. verſ. 19.

Sit hæc velut amata cerua, & caprea gratioſa (a), amores ejus omni tempore te reficiant, in dilectione ejus perpetuò ſis implicitus.

(a) Alii legunt, ubera.

Cerua cariſſima, & gratiſſimus hinnulus: Ubera ejus inebrient te in omni tempore: in amore ejus delectare jugiter.

QUi antiquitatum eſt vel amans, vel gnarus, ei haud videbitur mirum, quod Solomon caſti maritam tori comparet *amatæ ceruæ*, & *capreæ gratioſæ*. In Textu originali אַיֶּלֶת אֲהָבִים, ἔλαφος φιλίας, *Cerua amorum*, *Cerua amicitiæ*: & יַעֲלַת חֵן, πῶλος τῶν χαρίτων, *pullus gratiarum*, *ibex gratiæ*, Epitheta ſunt Genio Orientalium Gentium familiaria. Magni fecere Veteres ceruos & capreas, nutriuerunt magnâ curâ, reddiderunt ex feris cicures, lauarunt, pectinarunt, & penſilibus ac ſertis pretioſis ornarunt. *Syluiæ* ceruum ita depingit *Virgilius Æneid.* L. VII.

Ceruus erat forma præſtanti, & cornibus ingens: —
Aſſuetum imperiis ſoror omni Syluia cura
Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lauabat.

De Ceruo *Cypariſſi Ouidius Metam.* L. X. *Fab.* 4.

Cornua fulgebant auro, demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla ſuper frontem paruis argentea loris
Vincta mouebatur, parilique ætate nitebant
Auribus & geminis circum caua tempora baccæ. —
Gratus erat, Cypariſſe, tibi: tu pabula ceruum
Ad noua, tu liquidi ducebas fontis ad undas.
Tu modò texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo reſidens huc lætus & illuc
Mollia purpureis frænabas ora capiſtris.

De Caprea alba Capuana *Silius Italicus* L. XII.

Cerua fuit raro terris ſpectata colore,
Quæ candore niuem, candore anteiret olores.
Aurato matres aſſuetæ pectine mitem
Comere, & humenti fluuio renouare colorem.

In *Theocriti Idyllio* 11. Cyclops ille ex amoris erga Galateam raptu undecim numero nutriebat Ceruos.

— τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρὼς,
Πᾶσας μαννοφόρως. —

Apud *Anacreontem* legitur Ceruula timidula nata κεροέσσης ἀπὸ μητρὸς, à cornuta matre, ubi *Zenodotus* apud *Pindari Scholiaſten* in III. *Olymp.* legit ἐροέσσης ἀπό μητρὸς, *ab amabili matre.* Sed *Anacreontis* Textum defendit cornigera cerua, quam alibi exhibuimus, cujusue Sceleton videre licet in Bibliotheca Tigurina Ciuica, quæ cerua, dum in viuis erat, fuit quoque אַיֶּלֶת אֲהָבִים. Sed porrò ad rem præſentem magis facit, quod apud Arabes adhuc hodie *Gazellæ* ſiue *Ceruæ* nomine veniant Hymni erotici, & fœminæ pulchritudinem comparare ſoleant oculis Gazellæ. Audiamus *de la Roque Voyage dans la Paleſtine* p. 261. *Les Arabes expriment la beauté d' une femme en diſant, qu'elle a les yeux d'une Gazelle: toutes leurs chanſons amoureuſes ne parlent que des yeux noirs, & des yeux de Gazelle: & c' eſt a cet animal qu' ils comparent toujours leurs maitreſſes, pour faire tout d'un coup le portrait d'une beauté achevée. Effectiuement il n'y a rien de ſi mignon, ni de ſi joly que ces Gazelles: on voit ſur tout en elles une certaine crainte innocente, qui reſſemble fort a la pudeur & a la timidité d' une jeune fille.* In Notis obſeruat idem contra *Herbelotum*, Gazellas non ſolùm frequentes eſſe in Arabia, ſed quoque reperiri in Africa. In *Lexico Meninzki* legas pro *Dorcade* ſeu *Caprea* Turcicum nomen *ghæzal*, Pl. *ghyzlet*, *ghyzlan*, p. 3402. & p. 3446. *ghæitælet*, *ghæjatyl*, (nomina noſtro אַיֶּלֶת affinia) pro lactaria Dorcade. Γαζέλιον pro animali occurrit in *du Freſne Gloſſar. Inf. Græcit. App.* *Gazellas*, *Africanam*, *Antilope* dictam, & *Indicam cornibus rectis longiſſimis nigris*, *prope caput tantùm annulatis* ſub caprino genere recenſet *Rajus Synopſ. Quadrup.* p. 79. Gazellæ Iconem heic ſiſto ex *Mem. de l' Acad. Roy.* p. 40. *Reg. fol.*

De altero animali יַעַל *jaal* obſeruaui alibi, TAB. CCCXXXVI. non tam intelligi debere *Capreolum*, quàm *Ibicem*.

TAB.

PROV. Cap. V. v. 19.
Gazella ſervans foedera lecti.

Spr. Sal. Cap. V. v. 19.
Ein treües Weib einer Hinde verglichen.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB

PROV. Cap. VI. v. 6.
I piger ad formicam.

Spr. Sal. Cap. VI. v. 6.
Fauler, gehe zur Ameiſſen.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

TAB. DLXX

PROV. Cap. VI. v. 6.
Formica arbori ſalutaris, pulici noxia.

Spr. Sal. Cap. VI. v. 6.
Nützen und Schaden der Ameiſſen.

I. G. Pintz sculps.

TABB. DLXXVII. DLXXVIII.

Prov. Cap. VI. verſ. 6. 7. 8.

. I ad formicam, o piger, inſpice vias ejus, ut ſapiens fias.

. Ea enim quum neque Principem, neque exactorem aut ducem habeat:

. Tamen æſtate cibum ſuum parat, & meſſe alimentum ſuum comportat.

6. Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam:

7. Quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem:

8. Parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat.

GYmnaſium en illuſtre, in quo formica Profeſſor, diſcipulus homo, is in ſpecie, qui turpi deſidia torpet. *Formicæ, populus imbecillis, quæ tamen in meſſe cibum ſuum parant.* Prov. XXX. 25. Sedulitatem hanc formicarum laudat quoque *Ælianus Hiſt.* L. IV. c. 43. ὄυτως ἄρα ...υτοῖς τὸ ἐθελεργὸν, καὶ τὸ ἐθελόποιον πάρεστι ἀπροφασίςως, ...καὶ ἄνευ τινὸς ὑποτιμήσεως ἐθελοκακούσης, καὶ σκήψεως, εἰς ...ν ὑποχωρεῖ τὸ ῥᾴθυμον, ὡς καὶ ταῖς πανσελήνοις μηδὲ νύκ...ωρ βλακεύειν, μηδὲ ἐλιννύειν. *Tanta ſedulitate, & tan...o laboris ſtudio ad opus ſe conferunt, absque ullo ...rætextu, aut ignauiæ excuſatione, & velamine, ...ujusmodi deſides attendere ſolent, ita ut in Pleni...uniis ne noctu quidem torpeant & quieſcant.* Do...cet Profeſſor hic doctiſſimus, formica, non ore, ...ed exemplo. Eſt cathedra ipſe formicarum ...aceruus, ad quem piger ducitur veluti manu. Non ait Sapientiſſimorum Regum Mundi Sol, ...udi, quàm diſertè loquantur, ſed *i ad formi...cam, o piger, inſpice vias ejus, ut ſapiens fias.* Ἴθι πρὸς τὸν μύρμηκα, ὦ ὀκνηρὲ, καὶ ζήλωσον ἰδὼν τὰς ὁδοὺς ...αὐτοῦ, καὶ γενοῦ ἐκείνου σοφώτερος. Via ipſa, quam ingrediuntur frugilegæ, vetuſtiſſimis Hiſtoriæ Naturalis Scriptoribus admirationi fuit. *Ariſtoteli Hiſt.* L. IX. c. 38. omnibus eſt eadem. *Plinius: Silices earum itinere attritos videmus, & in opere ſemitam factam, ne quis dubitet qualibet in re, quid poſſit quantulacunque ſedulitas. Plutarchum* ſi audimus, amicæ ſibi occurſant inuicem, onuſtis vacuæ cedunt, imò onus fortè nimium in particulas diſcerpunt, inter ſe diuiſuræ. *Virgilius:*

It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Conjectant calle anguſta, pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt,
Caſtigantque moras, opere omnis ſemita feruet.

Egregia ſunt, quæ *Hieronymus* habet in *Vita Malchi. Aſpicio formicarum gregem anguſto calle feruere, ferri onera majora quàm corpora. Aliæ herbarum quædam ſemina forcipe oris trahebant. Aliæ egerebant humum. — Quodque magis mirum, in tanto agmine egrediens non obſtabat intranti. Quin potius, ſi quam vidiſſet ſub faſce & onere concidiſſe, ſuppoſitis humeris adjuuabat.* Poſſunt ita *viæ*, ὁδοὶ, formicæ ad literam intelligi de toto itinere, quod faciunt exeundo, tranſeundo, redeundo: in latiori verò ſenſu ſignificant *viæ*, ex Judæorum loquendi more, functiones omnes horum animalculorum, ſuffoſſiones, habitaculorum extructiones, penuariorum pro hyeme ventura repletiones, contra pluuiam præcautiones, acerui defenſiones, exportationes ejus, quod à pluuia fuit madefactum, & exſiccationes, aquæ deriuationes, & quæ ſunt hujus generis alia: omne proin, quod in Republica hac peragitur, & non tam curioſæ nobis eſſe debet admirationi, ſed incitamento ad ſapientiam & pietatem. Ita Eſaias in exemplum Iſraelitis ſiſtit *bouem* & *aſinum*, qui cognoſcunt Dominum ſuum, & præſepe ejus; Jeremias *ciconiam, hirundinem, turturem*, quæ ſciunt tempus ſui reditus. CHRISTUS ipſe prudentes nos jubet eſſe, ut ſunt *ſerpentes*, & ſimplices, ut *columbæ*. Hujusmodi ſcholas inuenias quoque apud Gentiles. Audi, quomodo nos introducat *Horatius* in formicarum Gymnaſium *Sat.* 1.

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris,
Ore trahit, quodcunque poteſt, atque addit aceruo,
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.

Juuenalis Sat. 6.

- - - - *frigusque famemque*
Formicâ tandem quidam expauere magiſtrâ.

 Ad

Ad vias formicarum , imo vias DEI animalia conſeruantis , pertinet ſingularis obſeruatio , quam tradunt Hiſtoriæ Naturalis moderni Scriptores , Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica. Vol.* II. p. 221. *Maria Sibylla Meriana Metamorph. Inſect. Surinam* p. 18. digna, quæ in præſenti Tabula inueniat locum. Eſt hæc *formica maxima nigra alata, circa arborum truncos & ramos nidificans, Sloane* l. c. *Formica edulis, Laet.* p. 333. 379. *Formica volans Margr.* p. 252. *Fourmis noire. Poux de bois Tertre* p. 344. *Uſſa &c. Abbeville* p. 255. Iis in locis degit , ubi aliquot menſium pluuia totam terram obtegit , ne autem pereat ipſa durante inundatione nidos fabricat in ipſis arboribus ex terra leui fuſca , intus cauernoſos , cum loculamentis percommodis , expreſſis in figura. Adeò ſunt voracia hæc animalcula , ut una nocte foliis denudare queant integram arborem , & in loca aliàs ipſis inacceſſa peruentura pontem ex ſe ipſis fabricant, una aliis inſidentia, inuicem adnexa, quam viuam catenam ventis committunt, usque dum prima alicubi hæreat ; hunc pontem dehinc tranſeunt millena alia ; ſuntque araneis etiam maximis infeſta, quas auidè deuorant. *Als ſy elders willen na toe gaan, waar geen weg is om te komen, zo maken ſy een Brug, namentlyk de eerſte Zet ſig en byt in een hout, de ander Zet ſig achter de eerſte, en maakt zig an dezelve vaſt, alzo de derde aan de twede, en de vierde aan de derde, en zo voort, en zo laaten zy ſig dryven van de wint, tot dat ſy aan d' ander ſy geslingert werden, dan loopen alle de duyzenden daarover, als over een Brug.* &c. Expreſſi quoque nidum arbori affixum, & pugnam araneæ cum formica.

Verſ. 7. *Neque Principem, neque exactorem aut Ducem habet.* ἐκείνῳ γεωργίου μὴ ὑπάρχοντος, μηδὲ τὸν ἀναγκάζοντα ἔχων, μηδὲ ὑπὸ δεσπότην ὤν. Pro Principe vel Duce LXX. habent γεώργιον, *agellum*, *aruum*, *arationem*, Arabes, Chaldæi & Syri *meſſem*, qui ſcilicet pro קָצִין *katſin* legerunt קָצִיר *katſir*, & קָטִין *katin*. Quadrat proin in formicas, quod Saluator noſter enuntiauit de auibus Matth. VI. 26. οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, nempe in agello ſibi proprio. Sed manemus nos in noſtris Verſionibus, tantò autem lubentius, quia Solomon tres dignitates unam ponit poſt aliam, *Principem*, *Exactorem*, *Ducem*. Mens proin ſapientiſſimi Regum hæc eſt, in hac formicarum republica (quæ non minori jure quàm Heluetica noſtra dici poteſt *confuſio diuinitus conſeruata*,) adeò ordinatè omnia procedere, ac ſi ſub dominio ſtarent prudentiſſimi Principis. Adeſt ita perfectiſſima Democratia , ſed absque Legibus fundamentalibus, absque Conſilio vel Senatu ; Exercitus absque Imperatore, & ſubofficialibus. Id obſeruauit quoque *Ariſtoteles Hiſt. Anim.* L. I. c. 1. ubi nonnulla animalia , grues & apes degere ſcribit ὑφ' ἡγεμόνα, alia e. g. formicas eſſe ἄναρχα. Attamen ſi *Æliano* fides, prædaturæ adultiores & majores agnoſcunt pro Ducibus. οἱ δὲ μύρμηκες προϊόντες ὥσπερ οὖν ἐπισιτίσασθαι τοῖς μεγίστοις ἕπονται, οἱ δὲ ἄγουσι στρατηγῶν δίκην.

Verſ. 8. *Tamen æſtate cibum ſuum parat, & meſſe alimentum ſuum comportat.* ἑτοιμάζεται θέρους τὴν τροφὴν, πολλήν τε ἐν τῷ ἀμητῷ ποιεῖται τὴν παράθεσιν. Sunt heic *æſtas* & *meſſis* ſynonyma. Ita & Prov. X. 5. *Qui congregat in æſtate, prudens eſt, qui verò in meſſe ſtertit, pudori ſe objicit. (Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.)* Prov. XXVI. 1. *Ut in æſtate nix, imberque in meſſe, ſic nec ſtultum decet gloria. (Quomodo nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria.)* Jeſ. XVI. 9. *Super æſtiuos fructus tuos, & ſuper meſſem tuam celeuſma irruit. (Super vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam, vox calcantium irruit.)* Jer. VIII. 20. *Præteriit meſſis, finita eſt æſtas.* Ita apud Græcos θέρος notat æſtatem & meſſem, θερίζειν æſtiuare & metere. Opponi poſſet, fuiſſe Judæorum meſſem tempore verno, Paſchatis inter & Pentecoſtes Feſta. Sed notandum, Hebræorum קַיִץ *kaits* ſignificare æſtatem & ver. Colligitur id ex Matth. XXIV. 32. Marc. XIII. 28. Luc. XXI. 30. ὅταν ἤδη ὁ κλάδος (τῆς συκῆς) γένηται ἁπαλὸς, καὶ τὰ φύλλα ἐκφύῃ, γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος. In Judæa nempe folia protrudunt arbores exeunte hyeme. Sed inquirendum nunc, quomodo formicæ *cibum ſuum parent, & æſtate alimentum ſuum comportent.* Eſt aceruus illarum & habitaculum & penuarium, cujus conclauia ſiue loculamenta ſuperiora inſeruiunt condendis frugibus, ne pluuiâ madeſcant. Ita deſcribit illa *Ælianus* L. VI. c. 43. & *Alkazuinus* Arabs. *Plutarchus* triplicem ſtatuit in quouis aceruo cauitatem , primam vocat ἐνδιαίτημα κοινόν, commune habitaculum, ſecundam τῶν ἐδωδίμων ταμεῖον, ciborum promptuarium, tertiam cœmiterium, ubi ſepeliunt mortuos ; quæ ultima πατρίων μνημάτων, *paternorum monumentorum* nomine venit *Celſo* apud *Origenem.* Aliter paulò diſpeſcit formicarum palatium *Ælianus* l. c. prima ſtatio vocatur ἀνδρῶν, ubi hoſpitantur mares, ſed &, ne quis pro cœnobio habeat, fœminæ ; ſecunda γυναικῶν, ubi ouula deponunt prægnantes ; tertia θησαυρὸς καὶ σιρὸς, penuarium, quo aſſeruantur alimenta. Eſſe hæc conclauia interſtincta per αἱμασίας, interſepimenta , & eò non perueniri niſi *flexibus & ambagibus anfractuoſas vias & meatus habentibus*, καμπαῖς καὶ στρεβλότησι κεκλασμένας ὑποπορεύσεις καὶ ἀνατρήσεις ἐχούσαις, *Plutarcho* teſte. Obſeruat & *Ælianus* in formicarum aceruo ποικίλας δὲ ἀτραποὺς, καὶ ἑλιγμοὺς καὶ περιόδους, curuos varios anfractus.

Sunt hæc ipſa loculamenta formicarum hybernacula. *Horat. Sat.* 1.

Quæ, ſimul inuerſum contriſtat aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæſitis ſapiens.

Egre-

grediuntur inde vertente vere ad colligenum fruges. *Phocylides:*

Μύρμηκες, γαίης μυχάτȣς προλελοιπότες ὄικȣς,
Ἔρχονται, βιότοιο κεχρημένοι, ὁππότ' ἄρȣραι
Λήϊα κειράμεναι, καρπῶν πλήθȣσιν ἀλωάς.

Formicæ intimis terræ penetralibus relictis
Prodeunt cibis egentes, cum arua
Segetibus detonſis frugibus implent areas.

Jt non ferunt, & tamen metunt, ita neque flaellο excutiunt grana, neque ventilant: Senioes ſi ante meſſem demorſerint graniferam ſpiam, deglubunt juniores paleas, & liberata inolucris grana ad ædes ſuas reportant. Onus i uni alicui ſit graue nimis, diuidunt in partes ninutiores, vel accedunt aliquammultæ uniis viribus prædam tracturæ: minutula ore geant, magna mole trahunt poſtremis pedibus.

— pars grandia trudunt
Obnixe frumenta humeris.

Virg. Georg. L. IV. Memorabile id, ſi verum, quod granum excreſcens fortè morſibus frangant, ne madente terra progerminet iterum, atque aceruus agelli faciem induat: grana item humectata extra acerui ſui limites ſiccent, ne contrahant ſitum. Allegari poſſent hanc in rem teſtimonia *Plutarchi*, *Baſilii*, *Ambroſii*, *Epiphanii* in *Phyſiologo*, *Tzetzæ* in *Heſiodum*, quibus recenſendis ſuperſedeo. Id tamen haud eſt omittendum, eſſe formicas barometra viua, Prognoſticis omnium Aſtrologorum certiora. Serenitatis futuræ ſunt nuntii, ſicubi grana ſiccanda exportant: redeuntes ad hoſpitia ſua pluuiæ venturæ ſunt indices. Audi *Piſidam.*

Ὅταν δὲ πυκναὶ τῶν νεφῶν αἱ συγχύσεις
Τοῖς ἐργομόχθοις ἀντιπνεύσωσιν πόνοις,
Πόθεν σε μάντιν τȣ̃ Ζαμόλξιδος πλέον
Ἕκαςος ὄιδεν ἐυσυνόπτως ἀγρότης,
Ὅτε προδεικνὺς ἀνθρίαν πεπηγμένην,
Τὸν σῖτον ἁπλοῖς ἐξ ἐνύγρȣ πυτμένος,
Ἐις ἄξυλον πῦρ ἐις τὸν ἥλιον φέρων,
Ὅπως πυρωθεὶς ταῖς βολαῖς ταῖς ἐμφλόγοις
Ὡς ἄρτος ὀπτὸς ἑυρεθῆ πεφρυγμένος.

Cum vero crebræ nubium effuſiones (o formica!)
Laborioſis operibus tuis ſe opponunt,
Unde te meliorem Zamolxide vatem
Quisque ruſticus perſpicuè nouit.
Cum ſudum & ſtabile cœlum prædicens
Frumentum ex humido cauo educis
Ad ignem ſine ligno, ad ſolem ferens
Ut ignitis radiis incenſum
Frictum inueniatur ut coctus panis.

Addit *Ælianus Varior.* L. XI. c. 12. ingruente annonæ inopia majori copiâ legere fruges, veluti inſpiratas, per μαντικῆς τινα αἴσθησιν. Sedulitatis eſt id ſpeciale teſtimonium, quod Lunâ plenâ labore ſuo fungantur, nouâ quieſcentes. *Operantur & noctu plenâ Lunâ, eædem interlunio ceſſant. Plin.* L. XI. c. 30. Feriari quoque Judæorum Sabbatho,

— credat Judæus Apella
Non ego,

poſt *Tzetzem in Heſiodum*, ἐν σαββάτῳ ϗ λ' τȣ̃ μηνὸς τῆς Σελήνης ȣ̓κ ἐργάζεται. Reſtant nonnulla, quæ circa animalcula hæc obſeruarunt recentiores rerum naturalium Scriptores.

Formicis viſum & oculos negarunt veteres; ſed detexit illos *Leeuwenhoek* oculatiſſimus *Arcan. Nat.* p. 478. imo oculos 50. hedris veluti totidem ſpeculis conſtantes, ut undique circumſpicere poſſent: incredibilem porrò ouulorum in unica fæmella numerum, ut ridicula omnino ſit, quam Veteres ſomniarunt, ex putredine geneſis, & patula numeroſa horum animalculorum progenies.

Quanta ſæpe circa uſum vel noxam animalium nos occupent præjudicia, patebit formicarum noſtrarum exemplo. Inuenias haud rarò ceraſorum, ribeſiorum, aliarum arborum, fruticumue folia contracta, formicis plena, ſed caue ne innoxia hæc animalcula noxæ illatæ accuſes. Rei ſunt alia perexigua, nigra, haud majora ſemiadulto pediculo, ſi adulta: Hæc una vice progenerant 30. ad 60. ſui generis. Infeſta hæc plantis animalcula perſequuntur formicæ, perfodiunt, exſugunt, ut præter exuuias nîl maneat reliquum, & in cibum vertunt tunc cumprimis, ſi frumenta nondum ſint matura: ut proin non ſolùm ab imputato crimine liberandæ ſint formicæ, ſed iis, venatoribus, gratiæ ſint habendæ, & omnino ventilari mereatur quæſtio, num animalcula hæc plus commodi nobis adferant, quàm noxæ? Morſu perfodiunt noxia illa, quæ nî fallor nobis *pulicum terreſtrium*, *Erd-Flöhe*, nomine veniunt, foliorum pediculos & fibras acuto ſuo roſtro, exſuctum autem ſuccum in cibum vertunt, & eo ipſo contractioni foliorum anſam præbent, commodum poſtea dant hæc ipſa folia contracta ſeu conuoluta animalculis iſtis habitaculum, ab æſtu Solis ſecurum. Pediculi hi terreſtres (TAB. DLXXVIII. Fig. I. ſub microſcopio, nudi Fig. II. in muſcam mutati Fig. III.) quater vel quinquies exuuias mutant, ſeſeque poſtea in paruulas nigras muſcas commutant, 4. præditas alis, quæ iterum inſignem inferre valent noxam, quoniam ab una arbore in aliam prouolant, & oua ſua ubique deponunt: nocentiores tantò, quod unicus 13. ætatis ſuæ die 60. aliorum ſit prægnans. *Leeuwenhoek* Lib. cit. p. 536. &c. Confirmat eandem de pulicibus his, *Pucerons*, eorumque internecinis hoſtibus formicis obſeruationem *de la Hire dans l'Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1703. p. 16. Pro harum

harum apologia facit porrò, quod Belgæ obſeruant in *Surinamenſi* Colonia *Paramaribo* de formicis viſitantibus, *fourmis de viſite*, qui integros exercitus formant, ædesque à muribus, Gliribus & Cackerlacis, inſecto valde nociuo, purgant. His Miſſionariis, ſi aduentant, lubentes aperiunt incolæ oſtia, ciſtas, ut magno excipiantur hoſpites gaudio: imo verò ſi quis illarum labores impediat, breui videbit vindictam de corroſis calceis, tibialibus, lectis ſumtam. Aduentare dicuntur hi hoſpites per triennia *Hiſt. de l' Acad.* 1701. p. 16. Si cui vel Braſſicæ vel olera alia ab Erucis corrodunt, ei optimi remedii loco erunt formicarum acerui in hortos effuſi, quoniam hæ Erucas perimunt & fugant. Experimentum videſis in Clar. *Kanoldi Breſl. Samml. IX. Verſuch.* p. 206. Haud interim neganda ſunt damna, quæ paſſim incolis calidarum regionum inferunt formicæ, & Hiſpanos ex nonnullis locis abire juſſerunt. Ill. *Sloane Introduction of the voyage to Jamaica* p. 68.

Inquirenda porrò venit ratio, cur *formica æſtate cibum ſuum paret, & meſſe alimentum ſuum comportet.* Docet nos moderna Naturæ Hiſtoria, contra quod judicauimus hactenus, non viuere illo alimento formicas per hyemem, utpote profundo jacentes ſomno, alimento haud indigas. Oua, patre matreue majora, habitaculum ſunt vermiculi in iis latentis, & hic ipſe, qui depoſitis exuuiis in formicam tranſit, (vid. TAB. XII.) & tardiſſimi eſt motus, primo vere nutriri debet à parentibus, qui proin tunc comportato alimento opus habent, pro prole potius, quàm pro ſe ipſis. *Leeuwenhoek Contin. Epiſt. Lugd. Bat.* 1689. p. 72. 75.

Qui hæc omnia de formicæ laboribus in medium prolata ſibi & aliis, occaſione regiæ admonitionis, applicare cupit, ei inſeruire poterit mira animalculi ſtructura, ac metamorphoſis pro inſigni argumento Exiſtentiæ Diuinæ; ſedulitas ſedulo pro ſtimulo, pigro pro Doctore ac Judice. Colligendum eſt in æſtate juuentutis, ut habeant liberi ex nobis, quo viuant, non tam ut viuamus nos in hyeme ſenectutis. Inueniunt & heic, quod moniti diſcant, qui per fas & nefas ad extremam usque ſenectam opes corradunt, relicturi hæredipetis illis, qui circa loculos & claues læti atque ouantes currunt: cumprimis Eucliones illi auari, qui facultates ingentes poſſident ut canis in præſepi. Contenta eſt formica eo, quo corpuſculum nutriendum habet opus, colligit pro prole, ſed non plus quàm huic eſt neceſſe. Sunt, quæ agit cunque, juxta Diuinæ Mechanicæ, & Geometriæ Leges numerata, menſurata, ordinata; ad certum finem omnia; imo in commodum ſocietatis humanæ; ut vidimus, eſſe formicas cuſtodiam potius contra pulicum terreſtrium noxam, quàm prædones. Hi ſunt veri Laicorum Libri, hæ imagines, quibus ad DEI notitiam erudimur.

Formicæ nomen in Textu originali eſt נְמָלָה *nemalah.* Quocum conuenit Turcarum & Arabum *neml*, *nemel*, Pl. *nimal*, formica exigua *nemat*, Pl. *nema*, *nemea*. *Meninzk. Lex.* p. 3090. 3678. 5255. 5260.

Prov. Cap. VII. verſ. 17.

Cubile meum odoratum reddidi Myrrha, Aloe & Cinnamomo.

Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.

Vid. Pſal. XLV. verſ. 9.

Prov. Cap. VII. verſ. 23.

Donec ſagitta transuerberaret jecur ejus: —

Donec transfigat ſagitta jecur ejus:

Deſcribit Regum ſapientiſſimus ſimul & expertiſſimus triſtia juuenis laſciui fata, qui à proſtibulo quouis irretiri ſe patitur, *auis ad inſtar ad laqueum properans*, *ignorans*, *quod vitæ ejus paratus ſit.* (*Velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur.*) Sed haud adeò eſt in propatulo, quid ſibi velit *transuerberatio jecoris.* An lethale vulnus, quod adultero in flagranti delicto infligit maritus? vel amor inſanus? Veteres namque amoris ſedem locarunt in Hepate, *Plato* τὸ ἐπιθυμητικὸν, concupiſcentiam. Apud Poëtas paſſim transuerberat Cupido jecur ſagittis. *Horat. Od.* 25. L. I.

Cum tibi flagrans amor & libido (Cupido)
Sæuiet circa jecur ulceroſum.

Theocritus:

— ὅδ᾽ ἅ πόδες ἦγον, ἐρώρει
Μαινόμενος, χαλεπὸς γάρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσεν.

Fuit

'uit Hepar olim, exauctoratum nunc, ſanguifi-ationis officina, quò forſan oculos direxere eteres, quoniam qui ſanguinei ſunt tempera-nenti, præ aliis amori ſexus ſunt obnoxii. Sed ıollem imputare Solomoni, quod locutus fuerit ex erronea Philoſophorum Hypotheſi. Secretioni bilis deſtinatum hodie nobile hoc viſcus, & patitur illa, profuſis & aliò amandatis ſpiritibus animalibus, imo totum corpus langueſcit.

Prov. Cap. VIII. verſ. 11.

ᴾræſtat enim ſapientia margaritis: —

Melior eſt ſapientia cunctis opibus precioſiſſimis: —

Vid. Job. Cap. XXVIII. verſ. 18.
Prov. Cap. III. verſ. 15.

Prov. Cap. VIII. verſ. 22-31.

22. DOMINUS poſſedit me initio viæ ſuæ, (a) ante opera ejus tum (eram.)

(a) Ebr. ante opera ejus ex tunc.

23. (b) Ab æterno ordinata ſum, & ab initio ante terram.

(b) Alii legunt, ab olim, vel à ſeculo conſtituta ſum, ante primordia terræ.

24. Nondum erant abyſſi, cum ego eſſem formata, nondum fontes (c) aquis redundabant.

(c) Ebr. graues, vel grauati aquis.

25. Priusquam montes (d) mergerentur, ante colles formata ſum.

(d) Aquis ſcilicet.

26. Adhuc non fecerat terram, & quæ (e) extra ſunt, & caput puluerum orbis.

(e) Alii legunt, & fines aut extremitas ejus.

27. Quum præpararet ipſe cœlos, illic ego eram: quum ipſe conſtitueret globum ſuper faciem abyſſi.

28. Quum æthera ſupernè figeret, fonteſque abyſſi firmaret.

29. Quum poneret mari legem ſuam, & aquis, ne transgrederentur littus ſuum, quum conſtitueret fundamenta terræ.

30. Fida illi aderam, quotidie deliciis (fruens,) ludens coram illo omni tempore.

31. Ludo præterea in orbe terræ ejus, & deliciæ meæ cum filiis hominum.

22. DOMINUS poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.

23. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret.

24. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: nec dum fontes aquarum eruperant.

25. Nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar.

26. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.

27. Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos.

28. Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.

29. Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ.

30. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore.

31. Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum.

PRoprio teſtimonio, eoque ἀναντιῤῥήτῳ, demonſtrat æterna ſapientia, CHRISTUS, æternum ſuum & immortale eſſe, æternam infinitam potentiam ſuam ex operibus creationis.

Verſ. 22. DOMINUS *poſſedit me initio viæ ſuæ, ante opera ejus tum eram.* ΚΥΡΙΟΣ ἔκτησέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτȣ̃ εἰς ἔργα αὐτȣ̃. Aquila: ΚΥΡΙΟΣ ἐκτήσατό με ἀρχῆθεν κατεργασμάτων αὐτȣ̃. Symmachus: ἀρχὴν ὁδῶν αὐτȣ̃ πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτȣ̃. Theod. πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτȣ̃ ἀπὸ τότε πρὸ αἰῶνος προκεχείρισμαι. Tendunt huc, variantes licet, lectiones, fuiſſe τὸν λόγον τȣ̃ ΘΕΟΥ ab æterno, ante jacta mundi fundamenta. Non eſt hæc ſapientia opus vel creatura DEI, ſed Ens αὐτοȣ́σιον, DEUS ipſe, omnium rerum creatarum cauſa prima efficiens. Legunt Diuinitatis CHRISTI oſores, infauſta Arrii ſoboles, in LXX.virali pro קָנָנִי *kanani*, *acquiſiuit me*, ἔκτισε, pro ἔκτησε, *creauit me*, ſed vox originalis קָנָה *kanah*, notat *acquiſiuit*, *poſſedit*. Litem hanc dirimant Theologi, qui non ſolùm pro diuinitate Saluatoris argumentantur ex emphaſi vocis, ſed inſuper producunt illuſtrem locum parallelum. Joh. I. 1. ἐν ἀρχῆ ἦν ὁ λόγος, ϗ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν ΘΕΟΝ, ϗ ΘΕΟΣ ἦν ὁ λόγος. Æternitatem Sapientiæ Diuinæ quod attinet, oſtenſum eſt alibi, pateſcere eam ex ipſo rationis lumine.

Verſ. 23. *Ab æterno ordinata ſum, & ab initio ante terram.* πρὸ τȣ̃ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με, ἐν ἀρχῆ πρὸ τȣ̃ τὴν γῆν ποιῆσαι. Eadem mihi fuit Diuina Potentia, Gloria ante, quæ poſt, creatum mundum.

Verſ. 24. *Nondum erant abyſſi, cum ego eſſem formata, nondum fontes aquis abundabant*, ϗ πρὸ τȣ̃ τὰς ἀβύσσȣς ποιῆσαι, πρὸ τȣ̃ προελθεῖν τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων. Quum neque terra erat, nec cœlum, neque ſolida neque fluida; neque abyſſus, תְּהוֹמוֹת, hydrophylacia illa penè immenſa in terræ viſceribus, neque fontes, riui, flumina in ſuperficie.

Verſ. 25. *Priusquam montes mergerentur, ante colles formata ſum*, πρὸ τȣ̃ ὄρη ἑδρασθῆναι, πρὸ δὲ πάντων βȣνῶν, γεννᾷ με. Comparent in præcedenti verſiculo terræ partes fluidæ, nunc ſolidæ, montes & colles, terræ inæqualis ſuperficies, qualis fuit & in primæuo orbe, contra quod ſomniauit *Burnetius*.

Verſ. 26. *Adhuc non fecerat terram, & quæ extra ſunt, & caput puluerum orbis.* ΚΥΡΙΟΣ ἐποίησε χώρας καὶ ἀοικήτȣς καὶ ἄκρα οἰκȣμένα τῆς ὑπ' ȣ̓ρανῶν. Symmachus: πρὶν ἢ ἐποίησε γῆν καὶ ἐφόδȣς. Nondum fuit terræ orbis, nondum plantæ, non animalia, non homines, non atmoſphæra; nondum חוּצוֹת *chutſoth*, quod vocabulum propriè notat plateas, Symmacho ἐφόδȣς, habitatæ vel habitabiles planities, per quas veluti plateas hominibus incedere licet per רֹאשׁ עַפְרוֹת תֵּבֵל, LXX. ἄκρα οἰκȣμένα τῆς ὑπ' ȣ̓ρανῶν, *caput puluerum orbis*, intelligi debet non tam cruſta il orbis primæui Burnetiana, quàm omnes omn nò puluiſculi, ex quibus tota terra compac fuit. Moles plusquam 1700. milliarium in di metro.

Verſ. 27. *Quum præpararet ipſe cœlos, ill ego eram; quum ipſe conſtitueret globum ſuper fa ciem abyſſi.* Ἡνίκα ἡτοίμαζε τὸν ȣ̓ρανὸν, συμπαρήμην αὐ τῷ, καὶ ὅτε ἀφώριζε τὸν ἑαυτȣ̃ θρόνον ἐπ' ἀνέμων. Eu brat ſeſe nunc Philoſophus Rex ad ſidera, fix & erratica, utpote quæ omnia Sapientia Diui nâ ſunt fabricata; Sed forſan heic, ut alibi, pe שָׁמַיִם intelligi debent non tam cœli ſiderei quàm aëreum noſtrum, quoniam Solomone hæc, uti quoque Moſaica, deſcriptio ſpeciali ter terram attinet. Verba proximè ſequentia בְּחֻקוֹ חוּג עַל־פְּנֵי תְהוֹם, *quum conſtitueret globum ſuper faciem abyſſi*, explicari commodè poſſun de Architectura totius terræ diuina, ſpecialius de fornice illo, in imis terræ viſceribus abyſſum aquarum ambiente, ut iterum non opus habeamus confugere ad fornicem illum terræ Burnetianum. Eſt quippe integer orbis juxta Leges Diuinæ Matheſeos conſtructus, & quæuis pars ſuo loco, ad normam & circinum definito.

Verſ. 28. *Quum æthera supernè figeret, fonteſque abyſſi firmaret.* Καὶ ὡς ἰσχυρὰ ἐποίει τὰ ἄνω νέφη, καὶ ὡς ἀσφαλεῖς ἐτίθει πηγὰς τῆς ὑπ' ȣ̓ρανόν. Admirati paulò ante Diuinam Geometriam, cum ſtupore nunc conſideramus Diuinam Hydroſtaticam, qua aquæ aquas pellunt, & continuò motæ continuò mutant æquilibrium, ſeruantque. *Firmatio fontium abyſſi* reſpicit communicationem horum cum maribus, & maris unius cum alio per aquæductus diuina arte elaboratos, qui, ni forent ſolidati, ruinæ darent Prouincias integras, utpote quæ vel ſubmergerentur, vel inundarentur.

Verſ. 29. *Quum poneret mari legem ſuam, & aquis, ne transgrederentur littus ſuum, quum conſtitueret fundamenta terræ.* En æquilibrium inter ſolida & fluida, de quo alibi plura.

Verſ. 30. *Fida illi aderam, quotidie deliciis fruens, ludens coram illo omni tempore.* ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζȣσα· ἐγὼ ἤμην, ᾗ προσέχαιρεν. Καθ' ἡμέραν δὲ εὐφραινόμην ἐν προσώπῳ αὐτȣ̃ ἐν παντὶ καιρῷ. Verſ. 31. *Ludo præterea in orbe terræ ejus, & deliciæ meæ cum filiis hominum.* ὅτε ἐνευφραίνετο τὴν οἰκȣμένην συντελέσας, ϗ ἐνευφραίνετο ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων. Aliorum eſt, explicare, quomodo verba hæc intelligenda ſint tum de amore DEI Patris & Filii reciproco, tum de Filii erga genus humanum. Patefacit illum vox ex cœlo Matth. III. 17. ȣ̃τός ἐςιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Innoteſcit hic, omnium noſtrum ſolatio, ex Joh. III. 16. ὅυτως ἠγάπησεν ὁ ΘΕΟΣ τὸν κόσμον, ὥςε τὸν υἱὸν αὐτȣ̃ τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς, ὁ πιςεύων εἰς αὐτὸν, μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον.

Prov. Cap. X. verſ. 26.

)uod acetum eſt dentibus, & fumus oculis, is piger eſt his, qui ſe miſerunt.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ſic piger his, qui miſerunt eum.

REddimus nos חֹמֶץ, *chomets*, *acetum*. LXX. ὄμφαξ, quæ vox propriè notat *uuam immaturam*, ϛαφυλὴν ἔτι ὀξίζȣσαν, uuam acerbam, quæ ipſis coquis aceti loco ıſeruit. Affine Hebraico noſtro Turcarum ıodernorum *cham üzüm*, *uua immatura*. *Meinzk. Lex.* 2377. Apud *Heſychium* ſunt ὄμφα-:ς πάντα τὰ αὐϛηρὰ ϗ ὄξεα, auſtera omnia & acida.)mne hoc חֹמֶץ dici poteſt, quod particulis ſuis yramidalibus & uncinatis gingiuas conſtrinit, & certum quendam dolorem ſiue ſtupoem excitat. Quinimò hujusmodi acerbis, ad-:ringentibus, damnum patiuntur gingiuæ & lentes: ut quoque *fumo* afficiuntur *oculi*, quoiam ſalia volatilia oleoſa fumi teneras oculi nembranas pungunt, vellicant, & contrahenlo fibras lacrymas glandulis exprimunt, tanlemque viſum debilitant. Fumus de ſe ipſo ta:

Sunt mihi ſunt lacrymæ, ſed non eſt cauſa doloris,
Eſt iter ad cœlum, ſed me grauis impedit aër:
Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.

Conſtat ex hactenus dictis, *dentibus* nociuum eſſe *acetum*, *fumum oculis*. *Is piger eſt his, qui ſe miſerunt.* Ὥσπερ ὄμφαξ ὀδȣ̃σι βλαβερὸς, ϗ καπνὸς ὄμμασιν, ȣ̋τως παρανομία τοῖς χρωμένοις αὐτῇ. *Iniquitas* proin omnis juxta LXX. Piger in ſpecie, ſeruus, cujus occupat torpor pectora, Miniſter ſeu Legatus res Principis negligenter peragens, Paſtor turpi deſidia torpens, miles ignauus, ſomno indulgens, hi omnes Dominis ſuis non ſolùm non proſunt, ſed quàm maximè nocent, eos ad iram commouent, imo ignauiâ ſuâ Reipublicæ, Exercitui, Familiæ lachrymas exprimunt, *ut illorum dentes bile excitata ſtupefacti ſtrideant, & collidantur, & oculi caligantes hebeſcant præ furore, conceptam verò iram atque furorem omnem in ſocordem illum miniſtrum tandem effundant.*

De *aceto* porrò monendum, microſcopii ope in eo conſpici tum particulas ſalinas utrinque acutas, medio cauas, veluti ſcaphæformes, partim innumeras anguillulas repentes, & ſaporem acidum non his tribuendum eſſe, ſed illis, quod vel inde patet, quia vermiculi hi hyeme emoriuntur, & in acerrimo ſæpe aceto ſunt inconſpicui. *Leeuwenh. Anat. & Contemp.* p. 3.

Prov. Cap. XV. verſ. 13.

Lætum cor exhilarat vultum, at in mœrore cordis langueſcit ſpiritus.

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur ſpiritus.

EX conceptu genuino de binis his affectibus animi, expoſito alibi, colligere licet facile, quomodo *lætum cor*, καρδία εὐφραινομένη, *gaudium* in vultu veluti in ſpeculo exhibeat, ſanguine ex thalamis cordis forti niſu expulſo, facie hinc rubeſcente, collo extento, oculis micantibus, corpore toto agili, pedibus alleuatis, voce ſonora, membris omnibus ad motus obeundos diſpoſitis. Quomodo è contra *in mœrore cordis langueſcat ſpiritus*, ἐν δὲ λύπαις (πρόσωπον) σκυθρωπάζει. Heic quippe tetrica fit facies, in vultu palleſcente ſunt ſigna dolentis, contrahitur collum, concidunt genæ, tremit lingua, debilitatur vox, plumbei fiunt pedes, graue redditur totum corpus. Læti vultus exemplum vidimus Gen. XXXIII. 10. in Eſauo, muneribus fraternis placato, cujus *faciem vidit* Jacobus *quemadmodum videtur facies Elohim.* Quum contra Caino deſperato *conciderit vultus.* Gen. IV. 5. Venuſtæ Thamaris amore *cruciatus* ita fuerat Amnon, ut *ſeſe in morbum conjecerit.* 2. Sam. XIII. 2. 4. Nehemiam adeò *triſtem* reddidere Hieroſolymæ fata, ut hunc in modum eum adlocutus fuerit Artaxerxes: *Cur triſtis eſt vultus tuus, quum non ægrotes? non poteſt id fieri, quin corde habeas, quod doleat. (Quare vultus tuus triſtis eſt, cum te ægrotum non videam? non eſt hoc fruſtra: ſed malum neſcio, quod in corde tuo eſt.)* Neh. II. 1. 2. Hinc curæ Græcis audiunt γυιοκόροι, θυμοδακεῖς μελεδῶνες, θυμαλγεῖς, θυμοβόροι, *Horatio edaces & mordaces.* Nos Germani, *der Kummer friſſet ihn.*

Prov.

Prov. Cap. XV. verſ. 17.

Præſtat cœnula ex oluſculo cum amicitia boui ſaginato cum odio.

Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum ſaginatum cum odio.

TObb arychath jarak, טוֹב אֲרֻחַת יָרָק, *bonum viaticum oleris*, ξενισμὸς μετὰ λαχάνων. Tigurini nos in Vernacula noſtra, *ein grünes Kräutlein*, vel *beta* ſola, quam *Kraut* vocamus, vel olus omne, olerum cœna, quæ pauperum eſt, *cœna terreſtris Plauto*, *cœna exſanguis Athenæo*, *inemptæ dapes Virgilio*. Eſt יָרָק *jarak* olus omne, appellatum ita à virore. יֶרֶק *jerek*, *viror*, *viriditas*, omne χλωρὸν. A יָרָק fortè, k ſi vertas in z, eſt Polonorum *Jarzyná*, olus. Cœnæ huic oleraceæ opponitur in Textu שׁוֹר אָבוּס *ſchor abhus*, μόσχος LXX. βȢς σιτευτὸς Theod. Aquilæ βȢς φατνιαζόμενος q. d. *præſepiatus*, Nobis *bos ſaginatus*, *ein gemäſtetes Rind*. Apud nos, & ubicunque jumentorum eſt vel prouentus vel commercium, nemo non colonorum nouit, bouem ſaginandum præſepi alligari potius quàm aratro, neque è ſtabulo emitti niſi ad paſcua pinguia, & fontes. Labor uti alimentum ſuperfluum, pingue cumprimis, conſumit, ita conſeruat quies. Id eſt, quod haud ignorant, qui alitibus ſaginandis vacant. Conſtat ὡς ἐν παρόδῳ vel ex hoc Solomonis teſtimonio, bouinam carnem haud fuiſſe contemptui in conuiuiis ſolennibus, imò regiis, ut nunc eſſe ſolet. *Mactans Adonias oues & boues & pinguia pecora juxta lapidem Soheleth, qui ſitus erat prope fontem Rogel, inuitauit omnes fratres ſuos, filios ſcilicet Regis, atque cunctos viros Jehuda, ſeruos Regis. (Immolatis Adonias arietibus & vitulis, uniuerſis pinguibus, juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit uniuerſos fratres ſuos, filios regis, & omnes viros Juda, ſeruos regis.)* 1. Reg. I. 9. *Mactauit Ahab multas oues & boues* (Joſaphato nempe Regi) *ſimulque populo, quem ſecum habuit*. 2. Paralip. XVIII. 2. Grauem en querelam Prophetæ Jeſ. XXII. 13. *En lætitia & gaudium, cædendo boues, oues mactando, edendo carnes, & bibendo vinum. (Ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum.)* Confer, quæ hanc in rem expoſui ad 1. Reg. IV. 23. ubi panis Solomoni quotidianus præter alia fuiſſe leguntur *decem boues ſaginati, & viginti boues paſcales, centumque oues*. Eſt facilis verborum Textus noſtri ad uſum moralem applicatio. Qui ſua, quamuis tenui, ſorte eſt contentus, pacis & tranquillitatis amans, optimæ DEI Prouidentiæ confiſus, ab affectibus animi tumultuoſis abripi neſcius, digerit benè oluſcula ſua, & in alimentum corporis ſui facilè conuertit: quum contra, qui inuidiæ ſtimulis agitatur, aut iræ furore compellitur, cui pectus felle madente fluit, ſeſe conſumat ipſum, ut pallor horribiles genas coloret, & macies infelix oſſa denudet, & lautiſſimi quique cibi vertantur in venenum erodens. Sunt ſalubriores certè ipſi pacificorum inſalubres aliàs cibi, quàm litigioſorum, & inuidorum ſaluberrimi quique. Præſtat aqua, in pace epota, vino generoſiſſimo, cui comes eſt odium & rixa. Vaſa lignea argenteo ſuppellectili.

Prov. Cap. XV. verſ. 19.

Via pigri velut ſentibus obſita ſqualet. —

Iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum. —

ESt חֵדֶק *chedek*, ex ſpinarum, vel fruticum ſpinoſorum genere, & eorum quidem, ex quibus ſepes fiunt. LXX. ὁδοὶ ἀργῶν ἐςρωμέναι ἀκάνθαις. Symmachus: ὁδοὶ ὀκνηρȢ ὥσπερ φραγμὸς ἐξ ἀκάνθαις. In generali ſpinarum notione commodè ſubſiſtere poſſumus cum Græcis Interpretibus, & ſanè hodie *diken* Turcis ſpinam, aculeum denotat. Nolumus tamen *dicam* impingere vel ſcribere iis, qui hunc illumue ſpinoſum fruticem pro *chedek* aſpiciunt. Nil patitur detrimenti applicatio *ad pigrum, qui ſemper cunctatur, ſemper hæret, ut ſi per ſepem ſpinarum ſemper tranſiliendum eſſet; ipſe ſibi fingit impedimenta, cauſaſque morandi & tricandi. Stat aut jacet, neque promouet hilum. Illi ſimilis apud Horatium:*

Ruſticus expectat, dum defluat amnis: at ille
Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

Urſin.

ſin. *Arboret. Bibl.* c. 25. cui placet *Paliurus.* nè ſpinas ejus celebrant Poëtæ. *Virgil. Ec-* .V.

Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo
Carduus, & ſpinis ſurgit Paliurus acutis.

unc Paliurum ad viuam ſepem conſerendam mmendat inter alios frutices *Columella* L. XI. 3. *Kaba dikem*, voce haud abſimili noſtræ *edek*, nuncupant Turcæ. *Meninzk. Lex.* p. 2112. uic commodè conferri poteſt non ſolùm *pi-r*, ſed quoque Judex δωροφάγος, *ſpinæ*, חֵדֶק, *ſi-ilis — ſepe ex ſpinis contexta ſpinoſior. (Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.)* Mich. VII. 4.

Sauciat atque rapit ſpinis Paliurus acutis:
Hoc etiam judex ſemper auarus agit.

Intelligi autem debet Paliurus ille Africanus, in Orientalibus Regionibus frequens, qui *zizyphi* nomine alias venit. *Dod. Jujubæ majores oblongæ* C. B. Sed placet *Lycium* aliis, ut *Druſio*, quod arbor hæc *hadac* vocetur in *Pandectis Medicis.* Cl. *Hillero Hierophyt.* P. I. p. 485. *Prunus ſylueſtris*, ſeu *Acacia Germanica* C. B. *Kara diken* Turcis. *Meninzk. Lex.* p. 2113. Suo abundet quilibet ſenſu.

Prov. Cap. XVI. verſ. 4.

mnia operatur DOMINUS propter ſe, impium quoque ad diem malum.

Uniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt DOMINUS: impium quoque ad diem malum.

FLuit ex idea de infinitis DEI perfectionibus ultrò, non indigere DEUM quoquam, & tamen poſſidere omnia: principium eſſe & finem: emanare ab o omnia, & redire ad eundem veluti per relexionem. In operibus creationis, conſeruaionis, directionis ſeu prouidentiæ, electionis æternæ congruere omnia infinitis perfectionibus, tendere quæcunque ad Gloriam DEI, ad manifeſtationem Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, ſanctitatis, juſtitiæ, miſericordiæ Diuinæ. Ex parte DEI nîl contingere caſu: haud derelinquere, quod Architecti ſolent, fabricam mundi conditam, ſed momento quouis liberrimè regere corpora, imo corpuſcula quæuis, ἐξ αὐτȣ͂, καὶ δι᾽ αὐτȣ͂, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, Rom. XI. 36. non cadere paſſerem de tecto, non pilum de capite abſque DEI voluntate regente & efficiente: *impium quoque* paratum eſſe *ad diem malum*, οἱ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλȣ͂νται. Minimè tamen eſſe DEUM authorem peccati, ut Sol occidens non eſt tenebrarum nocturnarum cauſa. Alius eſt fori, explicare prædeſtinationem impiorum æternam ad tremendum illum ultimi judicii diem. Exclamantem audi diuum Gentium Doctorem, quisquis myſterium hocce haud capis. Rom. XI. 33. 34. 35. Ὦ βάθος πλȣ́τȣ καὶ σοφίας καὶ γνώσεως ΘΕΟΥ. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτȣ͂, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτȣ͂. Τίς γὰρ ἔγνω νȣ͂ν ΚΥΡΙΟΥ; ἢ τίς σύμβȣλος αὐτȣ͂ ἐγένετο; ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; Noſtri interim ſit officii, quod ſana dictitat ratio, optimo huic & ſoli efficienti DEO, à quo, quæ habemus, ſunt omnia, grates & habere & agere haud intermorituras unquam, in aduerſitatibus voluntati ejus ſanctiſſimæ ac gratioſiſſimæ confidere, eum amare, timere, in omnibus actionibus noſtris glorificare. DEUM *timere, & præcepta illius ſeruare, nam in hoc conſiſtit omnium hominum perfectio.* (DEUM *timere, & mandata ejus obſeruare: hoc eſt enim omnis homo.)* Eccleſ. XII. 13.

TAB. DLXXIX.

Prov. Cap. XVI. verſ. 11.

Statera, bilanx, judicium DOMINI ſunt, (a) omnia pondera opus ejus ſunt.

(a) Ebr. Lapides ſacculi, nam olim lapides pondera erant, qui reponebantur in ſacculis.

Pondus & ſtatera judicia DOMIN ſunt: & opera ejus omnes lap des ſacculi.

T*Emperauit* DEUS *omnia menſura, numero, pondere*. Sap. XI. 22. (21.) Teſtimonium huic veritati præbet totum uniuerſum, quoduis in eo corpus, maximum, medioxumum, minimum, horumue actiones & paſſiones. Hoc eodem modo ordinata ſint oportet omnia in ſocietate humana, quæ abſque legibus, ſpeciatim commercii intuitu, ſubſiſtere nequit. Cogita, quàm terribilis foret rerum humanarum confuſio, ſi ſublatis motus, Statices & Mechanicæ regulis uncia auri craſtino die penderet decem, perendie binas uncias: ſi ſtatera hinc ab octiduo eſſet mutata ab illa, hodie juſta, cras injuſta. Propterea, & ut præuenire-tur omni dolo, eam ſibi curam ſumſerunt Principes omnes & Respublicæ, ne Indis quidem & Garamantis exceptis, ut menſuras ſolidorum & fluidorum, Perticas, Pedes, Digitos, Pondera, Nummos, pro communi uſu neceſſaria ſeruarent juſta, & pro norma ponderum ac menſurarum Archetypa reconderent inter Archiuorum pretioſa.

Primum, quod in Textu occurrit, vocabulum, eſt פֶּלֶס, quod LXX. reddunt ζυγὸς, nos *ſtateram, Gewicht*, rectiùs poſueris *Boltz*- oder *Schnell-Waag*, quæ vectis eſt heterodromus inæqualium brachiorum, quorum breuiori appenditur corpus ponderandum, longiori libra aliudue pondus. Fundatur ἀκρίβεια ſtateræ Lege conſtanti Mechanicâ, quâ diſtantiâ minoris ponderis A B. ab Hypomochlio B. ſeſe habet ad diſtantiam majoris ponderis B C. ſiue brachium longius A B. ad breuius B C. ut majus pondus D. ad minus E. Fig. I.

מֹאזְנֵי ſiue מֹאזְנַיִם, Aquilæ Σταθμὸς, *bilanx* vectis æqualium brachiorum ſiue lancium A B C. Fig. II. ubi linea directionis cadit per Hypomochlium ipſum B. perpendiculariter, & iterum ſeſe habet brachium A B. ad brachium B C ut pondus D. ad pondus E.

אַבְנֵי כִיס, LXX. Στάθμια, Nobis *pondera*, *Gewicht-Steine*, Theodotion ex Originali verti Στάθμια Μαρσίππȣ, Vulgata *lapides ſacculi*, quod olim pondera, eaque lapidea, ſaccis fuerint incluſa, ut commodè vel lancibus imponi, vel appendi poſſent. Ut adhuc nos Germani hujusmodi pondera, ad quorum normam examinamus alia, nuncupamus *Pfund-Stein*, q. d. lapides libræ, licet vel ex ferro conſtent, vel ex ære alioue metallo, aut ligno. Eſt proin vocabulum hocce ſtateræ atque libræ commune, denotans pondera ipſa.

De his omnibus nunc, de *ſtatera*, *bilance*, *ponderibus* pronuntiat ſapientiſſimus Rex, *judicium* eſſe DOMINI, *opus ejus*, παρὰ ΚΥΡΙΩ, τὰ ἔργα ἀυτȣ̃ δίκαια. DEUM ipſum Authorem eſſe Staticæ atque Mechanicæ, acceptum referre homines donum, ſiue gratiam, excogitandi & fabricandi hujusmodi inſtrumenta tantopere in vita ciuili neceſſaria: rationem eſſe reddendam DEO de ſtatera aut bilance juſta, injuſtaue, id quod vult מִשְׁפַּט לַיהוָה, *judicium* DOMINO. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ monendum, omnium artium atque ſcientiarum inuentarum ſeu inueniendarum gloriam unicè tribuendam eſſe DEO. Ita Adamus edoctus fuit à DEO in opificio ſartorio. Gen. III. 21. *Fecit DEUS ipſi Adam & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.*

Prov. Cap. XVI. verſ. 15.

Serenus vultus Regis vita eſt, & gratia illius velut nubes imbris ſerotini.

In hilaritate vultus Regis vita: & clementia ejus quaſi imber ſerotinus.

OCcaſione hac multa poſſent in medium proferri tum de mira vultus pro variantibus animi paſſionibus mutatione, tum de neceſſitate & pretio imbris ſerotini intuitu fructuum maturandorum, ſed de utraque hac materia diſcurſus fecimus alibi.

Prov.

PROV. Cap. XVI. v. 11.
Statera, bilanx, Domini judicium.

Spr. Sal. Cap. XVI. v. 11.
Die Wage iſt vom Herrn.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

Prov. Cap. XVI. verſ. 24.

Fauus mellis eſt amœnus ſermo, animi dulcor, & oſſium medela.

Fauus mellis compoſita verba, dulcedo animæ ſanitas oſſium.

PSal. XIX. 11. *Magis expetibilia* Decreta DEI, *quàm ſit aurum vel præſtantiſſimum atque plurimum, & dulciora melle & fauo ſtillantibus. (Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum.)* Ita heic אִמְרֵי נֹעַם *imre noam, eloquia jucunditatis*, λόγοι καλοὶ, ſermones qualescunque politi, comti, utiles, quales hominem ratione utentem decent, ſunt צוּף דְּבַשׁ *tſuph debaſch*, Κήρια μέλιτος, *faui mellis*, propriè melle fluentis, vel mel ipſum ex hujusmodi fauis ſtillans, de cujus grata dulcedine alibi egimus plura: hujusmodi ſermones ſapientes, præſertim ex Verbo DEI mutuò petiti, ſunt & corpori & animæ apprimè proficui, מָתוֹק לַנֶּפֶשׁ *mathok lannepheſch*, *dulcedo animæ*, וּמַרְפֵּא לָעֶצֶם *umarphe laatſem*, & *medela oſſi*, γλύκασμα δὲ αὐτοῦ ἴασις ψυχῆς, Symmachus & Theodotion, γλυκύτης ψυχῆς, καὶ ἴαμα ὀστέων, ſalutaria toti corpori, pro quo ſumuntur heic *oſſa*, corporis fulcimenta.

Prov. Cap. XVII. verſ. 3.

Ut excoctor argentum, & fornax aurum, ita explorat corda DOMINUS.

Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat DOMINUS.

UTut in metallorum venis partes impuriores, vel metallicæ ignobiliores nobilioribus intimè ſint ſociatæ, & arctiſſimè commixtæ, ut hæ raró in conſpectum veniant, ignis tamen penetrantiſſimâ ſua vi heterogeneas ſeparare, & homogeneas unire valet, præuia nempe liquatione. Ita DEUS, qui ignis cluet conſumens in ſacris paginis, exquiſitiſſime nouit diſtinguere & ſeparare cogitata noſtra, ſeu bona, ſeu mala, in profundis licet cordis penetralibus latentia.

Prov. Cap. XVII. verſ. 12.

Satius eſt virum occurrere urſæ orbæ, quàm ſtulto in ſtultitia ſua.

Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.

Vid. 2. Sam. Cap. XVII. verſ. 8.

Prov. Cap. XVII. verſ. 22.

Cor lætum bonam facit valetudinem, mens autem triſtis exhaurit oſſa.

Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exiccat oſſa.

Vid. Prov. Cap. XV. verſ. 13. Cap. XVIII. verſ. 14.

Prov. Cap. XVIII. verſ. 14.

(a) Mens viro (digna) valetudinem ejus leuat, mentem autem adfectam paſſionibus quis leuabit?

(a) Mens virilis. Hebr. Spiritus viri.

Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam; ſpiritum verò ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere?

COincidunt hæc cum Prov. XVII. 22. לֵב שָׂמֵחַ *lebb ſameach*, Καρδία εὐφραινομένη, *cor lætum*, idem eſt quod רוּחַ אִישׁ *ruach iſch*, Aquila & Theodotion πνεῦμα ἀνδρὸς, *ſpiritus viri*, animus fortis. Qui ſub prouidentia DEI viuit tranquillus, in DEO lætus, lætis animi ſui cogitationibus ſociam dat fortem ſemper & æqualem ſanguinis ex thalamis cordis expulſionem ad capillaria usque vaſa totius corporis. Accommodare ſe is nouit qualicunque ſtatui, fauente fortunâ eſt hilaris, recedente haud demiſſus. Procedunt ritè ſecretiones omnes, perennat ſanitas. Quinimò ut hilaritate vinci poſſunt calamitoſa etiam fata, vel facile ſaltem tolerari, ita regulari ſemper ſanguinis motu grauiſſimi morbi ſuperari. ὑπερνικῶμεν Rom. VIII. 37. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' ὀ στενοχωρούμενοι· ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι· διωκόμενοι, ἀλλ' ἐγκαταλειπόμενοι· καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι 2. Cor. IV. 8. 9. Quum contra רוּחַ נְכֵאָה *ruach necheah*, ὀλιγόψυχος ἀνὴρ, puſillanimis homo, propter prædominantem liquidi neruoſi in exteriora corporis fluxum. Triſtitiâ & cordis anxietatibus premitur ita, ut ſanguinis & ſpirituum motu langueſcente oſſa ſiccentur, totum corpus infirmetur, tandemque rodentibus curis, morbisque variis conſumatur. *Euripides.*

Λυπαὶ γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσι νόσους.

Menander.

Πολλῶν φύσει τοῖς πᾶσι ἀνθρώπων κακῶν
Ὄντων, μέγιστον ἐστὶν ἡ λύπη κακῶν.

Cum natura cunctis hominibus mala multa
Hæreant, maximum eſt triſtitia malum.

Ouid. L. I. Pont.

Jam mihi deterior canis aſpergitur ætas:
Jamque meos vultus ruga ſenilis arat.
Confiteor facere hoc annos, ſed & altera cauſa eſt:
Anxietas animi, continuusque labor.

Prov. Cap. XIX. verſ. 12.

Ceu fremitus Leonis eſt ira Regis, gratia autem illius tanquam ros in herba.

Sicut fremitus Leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas ejus.

ADeò ſunt πολύλαλοι Orientales Gentes, ut non ſolùm uni eidemque animali diuerſa dent nomina pro varia ætate, ſexu, colore, magnitudine, circumſtantiis aliis, ſed quoque pro variantibus actionibus: ita heic vox נַהַם *naham* ſumitur duntaxat pro rugitu Leunculi, כְּפִיר *cephir*. Ut quoque Jeſ. V. 29. *Rugit ſicut Leonum catuli.* Sed Chaldæi & Arabes ſumunt illam pro rugitu omni. Significat aliàs *fremere*, gemere, Jeſ. V. 30. *Frendet in eum iſto die, ſicut mare fremit. (Sonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris.)* Ita & de Leone *Virgilius Æn.* L. IX. & XII.

- - *fremit ore cruento.*

Lucanus L. I.

- - *vaſto & graue murmur hiatu.*
Infremuit. —

Seneca in Oedipo.

- - *ceſſat irati fremitus Leonis.*

Plin. L. VIII. c. 16. *Ubi ſæuit in viros, prius, quam in fœminas, fremit. Licentius* Hipponenſis de Proteo.

Spumat aper, fluit unda, fremit Leo, ſibilat anguis.

Oppianus Cyneget. L. IV.

— ἐρίβρωμος ἠΰκομος λίς.

— *Grauiter fremens benè jubatus Leo.*

Haud

Haud unâ vice cum Leone comparantur Reges, imo cum Leone fremente Prov. XX. 2. *Terror Regis eſt perinde ut rugitus Leonis: qui illum prouocat ad iram, peccat contra animam ſuam.* Nam *ira regis mortis eſt nuntius* Prov. XVI. 14. De Pharaone Ezechiel. XXXII. 2. *Leunculo Gentium aſſimilatus es.* In additamentis ad Librum Eſther à DEO flagitat heroina hæc, ut ſibi largiatur λόγον εὔρυθμον ἐνώπιον τοῦ λέοντος, ſermonem comptum coram Ahaſuero Rege. Et intelligunt communiter Interpretes liberationem illam Pauli ἐκ ςόματος λέοντος 2. Tim. IV. 17. de Nerone, cumprimis Patres, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Euſebius.* Huc quadrant duodecim illi Leones in gradibus Throni Regii Solomonei, qui aderant in ſymbolum potentiæ regiæ. Sic quoque ad Thronum *Hori* Leones poſuere Ægyptii, ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι. Lege *Hori Apollinis Hieroglyph.* L. I. c. 17.

Sed quemadmodum irâ frendens Rex Leonis ad inſtar frementis omnia terrore implet, ita eſt è contra *gratia illius ut ros in herba*, ὥσπερ δρόσος ἐπὶ χόρτῳ, οὕτως τὸ ἱλαρὸν αὐτοῦ. Prov. XVI. 15. *Serenus vultus Regis vita eſt. (In hilaritate vultus regis vita.)* De balſamica roris virtute actum eſt alibi, & experientia comprobatum, plus prodeſſe languentibus plantis unicum rorem, quàm pluuiam decuplam.

Prov. Cap. XIX. verſ. 13.

— Uxor autem rixoſa ceu tectum jugiter perſtillans.

— Tecta jugiter perſtillantia ligitioſa mulier.

Qui Philoſophiam naturalem vel primis deguſtauit labris, eum latere nequit, *guttam cauare* non ſolùm trabes, conclauia, ædes, ſed quoque *lapides*, ſcilicet *non vi*, *ſed ſæpe cadendo.* Ita מִדְיְנֵי אִשָּׁה, vi vocis *contentiones mulierum*, Symmacho μάχαι γυναικὸς, ἀντιδικίαι γυναικὸς; LXX. μίσθωμα ἑταίρας, *merces meretricis*, jurgia, rixæ, & de rebus nauci contentioſæ ſermocinationes, quibus integræ familiæ veluti ſuffoſſæ tandem cadunt, Socratis ipſius & Xantippes ſanitas conteritur, liberi matris indolem exprimentes malè educati ad querelas aſſurgunt & ſocietatis damna. Reſpondet motui continuato in Phyſica renouata ſemper contentio, continuata ira in Ethica, quibus paſſionibus veluti totidem repetitis concuſſionibus infirmatum corpus tandem ruinoſæ ad inſtar ædis corruit. Χειμὼν κατ᾽ οἴκους ἐςὶ ἀνδράσι γυνή. Quàm ſit gutta quoque cauans *merces meretricis*, magno rerum ſuarum & œconomiæ damno experiuntur, qui hujusmodi proſtibula ære, imo auro & argento, ne & ipſi proſtituantur, fouent. Utrique Græcorum Interpretum Verſioni quadrat Hiſpanorum veriuerbium: *De la mar la ſal, de la muger mucho mal.*

Prov. Cap. XIX. verſ. 15.

Pigritia ſoporem parit. —

Pigredo immittit ſoporem. —

Fato, ſed ſapientiſſimi DEI prouidentiſſimo, homo, dum in ſudore vultus ſui panem comedit, labore corporis & animi ſanitatem ſuam ſuſtentat: mouentur fibræ omnes, atteruntur continuo affrictu viſcoſa fluida, promouetur ſanguinis circulus, ritè procedunt ſecretiones, excrementitium omne ſeparatur ab utili, roborantur nerui, muſculi. Hæc nî fierent, breui conſumeremur mortales laboribus. Id ipſum è contra, quod damnoſum eſt Statui Politico & Oeconomico, ſummè eſt noxium ſanitati. Ex torpenti deſidia condenſantur fluida, langueſcunt fibræ, ſufflaminantur ſecretiones, concreſcunt partes viſcoſæ & obſtructiones gignunt, innumerorum morborum communem matrem: irrepit negligentia, negligitur rei priuatæ & publicæ commodum, conſumuntur bona vel hæreditaria, vel acquiſita, ut magnis tandem paſſibus accedat paupertas. Quem triſtem deſidiæ exitum prædicit Sapientiſſimus Rex hujusmodi inutili terræ ponderi Prov. VI. 9. 10. 11. *Quamdiu piger dormies? Ecquando à ſomno tuo ſurges? Paululum dormiendum, paululum dormitandum, paululum complicandæ manus ad dormiendum. At interim ceu viator veniet egeſtas tua, & inopia tua ceu vir ſcuto munitus. (Usquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, ut dormias: Et veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.)* Eſt reuera deſidioſa vita mors politica, moralis & ciuilis. Viuum ſe ſepelit piger. Inutilis redditus huic ipſi labori, quo vitam ſuſten-

ſtentare debet. Prov. XIX. 24. *Piger manum ſuam in patinam inſerit, nec eam ad os ſuum retrahit. (Abſcondit piger manum ſuam ſub abſcella, nec ad os ſuum applicat eam.)* Quibus verbis intelligi debet non ſolùm id, quod Latini exprimunt per *manum habere ſub pallio*, ſed talis torpor, quo corporis membra ſtupefiunt, ut vix ſuffenæ ſint vires bolis ingerendis in os, vix amiciendo corpori.

TAB. DLXXX.

Prov. Cap. XX. verſ. 1.

(a) Ludicra res eſt vinum, tumultuoſa ebrietas: quicunque in hoc errat, nunquam ſapiet.

(a) Vinum ludicrum dicitur ab effectu, ebrii enim multa riſu digna committunt.

Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit ſapiens.

Sub titulo *vini* יַיִן (unde fortè eſt Græcorum ὄινος) & שֵׁכָר *ſiceræ*, intelligitur omnis μέθη, ut LXX. habent, omnis inebrians potus, omnes vegetabilium ſucci expreſſi, vel fluentes ſponte, cereuiſia, pomaceum, pyraceum, ſpiritus vini, vina omnia, utpote quæ immodicè hauſta inebriant, vi nempe aëris contenti valde compreſſi, & quia diſtentus nimio potu ventriculus truncum arteriæ deſcendentis premendo occaſionalis cauſa fit rapidiori ſanguinis ad cerebrum fluxui, unde confuſio in circulo, anomalia in fluxu liquidi neruoſi, & pendentibus inde cogitationibus mentis, ſermocinationes multæ eæque inſipidæ, jurgia, rixæ, profundus ſopor, artuum tremor, balbutiens lingua, morbi varii, vel ſubitanei, vel ſenſim irruentes, apoplexia, podagra, hydrops, conuulſiones, quæ omnia latius diducere nunc non vacat. Contentus ero explicatione eorum affectuum, qui in Textu ipſo memorantur.

Ludicra res eſt vinum, לֵץ הַיַּיִן *lets hajajin*, ἀκόλαςον ὄινος, καὶ ὑβριςικὸν μέθη, propriè, *deriſor vinum*. Irriſioni ſunt ebrio omnia, ſed & ipſe deridiculus omnibus. Peruerſum reddit vinum, לֵץ, *Letz-Kopf*. Confuſa fiunt illius cogitata, verba, actiones. Turpitudinis & ignominiæ notam ſibi inurit bibax pando Silenus aſello. Deridetur Noachus à filio Chamo: ad inceſtum prolabitur Loth, & æternam ignominiam binis nationibus, Ammonitis & Moabitis, affricat. Riſui eſt ebrius & ebria infantibus, unde ſoliti fuere Lacedæmonii liberis ſuis digito monſtrare, qui forte perfuſi fuere Baccho, faſtidium turpis vitii creaturi. *Heſiodus* in *Eoeis*.

῞Οςις ἄδην πίνει, ὄινος δὲ οἱ ἔπλετο μάργος.

Quicunque largiter bibit vinum, illi eſt ſtolidum.

Alter, nec minus triſtis ebrietatis effectus conſiſtit in jurgiis, rixis, verberibus. In prælia trudit inermem ebrietas, facitque, ut qui ſumto madefecerunt membra Lyæo, nuncupatis neminem non infeſtent votis. הֹמֶה שֵׁכָר *homeh ſchechar*, ὑβριςικὸν μέθη, *tumultuoſa ebrietas*. Non confuſi duntaxat diſcurrunt ſpiritus, ſed totus latex ſanguineus in anomalos cogitur motus; Diluuio veluti perit ratio, è Throno ſaltem dejicitur: Minas intonat lingua, fremunt labia, concutiuntur manus, quatiunt ſolum pedes, ferocem induit vultum ebrius. Unde eſt, quod Grammatici *Bacchum* deriuent ἀπὸ τῦ βάζω, vociferor, clamo, *Jacchum* παρὰ τὴν ἰαχὴν, à clamore, gemitu, rugitu, *Bromium* ἀπὸ τῦ βρόμυ, à ſtrepitu, ſono. Intimæ familiaritatis amicum Clytum interficit Alexander ebrius, decollationem Johannis mandat Herodes, haud vaciuas dat aures Nabal Dauidi. *Apud quem eſt væ? apud quem eſt dolor? apud quem contentiones? apud quem nugæ? apud quem vulnera ſine cauſa? apud quem rubedo oculorum? Apud eos nimirum, qui vinum ſectantur, apud eos, qui veniunt ſcrutatum, ubi miſceatur. (Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cujus foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?)* Prov. XXIII. 29. Fidus eſt ebrietati Achates ſuperbia & magniloquentia. *Væ coronæ ſuperbiæ temulentorum Ephraim, & deciduo flori decori gloriæ ejus, quæ ſuper caput eſt vallis opimæ, percuſſorum vino. (Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ, errantes à vino.)* Jeſ. XXVIII. 1.

Tertius arboris maledictæ fructus eſt ſtultitia; *quicunque in hoc errat, nunquam ſapiet.* πᾶς δὲ ἄφρων τοιῦτοις συμπλέκεται. Quis enumeraret omnes ebriorum inſipientias? Ratio ſana juxta motum ſanguinis & ſpirituum inordinatum ſubſiſtere nequit. Exhauriuntur ingenii vires, & infauſta

PROV. Cap. XX. v. 1.
Ασωτια Ebriorum.

Spr. Sal. Cap. XX. v. 1.
Des Weins ſchändlicher Mißbrauch.

G. Lichtensteger sculps.

RPJCB

infauſta metamorphoſi commutatur homo nunc in ſæuum Leonem, nunc in canem latrantem, nunc in porcum ſordidum, nunc in viperam venenatam. *Scortatio & vinum ac potus inebrians eripiunt cor. (Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.)* Hoſ. IV. 11. Germanorum notum Prouerbium: *Wann der Wein einflieſſet, ſo gehet die Witz weg;* Anglorum: *When te Win is in, the wit is out;* Hiſpanorum: *Do entra bever, ſale ſaber. La muger y el vino ſacan al hombre de tino. Sapientia vino obumbratur. Plinius.* Bis pueri non ſoli ſenes, ſed & ebrii *Platoni de Legib.* L. I.

Vinum ſi inſipientes reddit homines, habent inprimis, quod ſibi ab eo caueant, quorum functionibus ratio præſidere debet, & qui aliis debent eſſe exemplo. Legat judex Prov. XXXI. 4. 5. *Ne des Regibus, o Lamuel, Regibus inquam, vinum bibere, aut Principibus ſiceram, ne poti obliuiſcantur legis conſtitutæ, aut peruertant cauſas omnium adflictorum. (Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas. Ne fortè bibant, & obliuiſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.)* Verbi Diuini præco, quod extat Jeſ. XXVIII. 7. *Sacerdos & Propheta perplexi ſunt ob ſiceram, obruti vino, errant ob ſiceram, perplexi ſunt in videndo, vacillant in decernendo. (Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt judicium.)* Patribusfamiliâs ſpeculi loco ſint Noachus & Loth.

Prov. Cap. XX. verſ. 2.

Terror Regis eſt perinde ut rugitus Leonis: qui (a) illum prouocat ad iram, peccat contra animam ſuam.

Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui prouocat eum, peccat in animam ſuam.

(a) Seu, qui transgreditur.

Vid. Prov. Cap. XIX. verſ. 12.

Prov. Cap. XXII. verſ. 13.

Piger dicit: Leo ſtat foris, in mediis plateis interficiar.

Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.

Vid. Prov. Cap. XXVI. verſ. 13.

Prov. Cap. XXIII. verſ. 29. ad fin.

29. Apud (a) quem eſt væ? apud quem eſt dolor? apud quem contentiones? apud quem nugæ? apud quem vulnera ſine cauſa? apud quem rubedo oculorum?

(a) Al. ubi eſt væ?

29. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cujus foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum?

30. Apud eos nimirum, qui vinum ſectantur, apud eos, qui veniunt ſcrutatum, ubi vinum miſceatur.

30. Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?

31. Noli contemplari vinum, cum rubet, & quum phiala colorem ſuum reddit rectà (b) procedentem.

(b) Hebr. ibi in planitie ingredientem, der glatt ynhin gadt.

31. Ne intuearis vinum, quando flaueſcit, dum ſplenduerit in vino color ejus, ingreditur blandè.

32. Poſtremum enim ejus velut ſerpens mordet, & velut aſpis punget.

33. Si oculi tui ſpectabunt (c) meretrices, jam pectus quoque tuum perverſa (d) cogitabit.

(c) Al. ſi ſpectas aliena, nam ebrios viſus fallit.
(d) Ebr. loquetur.

34. Eriſque perinde ac ſi dormias in medio mari, aut jacens in ſummitate (e) mali.

(e) Chibbel ſumma pars mali, ubi funes colligantur.

35. (Tum dices) percuſſerunt me & non dolui: verberarunt me, ſed non ſenſi. Quando expergiſcar, rurſum inquiram illud.

32. Sed in nouiſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet.

33. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa.

34. Et eris ſicut dormiens in medio mari, quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo.

35. Et dices: verberauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, ſed ego non ſenſi. Quando euigilabo, & rurſus vina reperiam?

Natiuis & viuis coloribus depingit Solomon ebrietatis turpe vitium cum fœdis ejus fructibus. Ne actum agere videar, haud repetam, quæ ex genuinis Philoſophiæ Naturalis fundamentis ſcripſi ad Prov. XX. 1. de natura nempe & proprietatibus tum vini, tum aliorum potuum inebriantium, & eorum viribus in corpus & mentem hominis.

Verſ. 29. *Apud quem eſt væ? apud quem eſt dolor? apud quem contentiones? apud quem nugæ? apud quem vulnera ſine cauſa?* τίνι ὀυαὶ; τίνι θόρυβος; τίνι κρίσεις; τίνι δὲ ἀηδίαι καὶ λέσχαι; τίνι συνθρίμματα διακενῆς; Sanguine & ſpiritibus ex nimia vini ingurgitatione in motus anomalos raptis, & mente ipſa ſana veluti ex cardine ſuo emotâ, quis præſtolaretur, quæſo, niſi quod inſanum, turpe, noxium? clamores, rixas, querelas, amaræ prælia linguæ, verbera, cædes, ſaltus, choreas? Sed quid poſt, redeunte ad ſe ipſum mente, quàm lamentationes, querelas de tempore inutiliter deperdito, pecuniâ diſſipata, proſtrato honore, amiſſa ſanitate, quinimò planctus in altera vita æternos? ubi loco vini generoſi amphoræ integræ ſulphuris & picis ardentis, imo iræ diuinæ, erunt exhauriendæ. Ridiculum quid eſt, videre hominem lepore timidiorem mutatum in beſtiam ferocem, mutum in diſertum Oratorem, modeſtum in pyrgopolynicen. *Ouid.*

Tunc pauper cornua ſumit.

Apud quem rubedo oculorum? τίνος πελιδνοὶ ὁι ὀφθαλμοὶ; quinimò ophthalmiæ ſeroſæ facies rubore & inflammatione ſuffuſa, tuberculis conſperſa. Quorum morborum cauſæ deducendæ veniunt partim à forti nimis ſanguinis per arteriam aſcendentem impetu, partim à violenta nimis extremarum arteriolarum dilatatione & relaxatione, partim à ſanguinis inſpiſſatione, & obſtructionibus, quibus tandem miſellum corpuſculum præcipitatur in Tremores, Paralyſes, Podagricos & Arthriticos Affectus, Hydropem, ut qui ſæpe per totius vitæ decurſum Nymphis nulla vota ſoluit, verſus vitæ diſſolutæ finem euadat ipſe amphora aquâ turgida.

Verſ. 30. Hujuſmodi mala, quæ Solomo erotematicè exaggerat, non tam obruunt eum, qui per annum ſemel vel rarò plus æquo bibit, ex inaduertentia, quàm eos, *qui vinum ſectantur, apud eos, qui veniunt ſcrutatum, ubi vinum miſceatur*, ἐγχρονίζοντες ἐν ὄινοις, ἰχνεύοντες πῦ πότοι γίνονται, qui largæ potationis conſuetudinem ſibi adſciſcunt, quorum panis quotidianus copioſus meri hauſtus, omni veſpera vel per totum diem ebrii. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ deplorandus eſt triſtis conſuetudinis, in naturam transeuntis, effectus. Quotidiana proh dolor! nos conuincit experientia, non poſſe non vino deditos temulentiæ ἐγχρονίζειν, immorari, res omnes ſuas merſare in ventrem, ſui generis Alchymiſtarum genus, qui *aurum potabile* reddunt. Et facit hæc ipſa *altera natura*, ut vini intemperie quotidie licet oppreſſi miſeram ſuam vitam diutius, quàm quidem quis putaret, & ad ſenium usque trahant potius quàm ducant.

Verſ. 31. *Noli contemplari vinum, cum rubet, & quum phiala colorem ſuum reddit rectà procedentem.* Aliter LXX. μὴ μεθύσκεσθε ἐν ὄινοις, ἀλλὰ ὁμιλεῖτε ἀνθρώποις δικαίοις, καὶ ὁμιλεῖτε ἐν περιπάτοις. ἐὰν γὰρ εἰς τὰς φιάλας καὶ τὰ ποτήρια δῶς τοὺς ὀφθαλμούς σου, ὕστερον περιπατήσεις γυμνότερος ὑπέρου. *Nolite inebriari in vinis, ſed conuerſamini cum hominibus juſtis, & conuerſamini in locis deambulationis. Nam ſi in phialas & pocula dederis oculos tuos, poſtea ambulabis nudior piſtillo.* Maneamus in noſtra, quæ Textus originalis eſt, verſione. Non ſpectat monitum hoc naturæ conſultum, qui ex integro ὀινοποιήσεως proceſſu cauſas indagat rubedinis in vino, quanam nempe ratione illa protrahatur præuia fermentatione,

ione, & exaltatione particularum terrearum, earundemque intima cum aliis commixtione ex acinis & præſertim cuticulâ exteriore uvarum, quas rubras vocamus; ſed eum tangit, qui vinum adſpicit, ut adulter mœcham, πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, Matth. V. 28. Ita adſpexerat Eua pomum, Potipharis conjunx Joſephum, Achan pallium κοκκόβαφον. Diſtingui proin debet, & probè, viſus phyſicus à peccaminoſo, vitioſo, laudari ille, deplorari hic.

Verſ. 32. *Poſtremum enim ejus velut ſerpens mordet, & velut aſpis punget.* τὸ δὲ ἔσχατον ὥσπερ ὑπὸ ὄφεως πεπληγὼς ἐκτείνεται, καὶ ὥσπερ ὑπὸ κεράςου διαχέεται αὐτοῦ ὁ ἰός. Utitur Rex noſter, *inter ipſa vitæ tentamenta, ſapiens* (ut *Ambroſio* cluet,) triſtes ebrietatis effectus deſcripturus, emphaticis admodùm expreſſionibus, dum illam comparat cum *morſu ſerpentis* & *aſpidis punctura*. In Textu Hebræo legitur pro *ſerpente* נָחָשׁ *nachaſch*, pro *Aſpide* vel *Baſiliſco* צִפְעֹנִי *tſiphoni*, alibi in Sacris צֶפַע *tſepha*. Jeſ. XI. 8. *Delectabitur lactens aſpidis antro, quumque fuerit ablactatus, inſeret manum ſuam in ſpeluncam Reguli*, צִפְעוֹנִי *tſiphoni*. (*Delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.*) Jeſ. XIV. 29. *De radice Colubri naſcetur Regulus*, צֶפַע. Jeſ. LIX. 5. *Oua reguli* צִפְעוֹנִי *excludunt. (Oua aſpidum ruperunt.)* Jer. VIII. 17. *Immittam in vos ſerpentes regulos* צִפְעֹנִים, *qui incantari nequeunt, mordebuntque vos, ait* DOMINUS. Ex Orientalibus hodiernis linguis affinis eſt Turcarum *eſa* vipera. *Meninzk. Lex.* 310. Ex allatis modò Sacri Codicis Locis colligere licet, eſſe צִפְעֹנִים ſerpentes magnos, terribiles, admodùm venenatos. Sed quales ſint præciſè, non conſtat. Græcis audiunt nunc κεράςαι, nunc ἀσπίδες, ἔγγονα ἀσπίδων, nunc ὄφεις θανατοῦντες. Chaldæus ubique reddit הורמנין *hurmanin*, Syrus *hormanin*, cui affine Perſarum *marmana* pro ſæuo ſerpente. *Meninzk.* 4234. Aquila βασιλίσκους, ſic & Vernacula noſtra *Baſilisken*, Hieronymus *Regulos*, Münſterus *Hydros*, Junius *Hæmorrhoos*, Caſtalio *Viperas*, Latina noſtra *Aſpidem*. Quot capita, tot ſenſus. De ſerpente hoc, ſi Baſiliſcus eſt, memorat *Avicenna*, non ſolo interficere morſu, ſed & viſu & ſibilo, eſſe cubitum vel ſesqui longum. Cubitum duntaxat ei dant *Ælianus Hiſt.* L. II. c. 25. *Plinius* L. VIII. c. 21. *Aetius Tetrab.* 4. *Serm.* 1. c. 33. *Nicander Theriac.* v. 398. Sibilum indicare videtur ipſa vox *tſiphoni*, quo ſerpentes alios fugare dicitur *Nicandro*, *Archelao* apud *Ælianum, Plinio, Solino*, imo & interficere *Galeno* c. 8. *ad Piſon. Aetio, Damiri*. Adnotari inprimis meretur, quod *Iſidorus* ſcribit: *Sibilus idem eſt, qui & Regulus: ſibilo enim occidit, antequam mordeat, vel exurat.* Hebræo צֶפַע affine eſt Arabum *ſaphaa*, quod notat *flatu adurere*. Non quidem reperiri volunt ſerpentem hunc in Palæſtina, ſed quidem in Ægypto, Libya & Cyrenaica. Ægyptiis dicitur οὐβαῖον, & adhuc ὄβιος ſerpens quivis, unde forſan eſt Græcorum ὄφις. Affine Turcarum *huffas*, ſerpentis ſibilantis & innoxii genus. *Meninzk.* p. 1777. Ægyptii aurei coloris Baſiliſco capita Deorum cinxerunt, & in Symbolis ſuis ejus imagine detractorem pinxerunt, ut videre eſt in *Horo Hierogl.* L. I. c. 1. II. c. 57. Ita & heic Solomo vini venenum Baſiliſcini vel Serpentini imagine. Quemadmodum enim totam ſanguinis maſſam inficit, condenſat, totumque corpus multivariis morbis onerat, ita hoc morſu ſuo vel punctu ſubitò ſanguinem coagulat, hominemque enecat. Appoſitè proin ad αἰτιολογίαν noſtram Hieronymus Textum noſtrum reddit ita, *ſicut regulus venena diffundet*, poſt LXX. ὥσπερ ὑπὸ κεράςου διαχέεται αὐτοῦ ὁ ἰός. *Mordere* & *pungere* ſunt Synonyma, Serpens mordendo pungit, & pungendo mordet, dentibus acutis. Unde & morſus ſerpentis *Nicandro* vocatur νύγμα, *punctio*. Ex hactenus dictis clarum, non prohiberi à Solomone uſum vini, ſed abuſum; injurios eſſe in Lenæi munera ſucci *Encratitas* modernos, Turcas volo, qui vini uſu prorſus interdicunt, tanquam *fel draconis* & *venenum antiqui ſerpentis*, ut probroſo nomine inſigniunt vinum *Manichæi*, & ne quidem pro uſu Sacræ Cœnæ admittunt. Nobile eſt DEI donum vinum, ſed modicè hauſtum & medicè. *Exhilarat cor.* Pſal. CIV. 15. *Exhilarat & Deos & homines.* Jud. IX. 13. *Inter munera DEI reponitur.* Jer. XXXI. 12. Hoſ. II. 8. CHRISTUS ipſe *aquam commutatam in vinum* propinandum dedit conuiuis. Joh. II. 8. Quinimo vinum adminiſtrauit in inſtitutione Sacræ Cœnæ. Timotheo Paulus ſuo ſuaſit vinum, ſed ὀλιγόφορον, διὰ τὸν ςόμαχον. 1. Tim. V. 23.

Verſ. 33. *Si oculi tui ſpectabunt meretrices, jam pectus quoque tuum peruerſa cogitabit.* οἱ ὀφθαλμοί σου ὅταν ἴδωσιν ἀλλοτρίαν, τὸ ςόμα σου τότε λαλήσει σκολιά. Hebræus Textus ſimpliciter habet זָרוֹת *zaroth*, ut LXX. ἀλλοτρίαν, *extraneas*, nempe *viſiones & fœminas*. Quadrat utrumque in vini Helluones. Externa objecta aliter vident ebrii quàm jejuni, ſæpe dupla, propter anomaliam in motu ſpirituum, qui aliter influunt in oculum dextrum, quàm ſiniſtrum. *Clemens Alexandrin. Pædagog.* L. II. c. 2. *Vino immodico lingua præpeditur, labra ſoluuntur, oculi detorquentur, cum præ humiditatis multitudine viſus tanquam in piſcina natitet, & mentiri coacti exiſtimant quidem omnia in orbem circumagi, numerare autem non poſſunt, quæ procul ſunt, tanquam ſint unica. Atqui duos Soles videre mihi videor, ebrius dicebat Thebanus ſenex.* Sed & viſu capiuntur alienarum, meretricum, inflammantur vino cupiditates, &, ratione throno dejecta, dominantur. *Ouidius:*

Vina parant animos Veneri.

Hinc apud *Ariſtophanem* vinum cluet ἀφροδίτης γάλα, *lac Veneris*. Conſecrata *Lampſacus Priapo*, quoniam ibi generoſiſſimorum vinorum eſt

 pro-

prouentus. Huc pertinet Diui Pauli monitum Eph. V. 18. μὴ μεθύσκεσθε ὄινῳ, ἐν ᾧ ἐςιν ἀσωτία. Jungit idem Rom. XIII. 13. Κώμοις καὶ μέθαις, κοίταις καὶ ἀσελγείαις. Ultima Textus verba, *pectus quoque tuum peruerſa cogitabit*, vel, *os loquetur* juxta LXX. id volunt, vino madidum non ſolùm balbutire, ſed loqui abſurda, peruerſa, inhoneſta, male DEO & hominibus dicere.

Verſ. 34. *Erisque perinde, ac ſi dormias in medio mari, aut jaceas in ſummitate mali.* Καὶ κατακείσῃ ὥσπερ ἐν καρδίᾳ θαλάσσης, καὶ ὥσπερ κυβερνήτης ἐν πολλῷ κλύδωνι. Admittunt hæc verba iterum diuerſam exegeſin. Vertigine corripitur facile, qui in ſummitate mali eſt, ita quoque vino madidus: dormiens ibi vitam periclitatur omni momento: dormiens in ſuperficie aquæ cadit ad fundum, vel piſcibus marinis in prædam, id quod accidere poteſt jejuno quoque. Quod ſi dormiat is, qui ad clauum ſedet, nauim recturus, negligitur vel velorum neceſſaria contractio, vel dilatatio, tenſio aut remiſſio, & in momenta interitum minatur nauis: Ita & homo, ratione præditus à Creatore, ut ad ejus normam verba, geſtus, vitæ ſuæ actiones dirigat, id præſtare nequit vino perplutus. Egregia ſunt iterum, quæ in hanc rem ſcribit *Clemens Alexandrinus* l. c. *Videte naufragii periculum. Cor quidem multo potu obruitur: Temulentiam autem minis maris comparauit, in qua corpus tanquam nauis demerſum, turpitudinis profundum ſubiit atque dedecoris, decumanis vini fluctibus obrutum, gubernator autem, mens ſcilicet humana, ſupereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari verſans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in ſaxa mari latentia irruens ſeipſum in voluptates impactum perdiderit.* Poteſt & id accidere temulento, ut ſibi imaginetur, volui ſe in mari, & verſari in naufragii periculo, propterea res ſuas qualescunque projiciat è feneſtris, jactura earum vitam ſaluaturus, qualem Hiſtoriam ex Timæo recenſet *Lud. Cœlius Lect. Antiq.* L. XXVII. c. 2.

Verſ. 35. *Tum dices: Percuſſerunt me, & non dolui: verberarunt me, ſed non ſenſi. Quando expergiſcar, rurſus inquiram illud.* ἐρεῖς δὲ· τύπτουσί με καὶ οὐκ ἐπόνεσα, καὶ ἐνέπαιξάν μοι, ἐγὼ δὲ οὐκ ᾔδειν. πότε ὄρθρος ἔςαι, ἵνα ἐλθὼν ζητήσω μεθ᾽ ὧν συνελεύσομαι; Fit nempe homo temulentiæ deditus ζῶον ἄλογον. Succumbat ratio ſub onere continuatorum exceſſuum neceſſe eſt: ſtupidi redduntur ſenſus interni externiue, eò quidem usque, ut *percuſſus non doleat, verberatus non ſentiat.* Diſcrimen en inter hominem ſtupidum & ratione utentem: patitur hic, & quod patitur, ſentit, ſed patiens eſt & generoſus, ille ſtipitis ad inſtar vel trunci inſenſilis. En tandem ideam peruerſi & obſtinati peccatoris! *Quando expergiſcar, rurſus inquiram illud.* Ita vini helluo: Mane rebibam, noua ſeſe hic vel ibi congregabit ſocietas, quam frequentare haud negligam. Quodſi Cyclopes exporrecto manè in cerebro malleent, erit noua ebrietas Medicina. Malum remedio pejus. Ita tandem miſer homo mancipium fit deprauatorum ſenſuum. Sed *væ his, qui manè ſe accingunt, ut ſectentur ſiceram, prorogantes id ad crepuſculum usque vino eos incendente. (Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum usque ad veſperam, ut vino æſtuetis.)* Jeſ. V. 11.

Prov. Cap. XXIV. verſ. 13. 14.

13. Mel comedis, mi fili, quoniam bonum eſt, & fauum dulce palato tuo.
14. Sic erit cognitio ſapientiæ animæ tuæ. —

13. Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo.
14. Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ. —

NUmerarunt Judæi priſci mel inter res vitæ pretioſiſſimas pariter ac utiliſſimas. Sirac. XXXIX. 31. ἀρχὴ πάσης χρείας εἰς ζωὴν ἀνθρώπου ὕδωρ, πῦρ καὶ σίδηρος, καὶ ἅλας, καὶ σεμίδαλις πυροῦ, καὶ μέλι. In cibum venit mel, in potum, in Medicinam, cadauera præſeruat à putredine. Hinc toties in Sacris recenſetur mel inter nobiliora terræ Cananææ producta. *Dedit ei, ut ſugeret mel de petra.* Deut. XXXII. 13. *Cibaret eum medulla tritici, & melle de petra te ſatiaſſem. (Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturauit eos.)* Pſ. LXXXI. 17. *Mel ubi repereris, comede, quantum ſatis eſt.* Prov. XXV. 16. *Mel & oleum comediſti.* Ezech. XVI. 13. *Butyro & melle veſcetur, quicunque reliquus fuerit in terra. (Butyrum & mel manducabit omnis homo, qui relictus fuerit in medio terræ.)* Jeſ. VII. 22. Melle pro cibo uſos legimus magnos & ſanctitate & authoritate viros, *Simonem*, Jud. XIV. 9. *Jonathanem*, 1. Sam. XIV. 27. *Solomonem*, Cant. V. 1. *Johannem*, Matth. III. 4. CHRISTUM ipſum, Luc. XXIV. 42. 43. qui juxta prædictiones butyro debebat & melle veſci. Ex vetuſtiſſimis Cretenſium Annalibus legimus apud *Didymum*, Jouem infantem à Meliſſei, Cretenſium Regis, binis filiabus Amalthea & Meliſſa lacte caprillo & melle fuiſſe enutritum. *Lactant. de falſa Relig.*

lig. L. I. Apud *Antonium Liberalem* mentio fit Boei cauernæ, in qua vixerint ſacræ apes Jouis nutritiæ, ἱεραὶ μέλιτται τροφοὶ τȣ̃ Διός. Dicuntur & apes nutrices fuiſſe *Pindari*, πινδάρῳ τῆς πατρώας οἰκίας ἐκτεθέντι μέλιτται τροφοὶ ἐγένοντο ὑπὲρ τȣ̃ γάλακτος παρατεθεῖσαι μέλι. Perbellè proin comparat ſapientiſſimus Rex ſapientiam cum melle, quod & jucunditate ſe commendat, & utilitate. Ita & Eccleſiaſticus XXIV. 21. 22. (26. 27.) *Accedite ad me, omnes cupidi mei, & facite, ut fructibus meis impleamini. Nam memoria mei melle dulcior eſt, poſſeſſioque mea fauo mellito jucundior. (Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.)* Quæ videntur petita mutuò ex *Theocriti Idyll.* 20.

- - - ἐκ ςομάτων δὲ
Ἔῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα, ἢ μελικήρω.

- - - *Ex ore autem*
Fluebat mihi vox dulcior fauo.

Nam & Siracides, qui paucis poſt Theocritum annis in Ægypto vixit, habet ὑπὲρ μέλιτος κηρȣ̃, forſan μελικήρȣ. Superſedeo enumerandis locis aliis tum ſacris tum profanis, ubi ſapientia, & in ſpecie eloquentia melli confertur. De melle autem ipſo, ejusque collectione plura legas ad Pſal. XIX. 11. Id duntaxat hac occaſione moneo, inſeruiiſſe *mel* veteribus pro *ſaccharo*, ut reuera non eſt niſi collecta ab apibus ſubſtantia ſaccharina, ſuccus ex plantis, inprimis floribus, exſuctus dulcis, unde eſt, quod pro regionum diuerſitate mel ipſum variet: pretioſiſſimum colligatur in Prouincia & Linguedocia, ubi copioſi ſunt Roſmarini, aliæque plantæ aromaticæ: ad Pontum verò Euxinum venenatæ ſit indolis & purgantis, ob copiam chamærhododendri.

Prov. Cap. XXV. verſ. 3.

Cœlum in (a) ſublimi eſt, terra in profundo, cor autem Regis imperueſtigabile.

(a) Alii legunt, ut ſit ſimilitudo.

Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile.

IN Textu originali legas שָׁמַיִם לָרוּם וָאָרֶץ לָעֹמֶק, *cœlorum in altitudine & terræ in profunditate*, LXX. ȣ̓ρανὸς ὑψιλὸς, γῆ δὲ βαθεῖα. Aquila, εἰς βάθος. Nempe nec ibi nec hic poſſibilis eſt exacta dimenſio, ita *imperueſtigabile*, vel magis, *cor Regis*, καρδία δὲ βασιλέως ἀνεξέλεγκτος. In hoc tertio, imperueſtigabilitatis, igitur conueniunt. Sed alii diſſimilitudinem potius volunt: poſſe quidem Mathematicorum auxilio perueſtigari altitudinem cœli, & profunditatem terræ, ſed non arcana Regis. Admitti poteſt utraque explicatio, ſed placet tamen prior, quam diſtinctè exprimit Vernacula noſtra, *wie die Höhe des Himmels und die Tieffe der Erden nicht durchgründet werden kan, alſo iſt auch das Hertz des Königs unergründlich.* Cui pollicem prement dexterrimi quique Mathematici.

Prov. Cap. XXV. verſ. 4.

(a) Auferatur ſcoria ab argento, jam exibit excoctori vas.

(a) Ebr. remouere.

Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum.

EO tendit τὸ morale Solomonis, exauctorandos eſſe malâ gratiâ, & remouendos ab Aulâ Atheos & Adulatores. Verſ. 5. *Auferatur impius à conſpectu Regis, jam thronus ejus juſtitia firmus erit. (Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur juſtitia thronus ejus.)* Parabola deſumta eſt ab argento, ſeparando à ſcoriis, de qua ſeparatione alibi egimus plura.

Prov.

Prov. Cap. XXV. verſ. 13.

Sicut (a) frigus niuis in tempore meſſis, ſic fidus legatus ei, qui ſe miſit, & reficit animum heri ſui.

(a) Ebr. Cuſpis niuis. Ein Eis-Zapf.

Sicut frigus niuis in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſerit eum: animam ipſius requieſcere facit.

ABſit, ut cogitemus, cadere per æſtatem niuem in Palæſtina, feruido nimis climate: ne hyeme quidem tantæ eſt ac in Europa durationis. Innuit haud dubiè Rex κρύο - vel χιοφυλάκια, parata in Regionibus illis calidioribus, ut feruida æſtate glacie refrigerare poſſent potum, id quod frequens eſt in Italia, Gallia & Hiſpania apud Magnates. Hoc vocant Galli, *boire a la glace.* Ipſa vox צִנַּת *tſinnath* vel צִנָּה *tſinnah* notat aliquid acutum, unde eſt, quod vertant nonnulli per *cuſpidem niuis.* LXX. habent ἔξοδον χίονος. Quodſi hanc vocem cum Aria Montano, & utraque Tigurina reddideris *per frigus, Kälte*, haud incommodè per צִנַּת שֶׁלֶג, *frigus niuis* intelligere poteris aquam niuis ad inſtar vel glaciei frigidam. Quadrat huc Germanorum expreſſio, *Schnee - oder Eis - kaltes Waſſer.* Hujusmodi frigidam arte parare licet mediante ſale armoniaco.

Prov. Cap. XXV. verſ. 14.

Nubes & ventus absque imbre eſt, qui (a) magnificè pollicetur, ſed præſtando fallit.

(a) Hebr. vir, qui gloriatur in munere mendaci.

Nubes & ventus, & pluuiæ non ſequentes vir glorioſus, & promiſſa non complens.

NΕφέλαι ἄνυδροι, Jud. v. 12. ſiue נְשִׂיאִים וְגֶשֶׁם אָיִן, *vapores & pluuia non*, ſcil. non ſequens, ſunt in ſenſu Phyſico nubes, quæ collectæ pluuiam breui ſecuturam promittunt, ſed accedente inprimis Borea, vel Euroboreâ iterum diſſipantur: in ſenſu morali Hypocritæ, ſimulatores & diſſimulatores, qui ante ſimulant ficto pia pectora vultu, & magno oris hiatu multa promittunt, quàm has illasue dignitates obtinuerint, ſed ex poſt *tacitorum* ordini inſcribi ſe patiuntur, corruptionis ſæpe vindices. *Qui magnam ſpem præbentes, ſe Eccleſiæ* (vel Reipublicæ) *utiles futuros eſſe, tamen non modò ſimulata pietatis ſpecie nihil proſunt, ſed & vitiis diſſimulatis plurimum nocent. Cartwright in Prov.* p. 1243.

Prov. Cap. XXV. verſ. 16.

Mel ubi repereris, comede, quantum ſatis eſt: ne eo ſatiatus euomas illud.

Mel inueniſti, comede, quod ſufficit tibi: ne fortè ſatiatus euomas illud.

O*Mne nimium vertitur in vitium.* Sanitas quippe noſtra in mediocritate & proportione certa, infra & ſupra quam conſiſtere nequit. Μηδὲν ἄγαν, medium nam tenuiſſe beat. Generalis heic valet regula Epicteti vel Democriti: εἴτις ὑπερβάλλοι τὸ μέτριον, τὰ ἐπιτερπέστατα ἀτερπέστατα ἂν γίγνοιντο. Exemplo heic eſt *mel*, præſtantiſſima res in cibo, potu, Medicina; reconditas in dulcedine ſua habet particulas acres, acidas, quæ in ventriculo euolutæ, & bilioſis ſociatæ harum aſſumunt indolem, ventriculi fibras rodunt, vellicant, ad contractionem ſtimulant, unde vomitus. Vetus eſt Græcorum Epigramma:

— καὶ μέλιτος τὸ πλέον ἐστι χολή.

— *Mellis etiam quod abundat, eſt fel.*

Ex verbis Textus, *mel ubi repereris*, conjicere licet, non loqui Solomonem de melle domeſtico, ſed potius de ſylueſtri, obuio paſſim in Scythiæ, Ruſſiæ, Poloniæ & ipſius Palæſtinæ ſyluis.

ſyluis. *Uniuerſa terra venit in ſyluam, & erat mel in ſuperficie campi, & venit populus in ſyluam, & ecce fluxus mellis. Jonathan verò extendit extremitatem virgæ, quam manu geſtabat, intingens eam in fauum mellis. (Omneque terræ vulgus venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri. Ingreſſus eſt populus ſaltum, & apparuit fluens mel. Jonathan verò extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis.)* 1. Sam. XIV. 25. 27. Eſt hoc ipſum μέλι ἄγριον, quo veſcebatur Johannes in deſerto.

Prov. Cap. XXV. verſ. 20.

Mœſto cordi carmen canere, perinde eſt atque detrahere veſtes tempore frigoris, aut nitrum aceto ſuperfundere.

Et amittit pallium in die frigoris, acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.

Haud unam patiuntur explicationem hæc verba. לֵב רָע *lebh ra*, notat in proprio ſenſu *cor malum*, nonnullis malitioſum, bilioſum, hominem ad iram vel ex leuiſſima cauſa pronum, ſæua bile tumentem, aliis, ut nobis in utraque Verſione *cor mœſtum*, *ein bekümmertes Hertz*, hominem, qui clauſo pectore vulnus habet. Habent & LXX. καρδίαν λυπεῖ. Haud minoribus, imo majoribus, difficultatibus inuoluitur vox נֶתֶר *nather*; Nos reddimus *nitrum*, *Salpeter*. Habet & νίτρον Symmachus. Dubium ſanè haud eſt, deſcendere *nitrum* à נֶתֶר, & hoc à *Nitria* Ægypti urbe. Sed meminiſſe juuabit, aliud planè ſal fuiſſe Veterum *Nitrum*, *Nitrum Ægyptiacum*, *Anatron*, *Natron*, ab hodierno *Nitro*, quod *Sal* eſt *petræ*. Fuit illud potius alcalicæ indolis, quàm acidæ, ut ſunt cineres clauellati. Lege deſcriptionem *Dioſcoridis* L. V. c. 130. Νίτρον προκριτέον τὸ κοῦφον ϗ ῥοδωπὸν ἢ λευκὸν τὴν χρόαν κατατετρημένον, οἱωνεὶ σπογγῶδες τι. *Præfertur nitrum leue, roſeo colore, aut candido, in foramina dehiſcens, perinde quaſi ſpongioſum quiddam. Plinius* L. XXXI. c. 10. *Exiguum fit apud Medos, caneſcentibus ſiccitate conuallibus, quod vocant balmirhaga. Minus etiam in Thracia juxta Philippos ſordidum terra, quod appellant agrium. Nam quercu cremata unquam multum factitatum eſt, & jam pridem in totum omiſſum. Aquæ verò nitroſæ pluribus locis reperiuntur, ſed ſine viribus denſandi. Optimum copioſumque in Clytis Macedoniæ, quod vocant Chalaſtricum, candidum, purumque, proximum ſali. Locus eſt nitroſus, exiliente è medio dulci fonticulo. Nitri probatio, ut ſit tenuiſſimum, & quàm maximè ſpongioſum fiſtuloſumque.* Hoc ſale, *balmirhaga*, campos inter *Eriuan*, *Aslupat*, & *Marantam* coopertos vidit *Paulus Lucas Voy. du Lev.* T. II. c. 3. & in *Ægypto* ſupernatans ad modum glaciei, ſed durius, rubeſcens, ſpeciatim in deſerto, quod olim *Nitriæ*, hodie *S. Macarii* dicitur. *Huntington Epiſt.* p. 68. *Nitri* vox adhuc ſuperſtes in Oriente. *Nytrun* Arabes vocant. *Men. Lex.* 4104. Alius, quod ſupra innui, naturæ eſt *Nitrum* modernorum, ſal acidum, quod ex terra, urinâ ouium, equorum, vaccarum imprægnata, muris quoque exudans coquitur & elixiuiatur. Pluribus poſſem demonſtrare differentiam utriusque, etiam ratione uſus. Inſeruiebat illud veſtibus mundandis, noſtrum aptius corrodendis. Lux hinc affulgebit loco illi decantato Jer. II. 22. *Etiamſi laueris te nitro, & multum ſmigmatis tibi adhibueris, altius tamen impreſſa eſt iniquitas tua coram me, ait* DOMINUS DEUS. *(Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith: maculata es in iniquitate tua coram me, dicit* DOMINUS DEUS.) Imo ſunt, ut *Helwig. de Creta* p. 8. qui ex noſtro נֶתֶר faciunt *Cretam*. In exegeſi proin noſtra attendendum erit magis ad nitrum illud veterum.

Id extra controuerſiam eſt, loqui ſapientiſſimum Regem de re homini triſtitiâ affecto aduerſa. *Mœſto cordi carmen canere, perinde eſt atque detrahere veſtes tempore frigoris, aut nitrum aceto ſuperfundere.* Aliter paulò LXX. ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον, οὕτως προσπεσὸν πάθος ἐν σώματι καρδίαν λυπεῖ. *Sicut acetum trahit inutile, ſic accidens paſſio in corpore cor contriſtat.* Symmachus: ὥσπερ ὄξος ἐπὶ νίτρῳ, ϗ ᾄδων ἐν ᾄσμασιν ἐπὶ καρδίαν λυπηρὰν. *Tanquam acetum in nitro, & qui cantat in canticis ad cor triſte.* Idem eſt, quod apud *Plutarchum* alicubi legitur: οὐ ναῦβλα κωκυτοῖσιν οὐ λύρα φίλη. *Nabla & Lyra lugentibus ingrata.* Sed eſt ratiocinio in contrarium ſenſum locus. Nouimus, exhilarare modulamina Muſica. Ipſe Rex noſter Eccleſ. II. 8. *Acciui mihi Cantores & Pſaltrias, nec non mulierem & mulieres, hominum delicias. (Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos & urceos miniſterio ad vina fundenda.)* Muſica domitum furorem Saulis nouimus per Dauidem. *Factum eſt, quoties ſpiritus DEI erat ſuper Saulem, Dauid accepta cithara pulſauit manu ſua, & tum refrigerium fiebat Sauli, meliusque habuit, receſſitque ab eo ſpiritus malus. (Quandocunque ſpiritus DOMINI malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus.)* 1. Sam. XVI. 23. Eſt utrumque verum. Poteſt

 Mu-

Muſica reddere hilarem, ſed & triſtiorem, pro variante illa, vel & ipſa mœſtitia majori minoriue. Et videtur hac ex parte modernæ muſicæ præualuiſſe vetus illa, utpote quæ poterat vel mollire animos cantu, vel fugare triſti de pectore curas, vel majorem triſtitiæ gradum animo inferre, pro intentione Muſici, adhibita proin ad moderandos domandosque affectus. Rem hanc penitius intellecturis neceſſe eſt ſcire vires Muſicæ in corpus humanum, & claram formare ideam de affectibus animi. Certum id eſt, Muſicâ in tremulos motus adigi neruos, &, ſi moderata illa ſit, circulum ſanguinis promoueri, ut hic prædominium obtineat præ liquidi neruei in exteriora influxu, & hoc ipſo gaudium induci. Sed pone jam tenſos nimiùm, triſtitiâ comite, cutis neruos, prædominari ſpiritus, tendi magis videbis fibras, ſenſu quodam triſti comite, ſanguinis circulum reddi difficiliorem, triſtitiam intendi. Id eſt, quod Solomon vult, & experientia ipſa docet. Quinimò poteſt Muſica interueniente Melancholicus reddi Maniacus. Hunc μεταςχηματισμὸν egregiè illuſtrat Philoſophus noſter ſymbolo affuſi *nitri ſuper acetum*, nempe nitri veterum, quod affuſo aceto efferueſcit. Teſtes ſint omnes liquores & ſpiritus acidi, nitri, acetum, alcalicis ſalibus, quale eſt tartari, affuſi, quæ efferueſcentia dubio procul oritur ex violenta ſalium in poros, veluti vaginulas, aliorum intruſione & aëris expulſione, tanta ſæpe, quæ flammam excitat & fumum. Sufficiant hæc pro illuſtranda eorum mente, quæ לֵב רָע explicat per *cor mœſtum*, & per נֶתֶר intelligit *nitrum veterum*. Addo in gratiam LXX.viralis, quæ τὸ νίτρον omittit, *acetum* vulneri infuſum abſtergere quidem ἀσύμφορον, imo tollere, ſed inſimul triſtes cauſari dolores, ut quæuis paſſio, quoduis objectum ingratum reddit triſtes.

Sed quoque poſſunt Solomonis verba intelligi de animo bile tumente, & nitro modernorum. Eſt hoc ſal acidum, acetum quoque, augeri proin debet acor ex acidi utriusque commixtione. Hinc eſt, quod pulueris pyrii confectores illi majorem elaſticitatem daturi mixturam ex nitro, ſulphure & carbonibus aceto acerrimo irrigare ſoleant. Ita homo irâ turgidus, vel blandiſſimis tractatus verbis, violentior inde redditur & tempeſtuoſior, quantò magis, ſi duriter ipſum habeas, & objurges aſperis verbis? Audiamus hac de re *Matheſium in Sarepta Conc.* XI. *Wann einer ein böſes oder entwicht Hertz mit guten Worten ſtraffen will, der machet es nur ärger und ſtöltzer, leget ſich aber einer mit ihm auf, und gibt böſe Wort für verwendte Reden, der machet einen ſolchen Menſchen raſend, unſinnig, und Teufelbennig. Dann je ſehrer man in ein hitzig Hertz bläſet, je hefftiger fähet es an zu brennen, daß ihm endlich die Flammen zun Augen heraus ſchlagen, und je ſehrer man in einen trüben Brunnen ſtürlet, je trüber er wird. Summa, wenn man böſen Leuten einredt, diſputirt mit ihnen, ſchreibt wider ſie, und hält ihnen ein mit gut- oder böſen Worten, und ſinget ihnen ein gut Liedlein, oder tröſtlich Vermahnung aus* GOTTES *Wort, oder vernünftigen Spruch, ſo fähet ein arg und feurig Hertz an zu kniſteren, ſeudet und prodlet in ſich ſelber wie ein Garntopf, ſchnaubet und ſchaumet wie ein Koller-Pferd, und ſprüet, ſtößt und ſchlägt um ſich wie Büchſen-Pulver, und ſpeyet Feuer aus wie ein wilder Kakos, oder wenn in Schmeltz-Hütten das Geſtüb aufſtehet, denn an böſen Leuten gewinnet man mit guten oder böſen Worten wenig. Bittet man einen Bauern, ſo ſtrotzt ihm der Bauch, und ſtarret wie ein Block, und knarret wie ein neuer oder ungeſchmierter Wagen. Das heiſſet nun Oel ins Feuer, und Eſſig über Salpeter gieſſen. Darum lehret Salomo, eben wie der Cato, man ſoll mit zänckiſchen Leuten nicht wörtlen, und einen zornigen Menſchen zuvor verſauſen und verprauſen laſſen, wie ein neuer Moſt, ehe man mit ihme zur Rede komme. Diß will Salomo uns in dieſem Spruch erinneren, damit wir uns an ſchelligen und verbrandten Leuten nicht verſengen, denn zween harte Stein mahlen ſelten kleine, und ein Stock kan nicht weichen wie ein Roſen-Sträuchlein. So gibt die Erfahrung, daß nach grobem Schertz und ſpitzigen Schrifften, und ſcharfen Worten und hartem Schneutzen gewöhniglich Blut folget: Wie denn auf groſſer Herren Invectiven und Schmäh-Bücher und der zänckiſchen Prädicanten geſchwinde Schrifften gemeiniglich Krieg, Zerrüttung der Kirchen, und Untergang oder Verſetzung der Herrſchafften pflegen zu folgen, wie wirs leider mit verderblichem Schaden erfahren haben.*

Prov. Cap. XXV. verſ. 23.

Ventus àquilonaris pellit pluuias, at vultus ſeuerus (a) linguam delatricem.

(a) Ebr. Linguam abſconſionis, hoc eſt, quæ clam defert.

Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.

Expli-

EXplicatum alibi, qua ratione רוּחַ צָפוֹן *ruach tſaphon*, ἄνεμος βορέας, *ventus aquilonaris* aduecto aëre compreſſo veſiculas aquæ vaporoſas diſpellat, & ſic ipſas *pellat pluuias*, juxta Symmachum διαλύει βροχὴν, *diſſipet pluuias*. Alium prorſus ſenſum habent LXX. ἐξεγείρει νέφη, *ſuſcitat nubes*, Aquila item, ὠδίνει ὄμβρον, *parturit imbrem*, qui quidem, atmoſphærâ jam ante nimis grauidâ, etiam,ſed rarò locum habet. Canon moralis, quem Solomon adnectit, id vult, quod פָּנִים נִזְעָמִים *phanim nizamim*, πρόσωπον ἀναιδὲς, *facies imprudens, conturbata, iracunda, vultus ſeuerus*, retrahat לְשׁוֹן סָתֶר *leſchon ſather*, *linguam occultationis, linguam delatricem*, γλῶσσαν ἐρεθίζει, *linguam irritat* LXX. Monitum ſalutare perſonis quibusuis authoritate pollentibus, Magiſtratibus, Parentibus, Præceptoribus, Heris utriusque ſexus, ut non patiantur alios perſtringi, ſed eos, qui delatrice utuntur linguâ, vultu ſeuero, indignabundo, arceant procul, & calumnias diſpellant, ut nubes diſſipat Boreas, αἰθρηγενέτης Homero dictus, i. e. ſerenator Hieronymo.

Prov. Cap. XXV. verſ. 25.

Quod aqua frigida eſt laſſo animo, id eſt nuntium bonum è terra longinqua.

Aqua frigida animæ ſitienti, & nuncius bonus de terra longinqua.

EXperto crede Roberto. Si quis Regum Iſraeliticorum commercio cum terris remotiſſimis fuit celebris, Solomon fuit, teſtes ſunt vel Expeditiones Ophiricæ. Euangeliſta fuit haud dubiè, qui reditum Claſſis auro argentoque oneratæ primus nuntiauit, ut ſunt hodie Belgis & Hiſpanis, & Anglis aliisque Nationibus boni nuntii, qui aduentum Claſſium ex Indiis notificant primi: imo, *quod aqua frigida laſſo eſt animo*, ὥσπερ ὕδωρ ψυχρὸν ψυχῆ διψώσῃ. Refrigerio eſt & refectioni homini laboribus vel longo itinere defatigato, viribus languido, aquæ frigidæ vel potus, vel balneum, cumprimis in climatibus calidioribus. Humectat ille & oblinit fibras exſiccatas, fluidum conſumtum reſtaurat, nimiam tranſpirationem cohibet, laxa tendit. Maximo *Xerxi* gratum fuit donarium oblata à ruſtico frigida, quantum capiebat vola manus. *Artaxerxi*, qui per vitam nîl acceptius hauſit quàm frigidam fortè oblatam, licet turbida fuerit. *Diana* ita ad colonos apud *Ouidium Met. 6.*

Hauſtus erit mihi nectar aquæ, vitamque fatebor
Accepiſſe ſimul, vitam dederitis in undis.

Prov. Cap. XXV. verſ. 27.

Quemadmodum multum mellis edere non eſt bonum, ſic qui gloriam eorum nimium ſcrutatur.

Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.

Vid. Prov. Cap. XXV. verſ. 16.

Prov. Cap. XXVI. verſ. 1.

Ut in æſtate nix, imberque in meſſe, ſic nec ſtultum decet gloria.

Quomodo nix in æſtate, & pluuiæ in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria.

KAjits קַיִץ & קָצִיר *katſir*, *æſtas* & *meſſis*, ἀμητὸς καὶ θέρος, ſunt ſynonyma. Eſt meſſis in æſtate. Sed non, dices, in Palæſtina. Meſſis ibi in noſtro & Aſtronomico Vere, Paſchatis inter & Pentecoſtes Feſta. Sciendum, Judæis bina duntaxat fuiſſe anni tempora, *æſtatem* & *hyemem*, ut vocabulo קַיִץ intellexerint ver & æſtatem. Æſtatem proin dedit Sol decurrens in ſignis Borealibus, inde ab ariete ad libram: Hyemem idem ſidus curſu ſuo per Signa Meridionalia, à libra ad arietem.

Nix, inquit Rex noſter, *in æſtate* haud eſt proficua. Id docet nos experientia & ratio, illa jacturâ frugum arborearum & campeſtrium, hæc, quoniam ſucci in motu ſuo ſiſtuntur ſubitò, & fibræ contrahuntur, corrumpuntur, flores, folia & fructus intereunt. Pro niue LXX. habent ros, δρόσος ἐν ἀμήτῳ, *ros in meſſe*.

Sed neque *meſſi* quadrat *pluuia*, ὑετὸς ἐν θέρει. Inſtas, cadere ſæpe deſideratam quàm maximè pro terra exucca, hiulca, pluuiam in æſtate. Attendenda iterum heic, ut alibi, eſt ad indolem Regionum Orientalium, ubi per hyemis decurſum adeò largas imbibunt aquas terræ, ut pluuiâ haud indigeant æſtate, ſed duntaxat pluuiâ ſerotinâ ad finem ejus. Etiam nobis Europæis pluuiæ largæ, copioſæ, continuatæ impedimento ſunt colligendarum frugum, & fœni.

Applicatio moralis eſt facilis. Ex ipſis, quas de virtutibus atque vitiis formamus, ideis ſponte fluit *haud decere gloriam ſtultum*, τιμὴν ἄφρονι, amentem, vitioſum, impium hominem. Hujusmodi hominum monſtra ſi admoueantur dignitatibus, Eccleſiam corrumpunt atque Rempublicam. Triſtis ſanè eſt rerum facies, ſi videas *ſeruos*, vitiorum mancipia, *equis vehi*, & *principes in terra incedere tanquam ſeruos*, viros meritis inſignes, ſed vel parentelæ beneficio, vel opibus deſtitutos, remoueri à dignitatum ſeu Eccleſiaſticarum, ſeu Politicarum, ſubſelliis. Eccleſ. X. 7. Jethronis conſilium Moſi genero datum non eò tendit, ut gubernaculo admoueat viros vel diuitiis abundantes, vel ex illuſtribus familiis prognatos, conſanguinitate cum principibus junctos, ſed *proſpiciat ex omni populo viros fortes, timentes DEUM, viros veraces, odientes auaritiam, & præficiat illos tribunos, centuriones, quinquagenarios atque decuriones*. Exod. XVIII. 21.

Prov. Cap. XXVI. verſ. 2.

Quemadmodum auis aufugit, & præteruolat hirundo, ſic friuola execratio non euenit.

Sicut auis ad alta transuolans, & paſſer, quo libet, vadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet.

PAſſerum & aliarum auicularum, ita quoque *hirundinum* & *columbarum (Bocharto* vox דְּרוֹר *deror* heic & alibi in Sacris non *hirundinem* denotat, ſed *columbam* vel *turturem)* indoles eſt, vago volatu diu ſæpe vagari, antequam arripiant prædam. Par eſt ratio conuitiorum & minarum, ſeu interminationum, quas euomunt impii, deſtituuntur ea ſuo effectu. Non clamor, ſed amor clangit in aure DEI. Germanorum veriuerbium: *Katzen-Gebet gehet nicht gen Himmel.* Ut generoſæ aues ex aquilino, accipitrino genere teli ad inſtar rectâ præcipites feruntur in prædam, ita maledictio DEI ſuo nunquam caret euentu. *Quodſi vocem DOMINI DEI tui non audieris, ut cuſtodias & facias cuncta præcepta ejus, & ſtatuta ejus, quæ ego tibi præcipio hodie, venient ſuper te omnes execrationes iſtæ, & apprehendent te.* Deut. XXVIII. 15.

TAB.

RPJCB

PROV. Cap. XXVI. v. 11.
Canis imago ſtultorum.

Spr. Sal. Cap. XXVI. v. 11.
Der Hund mit dem Narren verglichen.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

PROV. Cap. XXVI. v. 17.
Τῶν ὤτων λύκον κρατεῖ.

Spr. Sal. Cap. XXVI. v. 17.
Er zwackt den Hund (Wolf) bey den Ohren.

G. D. Heüman sculps.

TAB. DLXXXI.

Prov. Cap. XXVI. verſ. 11.

Ut canis ad vomitum ſuum redit, ſic ſtultus iterat ſtultitiam ſuam.

Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.

IMmundum eſt eò usque animal canis, ut veſcatur rebus impuriſſimis, ſtercoribus ipſis. *Phædrus Fab.* 27.

- - *O canis, meritò jaces,*
Qui concupiſti ſubitò regales opes,
Triuio nutritus, & educatus ſtercore.

Comedere, quod euomuit, obſeruat heic Solomon, & ex eo Petrus 2. Petr. II. 22. Κύων ἐπιςρέψας εἰς τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Applicatio ad ſtultum facilis, qui in eandem multoties ſtultitiam recidens haud erubeſcit.

Prov. Cap. XXVI. verſ. 13.

Dicit piger: Pardus eſt in via, Leo inter plateas.

Dicit piger: Leo eſt in via, & Leæna in itineribus.

AD urbes & culta loca aliquando accedere Leones, teſtatur paſſim Codex ſacer. Heic Solomo, ut & Prov. XXII. 13. *Piger dicit: Leo ſtat foris, in mediis plateis interficiar. (Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.)* Confer 2. Reg. XVII. 25. 26. De Leonum nominibus heic obuiis שַׁחַל *ſchachal* & אֲרִי *ari* egimus alibi.

TAB. DLXXXII.

Prov. Cap. XXVI. verſ. 17.

Canem auribus tenet, qui tranſiens liti ſe ingerit, quæ ſua nil refert.

Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.

PRouerbium eſt vetus, Græcis & Romanis uſitatum de lupo: τῶν ὤτων λύκον κρατεῖν, *auribus lupum tenere.* Cauda volunt alii. Sic LXX. ὁ κρατῶν κέρκε κυνός. Etiam nos Germani: *Er hat den Hund, oder Wolff, bey den Ohren, bey dem Schwantz.* Eſt utrumque ex æquo periculoſum. Morſui ſeſe exponit, qui canem vel auribus tenet, vel caudâ; ibi extricat ſe facile beſtia, heic ſeſe torquet, in utroque caſu mordet. Ita mordetur, qui absque neceſſitate ſeſe aliorum rixis immiſcet. Hiſpani: *En contienda ponte rienda.* Inter duos litigantes ſæpe quidem tertius gaudet, ſed & luget. Huc tendunt quoque Prouerbia, τὰς σφῆκας ἐρεθίζειν, *irritare crabrones,* τὸν λέοντα νύττειν, *Leonem pungere ſeu vellicare,* ὀκτόπεν ἀναγείρειν, *octipedem,* i. e. Scorpium, *excitare.*

Prov. Cap. XXVI. verſ. 20. 21.

20. Ubi deſunt ligna, extinguitur ignis; ubi deeſt ſuſurro, ceſſant occaſiones contentionum.
21. Carbo prunam, & ligna ignem, contentioſus rixas incendit.

20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto, jurgia conquieſcunt.
21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.

SUſurro, δίθυμος LXX. id eſt, *diſſentiens*, τονθρυστὴς Aquilæ, δόλιος, *doloſus*, Symmacho, γογγυστὴς, *murmurator* Theodotioni, qui falſa de aliis narrat, rixas incenſurus, vel &, quæ vera ſunt, odioſè transfert, vel in malitioſum ſenſum detorquet, aptè comparari poteſt prunis, ligno, imo & aëri. In ſenſu quippe Phyſico neque prunæ, neque ligna ignem capiunt ſponte, ſed pellitur is ad illas & iſta ab aëre ambiente, hinc abſente hoc elemento extinguitur ignis, vel antliâ pneumatica teſte: ſed adacta ab aëre ſpicula ignita arrodunt inflammabilia quæque, imo ad intimos usque τῶν φλογιστῶν receſſus penetrant. Huc collimat v. 22. *Verba ſuſurronis blanditiis ſunt ſimilia, ſed in intima viſcera penetrant. (Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima ventris.)*

Prov. Cap. XXVI. verſ. 23.

Ut vas teſtaceum argenti ſcoriâ obductum, ita labia ardentia, & cor malum.

Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata.

HAud adeò facilis eſt hic locus, ſi per שְׂפָתַיִם דֹּלְקִים *ſephathaim dolekim*, χείλη λεῖα LXX. *labia læuigata*, aliis δόλια, *doloſa*, Aquilæ & Theodotioni καιόμενα, Symmacho φλεγόμενα, *urentia*, intelligi debent linguæ ſubdolæ, falſæ, quæ conuitiis proximum quemque proſcindunt: difficile inquam, quomodo hoc hominum genus conferri queat cum *vaſe teſtaceo argenti ſcoriâ obducto;* niſi velis per כֶּסֶף סִיגִים מְצֻפֶּה עַל־חָרֶשׂ *argentum ſcoriarum obductum ſuper teſtam* intelligere non tam obductum ſcoria argenti vas ipſum, quàm ex originali Textu, *argentum in crucibulo ſcoriis obductum*, & ita his coopertum, ut illud non cadat in conſpectum. Ita certè ſunt *labia ardentia*, *cor malum:* nîl prorſus boni eſt in hujusmodi homine, gladii inſtar δίστομα ſcindunt labia, & eſt cor totum quantum corruptum. Sed clarior eſt ſenſus, ſi cum *Cartwrighto in Prov.* p. 1289. intelligas χείλη λεῖα, *labia blanda*, quæ bona dant verba, prætereaque nihil, ſimilia vaſi ſcoriâ quaſi argentea obducto. Aliter legiſſe videntur LXX. ἀργύριον διδόμενον μετὰ δόλου ὥσπερ ὄστρακον ἡγητέον. χείλη λεῖα καρδίαν καλύπτει λυπηρὰν. *Argentum datum cum dolo tanquam teſta reputandum. Labia læuigata cor occultant triſte.*

Prov. Cap. XXVII. verſ. 7.

Anima ſatura faſtidit fauum, eſurienti animæ etiam amarum dulce eſt.

Anima ſaturata calcabit fauum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.

ESt appetitus homini conceſſus pro medio conſeruationis neceſſario: Liquor ſtomachicus ſi non inuenerit cibos, in quos operetur, aggreditur ipſas tunicæ nerueæ fibras, easque vellicando *appetitum* excitat. Vellicatio hæc ſi fortis, adeſt non ſolùm appetitus, ſed *fames*, quæ fugitiuo *Artaxerxi* gratas reddit caricas, & panem hordeaceum, *Ptolomæo*, Lagi filio, panem ruſticanum, furfuraceum. Id eſt, quod Solomo vult, *eſu-*

eſurienti animæ etiam amarum dulce eſt, ψυχῇ ἐνδεεῖ καὶ τὰ πικρὰ γλυκέα φαίνεται. *Horatius Sat.* II. L. II.

Jejunus ſtomachus raro vulgaria temnit.

Optimum condimentum eſt fames. Der Hunger iſt ein guter Koch. A hambre no ay mal pan. Conſilium id, quod in Prouerbium tranſiit, dedit ſapiens Socrates Athenienſibus, qui nil reliquerunt inexpertum, quo cibos redderent ſapidos. Imo verò docet experientia, felicius viuere & ſanius ex ima plebis fæce homines aqua & pane, vel vino auſtero, quàm quibus lauta ſuppeditat prodiga menſa cibos. Eſt hæc ſingularis DEI Prouidentia, quâ ſanitas ſimplicitati ſociata quàm optimè conſeruatur paucis nec multo luxu paratis cibis, paucis nempe contenta. Pauca aſſumuntur cum appetitu, ſed *anima ſatura*, ψυχὴ ἐν πλησμονῇ οὖσα, ventriculus multo cibo potuque aggrauatus, & multiuariorum delicatiſſimorum ciborum farragine oppreſſus *faſtidit fauum*, κηρίοις ἐμπαίζει. Exemplo, ſed triſti, ſunt Iſraelitæ, qui faſtidiebant ipſum Manna cœleſte, miraculoſum.

Prov. Cap. XXVII. verſ. 9.

Unguentum & ſuffitus cor exhilarant, habere amicum ex animo conſulentem res dulciſſima eſt.

Unguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.

OStenſum eſt alibi, Orientales inprimis Gentes unguenta & ſuffimenta, eaque pretioſa, adhibuiſſe in uſum neceſſarium, ſed quoque vertiſſe in voluptates, & luxum, *unguentum & ſuffitus cor exhilarant*, μύροις καὶ οἴνοις καὶ θυμιάμασι τέρπεται καρδία. Excitant aromata & odoramenta ingredientia ſpiritus, tendunt neruos, agitant ſanguinem, unde & à Medicis referri ſolent ad cardiaca. Ita *amicus ex animo conſulens res eſt dulciſſima. Theognides:* γνώμης δ' οὐδὲν ἄμεινον ἀνὴρ ἔχει ἔνγε ἑαυτῷ. *Albuen conſejo no ſe halla precio.*

Prov. Cap. XXVII. verſ. 15. 16.

15. Tectum perſtillans tempore pluuio, & rixoſa mulier paria ſunt.
16. Qui cohibet eam, ventos cohibet, & dextera ſua oleo occurrit.

15. Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur.
16. Qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleum dextræ ſuæ vocabit.

SYmbolum en Xantippes! Similis eſt *rixoſa mulier*, γυνὴ λοίδορος, *maledica*, Symmacho μαχίμη, *rixoſa, tecto perſtillanti tempore pluuio*, σταγόσιν ἐν ἡμέρᾳ χειμερινῇ, ubi סַגְרִיר *ſagrir* talem notat imbrem, quo homines clauduntur ædibus, à סָגַר *ſagar*, *clauſit.* Huc faciunt, quæ Jobus habet XXXVII. 7. de hujusmodi nimbo: *Intra domos cogit omnes homines. (In manu omnium hominum ſignat.)* Parallelus quoque eſt locus Prov. XIX. 13. *Uxor rixoſa ceu tectum jugiter perſtillans.* Pro pluuio tempore habent LXX. *hybernum*, quoniam in Orientalibus, & ſub Æquatorealibus Regionibus hyems eſt per menſes & ſeptimanas pluuioſa.

Alteram Parabolam dat *ventus. Qui cohibet eam, ventos cohibet.* Nemo eſt, qui rixoſam mulierem cohibeat, nemo, qui ventum.

Tertiam ſimilitudinem ſuggerit *oleum*, quod contineri nequit manu, quin clauſos licet inter digitos deſtillet, & præterea odore ſuo impleat domum. Originalis Textus ita: וְשֶׁמֶן יְמִינוֹ יִקְרָא *veſchemen jemino jikra*, *& oleum dexteræ ejus clamabit*, hinc & Vernacula noſtra, *er ruffet dem flieſſenden Oel mit der Hand.* Aquila & Symmachus, καὶ ἔλαιον δεξιᾶς αὐτοῦ καλέσει, *& oleum dexteræ ſuæ vocabit.* Sic per metaphoram clamor tribuitur oleo, quod odorem ſuum per totas ædes diffundit, ut rixoſa mulier contentionibus ſuis omnia replet. Oleum infundes igni, ſi illam continere cupias, exacerbabitur magis.

Prov. Cap. XXVII. verſ. 21.

Ut argentum in catino, & aurum in fornace (exploratur,) ſic homo ore laudantis eum.

Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic probatur homo ore laudantis.

Vid. Prov. Cap. XVII. verſ. 3.

TAB. DLXXXIII.

Prov. Cap. XXVII. verſ. 26. 27.

26. Oues pro veſtitu tuo, & hircos pro pretio agri.
27. Num ſat lactis caprarum pro cibo tuo, & cibo domus tuæ, & pro victu ancillarum tuarum?

26. Agni ad veſtimentum tuum: & hœdi, agri precium.
27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

Solomo, dum loquitur de כְּבָשִׂים לִלְבוּשֶׁךָ, προβάτοις εἰς ἱματισμὸν, haud intelligit κώδια, ἀρνακίδες, *agninas pelles*, ſed lanam ouillam. Patet hoc vel inde, quod agnos ratione uſus contradiſtinguat hircis. Sunt quippe & ouium & hircorum pelles ex æquo ad veſtitum aptæ. Sed, infit ille, *oues pro veſtitu, & hirci pro pretio agri.* Dantur quidem capræ in Lycia & Cilicia, μακρότριχες, quæ tonderi ſolent ut oues, ſed ex earum pilis panni duntaxat craſſioris texturæ fiunt, & funes. Pannorum autem laneorum uſus eſt perantiquus. *Ne induas veſtem, quæ ex lana & lino ſimul contexta eſt*, Deut. XXII. 11. & loquitur Job. XXXI. 20. de paupere, qui *vellere agnorum ſuorum calefactus eſt*, id eſt, laneo panno fuerat veſtitus. Aliis locis ſuperſedeo.

Verſ. 27. *Num ſat lactis caprarum pro cibo tuo, & cibo domus tuæ, & pro victu ancillarum tuarum?* Comprobatur his perantiquus lactis caprilli uſus pro cibis. *Hieron. in Jouinianum* L. II. c. 4. *Eſto bos ad arandum, ad ſedendum equus, canis ad ſeruandum, capræ ad lac, oues ad lanitia conditæ ſint.* Teſtis eſt *Galenus* περὶ εὐχημ. c. 4. veniſſe ſuo tempore lac caprillum in cibum quotidianum Græcis, ut Gentibus aliis Vaccinum. Αἰγείῳ μὲν ἔν γάλακτι πλείςῳ χρῶνται παρ' ἐμὶν, ὥσπερ ἐν ἄλλοις ἔθνεσι βοείῳ. *Varro Ruſtic.* L. II. c. 11. *Eſt omnium rerum, quas cibi cauſa capimus, liquentium (lac) maximè alibile, & id ouillum, inde caprinum.* Prætulerunt ſanè ouillo lacti caprillum veteres Medici *Dioſc.* L. II. *Galen.* l. c. *Ægineta, Aetius*, utpote tenuius, & ſeroſius. Rationem addit *Dioſcorides*, quod veſcantur capræ quercus olea, lentiſco, terebintho. Cum diſtinctione eſt heic decidendum, & in præſcribendo lacte caprillo, ſiue pro domeſticis, ſiue medicis uſibus cautè eſt procedendum. Variat quippe lac pro variante alimento. Purgans ſi deſideres, paſci curabis iis in locis, ubi frutices herbæue creſcunt purgantes. Memorabile eſt id, quod veteres uſi fuerint lacte caprillo melle combinato, unde eſt, quod Joui, vel potius Cretenſi cuidam Regi, qui circa Abrahami tempora vixit, caprillo lacte enutritus duas dederint nutrices, Amaltheam & Meliſſam, unde fabula nata de apibus, quæ aduolitantes infantis os melle repleuerint: Cui explicandæ facit, quod infantes olim melle prius, dehinc lacte fuerint cibati. Ut hodienum Italis in more eſt, infantes aliquandiu nutrire oleo & melle ante lactis uſum; & nos primis à partu diebus mel exhibemus roſatum, vel amygdalarum oleum, verùm non tam cibandi ergò, quàm laxandi, & meconium expurgandi gratia. Huc facit Jeſ. VII. 15. de venturo Meſſia, *Butyro & melle veſcetur, ut ſciat auerſari malum, & eligere bonum.*

PROV. Cap. XXVII. v. 26. 27.
Cibus et veſtes è capris et ovibus.

Spr. Sal. Cap. XXVII. v. 26. 27.
Kleider u. Nahrung von Schaafen u. Ziegen.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

Prov. Cap. XXVIII. verſ. 15.

Ceu Leo rugiens, & Urſus cum (a) fremitu diſcurrens, eſt princeps impius pauperculæ plebi.

(a) Vel eſuriens, famelicus.

Leo rugiens, & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.

COmparatur *Leo* ratione generoſæ ſuæ & magnanimæ indolis cum fidelibus DEO confiſis, conſcientiâ bonâ fretis, in omni caſu imperterritis. *Juſti ut Leones confidunt*, v. 1. Dormit ſecurè hoc animal, vacans omni periculo. Sed in Textu eſt Leo ſymbolum impiorum, tyrannorum, crumeniſugarum, immani cæde graſſantium. *Ceu Leo rugiens — eſt princeps impius pauperculæ plebi.* Λέων πεινῶν — ὅς τυραννεῖ ἔθνους πενιχροῦ. Hinc multi de Saule explicant grauem illam Dauidis querelam Pſ. VII. 3. *Ne corripiat iſte tanquam Leo animam meam, dilaceret nemine eripiente. (Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat.)* Omnibus fidelibus ſolatio eſt, quod legitur Jeſ. XXXV. 9. *Non erit iſthic Leo, neque irruptio ferarum aſcendet in eam, nec inuenietur, ſed redempti in ea proficiſcentur. (Non erit ibi Leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt, qui liberati fuerint.)* Nebucadnezaris expeditionem præſagiunt, ex R. Solomonis mente, illa Jer. IV. 7. *Aſcendit Leo de ſepto ſuo, & vaſtator gentium in expeditione eſt, egreſſus de loco ſuo, ut terram tuam deſertam reddat, & urbes tuæ vaſtentur. (Aſcendit Leo de cubili ſuo, & prædo Gentium leuabit: egreſſus eſt de loco ſuo, ut ponat terram tuam in ſolitudinem: ciuitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore.)* Et Judæi interpretes plerique Prophetiam illam Jer. XLIX. 19. intelligunt de Nebucadnezaris irruptione in Idumæam. *Ecce quemadmodum aſcendit Leo de tumore Jordanis ad habitacula munitiſſima, ſic impellam & ad currendum incitabo eum aduerſus eam. (Ecce quaſi Leo aſcendet de ſuperbia Jordanis ad pulchritudinem robuſtam: quia ſubito currere faciam eum ad illam.)* Binorum hujusmodi Leonum ferocium mentio fit Jer. L. 17. *Pecus eſt diſperſum Iſrael, Leones expulerunt ipſum, primus deuorauit eum Rex Aſſyrius, & poſtremus iſte Rex Babyloniæ Nabuchodonoſor exoſſauit eum.* Alia hujus generis loca ſilentio prætereo.

דוב שׁוקק *dobb ſchokek*, non eodem modo redditur à Nobis ipſis; Latina habet, *Urſus cum fremitu diſcurrens*, ad marginem, *eſuriens* vel *famelicus*, Vernacula *ein hungeriger Bär.* LXX. λύκος διψῶν. Conciliatio heic locum habet, eſt famelicus Urſus fremens, ſæuiens, cum fremitu & murmure diſcurens; qui ipſos aggreditur boues. Num deſcendat דוב ab Arabico *zabba* vel *dabba*, piloſum eſſe, & hirſutum, quia σῶμα habet δασὺ λίαν, *Ariſt. de Partib.* L. II. c. 14. judicent Etymologi. Sanè & Græcis δασύλλις dicitur. Et de his animalibus *Oppianus* canit:

Λάχνην μὲν πυκινὴν δυσπαίπαλον ἀμφιέσαντο.

Villo quidem denſo & aſpero veſtiti ſunt.

Id certum eſt, ſupereſſe apud Orientales Urſi nomina τῷ דוב affinia. *Deb* Æthiopibus eſt Urſus, *Ludolf. Hiſt. Æthiop.* L. I. c. 10. Arabibus *Dübb*, fæmina *dübbet. Menizk. Lex.* 617. 1881. 2020. 2022.

Prov. Cap. XXX. verſ. 4.

Quis adſcendit ad cœlos? aut deſcendit? Quis collegit ventos intra manus ſuas? Quis conſtrinxit aquas veſte? Quis conſtituit omnes terminos terræ? Quod eſt illi nomen? Quod nomen filio ejus? Si modò ſcis.

Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligauit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen eſt ejus, & quod nomen filii ejus ſit, noſti?

ESt erotematica hæc methodus inſtructiua ſimul. Opera producuntur in theatrum, quæ ſuum oſtendunt artificem. DEUS nempe eſt & ὁλοκράτωρ & παντοκράτωρ, ſolus ſapiens, infinitè ſapiens. Sed homo impotens, corrupti intellectus, deprauatæ voluntatis. *Quis adſcendit in cœlos? aut deſcendit?* Adſcenſum hunc atque deſcenſum nemo in literali

rali ſenſu attribuet DEO, qui de Ente hoc perfectiſſimo claram concepit ideam. Joui tribuant, ſi velint, hujusmodi actiones, Gentiles. Eſt DEUS noſter omnipræſens; cœlum terramque implet, regitque ubique omnia, operatur omnia. Parallelus extat Locus Pſ. CXIII. 5. 6. *Quis ſimilis eſt* DOMINO, DEO *noſtro, qui in alto rebus præſidet? Seque demittit, ut inſpiciat quæcunque ſunt in cœlo & in terra? (Quis ſicut* DOMINUS, DEUS *noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?)*

Quis collegit ventos intra manus ſuas? Idem, quod CHRISTUS dicit ad Nicodemum Joh. III. 8. τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ᾽ οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει. Pſal. CXXXV. 7. *Qui eleuat nubes ab extremitate terræ — educitque ventum è ſuis theſauris.* Quodſi intelligas per רוּחַ *ruach*, ventum, ſeu auram ſpiritualem, animam hominis, vel angelum, etiam hoc ſenſu ex *Auguſtini* mente verum eſt, quod *colligat* DEUS *ventos* hosce *intra manus ſuas.*

Quis conſtrinxit aquas veſte? Poſtulatum idem, quod DEUS ipſe petit à Jobo XXXVIII. 8. 9. quodue reſpicit tum aquas ſuperiores, nubes, tum inferiores, inprimis mare. *Quis cohibuit mare valuis, quum erumperet, ut egrederetur ex utero? Quando nubem ei pro veſtimento appoſui, & caliginem pro faſcia. (Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens. Cum ponerem nubem veſtimentum ejus, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem.)* Comparari poſſunt ſuperiores aquæ veſti, ſed & inferiores. Illæ veluti aulæo πολυστίκτῳ, multicolori, molli, cooperiunt terram & terricolas: hæ immenſam abyſſum, & innumera animalium atque plantarum genera; quæ omnia perirent, ſi diſcooperta forent. Sunt corpora animalium horum & vegetabilium amicta ſemper veluti veſtimento, & ita quoque atmoſphærâ, aëre vaporoſo, humido corpora hominum, quadrupedum, reptilium, auium, plantarum, omnes omnino terraquei globi creaturæ. Quinimo eſt hæc aquea veſtis nutritia ſimul.

Quis conſtituit omnes terminos terræ? Ita iterum DEUS ad Jobum XXXVIII. 4-6. *Ubi eras, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ? Quis adhibuit ei menſuras? Si modò noſti. Quis eam ad regulam extruxit? In quo fundamento fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem ejus angularem? (Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam? Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? Vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus?)*

Quod eſt illi nomen? quod nomen filio ejus? Authenticum de DEO Patre, & CHRISTO, Filio ὁμοουσίῳ, teſtimonium.

TAB. DLXXXIV.

Prov. Cap. XXX. verſ. 15. 16.

15. Sanguiſugæ duæ filiæ ſunt (nempe) adfer, aduehe. Tria hæc non ſatiantur, & quatuor nunquam dicunt, ſatis eſt opum.

Trag her, bring her. Adfer, aduehe, nomina ficta ex verbis.

Al. legunt, & quartum inexplebile eſt.

16. Sepulchrum, vulua conſtricta, terra non ſatiata aquis, & ignis non dicit: Satis.

15. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes: Affer, affer. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit:

16. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua: ignis vero nunquam dicit: Sufficit.

CONueniunt in eo Interpretes, עֲלוּקָה *alukah* denotare *hirudinem*, vermem nigrum, vel rubeſcentem, qui in aquis, fluminibus, lacubus degit, hominum & animantium cruribus ſeſe affigit, & ſitienti appetitu ſanguinem exſugit, unde *Plinii* temporibus *ſanguiſuga* fuit vocatus, antiquioribus *hirudo*. *Plin.* L. VIII. c. 10. *Cruciatum in potu maximum ſentiunt* (Elephantes) *hauſtâ hirudine, quam ſanguiſugam vulgo cœpiſſe appellari aduerto.* Hirudinis ſanè voce utitur *Plautus, Plinio* antiquior, in *Epidico Act.* 2.

— Jam ego me vertam in hirudinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem.

Horatius de Arte in fine:

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Apud

PROV. Cap. XXX. v. 15. 16.
Non miſsura cutim niſi plena cruoris.

Spr. Sal. Cap. XXX. v. 15. 16.
Die unerſättliche Egel mit ihren Töchtern.

G. D Heümann sculps.

RPJCB

Apud Orientales Gentes occurrunt adhuc animalis hujus reptilis nomina Hebræo noſtro עֲלוּקָה affinia. Turcarum *Süliik. Meninzk. Lex.* 2026. Perſarum *zalu, zelu, zele.* Id. 2444. 2461. Arabum *alækæt*, Plur. *alæk.* Id. 2660. 3314. *alaka* ſcribit *Bochartus.* Græci βδέλλαν vocant. Licet verò certi ſimus, agere heic Solomonem de hirudine, difficilis tamen eſt explicatu Textus, difficile oſtendere binas hirudinis filias. *Bocharto* ſi fidem damus *Hieroz.* P.II. L.V. c. 19. p. 799. Hirudo eſt ἄτεκνος, absque filiis & filiabus, quippe genita ex putredine. Quæ Scholaſticorum veterum opinio fabulis anilibus accenſeri meretur. Iisdem enim generationis legibus, quibus animalia omnia alia, alligatur. Neque video, quomodo in medium proferri mereatur *Merceri biſurcata hirudinis lingua,* Zoographis modernis planè ignota. Quò te vertas cunque, vix te extricabis aliter, quàm hirudinis vocem cum plerisque Interpretibus ſumendo in allegorico ſenſu pro injuſtis illis vel Principibus, vel Judicibus, vel qualibuscunque priuatis, qui crumenas ſubditorum emulgent, ſanguinem ipſum è venis proximi exſugunt, bona extorquent, quorum proh dolor! ingens eſt terra marique numerus. Anſam huic interpretationi dant, quæ proxime præcedunt verba v. 14. *Eſt gens, cujus dentes gladii, & cujus molares cultri ſunt, ut deuorent pauperes è terra, & inopes ex hominibus. (Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Illuſtrant Textum, quæ *Theocritus* habet in *Pharmaceutria.*

Ἀι αἰ ἔρως ἀνιηρὲ, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας;

Eheu, eheu, triſtis amor, cur mihi atrum è corpore ſanguinem
Inhærens, ut paluſtris hirudo, omnem exſuxiſti?

Hæc omnia licet quadrent, ſunt nihilominus ignotæ adhuc hirudinis binæ filiæ. Quapropter connectunt nonnulli verba Textus noſtri non cum præcedentibus, ſed proximè ſequentibus. *Tria hæc non ſatiantur, & quatuor nunquam dicunt, ſatis eſt opum. Sepulchrum, vulua conſtricta, terra non ſatiata aquis, & ignis non dicit: Satis.* Ut hæc ſit Solomonis mens, eſſe duo, quæ ſemper clamant: *Adfer, aduehe,* ſepulchrum nempe, & vuluam, tria, quæ nunquam ſatiantur, terram, vuluam, ſepulchrum: Imo quatuor, quæ nunquam dicunt: Satis; nempe tria modò memorata, & ignem. Binæ proin hirudinis filiæ erunt ſepulchrum, & vulua conſtricta, vel clauſa. Quod *Bocharto* videtur valde coactum. *Et in ſimilibus numerorum gradationibus poſt primum numerum expreſſum Scriptura nonniſi unum addit pro auctario, &* ἐπιμέτρῳ. Uti in ipſo noſtro Capite v. 18. *Tria hæc excellentia ſunt, & ſupra captum meum, & quartum penitus ignoro. (Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.)* Confer v. 21. 29. Amos I. 3. Exod. XX. 5. Prov. VI. 16. Job. V. 19. Unde forte eſt, quod Græci, Syri & Arabes non duas habeant ſanguiſugæ filias, ſed tres. Celeberrimus *Bochartus,* ut tot difficultatibus obuiis ſe extricet, alium prorſus in Textu noſtro quærit ſenſum. עֲלָקָה *alakah* hirudinem Arabibus denotare concedit, ſed עֲלוּקָה *alukah* vitæ fatalem terminum cuicunque mortalium poſitum, qui aliàs audit *menija à mana*, numerare, quia DEUS hunc, ut alia omnia, habet in numerato. Sap. XI. 21. Teſtis diuina illa digito DEI ad parietem facta inſcriptio, *mene mene thekel upharſin*, Babylonico Regi fatalis. Hoc nunc non Stoicum, ſed Diuino Decreto exquiſitiſſimè emenſuratum fatum binas dici poteſt habere filias, & peperiſſe. Locutio eſt Orientalibus familiaris, ſed neque Scripturæ inuſitata, parere tempus. *Neſcis, quid ferat*, quid pariat, *dies.* Prov. XXVII. 1. *Antequam decretum pariat.* Zeph. II. 2. Et ſunt fortean binæ hæ filiæ, *adfer, aduehe,* שְׁאוֹל וַאֲבַדּוֹה *ſcheol vaabhaddoh, ſepulchrum & infernus,* quæ *nunquam ſatiantur*, Prov. XXVII. 20. vel, ſi pro uno ſumas utrumque, שַׁחַת וּשְׁאוֹל *ſchachath uſcheol*, uno recipiente corpus, altero animam. Filiæ autem nominantur, quia generis ſunt fœminini. Notandum autem ὡς ἐν παρόδῳ, vocem שְׁאוֹל deſignare non ſolùm *infernum* propriè ſic dictum, ſed omnem, quo anima à corpore ſeparata recipitur, locum, per conſequens & cœlum, quod nonnulli volunt. Latum hunc ſignificatum ſuſtinet R. *Solomon* in *Menachem* & *Midras* in Pſalmos, Liber ex antiquiſſimis. Sunt Allegoriæ adeò diuites, ut huc trahi poſſint pleraque vitia. Sunt ſanè inſatiabiles helluones, hinc ab hirudine βδελλολάρυγγες dicti; ſunt libidinoſæ fœminæ, vere ſanguiſugæ. Hinc *Plautinus* ille juuenis in *Curcul.* de ſua amaſia.

Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.

Eſt plebs miſera ærarii hirudo apud *Ciceronem Lib. I. ad Attic. Epiſt.* 16.

Verſ. 16. Quatuor res recenſentur, quæ nunquam dicunt: *Eſt ſatis.* שְׁאוֹל *ſcheol, ſepulchrum,* עֹצֶר רָחַם *otſer racham, vulua conſtricta.* Quæ ſterilis eſt, non ante quieſcit, quàm fœcunda reddatur. Rahel ad Jacobum: *Da mihi liberos: ſi id minus, morior. (Da mihi liberos, alioquin moriar.)* Gen. XXX. 1. *Terra non ſatiata aquis*, rara, arenoſa, transmittens ſtatim affuſam aquam: *Ignis* tandem, omnia obuia deuorans. In ſenſu morali, quod modò dictum, hoc inſatiabilis epitheton merentur benè multi, cumprimis auari, quos veſana cupido auri ſtimulat diesque noctesque, comparandi aptè cum ſepulchro, vulua conſtricta, terra, igne. *Ut inferi & perditio nunquam ſatian-*

tiantur, ſic oculi hominis nunquam ſatiantur. (Infernus & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.) Prov. XXVII. 20. Solon in Plutarchi Libello περὶ φιλοπλȣτείας.

Πλȣ́τȣ δ᾽ ȣ̓δὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισι.

Non eſt finis opum fixus mortalibus ullus.

Eraſmo interprete. *Prudentius:*

Auri namque fames parto fit major ab auro.

Ne tamen ἀσύμβολος à Textu noſtro diſcedere videar, è re duxi, ad illuſtrandas Tabulæ præſentis Figuras, nonnulla ſubnectere, quæ Hiſtoriam hirudinis naturalem ſpectant.

Fig. I. ſiſtit hirudinem ex familiaribus, in dorſo fuſcam, ad latera utrinque in albo-luteſcente, punctis nigricantibus diſtinctâ linea inſignitam, ad ventrem inſuper linea alia dicti coloris albo-luteſcentis notatam, quæ ſtipiti firmiter ſeſe affigit, ano nempe, mediante glutinoſo quodam humore.

Fig. II. Hirudo alia fuſci coloris, nullis lineis punctisue interſtincta, minor ſtriata.

Fig. III. Hirudo ſanguine tumida, in qua c. denotat os, b. tres dentes molliores, quibus cuti infixis utitur ad ſuctionem, a b c. caput.

Fig. IV. internam exhibet ſtructuram: ubi a a b. iterum eſt caput, d. collum, e. e. e. cerebriformis ſtructura, g g. ſacculi, qui ſanguine adimplentur, & impleti etiam per menſes absque cibo manent, h h. columnæ carneo-tendinoſæ, quarum actione & conſtrictione ſanguis, pro animalis nutrimento, in fluiditate ſua conſeruatur, utpote continuo conquaſſatus, k k. corpuſcula glanduloſa, quibus preſſis lacteus ſuccus profluit, ad ipſum cerebrum, uti videtur, pertinentia, l. anus, ad quem tendit ductus inde ab ore, limo plerunque repletus.

Suctio hujus animalis ita concipienda venit, quod labio ſuperiore veluti tridentato, & inferiori mediantibus muſculis adeò fortiter attrahat cutim, & introſugat, ut tenſa tandem rumpatur in ſummo, & rupta ſanguinem emittat; dum interim caudâ ſuâ & ano ſeſe adeò firmiter affigit, ut rumpi ſe potius, quàm loco moueri patiatur. Leguntur *Joh. Leopoldi Kamper Diſſ. de Hirudine.* Jen. 1695. *Joh. Jac. Dillenius in Ephemer. German. Cent.* VII. *Obſ.* 57. *Poupart dans le Journal des Sçavans* 22. Jul. 1697. *Transact. Philoſoph.* n. 233.

TAB. DLXXXV.

Prov. Cap. XXX. verſ. 17.

Ejus oculum, qui patrem ſubſannat, & matris doctrinam ſpernit, corui torrentis eruant, ac aquilæ pulli deuorent.

Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, comedant eum filii aquilæ.

JUdicium ſeuerum quidem, ſed juſtum, in eos latum, qui rebelles ſunt erga parentes, immorigeri, qui Leges Diuinas, naturales, ciuiles flocci pendunt. *Percutiens patrem ſuum, & matrem ſuam, morte multetur. — Qui patri ſuo & matri ſuæ maledicit, morte multetur.* Exod. XXI. 15. 17. Leuit. XX. 9. additur in Textu originali, *ſanguis ejus ſit ſuper eum.* Deut. XXI. 18-21. *Si quiſpiam filium habuerit defectorem & rebellem, qui vocem patris ſui & matris ſuæ audire noluerit, quumque caſtigauerint eum, noluerit eis obtemperare, apprehendent eum pater ejus & mater ejus, educentque eum ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam ejus loci — lapidibusque eum obruent omnes ciues. (Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit: Apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam judicii — Lapidibus eum obruet populus ciuitatis.)* Ubi pro illuſtratione Textus notandum, jacuiſſe ſub dio cadauera maleficorum inſepulta, jure ſepulturæ indigna.

Carnifices veluti ſecundarii ſunt primò עֹרְבֵי נַחַל *orebhe nachal, corui torrentis,* quibus *oculi* maleficorum traduntur *eruendi.* נַחַל & *vallem* ſignificat, & *torrentem*, vel aquam fluentem. Sed præualere videtur prior ſignificatus. Leguntur & apud Græcos Κόρακες ἐκ τῶν φαράγγων, *corui ex vallibus*, qui in vallibus degunt, ſpeciatim remotis ab incolis. בְּנַחֲלֵי הַבַּתּוֹת, *in vallibus deſertis* legimus Jeſ. VII. 19. Fuerit forſan vallis quædam à coruis denominata, ut Jer. XXXI. 40. memoratur *vallis cadauerum.* Conferenda cum loco ſuppliciis deſtinato, quem Germani *Rabenſtein* vocant. Græcorum loquendi formula nota, βάλλ᾽ ἐς κόρακας, εἰς ἀπώλειαν, εἰς φθορὰν. Hujusmodi locutiones ſunt perantiquæ,

PROV. Cap. XXX. v. 17
Corvi immorigerorum carnifices.

Spr. Sal. Cap. XXX. v. 17.
Die Raben als Scharff=Richter.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

RPJCB

PROV. Cap. XXX. v. 18. 19.
Viæ quatuor imperviæ.

Spr. Sal. Cap. XXX. v. 18. 19.
Vier unerforſchliche Wege.

G. D. Heümann sculps.

tiquæ, apud Scriptores quoque profanos obuiæ. Sententiam de ſe latam deprecatur ſenex *Mneſilochus* in *Ariſtophanis* θεσμοφορουσαις, ne ludibrio fiat mulierculis, τοῖς κόραξιν ἐσθιῶν. Sed mox additur ἐκρέμασε κόραξι δεῖπνον, ſuſpenſus coruis in cibum. *Horatius Epiſt.* 16. ad *Quintium.*

— non paſces in cruce coruos.

Philoſtratus in Heroicis & *Tzetzes Chil.* 5. c. 22.

Ὑψικόμοιο κρεμαςὸς ἀπ' εὐλιπέως κατὰ πεύκης
Σύγκειται, μέγα δεῖπνον ἀμετροβίοις κοράκεσσιν.

Pendet in excelſæ ſuffixus ſtipite Pinus,
Suauia inexpletis ut det conuiuia coruis.

Oculorum in ſpecie meminit ſapientiſſimus Rex eruendorum à coruis. Sic & Epictetus: οἱ μὲν κόρακες τῶν τετελευτηκότων τοὺς ὀφθαλμοὺς λυμαίνονται. *Eruunt mortuis oculos corui.* Utitur Ethicus hic Scriptor Phraſi hac occaſione Prouerbii veteris: Κρεῖττον εἰς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας. *Præſtat ad coruos mitti quàm ad adulatores;* illi quippe mortuorum duntaxat eruunt oculos, nulli amplius uſui futuros, ſed hi viuorum fallendo oculos animas quoque perdunt. *Cominio* imprecatur ita *Catullus:*

Effoſſos oculos voret atro gutture coruus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Hinc conſtat ſenſus veteris vocabuli, σκορακίζειν, *ad coruos mittere, abjicere.*

Secundus rebellium gnatorum carnifex eſt נֶשֶׁר *næſcher, aquila,* quæ illos *deuoret,* auis, quod nemini non notum, rapax, carniuora. Quamuis neget *Tzetzes Chil.* V. c. 9. aquilam tangere cadauera.

Λέοντες θῆρες, σὺν αὐτοῖς καὶ ἀετῶν τὸ γένος,
Νεκρῶν οὐκ ἀπογεύονται τὸ σύνολον σωμάτων.

Leones feræ, & cum ipſis aquilarum genus,
Mortua corpora planè non guſtant.

Hinc ſunt, qui effatum illud CHRISTI, ὅπου τὸ σῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοὶ, Luc. XVII. 37. non de aquilis intellectum volunt, ſed de vulturibus.

TAB. DLXXXVI.

Prov. Cap. XXX. verſ. 18. 19.

18. Tria hæc excellentia ſunt, ac ſupra captum meum, & (a) quartum penitus ignoro.

(a) Quatuor.

19. Viam aquilæ in aëre, viam ſerpentis ſupra petram, iter nauis in pelago, & viam viri cum adoleſcentula.

18. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.

19. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.

Addendum ſequens proximè comma 20. *Talis eſt & adulteræ via, quæ, ubi comederit, extergit os ſuum, & dicit: Nihil mali feci. (Talis eſt & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: Non ſum operata malum.)* Senſus breuiter huc redit, tot eſſe adultero & mœchæ dolos & fraudes, ut ſalacitatis ſuæ effrænis compotes reddantur, quæ haud facile queant detegi. In teſtes voco Conſiſtoria matrimonialia, quæ ſæpe vix ac ne vix quidem, neque minis neque blandiſſimis verbis, ne carceribus quidem & torturis rerum inter illos actarum veritatem exquirere valent. Varias haſce & miras fraudes, occultas artes, comparat Solomon cum via *aquilæ,* & ſic aliarum quarumuis auium, *in aëre,* ubi nullum ſui volatus relinquunt veſtigium: porrò cum *via ſerpentis ſupra petram,* ubi nulla viſuntur reptatus indicia, tertiò cum *itinere nauis in pelago,* ubi iterum aquæ ſulcatæ ſeſe mox claudunt, & complanant. Ubi non eſt corpus delicti, non infans ab adultera in lucem miſſus, & nulla reorum confeſſio, non eſt inquiſitioni locus. *Juuenal. Sat.* 6.

- - - Nihil eſt audacius illis
Deprenſis, iram atque animos à crimine ſumunt.

Utut via nauis in aquis inter res, vel impoſſibiles referatur, vel admodum ſaltem difficiles, fuere tamen, qui Problemati huic ſoluendo na-

uarunt operam. Hos inter laudari meretur *de Saumarez*, qui Nauticæ artis perficiundæ ergò machinam excogitauit, *the marine ſurveyor*, cujus beneficio iter nauis mare ſulcantis ad minuta usque determinari poteſt. *Tranſact. Philoſoph.* n. 391. Ad vias nauis in mari pertinet intricatiſſimum illud ſimul & nauigationi utiliſſimum Problema de inueniendis *longitudinibus*, in quo deſudarunt hactenus præcellentiſſimi quique Mathematici.

TAB. DLXXXVII.

Prov. Cap. XXX. verſ. 24-28.

24. Quatuor iſta minima ſunt inter terreſtria, ſed ſapientia ſuperant vel prudentiſſimos.

25. Formicæ, populus imbellis, quæ tamen in meſſe cibum ſuum parant.

26. (a) Cuniculi, gens minimè potens, attamen in petra domicilium ſuum collocant.

(a) Quidam murem montanum eſſe putant, & videtur hîc quadrare.

27. Locuſtæ, quæ etſi Regem non habeant, turmatim tamen proficiſcuntur uniuerſæ.

28. (b) Araneus utrunque (c) latus adprehendit, & eſt in palatiis Regum.

(b) Pro araneo alii legunt ſtellionem aut lacertam, non ineptè.

(c) Vel, manibus ſuis.

24. Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus.

25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi.

26. Lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile ſuum.

27. Regem locuſta non habet, & ingreditur uniuerſa per turmas ſuas.

28. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

PLus quam ſemel innuimus hactenus, ex minimis animalculis elucere maximam DEI & Potentiam & Sapientiam. Agnouere hanc veritatem ipſi Gentiles. *Plin.* L. XI. c. 2. *Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorumque colla, & truces in ſublime jactus, Tigrium rapinas, Leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota ſit.* Et ſanè, ſi conſideremus illorum operationes perfectas, ſenſus, viſum, odoratum, guſtum, exquiſitiſſimos, vocem, generationem, ſtructuram, actiones & paſſiones, non poſſumus non admirabundi venerari infinitam, quæ per illa omnia ſeſe manifeſtat, Sapientiam, nempe Creatoris.

Primum, quod conſideratione attenta dignum judicat Solomon, ſeu animal ſeu animalculum *formica* eſt. *Formicæ, populus imbellis, quæ tamen in meſſe cibum ſuum parant.* Conf. Prov. VI. 8. *Paruula Horatio, minimum animal Plinio,* βαιότατον, *minutiſſimum Philippo in Epigrammate.* Nil morentur nos formicæ illæ vulpinæ magnitudinis Indicæ, *Herodoto* & *Megaſtheni* in *Arriano* memoratæ, quæ aurum effodiunt & ſeruant, dudum *Straboni* Lib. II. & XV. inter fabulas relatæ. Et notum ex *Agatharchide*, *Strabone*, Interpretibus Græcis ad Job. IV. 11. vocatos fuiſſe in Arabia Troglodytica Leones quosdam μύρμηκες, μυρμηκολέοντες, quos pro formicis ſumſerat ignara antiquitas. Solomoni prudens animal cluet formica, ita & *Horatio:*

- - - utitur ante
Quæſitis ſapiens.

Epiphanio in *Phyſiologo* θυμόσοφον, *ſapienti animo, Æliano incredibili ſapientia*, σοφίᾳ τινὶ ἀποῤῥήτῳ, latebras ſuas excauat. Adeò magni fecerant animalculi hujus Sapientiam Ægyptii, ut inter Hieroglyphica ſymbolum fuerit ſcientiæ. Γνῶσιν δὲ γράφοντες μύρμηκα ζωγραφοῦσιν. *Horus Apollo* L. I. c. 45. Solent Arabes infanti recens nato formicam tradere in manum, addito voto, ut ſedulus fiat & ſapiens. Vetuſtiſſimis Græcis, uti *Heſiodo*, formica audit ἴδρις, id eſt, erudita, experta.



PROV. Cap. XXX. v. 28.
Aranea prudentiæ exemplar.

Spr. Sal. Cap. XXX. v. 28.
Die Spinne ein Muſter der Klugheit.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

perta. Scholia: ἴδρις, ἔμπειρος. λέγει δὲ τὸν μύρμηκα, ὡς προγινώσκοντα ϗ ἀνέμους, ϗ ἀναισίους ἡμέρας, quoniam ventos & dies incommodos præſcit. *Platoni* ſi fides eſt in *Phædone*, homines compti, politi, πολιτικὸν ϗ ἥμερον γένος, poſt vitæ ultima fata transmutantur in apes & formicas, & hæ iterum in ἄνδρας μετρίους, *homines benè moratos.* Quin imò formicæ *Cleanthi* argumentum ſuggeſſere pro brutorum ratione, ut legere eſt apud *Plutarchum* & *Ælianum. In formica non modò ſenſus, ſed etiam mens, ratio, memoria. Cicero* L. III. de *Nat. Deor. Plinio* ſi credimus, miſcent formicæ ſermones mutuos. *Quæ earum concurſatio? quam diligens cum obuiis collocutio, atque percontatio?* En errorum originem ex præcipiti nimis concluſione! Peragunt animalcula hæc operationes ſuas exquiſito ordine, ergò ratione ſunt prædita. Forma concluſionem ex pari. Oſtendit horologium horas, minuta, Stellarum tum Fixarum tum Erraticarum motus regulariſſimos, ergo & huic ineſt ratio. Hodie eodem planè modo mouetur, ut heri, ergò prædita eſt memoriâ. Hujusmodi argumentationes ſi valent, diffiteri haud poſſumus, ſapientiâ, aliisque animi donis præcellere animalia ipſis hominibus, quoniam exactius nobis res ſuas peragunt. Sanè in formica ſola reperit *Plutarchus* virtutes omnes, veluti combinatas, quam proin nobis ad imitationem ſiſtit ὡς ἐν κατόπτρῳ Οὐδὲν οὕτω μικρὸν ἡ Φύσις ἔχει μειζόνων ϗ καλλιόνων κάθοπτρον. ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν σταγόνι καθαρᾷ πάσης ἔνεστιν ἀρετῆς ἔμφασις. Laudat autem in iis cumprimis fortitudinem, temperantiam, prudentiam, juſtitiam, amicitiam. Nos, licet animalculis his neque rationem tribuamus, neque virtutem propriè ſic dictam, habemus tamen multa, quæ ab iis, imò à tota natura, diſcamus, & ad uſus noſtros applicemus; ut optimo jure ducat Solomon pigrum ad formicam Præceptorem. Prov. VI. 6. ad quem locum de formicarum actionibus plura diſſeruimus.

Audiunt Solomoni formicæ *populus imbecillis* עַם לֹא־עָז *am lo az*, non fortis, minimè fortis, parua, aliis, vel pluribus, impar, Respublica, quia gregaria ſunt animalia. Tribuit illis quoque *Plutarchus Lib. an ſeni gerenda ſit Respublica*, τὸ κοινωνικὸν καὶ πολιτικὸν, vitam communem, ciuilem. Apud *Ælianum* L. VI. c. 43. legas, formicas majores ſuperatis culmis ſpicas demorſas dejicere τῷ δήμῳ τῷ κάτω, plebi prædam præſtolanti, minoribus nempe formicis. *Phocylides* laborioſum populum nuncupat:

— Φῦλον δ᾽ ὀλίγον τελέθει πολύμοχθον.

Lucianum ſi audimus in *Icaro Menippo*, ſtatum conſtituunt Democraticum, loquitur quippe de concione totius popelli, μυρμήκων ἀγορᾷ. Sed *Philippus Anthol.* L. I. c. 43. vocat exercitum, ὁ γῆς στρατὸς, nempe reſpectu numeri potius quàm virium, quia *imbecillis* ſunt *populus.* Hinc Arabes de imbecillo homine, eſſe *formica debiliorem*, ſed quoque de forti, eſſe *formica fortiorem.* Unica pedis planta centenæ plures calcari poſſunt & comprimi, non tamen reperias animal, quod reſpectu magnitudinis ſuæ grauiora geſtet onera, quàm fert ipſa formica. *Ouid. Met.* L. VII.

Grande onus exiguo formicas ore gerentes.

Plinius: Si quis comparet onera corporibus, earum fateatur nullis portione vires eſſe majores. Ambroſius: Exigua eſt formica, quæ majora ſuis audet viribus. Sunt Arabibus hujusmodi formulæ loquendi frequentes, qui ut ab aliis animantibus, ita quoque à formicis ſententias mutuantur ingenii plenas, & in ipſo ſuo Alcorano Solomonem cum formicis colloquia inſtituiſſe tradunt. Sed fabulas has ipſis linquimus, hoc illis concedentes, quod *Euthymius* habet ex Saracenis Doctoribus, intellexiſſe ſapientiſſimum Regem τὰ τῶν μυρμήκων μυστήρια.

Verſ. 26. *Cuniculi, gens minimè potens, attamen in petra domicilium ſuum collocant.* De voce שָׁפָן, *ſchaphan*, legantur, quæ ſcripſi ad Leuit. XI. 5. ibique oſtendi, non tam intelligi debere cuniculos, quàm *murem* quendam *montanum*, fortè quem *alpinum* nuncupamus, quem & dignum judicauit Latina noſtra inſeri Gloſſis marginalibus.

Verſ. 27. *Locuſtæ, etſi Regem non habeant, turmatim tamen proficiſcuntur uniuerſæ.* In Hebræo Textu legitur אַרְבֶּה *arbeh*, vox in Leuitico quoque obuia, deſcendens à radice רָבָה *rabbah, multum eſſe, multiplicare.* Τὸ *proficiſci* expeditionem notat militarem. Ita profectus eſt, vel *egreſſus Aſſur, & ædificauit Niniuen.* Gen. X. 11. Ita *ſolebant Reges egredi*, nempe ad pugnam. 2. Sam. XI. 1. Regibus ſic egreſſis jus competebat diſpartiendi prædam. Sed in locuſtarum expeditionibus ſunt res primi occupantis, חֹצֵץ כֻּלּוֹ *chotſets cyllo, dimidians totum ipſum*, vel, *una quæque ſibi diuidens*, rapit quælibet, quod offendit cunque. Noſtra Verſio ita, *turmatim proficiſcuntur uniuerſæ, ſie ziehen alle Schaaren-weiſe daher.* Sic & LXX. ἀβασίλευτόν ἐστιν ἡ ἀκρὶς, ϗ ἐκστρατεύει ἀφ᾽ ἑνὸς κελεύσματος εὐτάκτως. Ita & Chaldæus, Syrus, Arabs. Sed hæc Philologis linquo, ad alia progreſſurus.

Verſ. 28. *Araneus utrunque latus apprehendet, & eſt in palatiis Regum.* De hoc animali litigant Interpretes. Originalis vox eſt שְׂמָמִית *ſemamith.* Diſſentiunt ipſi Judæi, quorum alii *lumbricum terreſtrem* volunt, *inſectum volatile* alii. R. *Jonæ* placet Arabum *chottaph*, *hirudo*, ſeu Chaldæorum & Talmudiſtarum סְנוּנִית *ſenunith*, Turcis & Perſis hodieque *ſününu, ſünunüwet, ſünunijet. Meninzk. Lex.* 2691. Sed auis hæc huc plane non quadrat, utpote neque manibus, quibus apprehendat quid, prædita, neque *minimis animalibus inter terreſtria*, imo ne quidem *terreſtribus* annumeranda.

da. Suffragium *Simiæ* dant *AbenEzra*, *Emmanuel* & *Kabuenaki*, docili & ſedulo animali, manibus prædito, in Regum palatiis enutriri ſolito; imo ſunt, qui ab ipſo noſtro *Semamith Simiam* deducunt. Sed malè, deriuatur quippe *Simia* à *ſimis naribus*, hinc & *enaris* dicta. Affine videtur quodammodo Turcarum *meimun*, *maimun* & Italorum *maimone*. *Meninzk. Lex.* 5079. Pro *aranea* tandem militant R. *Leui*, *Kimchi*, *Elias*, utpote cui characteres in Textu expreſſi conueniunt apprimè; obuium animal non in caſis ruſticorum duntaxat, ſed ipſis quoque Principum Palatiis, & pedibus ceu manibus telam ordinat. Hanc adoptant non ſolùm Tigurinæ Verſiones, ſed pleræque Europææ, haud animaduertentes, quod araneæ nomen in Lingua Hebræa non ſit שְׂמָמִית ſed עַכָּבִישׁ *accabhiſch*, in Chaldaica עַכּוֹבִית *accobhith*, in Arabica *ancabuths*, *ænkebut*, *ækenbat*. Pl. *ænakib*. *Meninzk. Lex.* 503. 3344. Id verum, apud Scriptores profanos paſſim digitorum, non manuum, nomine venire aranearum pedes. *Ariſtophanes* in *Ranis Act.* 5.

Εἱλίσσετε δακτύλοις φάλαγγες ἱςότονα πηνίσματα.

Digitis torquete, o araneæ, licia quibus textorium jugum intenditur.

Ouid. Met. L. VI. *Fab.* 2.

In latere exiles digiti pro cruribus hærent.

Sed poſito, poſſe verti animalculi hujus pedes in manus, uti certè bini anteriores manuum & digitorum officio funguntur, non tamen Solomon dixiſſet, *apprehendere* araneam *manibus ſuis*, ſed nere, verùm non, quod infra videbimus, manibus, ſed podice potius. Imo forſan non dixiſſet, morari *in Regum palatiis*, ubi vix toleratur, ſed potius in pauperculorum caſulis, qualis fuit *Euclionis* illa, ubi

- - nihil eſt quæſti furibus,
Ita inaniis ſunt oppletæ, atque araneis.

Plaut. in *Aulularia*. Notum pactum illud inter podagram & araneam initum, vi cujus illa diuerſari debeat in ædibus ſuperbis, vaſta mole conditis, hæc in tuguriis humilibus, muſco horrentibus. Hinc apud Latinos *araneas in ædibus*, *in arca*, *in vaſis*, *in loculis habere* idem ſonat, quod miſere viuere, vitam in tenebris & paupertate tranſigere. *Afranius* apud *Feſtum*.

Tamne arcula tua plena eſt aranearum.

Celeberrimus *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. c. 22. allatis & adferendis mox rationibus commotus per שְׂמָמִית noſtrum intelligit *ſtellionem*, lacertæ genus. En cur! Habent LXX. καλαβώτης, *ſtellio*, quem *Complutenſes* & *Mercerus* piſcibus accenſent, ſed lacertis rectius omnes alii. Habet & *Hieronymus ſtellionem*, & ex eo Latina noſtra in Gloſſis. Syriaca Verſio *amaktha*, *amkatha*, quam vocem *Gabriel Sionita* exponit per lacertam. Chaldæus *akmetha*. Modernis quoque Græcis σαμιαμίνθη, σαμιάμινθος in *Gloſſario Græc. du Freſne* eſt *ſtellio*, voce manifeſtè deriuatâ ab Hebræo שְׂמָמִית. Gloſſæ Græcæ: Ἀσκαλαβώτης, τὸ σαμιαμίνθη. *Geſnerus* legit θαμίαμινθος & ψαμαμύθη, *Bellonius Samiamitos*. Turcæ moderni *Sami ebræs*. *Meninzk. Lex.* 5366. Sunt Hebræi Codices, qui habent שְׁמָמִית *ſchemamith* cum שׁ *ſchin*, ſed optimi Hebræorum שְׂמָמִית *ſemamith* cum שׂ *ſin*, Talmudici סְמָמִית cum ס *ſamech*. Radix eſt סָמַם *ſamam*, vel סָם *ſam*, *venenum*. Eſt quippe in Orientalibus Regionibus lacertæ hæc ſpecies venenata admodùm, Græcis hinc Σαῦρα φαρμακὶς, vel φαρμακῖτις. Ita *Nicander Alexiph.* v. 537.

Φαρμακίδος Σαύρης πολυμήδεος, ἥν Σαλαμάνδρην
Κλείουσιν - - -

Quæritur nunc, quomodo huic animali conueniant, quæ Solomon tradit. Adnumerat id *minimis terræ*, ἐλαχίςοις τῆς γῆς. Ita quoque *Ouidius*.

Inque breuem formam, ne vis ſit magna nocendi,
Contrahitur, paruaque minor menſura lacertâ eſt.

Claudianus in *Cereris Ærumnis*.

Apparent maculæ, forma eſt breuis, illita cauda
Surgit, & exiguæ ſimilat vaga membra lacertæ.

Porphyrius apud *Euſeb.* L. V. *Præparat.*

Ζώοισιν λεπτοῖσι κατοικιδίοις σκαλαβώταις.

Paruis animalculis, domeſticis ſtellionibus.

Sapientia, ſiue indefeſſa ſedulitas conſtat inprimis ex vitæ genere, & muſcarum captura, quæ admirationi fuit *Auguſtino* L. X. *Confeſſ.* c. 35. *Quid, cum me domi ſedentem ſtellio muſcas captans, vel aranea retibus ſuis irruentes implicans, ſæpe intentum facit? Plinius* L. XXX. c. 10. *nullum animal fraudulentius inuidere homini.* Rex noſter ſapientiſſimus, *utrunque latus* (manibus) *apprehendere*, & *eſſe in palatiis Regum*: Nihil inuoluunt manus vel brachia difficultatis. Ipſi *lacertæ* vel *lacerto* nomen venit à *lacertis*, brachiis; Græcorum κωλώτης, ſtellio deriuatur ἀπὸ τοῖς κώλοις, ſunt autem κῶλα manus pedesque. Sunt namque manus lacertæ bini pedes anteriores,

riores, digitati, qui ſanè manibus ſimiliores longè ſunt, quàm araneæ pedes, & *manuum* nomine veniunt *Auicennæ* & *Damiri*, Arabibus. Τὸ *apprehendere* igitur explicari poteſt vel de modo, quo per rami alicujus inferiorem partem progrediendo digitis prehendit prominentes corticis partes, vel de captura muſcarum aut aranearum. LXX. habent καλαβώτης χερσὶν ἐρειδόμενος, *Hieronymus*, *ſtellio manibus nititur*. Reſpiciunt proin hi ad greſſus. Reſtat nunc inquirenda mora in *palatiis Regum*. Animal eſſe domeſticum extra dubium vertitur. Κατοικίδιοι σκαλαβῶται, *domeſtici ſtelliones*, *Porphyrio* apud *Euſebium*. *Suidas*, *Etymologus*, *Phauorinus*, alii, ita hoc animal definiunt: ζωΐφιον ἐοικὸς σαύρᾳ ἐν τοῖς τοίχοις τῶν οἰκημάτων ἀνέρπων, *animalculum lacertæ ſimile in muris ædium proſerpens*, unde τοιχοβάτης audit *Kiranidi*, Catalaunis *Dragon de las Caſas*. *Niphus in Ariſtotelem*, & *Ponzettus Lib. de venen.* degere cumprimis in maceriis ſeu ruderibus antiquis. *Marcellinus* apud *Hermolaum*, etiam in nouis. *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. I. in ſepibus. *Plin.* L. XXX. c. 10. *in locis hoſtiorum feneſtrarumque aut cauernis ſepulcriſue. Arnob.* L. VI. *ſub ſimulacris cauis nidamenta ponit. Matthiol. in Dioſc.* L. VI. c. I. *in cauis murorum prope terram.* Idem atteſtari poſſumus & nos de noſtris lacertis. Quid proin impedit, quò minus degere quoque poſſint in palatiis Regum & Principum amplis, ſaxeis, vetuſtis, fiſſuras ſæpe capientibus. שְׂמָמִית ſi ſtellio eſt, ut ſanè potiora pro ea militant argumenta, omittere omnino potuiſſet Vernacula noſtra parentheſin, *ihren Faden, die Spinn faſſet mit beyden Händen (ihren Faden.)* De *filo* quippe nil legitur in Textu originali.

Quamuis שְׂמָמִית *ſtellio* ſit, haud tamen extra oleam vagari me puto, ſi vel in gratiam Verſionum noſtrarum & plerarumque Europæarum, ſed & Lectoris, & inprimis ad Creatoris ſummi laudem potiſſima in medium protulero, quæ moderna ætas detexit circa *aranearum* indolem, vitam & textoriam artem.

Sunt araneis omnibus partes tum duræ, tum molles, *pilis* hirtæ; *oculi*, qui plures ſunt, & magnitudinis variæ, nudi, palpebris deſtituti, inuolucro ſiue operculo duro, læui, polito, diaphano tecti: in anteriori capite *forceps* cancrino ſimilis, cruſtâ dura munitus, articulatus cum fronte, ſed mobilis, isque duplex, qui ipſis inſeruit ad capiendam & apprehendendam prædam, eamque ori, quod retrò ſtatim eſt, admouendam. In extremo horum forcipum uncus eſt recuruus, mobilis, ungulæ felis ſimilis, quo non ſolùm firmiter teneri poteſt præda, ſed & ori apprimi. *Pedes* octo, articulati, uti cancri, in extremitatibus ſuis, binas inter ungulas, donati *ſpongiolâ*, quæ & muſcis adeſt, & omni attentione digniſſima ſingulare Diuinæ Prouidentiæ τεκμήριον. Hujus ſpongiolæ, viſcoſo humore ſemper madidæ, beneficio incedere poſſunt ſuper vitra e. g. ſpeculorum politiſſima, & corpora quæuis læuia. Siccatur ſenſim hoc gluten, hinc eſt, quod araneæ, quò ſunt adultiores, eò ſint ad incedendum ſuper vitra plana ineptiores. Obſeruatur idem circa texturam filorum, cui vel perficiundæ vel reſtaurandæ, ſi rupta fuerit tela, eſt aranea ſenex inepta, quæ hinc juniorem quandam ejusdem generis nido expellit, & telam ab hac jam formatam occupat. Præter octo pedes jam memoratos adſunt ad capitis anteriora bini alii, qui manuum funguntur officio, pro arripienda, & hac illacue mouenda præda. Circa *anum* obſeruari merentur *mammillæ* quatuor paruæ in omnes partes mobiles, ex quarum medio prodit viſcoſus humor in fila trahendus. Anguſtari poteſt textorium hoc foramen, filum proin duci nunc tenuius, nunc craſſius: clauſo verò vel conſtricto poteſt ſuſpendi in libero aëre aranea, relaxato demitti, & texendo ultra progredi. *Telam* format animalculum hoc ſequenti modo. Fabricatura in angulo cujuspiam conclauis telam, aperit quadrimammillarem anum, guttulamue viſcidi illius humoris parieti apprimit, hinc progrediens ad alterum parietis latus, & ſecum ſemper per totam viam ducens filum heic iterum alteram fili tenſi prius extremitatem affigit, qua operatione primum, quod intenderat, filum eſt ductum. Eadem ratione ſemilineæ circiter ſpatio à priori ducit ſecundum, cum priori parallelum, & ita porrò ſequentia. Stamine hoc in lineis parallelis ducto bina texit fila cruciatim, quæ ſubtegminis nomen merentur, & quia recentia ſunt atque viſcoſa prioribus illis filis agglutinata hærent, proinde texturam firmant. Firmatur inſuper tela ab aranea ipſa, quæ non ſolùm transuerſalia fila prioribus apprimit podice, ſed etiam limitanea ultima fila triplicat, vel & quadruplicat. Sat materiæ habet aranea quæuis pro duabus tribusue telis nouis, modò non prima fuerit diffuſa nimis. Sed exhauſtâ omni materiâ aliam jam factam telam quærere neceſſe habet, in vicinia forte textam à juniori quadam aranea, quæ non unam duntaxat fabricari ſolent. Recenſito hactenus modo fiunt telæ in ædium ſiue conclauium angulis. Videndum nunc, quomodo texantur in hortis & plateis, in aëre libero. Aëre tranquillo inſidens 6. pedibus ramo cuidam, vel parieti, aranea ducit binis pedibus poſterioribus filum duarum triumue ulnarum, committit id aëri fluctuanti, donec à vento pellatur ad alium quendam ramum, vel murum, ubi ob viſcoſitatem ſuam agglutinatur ſponte; ut autem certa ſit de firma adhæſione, attrahit id, tendit, & mox podice apprimit. Inſeruit primum hoc filum pontis loco vel ſcalæ, per quam eat, & eundo duplicet illud, porroque triplicet & quadruplicet, pro longitudinis ratione. Mox verò medio huic ponti inſiſtens nouum aliud pedibus protractum filum aëri committit, usque dum alibi à vento agitatum adhæreſcat, trahitque tendit-

 que

que iterum ſecundum hoc filum ut prius. Hac ratione procedit in centro regiæ ſuæ conſiſtens cum multis aliis. Radiis ſiue telæ ſemidiametris factis, progreditur à fine unius diametri ad finem alterius diametri, & progrediundo ducit filum primum transuerſum, in cujus medio conſiſtens nouum filum ducit ad telæ centrum: hac ratione tot ducit, quot opus habet, diametros. His omnibus ductis, iterum centrum ſuum repetit, & nouum ibi paratum filum in linea ſpirali circumducit ab una diametro ad aliam, usque dum tela fuerit pertexta. Eſt & alius modus non minus curioſus, quo transuerſim per plateas, imo & flumina fila ducunt. Suſpenſæ ex filo, capite tenus vento expoſitæ ſeſe committunt ipſas agitationi caſuali, qua ſi locum fixum haud repererint, panſis pedibus auræ ſoli ſeſe tradunt. Tela ſi fuerit pertexta, collocat ſeſe aranea in medio ejus, capite deorſum tendente, forſan ad euitandum nimium lumen, & ut graue ventris onus tanto facilius ſuſpendat è pedibus. Heic, in medio telæ, degit interdiu, ſed noctu, vel pluuia cadente, vel vento forti ſpirante, in aliud ſeſe recipit, quod ſibi parauit, forte ſub arboris folio, vel alibi loco ſecuro, & plerunque altiori, domicilium. Obſeruatur quippe aſcenſus animalculi hujus facilior deſcenſu. Parato ſic reti ſi forte aduolat muſca, arripit eam mox prædo forcipibus ſuis, & nido infert, eâ victurus: ſi magna nimis illa, quàm ut aliorſum transferri queat, inuoluitur nouis araneæ filis, & circumligatur adeò arctè, ut neque pedes mouere queat, neque alas, ſed mox capta hæc & vinculis conſtricta præda in nidum protrahitur. Si muſca fuerit araneæ inuicta prorſus, liberat hæc ipſa illam filis, vel & telæ partem diſcindit, ut aureo veluti ponte ſtrato illa auolare queat, ſed mox texturam ruptam reparat.

Non animus eſt, integram ſcribere Archneologiam, neceſſe tamen autumo præcipuas aranearum in Europa ſaltem obuiarum notare differentias. Reducuntur eæ potiſſimùm ad 6. genera, diſtincta inprimis oculorum ſitu, non tamen diſtinctim in Tabula expreſſa.

1. *Araneæ domeſticæ* 6. ſunt oculi parui, in ouali frontis linea locati. Hæc telam ſuam pandit in angulis ædium & conclauium. Cutim ſuam quotannis mutat, ut cancri, in ipſis quoque pedibus, vitam ſuam ultra quadriennium protendit, quo temporis interuallo pedibus potius craſſeſcit, quàm corpore reliquo. Eodem loco haud manet diu, ſed ſedem mutat, quin imo clauſa emoritur. In climatibus calidioribus, quale eſt Neapolitanum, morbo quodam correpta ſquamoſa redditur, & aſpectu fœda, moriturque Phthiriaſi.

2. *Aranea hortenſis* telam conficit amplam circularem, in libero aëre, 4. habet oculos magnos in medio fronte, & binos minores ad latus quoduis: coloribus variat, albo, cinereo, viridi.

3. *Aranea cellerαria*, macerierum quoque & veterum ruderum hoſpes, quatuor duntaxat oculis eſt prædita, duobus in medio fronte, duobus in utroque capitis latere; nigra, admodùm villoſa, breuipes, corpore fortis, maligna, longæua magis aliis, ſi quidem paucorum annorum ſpatium longæuitas dici poteſt. Defendit ſe hæc contra aggreſſorem, & inſtrumentum, quo prehenditur, mordet. Transfixo licet ventre per biduum vitam protrahit, quo vulnere aliæ breui pereunt. Hæc non integram texit telam, ſed fila duntaxat ducit 7. vel 8. digitos longa ex nido ſuo tanquam centro. Aduentante muſca ejaculatur ſe protinus prædam captura, & ipſas quoque veſpas forcipibus ſuis prehendit & ſuperat.

4. *Aranea vagabunda* non eodem nido hæret, ſed hinc inde vagatur venatui incumbens. Bini ei ſunt oculi magni in medio fronte, duo minores ad finem frontis, duo in occipite, & duo in vertice capitis. Variant hæ magnitudine & coloribus, albo, nigro, rubro, cinereo, maculatæ quoque variè. Quintum par pedum, qui manuum vice funguntur, in extremitatibus ſuis non habet ungulas, ſed plumoſam veluti criſtam, quâ muſcas captat, harumque motum ſiſtit.

5. *Agreſtis aranea, Feld-Spinn, Zimmer-Spinn*, Gallis *Faucheur*, compreſſo eſt & diaphano capite ac ventre. Nigri coloris macula magna conſpicitur in capite; bini parui oculi nigri proximè ſibi ſiti, tres alii utrinque majores veluti in triangulo diſpoſiti utrinque ad latus, in quadam prominentia. Crura tenuia ſunt & longa, ſed brachia breuia, carnoſa; villoſi adeò ſunt pedes, ut ſub microſcopio videantur toti plumis obſiti.

6. *Tarantula*, aranea ex maximis & fortiſſimis. Hujus pedes, & ima ventris pars albi ſunt coloris, nigris maculis notati; ſed ſupernâ & anteriori parte prædominatur color niger. Caput & pectus muniuntur clypeo nigro, uti teſtudo: oculi ſunt albi, & fului fulgentes 4. majores in medio fronte formâ quadrati, & 4. minores ab ante lineâ rectâ diſpoſiti. Malitioſæ ſunt indolis, imo pernicioſæ, cumprimis in Regno Neapolitano. De miris earum effectibus, tarantiſmo, ejusque cura, ſic & de reliquarum aranearum uſu & noxa, ſpeciatim de *ſerico aranearum*, cujus inuentor eſt Illuſtris *Franciſcus Xauerius de Bon*, Sereniſſimo Galliarum Regi à Conſiliis, ſupremi Senatus, qui Monſpelii eſt, Præſes, vir authoritate & meritis grauis, de his inquam, plura dicenda forent, ni temporis & loci habenda eſſet ratio. Legatur *Martinus Liſter Tract. de Araneis*: Prælaudati Ill. *de Bon Diſſertation ſur l'utilité de la Soye des Araignées, Montpellier*. 1726. 8. *Memoires de l'Acad. Roy.* 1710. p. 386. 1707. p. 339.

Tractationem hanc illuſtraturæ claudant icones ſequentes.

Fig. 1.

RPJCB

PROV. Cap. XXX. v. 29. 30. 31.
Animalia magnificè incedentia.

Spr. Sal. Cap. XXX. v. 29. 30. 31.
Hochtrabende Thiere.

I. A. Fridrich sculps.

Fig. 1. *Stellio* eſt, qualem ex Codice antiuiſſimo Dioſcorideo ſiſtit *Lambecius Comm. Bilioth. Cæſ.* L. VI. p. 294. 299.

Fig. 2. *Tarantula*, unà cum capite, oculis : forcipibus ſub microſcopio.

Fig. 3. Sub microſcopio exhibet oculorum itum & forcipes in aranea domeſtica.

Fig. 4. Eædem partes in aranea hortenſi.

Fig. 5. Dictæ partes in aranea celleraria.

Fig. 6. Aranea vagabunda.

Fig. 7. Caput, oculi & forcipes in aranea :ampeſtri.

Fig. 8. Araneus venatorius major piloſus lomeſticus, fuſcus, pedibus maculis nigris noatis. Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* II.). 195. Tab. 235. Fig. I.

Fig. 9. Araneus cancriformis major, reticulum ſpirale texens, è flauo & nigro varius, abdomine ſpinulis obſito. Id. p. 196. Tab. 235. Fig. 3.

Fig. 10. Araneus cancriformis minor campeſtris, reticulum ſpirale texens, abdomine ſupina parte albo, & ſex ſpinulis ad latera obſito, quaſi encauſto obducto, maculis nigris notato. Id. p. 197. Tab. 235. Fig. 4.

Fig. 11. Araneus minor cinereus compreſſus, maculis fuſcis notatus, pedibus longiſſimis. Id. Tab. 235. Fig. 5.

Fig. 12. Araneus minor reticulum ſpirale texens, abdomine è fuſco purpureo, albis maculis notato. Id. p. 198. Tab. 235. Fig. 6.

Fig. 13. Araneus domeſticus, reticulum tenue texens, medius fuſcus. Id. Tab. 235. Fig. 7.

TAB. DLXXXVIII.

Prov. Cap. XXX. verſ. 29. 30. 31.

29. Hæc tria benè incedunt, imo quatuor belle incedunt.

30. Leo, qui heros eſt inter belluas, nec à cujusquam conſpectu fugit.

31. Canis (*a*) venaticus, aries, & (*b*) rex Alkum.

(*a*) Ebr. aſtrictus lumbis. Ein Wind. Alii legunt, firmis lumbis vel iliis.

(*b*) Alii, Rex, cui reſiſti non poteſt.

29. Tria ſunt, quæ benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter.

30. Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.

31. Gallus ſuccinctus lumbos ſuos: & aries, nec eſt rex, qui reſiſtat ei.

L*Ajiſch*, לַיִשׁ, quod ex hoc Textu conſtat, non ſignificat Leonem elumbem, ſenio confectum, ſed fortem, viribus integrum. γένος λεόντων μακρότερον, καὶ εὐθύτριχον ἀνδρειότερον. *Ariſt. Hiſt.* L. IX. c. 44. *Leonem longo ſimplicique villo, contemtorem vulnerum. Plin.* L. VIII. c. 16. Ab Hebræo haud dubiè deſcendit Græcorum λῖς, quo paſſim utuntur Poëtæ, & Aquila ad Job. IV. 11. ubi ut & Pſ. XXXIV. 11. de hoc Leonum genere vide plura, ſic quoque Jud. XIV. 18. de ejus robore. Et quid ſi nos Germani quoque mutuati fuiſſemus noſtrum *Löw*, *Leii* ab Hebræo *lajiſch*, imo Europæi forſan omnes ſua Leonum nomina.

Quæ heic Solomon effatur de intrepiditate Leonis, quod *non à cujusquam conſpectu fugiat*, congruunt iis, quæ *Homerus* habet *Iliad.* μ′. v. 299.

—— ὥστε λέων ὀρεσίτροφος, ὅς τ᾽ ἐπιδευὴς
Δηρὸν ἔῃ κρειῶν, κέλεται δὲ ἑ θυμὸς, ἀγήνωρ
Μήλων πειρήσαντα, καὶ ἐς πυκινὸν δόμον ἐλθεῖν.

Ἔιπερ γάρ χ᾽ εὕρησι παρ᾽ αὐτόφι βώτορας ἄνδρας
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα
Ὀυ ῥά τ᾽ ἀπείρητος μέμονε σαθμοῖο δίεσθαι,
Ἀλλ᾽ ὅγ᾽ ἄρ᾽ ἥρπαζε μετάλμενος, ἠὲ καὶ αὐτὸς
Ἔβλητ᾽ ἐν πρώτοισι θοῆς ἀπὸ χειρὸς ἄκοντι.

Sicut Leo in montibus nutritus, jam diu
Carnium indigens, quem impellit animus ſuperbus
Oues tentaturum etiam in denſam caulam ire.
Et ſi inueniat apud ipſos paſtores viros
Cum canibus & haſtis, cuſtodiam agentes circa oues,
Non tamen re intentata à caula pelli ſuſtinet,
Sed aut is rapit tranſiliens, aut etiam ipſe
Vulneratur inter primos jaculo ab expedita manu emiſſo.

Junge *Virgilium Æneid.* L. IX.

—— ceu ſæuum turba Leonem
Cum telis premit infenſis, at territus ille
Aſper, acerba tuens, retrò cedit. Et neque terga

 Ira

Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra
Ille quidem, hoc cupiens, potis eſt per tela viroſque.

Plin. L. VIII. c. 16. *Quamlibet magna canum & venantium urgente vi, contemptim reſtitansque cedit in campis, quamdiu ſpectari poteſt.* Hujusmodi teſtimonia legas quoque apud *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 44. *Ælian.* L. IV. c. 34. In prima acie heîc Leo ſtat inter res, quæ *benè, bellè incedunt*, magnificè, מֵטִיבֵי צָעַד *metibhe tſaad*, vel מֵטִיבֵי לָכֶרֶת *metibhe lacheth.* Id vocat *Ariſt. Hiſt.* L. II. c. 2. applicatiuè ad Leones, & Camelos, Arabicos & Bactrianos, κατὰ σκέλος βαδίζειν, *pedatim incedere.* Et in *Phyſiognomicis* Philoſophus Leoni tribuit βάσιν νεανικὴν, *juuenilem greſſum*, qui tardis fit paſſibus, ſed grauibus, βαδίζων βραδέως, καὶ μεγάλα διαβαίνον, καὶ διασαλεύων ἐν τοῖς ὤμοις, ὅταν πορεύεται. Sunt Arabibus peculiaria nomina, quibus magnificos hos Leonis greſſus exprimunt.

Sequitur זַרְזִיר מָתְנַיִם *zarzir mothnajim*, quod propriè ſonat, *adſtrictus lumbis.* Latina noſtra reddit *canem venaticum*, Vernacula *Jagd-Hund*, addita veluti exegeſi *von ſtarcken Lenden.* Sed aliud eſt, habere conſtrictos, tenues lumbos, aliud fortes, craſſos; illis præditi ſunt canes venatici Graji ſeu Græci, nobis *Wind-Hunde*, his venatici alii. Priores intelligit R. *Leui*, *Dauid*, Rabbini alii; de quibus *Gratius* in *Cynegetico:*

— *adſtricti ſuccingant ilia ventris.*

Ouidius, ubi de canibus Actæonis:

Et ſubſtricta gerens Sicyonius ilia Ladon.

In Oriente affinia ſunt זַרְזִיר noſtro Arabum, Perſarum, Turcarum *tazi*, Arabum *zyrw*, Pl. *zyra*, fœmina *zyrwet*, Pl. *zyra* pro cane venatico ſeu leporario. *Meninzk. Lex.* 1039. 2897. 3034. 3041. Turc. *zaghar*, in diminutiuo *zaghargik.* Id. 2449. 2450. *zæghær* id. 2639. quæ omnia canum venaticorum ſunt ſynonyma. *Junio* & *Tremellio*, ſic & Græcis, Chaldæis, Syris, Arabibus placet pro זַרְזִיר מָתְנַיִם *equus.*

Tertium magnifici greſſus animal eſt תַיִשׁ *thajiſch*, quæ vox non *arietem* notat, ut *Hieronymus* voluit, neque *taxum*, ut alii, ſed *hircum.* De qua voce plura ad Gen. XXX. 35. quò Lectorem remitto. Veteres Interpretes heic non intelligunt hircum quemuis, ſed gregis ducem, LXX. τράγος ἡγέμενος αἰπολίου. Apud *Ælianum* legimus L. VII. c. 26. de hirco: προθεῖ ἐκεῖνα ἢ μέντοι καὶ αὐτὰς τὰς αἶγας ὁ τράγος τῷ γενείῳ θαῤῥῶν, καὶ κατά τινα φύσιν θαυμαστὴν τοῦ θήλεως προκρίων (potius προκρίνων) τὸ ἄῤῥεν. Capras præcurrit hircus barbâ ſuâ confiſus, & naturæ inſtinctu rectè judicat de præſtantia maſculini generis præ fœmineo. Apud *Pollucem* L. I. c. 12. *ſect.* 19. Hircus quoque cluet τῶν αἰγῶν ἡγεμὼν.

Prov. Cap. XXX. verſ. 33.

Lac ſi premas, butyrum exit: qui nares emungit, ſanguinem elicit: ſic qui iras incitat, litem producit.

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit ſanguinem: & qui prouocat iras, producit diſcordias.

PArtibus tribus eſſentialibus conſtat ſanguis ille albus, *lac*, quas cernere licet in lacte coagulato. Aqueæ ſeu *ſeroſæ* dant *ſerum*, *caſeoſæ caſeum*, *oleoſæ*, quæ forma cremoris ſupernatant, *butyrum*, de quo Rex noſter Philoſophus *premendo* lac *exire.* De hac βουτυροποιήσει egi fuſius alibi, tum in ipſo hoc opere, tum in *Itineribus* meis *Alpinis* & *Hiſtoria Heluetiæ Naturali*; heic actum agere nolo.

Quomodo, *qui nares emungit, ſanguinem eliciat*, haud eſt difficile conceptu; fit nempe ἀναστόμωσις, aperiuntur arteriolarum in nares ſeſe terminantium oſcula extrema, & his apertis effluit ſanguis. *Sic qui iras incitat, litem producit.*

Prov. Cap. XXXI. verſ. 4-7.

4. Ne (des) Regibus, o Lamuel, Regibus, inquam, vinum bibere, aut principibus ſiceram.

4. Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas.

4. Ne poti obliuiſcantur legis conſtitutæ, aut peruertant cauſas omnium afflictorum.
6. Damnatis date ſiceram, & vinum his, qui afflicto ſunt animo.
7. Ut poti obliuiſcantur inopiæ ſuæ, & calamitatis ſuæ non ultra recordentur.

5. Ne fortè bibant, & obliuiſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.
6. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.
7. Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.

Regum ac *Principum* מְלָכִין & רוֹזְנִים *melachin* & *rozenim* titulo veniunt heic non ii duntaxat, qui tales cluent κατ' ἐξοχὴν, & regia ſceptra manu gerunt, ſed quiuis alii, quos DEUS in celſa ſede locauit, atque honoribus auxit, Miniſtri Status, Conſiliarii, imo Judices, perſonæ publicæ quæ- ſicut, quibus ſunt dubii credita jura fori. His omnibus interdicit Solomon *vinum* & *ſiceram*, omnes vegetabilium ſeu fructuum ſuccos expreſſos inebriantes; ſed non vinum omne, non ſiceram omnem. Abuſus interdicitur, non uſus. Conſtat id ex v. 5. *Ne poti obliuiſcantur legis conſtitutæ, aut peruertant cauſas omnium afflictorum.* Judici ſententiam dicturo pro norma ſint leges, non paſſiones corruptæ. Quî verò intelliget illas ebrius, vel ſemiebrius? Qui, ſi ebriaminibus deditus, jam exhauſit & quotidie exhaurit vires ingenii, animique vigorem? De ebrietatis cauſa, effectibus, & neceſſaria cumprimis Judicibus ſobrietate egimus alibi.

Verſ. 6. Concedit ſapientiſſimus Rex *damnatis ſiceram*, & *vinum his, qui afflicto ſunt animo.* Rationem reddit Regius Pſaltes Pſal. CIV. 15. *Vinum exhilarat cor hominis*, ad quem locum vide plura in rem præſentem. Apud *Xenophontem* in *Sympoſio* legitur, vino ſopiri triſtitiam veluti à mandragora, & gaudium è contra excitari veluti ab oleo igni affuſo, ὂινος τὰς μὲν λύπας ὥσπερ μανδραγόρας ἄνδρα κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει. *Anacreon:* ὅταν πίνω τὸν ὂινον, ἕυδȣσιν αἱ μέριμναι, vino intrante dormiunt curæ. Hinc Poëtis Græcis vinum cluet παυσίλυπος, λαθικηδὴς, νηπενθὲς, Bacchus *Heſiodo* πολυγηθὴς. Huc facit Didonis votum apud *Virgilium Æn.* L. I.

Adſit lætitiæ Bacchus dator.

Tibullus L. I.

Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura compede pulſa ſonent.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.

Horat. L. I. *od.* 7.

Nunc vino pellite curas.

Docet id experientia: obliuiſci videmus afflictum curarum, paupertatis, miſeriæ. *Ouid.* L. I. *de Arte.*

Tunc veniunt riſus, tum pauper cornua ſumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Sed eſt modus tenendus in hoc ipſo vini uſu, ne per ἀμετρίαν ἀνθολκῆς, per intemperantiam in triſtiora præcipitemur fata, ut in inceſtum Lothus, ex leui cura in furorem. Cæterùm de more uſitato, damnato ad mortem porrigendi vinum, latius differendi dabitur occaſio ſpeciatim in Hiſtoria Paſſionis CHRISTI.

TAB. DLXXXIX.

Prov. Cap. XXXI. verſ. 13.

Quærit lanam & linum, & operatur cum voluptate manibus ſuis.

Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.

Oſtendit ex lana & lino manufactura, (ſic loqui ſolemus hodie idiomate non uno) deſtinaſſe optimum DEUM corpora naturalia ad hominum uſum. Sollicita, quam laudat Solomon, noſtra materfamiliâs quærit *lanam & linum*, *& operatur cum voluptate manibus ſuis.* Aquila, Symmachus & Theodotion reddunt Hebræum דָּרְשָׁה ἐξήτησεν, ſic & Chaldæus & Syrus. Sed LXX. μηρυομένη, *filum deductum glomerans.* Eſt hoc opus, hic labor mulieribus familiaris, etiam Principibus, & peruetuſtus. Laudem promerita *Theano* illa ex Pythagoræorum ſecta,

Ἱςὸν ἐπιχομένη, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσα.

Contexens telam, & meum curans conjugium.

More apud Romanos uſitato neogama marito adferre ſolebat colum, fuſum & lanam: Lanâ coronabantur poſtes & ſuperliminaria ædium: inſidente ſponſâ pelli lanigeræ. A lanificio non fuere exemptæ *Auguſti* principes filiæ, ut nec *Caroli* M. Oſtenderat *Alexander* M. Perſiæ Reginis veſtes à matre ſua & ſorore confectas.

ECCLESIASTES.

Eccleſiaſt. Cap. I. verſ. 3.

Quantum (enim) homini reliquum eſt poſt omnem ſuum laborem, quem perfert ſub Sole?

Quid habet amplius homo de uniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole?

Ex conſpectu hujus Libri conſtat planiſſimè, egiſſe ſapientiſſimum Auctorem perſonam Regis potius & Eccleſiaſtæ, quàm Aſtronomi, ut ſanè heic non definire vult, an terra ſub Sole, vel ſupra eum ſita ſit? Intentio primaria fuit, demonſtrare vanitatem noſtrorum laborum, quos in hoc terræ punctulo peragimus, & ſubleuare mentes noſtras ad DEUM, qui Sole, omnibusque cœlis eſt ſuperior. Commentarii loco in præſentem Textum ſit admonitio illa & confeſſio Diui Pauli 2. Cor. IV. 18. μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα· τὰ γὰρ βλεπόμενα, πρόσκαιρα· τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα, αἰώνια. Egregie *Paulinus Ep.* 4. *Omnia ſub Sole vanitas, ſuper Solem veritas.* A labore ſubſolari, & quem propter res ſub Sole jacentes ſuſcipimus, reportamus nihil, omnia à laboribus, quorum intentio cœlos ipſos tranſcendit. *Haud enim ſumet* (homo) *omnia ſecum, quum moritur, neque gloria ejus eum comitabitur. (Quoniam cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus.)* Pſ. XLIX. 18. Οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, δῆλον ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τὶ δυνάμεθα. 1. Tim. VI. 7. Riſum potius quàm refutationem meretur Anticopernicanorum illa ex hoc loco argumentatio, qua probare nituntur ex תַּחַת הַשָּׁמֶשׁ *thachath haſchameſch*, ὑπὸ τὸν ἥλιον, *ſub Sole*, formula vigeſies & ſepties in Eccleſiaſte obuia, eſſe terram infra Solem, propiorem proin centro mundi, vel in ipſo eo, Solem ſupra terram. Etiam in Copernicano Syſtemate eſt Sol ſupra nos, licet in centro vorticis ſui fixus. Idem, quod terricolæ nos, dicere poſſunt Planeticolæ omnes, eſſe Solem ſupra ſe, ſe Sole inferiores. Altitudinem ſiue profunditatem rei dimetiri ſolemus pro varia à centro terræ diſtantia. Quis proin dubitet, flammigerum illud Solis corpus, quod 12000. diametris terræ diſtat à terra, eſſe nobis ſuperius. Non impedit hoc, quò minus in alio ſenſu, eoque Aſtronomico, Sol dici queat ſub terra, imo ſub omnibus Planetis, qui omnes verſus Solem tanquam centrum grauitant: ut centrum cujusque vorticis dici poteſt inferius omnibus ejus punctis. Quin imo ex veteri illa Ptolemaica

PROV. Cap. XXXI. v. 31.
Conjux ſedula netrix.

Spr. Sal. Cap. XXXI. v. 13.
Die fleiſſige Spinnerin.

P. G. Harder sculps.

RPJCB

maica Hypotheſi, & quotidiana ſenſuum noſtrorum experientia ſtatuere licet, eſſe Solem nunc ſupra terram, & prouinciam quamuis, nempe interdiu, nunc infra eam, noctu. Qua occaſione non poſſum non monere Lectorem, periclitari Scripturæ Sacræ αὐθεντίαν non minus ex contortis hujusmodi explicationibus, quàm ex Cabbaliſtarum ſomniis, qui in quauis litera & ſyllaba myſterium quærunt.

Eccleſiaſt. Cap. I. verſ. 4. 5.

4. Ætas (namque) præterit, & ætas (alia) ſuccedit, terraque æternùm perſtat.
5. Oriturque Sol, & occidit Sol, & anhelus tendit ad locum ſuum, ubi oritur. Diſcedit (verò) ad auſtrum, & redit ad aquilonem.

4. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat.
5. Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens. Gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.

Adeò fortes videntur hi Solomoneorum arietum impetus Ptolemaicis, ut ſeſe dedere neceſſe habeat Copernicanum Syſtema. *Terra* non ſolùm *perſtat æternùm*, εἰς τὸν αἰῶνα ἕστηκε, ſed *Sol oritur & occidit*, *& anhelus tendit ad locum ſuum, ubi oritur*: quinimò *diſcedit ad auſtrum, & redit ad aquilonem.* ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, καὶ δύνει ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἕλκει, αὐτὸς ἀνατέλλων· ἐκεῖ πορεύεται πρὸς τόπον, καὶ κυκλοῖ πρὸς βορρᾶν. Nonne, inquiunt, Sole clarior eſt Solis motus, terræque quies? Nonne contra apertum literæ ſenſum diſputare eſt πρὸς κέντρον λακτίζειν? Erunt in poſterum omnes Copernicanorum niſus & auſus vani. Sed è contra videmus hos ad defenſionem paratiſſimos, nil minus quàm de deditione cogitantes, ſibi ſuisque armis confiſos. En quomodo, & cur!

Eccleſiaſtæ intentio, quod jam monui, eſt, demonſtrare vanitatem hominis & actionum humanarum. In ipſo Libri frontiſpicio hanc legimus inſcriptionem v. 2. *Extrema inanitas, extrema inanitas, & omnia quidem ſunt inanitas. (Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas.)* Hanc ſuam theſin illuſtrat quatuor ſimilitudinibus, quarum prima deſumta eſt à *terra:* hæc licet non ſit & videatur aliud quid, quàm collapſum ædificium, longioris tamen eſt durationis quàm homo: ſecundam ſuggerit *Sol*, qui licet oriatur & occidat, tamen perſtat, eodem fulgore lucet, eodem vigore & calore omnia animat: tertiam *ventus*, qui quidem inter ſymbola inconſtantiæ & inſtabilitatis vitæ humanæ non minimum obtinet locum, homine tamen ipſo eſt conſtans magis: quartam *mare*, quod licet cum Luna de inſtabilitate certet, ab ejus influxu alteratum in dies, immotum tamen eſt magis homine, omnique felicitate humana. Pergamus ad ſpecialiorem Parabolarum diſcuſſionem.

Ætas præterit, & ætas alia ſuccedit, terraque æternùm perſtat. Γενεὰ πορεύεται, καὶ γενεὰ ἔρχεται, καὶ ἡ γῆ εἰς τὸν αἰῶνα ἕστηκε. Cœcus ſit oportet, vel lumine luſcus, qui non videt, ſapientiſſimum Eccleſiaſten τὸ *perſtare terræ* non opponere motui locali, ſed morti & vitæ, generationi & corruptioni. In terra hac, quod in dies obſeruamus, & in momenta, contingunt mutationes variæ, inprimis in ſocietate humana. Sunt, qui prodeunt ſub luminis auras, ſunt, qui vitam exhalant caducam. *Ætas præterit, & ætas ſuccedit.* Sed *terra*, tota quanta, corpus hoc totale, Planeticum, hominum domicilium, manet in ſuo eſſe, *perſtat.* Qui proin ex hoc Scripturæ loco pro immobilitate terræ argumentari contendit, paralogiſmum facit non minus ridiculum eo, qui nunc ſequitur. Præterit emoriens molitor, vel vendit molendinum ſuum, ſuccedit in ejus locum alius, molendinum verò ipſum perſtat; Ergò caret motu. Vel, Nauta abit ad plures, ſuccedit alius, nauis perſtat, ergo immota manet nauis, imo immobilis, quæ tamen ipſa, non obſtantibus variis, quæ Nautæ ſubeunt, fatis, totum circumit orbem. Laude mehercle dignior foret Ptolemaicorum zelus, ſi obuiam irent illis, qui ex Textu noſtro militant pro æternitate terræ contra effatum CHRISTI Matth. XXIV. 35. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται. Vel Libertinis illis, *Freethinkers*, qui Solomonem Maniliumque in ſuas partes trahunt, & utrumque æternitatem mundi aſſeruiſſe volunt. Audiamus Authorem ipſum Libelli *de la Liberté de penſer*, allegante *Croſa dans ſon Examen* p. 134. *Peut on faire une plus elegante deſcription de l'Eternité du Monde? Et le Poëte Manilius a t'il parlé autrement, quand il a dit: Il n'y a rien de crée, qui ne ſoit aſſujetti a un continuel changement: la terre change de face au retour de chaque année, & il n'y a point de Nation, qui voye ecouler un ſiecle ſans eprouver quelque reuolution. Il n'en eſt pas ainſi du monde: toujours le meſme, on ne voit point de changement chez luy, ſes jours qui ſe ſuivent, ne le voyent pas croitre, & ſa vieil-*

 leſſe

leſſe ne le rend pas plus foible, ſa courſe, toujours egale, ne le fatigue pas, & il ſera toujours le même, parce qu' il l' a toujours eté: tel que nos Ancétres l' ont vu, telle verra notre poſterité: en un mot, c' eſt un Dieu, il n' eſt ſujet a aucun changement. Celui qui parle ainſi, croit, que le monde eſt eternel, & ne reconnoit aucun Createur. In Textu noſtro occurrit vox ▭ עוֹלָם *olam*, αἰὼν, quæ non denotat ſemper æternitatem abſolutè ſic dictam, ſiue durationem infinitam, ſed aliquando longum quidem, ſed finitum tamen, tempus. Sic Exod. XXI. 6. de ſeruo, qui libertus eſſe non vult: *ſeruiet ei*, Domino, *perpetuò*, ▭ לְעוֹלָם *leolam*, id eſt, quamdiu vixerit. *Horat.* L. I. *Ep.* 10.

Seruiet æternùm, qui paruo neſciat uti.

Ita heic *terra æternùm perſtat*, quamdiu durat, in eſſe ſuo, Planeta, hominum domicilium manet, formam, ſitum, motum, orbitam ſeruat.

Monent nos verba Textus, *ætas præterit, & ætas ſuccedit*, ut conſiderationi noſtræ ſubjiciamus fragilitatem vitæ noſtræ, quàm tenui pendeat filo corporis tenerrima machina, unio animæ & corporis noſtri. *Puluerem nos eſſe, & in puluerem reuerſuros.* Gen. III. 19. *Certiſſimè morituros, & inſtar aquæ, quæ in terram defluunt, quæ colligi non poſſunt. (Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.)* 2. Sam. XIV. 14. *Puluis & umbra ſumus*, *Horat.* L. IV. *Od.* 7. Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, *Pindarus.* Imo ſit conſtans ipſe, quo terra gaudet, motus ſymbolum continuæ noſtræ mutationis, qui in momenta appropinquamus morti. Pulchre *Gregorius* L. VI. *Ep.* 26. *Vita noſtra nauiganti ſimilis eſt. Is enim, qui nauigat, ſtet, ſedeat, jaceat, ſemper vadit, quia impulſu nauis ducitur; ita ergo & nos, ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, volentes nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus: Nec curſus tantum ad mortem eſt vita hæc, ſed quædam etiam quaſi mors perpetua. Seneca Ep.* 24. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vitâ decreſcimus.*

Aliam non minoris momenti meditationem ſuggerunt verba, *ætas præterit, & ætas ſuccedit.* Aperit ſeſe heic theatrum harmoniæ exquiſitiſſimæ inter multiplicationem terricolarum omnium & longitudinem vitæ, æquilibrii conſtantiſſimi, ſed variati. Non aggrauatur terra unquam nimio, ut animalium omnis generis, ita & hominum numero, ſed nec deficit proportionato. Primis à creato mundo ſeculis protendebat ſe vitæ humanæ filum ad 900. & quod excurrit, annos; Terminus implendæ terræ neceſſarius. Primo ab orbe reſtaurato ſeculo ex tribus Noachi filiis ſolus Sem attigit quinque ſecula, & ex Semi poſteris prima duntaxat generatio. Secundo à diluuiana inundatione ſeculo non fuit, qui aſcenderit ad 240. annos: tertio nemo, Therah excepto, attigerat 200. Sed poſtquam incolis fuit repleta terra, terminus vitæ fatalis reductus fuit primùm ad 120. annos, Gen. VI. 3. poſtmodùm ad 80. Pſal. XC. 10. qui adhuc ſubſiſtit. Quis non videt, definitos fuiſſe varios hoſce ſucceſſiuè terminos ab Ente infinitè ſapienti, à Monarcha uniuerſi? Conſeruatur ſic ſocietas hominum in ſuo eſſe, ut ne quid ſuperſit, neue quid deficiat. Nonne, ſi adhuc attingerent mortales 969. annos, quæ Methuſalæ fuit ætas, imò 175. quæ Abrahami fuit, inundaretur incolis orbis, imo opprimeretur? Nonne depauperaretur, ſi terminus fixus foret 10. 20. vel 30. annorum? Rebus autem ſic, ut ſunt, ſtantibus æquilibrium ſeruatur exactum inter vitam & mortem. Sunt in propagatione generis humani omnia exquiſitiſſimè proportionata, conjugia ad natiuitates ut 1. ad 4. incirca, nati ad mortuos ut 1. vel paulò plus ad 1. ſexus maſculi liberi ad fœmineum ut 14. ad 13. circiter, paſſim paulò minor, paſſim major paulò. Imo peſtis ſi ſæuiat, vel morbi graſſentur epidemici, ſapientiſſimâ iterum DEI Prouidentia, ut juſtiſſimo judicio, tollitur è mundo ſuperfluum. Felicem hoc intuitu Aſiam dixeris, regionem præ aliis fœcundam, ubi quotannis ingens incolarum numerus peſte perit, absque tamen, quod terra ſuis exhauriatur incolis. Plura ſi deſideres hanc in rem lege Cl. *Derham Theolog. Phyſ.* L. IV. c. 10.

Redimus, unde digreſſi ſumus, ad Solem. Verſ. 5. *Oritur Sol, & occidit Sol, & anhelus tendit ad locum ſuum, ubi oritur. Diſcedit verò ad auſtrum, & redit ad aquilonem.* Heic iterum aperit ſeſe campus Martius, in quo dimicandum eſt Copernicanis. Quid, inquiunt Ptolemæi aſſeclæ, clarius, quàm Solis motus ab Ortu in Occaſum, quem eliminant prorſus illi? Repetunt Copernicani, & vel ex multoties repetita phraſi, *ſub Sole*, conuincunt, Solomonem non tam deſcribere ea, quæ in altiſſimo peraguntur cœlo, in ipſo Solis vaſtiſſimo corpore, quàm quæ in terra contingunt, à Sole colluſtrata; ut omnino motus ille Solis intelligi debeat, qui terram illuminandam & fouendam reſpicit, & ad literam explicari poteſt ex Textu: dum enim terra gyratur ab Occaſu ad Ortum in dies, Sol ipſe neceſſariò mouebitur lumine ſuo & calore ab Ortu ad Occaſum. Et notandum hac occaſione, *Solis* vocem non ſemper in Sacra Scriptura ſumi pro corpore ipſo Solis κατ' ἐξοχὴν ita dicto, ſed aliquando de emanante ex illo lumine, luce, & calore. 1. Sam. XI. 9. Saul Jabeſitas in Galaad hocce erigit ſolatio: *Cras, cum Sol incaluerit, erit vobis ſalus.* 2. Sam. XII. 11. 12. *Accipiam uxores tuas te vidente, & dabo eas amico tuo, qui dormiet cum uxoribus tuis in conſpectu Solis hujus. Tu quidem clam hoc deſignaſti, ego verò faciam rem iſtam coram toto Iſraele, & coram Sole hoc. (Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo,*

&

& dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Tu enim feciſti abſcondité, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.) Neh. VII. 3. *Ne aperiantur portæ Jeruſalem, donec Sol incaluerit.* Alia hujusmodi loca ſilentio prætereo, quibus Sol denotat influxum Solis in hanc terram, imo id, quod diei vocabulo vulgò venit. Præterea notandum, quod alibi explicatum dedi latius, Solem emphaſi haud minori oriri & occidere in ſyſtemate Copernicano, quàm Ptolemaico. Conjiciamus porrò oculos noſtros ad ſcopum Eccleſiaſtæ principalem, qui conſiſtit in demonſtratione vanitatis doloſæ, & falſo rerum mundanarum apparatu, propriæ ſuæ regiæ aulæ Cap. II. tribunalium publicorum, occupatorum à judicibus impiis, & tamen pulchra juſti & æqui ſpecie fulgentium, Cap. III. ſic & apparenter æqualium fatorum, quibus obnoxii ſint bruta & homines. Quæ ſanè laruata rerum mundanarum facies elegantius repræſentari nequit, quàm exemplo Solis Copernicani, qui videtur circa terram volui, & locum in momenta mutare, quum tamen hæc mera ſit viſus fallacia: Sic videtur perire homo ut brutum, ſed reuera non interit. De poſtremo Textus lemmate, *diſcedit ad auſtrum, & redit ad aquilonem,* amplior dabitur proximè loquendi occaſio.

Eccleſiaſt. Cap. I. verſ. 6.

(a) A diuerſis quoque mundi plagis venti ſurgentes meant, & in ſuos circulos venti reuertuntur.

(a) Circuit, circuit, it ventus, & ſecundùm circuitus ſuos redit ventus.

Luſtrans uniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.

Poſſent equidem præcedentis commatis verba, *diſcedit ad Auſtrum, & redit ad Aquilonem* intelligi etiam de Solis motu in latitudinem, quo hyeme ab Æquatore *diſcedit ad Auſtrum*, ad Tropicum Capricorni, & hinc per æſtatis decurſum *redit ad Aquilonem*, ad Tropicum Cancri. Sed commodius explicantur de circuitu ventorum per plagas, de quo certiſſimè agit Textus, quem nunc excutiendum ſumimus. Occurrunt heic loquendi formulæ omni attentione digniſſimæ, repetita ter vox סֹבֵב *ſobhebh*, *circumiens*, in circulo ſcilicet, quæ conjectandi dat anſam, annon ſapientiſſimus Rex indicare voluerit ventorum ordinatum circulum, non ſolùm in Zona Æquatoreali, ſed & in planis aliis Horizontis tum Aſiatici, tum Europæi, quæſitum dudum à *Mariotto*, *Sturmio*, aliis, ſed nondum ad certitudinis normam reductum. Digna judico, quæ heic adferam laudatorum modò Philoſophorum verba, vel Commentarii loco in Textum. *Mariottus Traité du mouvement des Eaux* p. 50. *J'ay remarqué par pluſieurs obſervations, qu'a Paris & dans le voiſinage les vents ſont en 15. jours a peu prés une revolution entiere, ſouflant ſucceſſivement de toutes les parties de l'Horiſon, & qu'aux nouvelles & pleines Lunes le vent eſt preſque toujours N. & NE. C'eſt a dire, qu'il ſe fait un vent de Nord a la nouvelle Lune, & paſſe a l'Eſt dans trois ou quatre jours, & enſuite au Sud, puis a l'Oueſt, & ſe remet au Nord vers la pleine Lune, d'ou il repaſſe ſucceſſivement vers l'Eſt, le Sud & le Oueſt, & revient a la nouvelle Lune au Nord, ou au Nord-Eſt. Quelques uns de ces vents tournent quelque fois un peu en arriere, comme de l'Oueſt au Sud-Oueſt, & de Nord-Eſt au Nord, & alors ces vents durent 7. ou 8. jours, mais ils ne font preſque jamais un tour entier. Il arrive auſſi quelque fois, que le vent paſſe de l'Oueſt au Nord-Eſt, & de l'Eſt au Sud-Oueſt, ſans que les vents d'entr'eux ſe faſſent remarquer.* Sturm. *Diſſ. de Aëris Mutat.* p. 20. *Non vagatur ſine regula irregularis flatuum aëreorum variabilitas. Ex multis enim retrò annis obſeruauimus, eſſe quandam eorum in Horizonte noſtro circulationem, ita ut Occidentalem excipiat utplurimùm & ordinariè Septentrionalis, hunc ſequatur gradatim Orientalis, deinceps Auſter paulatim in Occidentalem iterum terminetur, non neglectis etiam plagis intermediis, & raró admodum in contrarium verſo hoc ordine, vix unquam ſaltem, ſi forte ab Oriente in Meridiem flectatur, ultra Orientis terminos excurrente, tantum abeſt, ut plenum retrogradationis circulum facile abſoluat: cum alterum illum directionis frequentiſſimè ſæpius uno menſe pluries decurrat, adeò ut hæc una videatur inde reperta nobis via, qua citra multæ artis ſubſidium futuræ aëris mutationes in proximos ſaltem dies præſciri, & absque frequenti errore prædici queant, id quod multiplici jam experimento compertum habemus.* Et forſan huc tendit *Probl.* 30. *Sect.* 26. *Ariſtot.* ἢ πέφυκε τὸ πνεῦμα κύκλῳ γραμμὴν φέρεσθαι. Plurimas ego inde aliquot luſtris congeſſi in hanc rem obſeruationes, ſed nihil tamen certi aut ordinati inde elicere potui. Inſtitui debent hujusmodi obſeruationes in regionibus planis, non montoſis, ubi vera ventorum directio intercipitur à montium valliumque ſitu vario. Haud tamen deſpero, inuentum aliquando iri & hujus irregularitatis certas quasdam regulas. Si cui fortè audacula nimis

 viſa

viſa fuerit Lemmatis poſterioris in præcedenti commate applicatio ad ventos, ſciat is, eandem eſſe mentem duorum celeberrimorum Theologorum, *Pellicani* & *Werenfelſii*, *in Eccleſiaſt.* illius p. 249. hujus p. 37.

Repræſentat hic ventorum circulus ſeu ordinatus ſeu inordinatus perbellè hominis vanos conatus atque labores. Tranſeunt illi ab uno Horizontis puncto ad aliud, tandemque & ſæpe ſubitò ceſſant. Ita hi poſt tot circumcurſitationes, itinera, opum collectiones, famæ augmenta tandem ἀτμοῦ ad inſtar euaneſcunt, disruptâ tenuiſſima vitæ bullula. Quotidiana experientiâ teſte in continua variatione ſunt hominis ſanitas, animi cogitata, paſſiones, aduerſæ ac proſperæ fortunæ fata, vento ſimillima. *Hominis ætas fœno ſimilis eſt, floretque ut flos in agro. Qui nullus erit, quum eum ventus peruaſerit, neque homines loci ejus agnoſcent eum. (Homo, ſicut fœnum dies ejus: tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.)* Pſ. CIII. 15. 16. Sed quemadmodum non ſpirat ventus, neque huc illucque ſpirat abſque directione ſupremi Motoris, qui Leges Motus in natura condidit, ita neque homini in omni ſua vita, in actionibus ſuis, nil prorſus accidit abſque ſapientiſſima juſtiſſimaque DEI Prouidentia: Ubi *exaruit fœnum, defluit flos, quia ſpiritus DOMINI flauit in ipſum.* Jeſ. XL. 7.

TAB. DXC.

Eccleſiaſt. Cap. I. verſ. 7.

Omnes etiam (a) torrentes mare ingrediuntur, nec tamen mare impletur. Nam torrentes redeunt ad locum, per quem ferebantur.

(a) Hieron. flumina.

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, reuertuntur, ut iterum fluant.

IDem experitur fatum hic Locus, quod plures Sacri Codicis alii, pro ſtabilienda hac illaue Phyſica Hypotheſi allegari ſoliti, & ſæpe quidem à partibus diametraliter aduerſis. Qua occaſione non poſſum non, quod alibi feci, monere, de authoritate S. Scripturæ melius conſultum fore, ſi haud immiſceatur Controuerſiis Philoſophicis, ſed quidem id, quod de natura in ſanctiſſimo hoc Libro extat, ritè explicetur, modo DEO digno, rerum naturæ conuenienti, ad ſalutem noſtram & varios uſus collimante. Qui ipſe eſt ſcopus, quem mihi in arduo hoc ipſo opere σὺν ΘΕΩ propoſui. Dignus eſt hic, de quo nunc, Locus, aquarum per totum terræ globum circulus, qui breuiter quidem explanetur, ſed diſtinctè. Sunt binæ præcipuæ circa originem fontium & fluminum Hypotheſes, eæque multo argumentorum robore mutuò dimicantes, nec dum reconciliatæ inuicem. Voluminis labor foret, non arcti Commentarii, ſi tela omnia hinc inde jacta proponere & examinare vellem. Continebo me intra limites fixos.

Sunt ex Interpretibus benè multi, & magni nominis viri, qui ſtatuunt omnimodam analogiam inter macrocoſmum & microcoſmum: fluere aquam per fontes, riuos, flumina veluti per totidem venas in mare, & ex eo per canales ſubterraneos tanquam arterias ad origines usque & fontes fluminum, percolari autem in via, & ex ſalſa reddi dulcem. Cui obſtant, præter impoſſibilem hactenus aquæ ſalſæ dulcificationem per viam percolationis, Hydroſtaticæ Leges, proin natura ipſa, quæ nos docet, non poſſe ab imis radicibus montium Horizonti maris reſpondentibus aquam huc licet delatam per ductus ſubterraneos aſcendere ad montium cacumina: ſed auxilio venire ignem ſubterraneum, qui aquam illam formâ vaporum euehat ad altiora juga, ubi veluti in Alembicis collecta coeat in guttulas. Fundata videbatur Hypotheſis hæc ipſo Solomonis Textu. *Omnes torrentes mare ingrediuntur, nec tamen mare impletur, nam torrentes redeunt ad locum, per quem ferebantur.* πάντες οἱ χείμαῤῥοι πορεύονται εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἐμπιμπλαμένη. εἰς τὸν τόπον, οὗ οἱ χείμαῤῥοι πορεύονται, ἐκεῖ αὐτοὶ ἐπιστρέφουσι τοῦ πορευθῆναι.

Altera Hypotheſis, quæ & pondere argumentorum, & authoritate Philoſophorum ſeſe præ priori commendat, fontium & fluminum originem arceſſit ab aqua cœlo lapſa, pluuioſa & niuali, quæ per ſtrata terræ montiumque deflua paſſim profluat. Hypotheſis non tam noua, quàm renouata, adoptata ab antiquioribus *Ariſtotele* Philoſophis, quod conſtat ex illius *Meteor.* L. I. c. 13. Exculta inprimis à *Perraltio*, *Mariotto*, *de la Hire*, aliis Academiæ

KOHEL. Cap. I. v. 7.
Aquarum Circulus.

Pred. Cap. I. v. 7.
Crentz-Lauff der Waſſer.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

miæ Regiæ Scientiarum ſociis, cumprimis à *Vallisnerio*, integro *Trattato dell' Origine delle Fontane*, qui ſecundum auctior ſubiit prelum. Magno illi labore & ſedula attentione dimenſi ſunt quantitatem aquæ cœlo lapſæ, eam item, quæ per flumina defertur, & calculo ſubducto inuenerunt rationem æqualitatis has inter & illas, ſpectare cumprimis ad ſapientiſſimam aquarum per terræ globum diſpartitionem ſtratorum in diluuio formatorum ſitum: deficere in Italia, Gallia, & alibi terrarum fontes & flumina ſiccioribus anni conſtitutionibus: carere fontibus ſumma montium cacumina: profluere omnes ex decliuibus locis, quibus altiora ſupereminent juga; abundare fontibus montes planitiebus & paſcuis diuites, ubi aquæ pluuiales & niuoſæ in ſtrata terræ penetrare valent, vel & in certis cauitatibus colligi; deficere ſaxis & ſcopulis horridos: longo ſæpe itinere fluere aquas per ſtrata ſubterranea; exemplo eſſe Fontes Mutinenſes, qui 63. pedum profunditate perforatione facta tanto proſiliant impetu, ut breui temporis ſpatio ad ſummum putei aſcendant, & 10. milliarium abhinc interuallo oriantur ex Montibus Apenninis. Pondus addo ex Hiſtoria Naturali Heluetiæ, quæ montoſa regio diues nuncupari poteſt Europæ Hydrophylacium. Hinc eſt, quod ſapientiſſimo DEI Decreto dupla ſæpe quantitas pluuiæ & niuis cadat ejus, quæ colligitur alibi in regionibus planioribus. Hinc eſt, quod in jugis noſtris æterni ſint niuium cumuli. Imò verò ſunt maximi nominis flumina, Rhodanum & Rhenum nomino, quorum fontes ſunt ingentis molis montes glaciales, quorum exiſtentiam nemo certè deriuabit ab aqua per ductus è mari ſubterraneos lata. Penes hos Philoſophos ſtat iterum, ſi arma petenda ſint ex Scriptura, pro ſententiæ confirmatione allegare Textum noſtrum Solomoneum. *Omnes torrentes mare ingrediuntur, nec tamen mare impletur: Nam torrentes redeunt ad locum, per quem ferebantur.* Quantum ſcilicet aquæ per fluminum oſtia in mare influit, tantumdem à Sole & ventis, vaporum ſpecie, ſubleuatur in aëra, è ſuperficie maris, qui vapores ventorum ductu in nubes collecti, per totam lati atmoſphæram iterum juſtiſſima in variis regionibus proportione relabuntur per pluuias & niues, ſicque fontes, riuos, & flumina formant, per plana inclinata in mare deflua. Si cui fortè in Hiſtoria Naturæ minus verſato paradoxa videbitur tanta aquarum ex ſuperficie maris ſubleuatarum quantitas, quanta omni momento mare influit, ei ſpeciminis demonſtratiui loco ſiſto calculum, quem *Transactionibus Philoſ.* n. 189. inſtituit Ill. *Edm. Hallejus*, firmatum experimentis. Inuenit is, ab ordinario Solis æſtiui calore euaporare $\frac{1}{10}$. digiti ſpatio 12. horarum, per conſequens à manè ad veſperam ſpatio gradus quadrati terræ, ſiue 69. Milliarium Anglicorum, euaporare 33000000. Tonnas, proin ex Mari Mediterraneo, quod 160. graduum eſſe vult, exhalare ad minimum diei æſtiui decurſu 5280000000. Tonnas: quem calculum inſigniter augent venti, vel ſaltem duplant. *Thamiſum* fluuium ad Kingſton-Bridge Londini Mari quotidie tradere 25344000. perticas cubicas ſiue 20300000. Tonnas (erit proin Tonna $\frac{203}{254}$. pertic. cubic.) Poſito nunc, ſingulos maximorum, quæ Mari Mediterraneo ſuas dant aquas, Fluminum, *Ebrum*, *Rhodanum*, *Tiberim*, *Padum*, *Danubium*, *Tyram*, *Boryſthenem*, *Tanaim*, *Nilum*, decies plus aquarum inferre, quàm Thamiſum, nempe 203000000. Tonnas, omnes proin junctim ſumtos 91827000000. quotidie, erit productum $\frac{1}{3}$. ſaltem majus eo, quod ſpatio 12. horarum euaporare poteſt ex Mediterraneo Mari. Hujusmodi plures calculos adducit laudatus ſupra *Vallisnerius*. Conſiſtit utriusque Hypotheſeos diſcrimen duntaxat in via, quam tenent aquæ, quas mare terræ reddit jure repetundarum. Ibi circulatio fit per canales ſubterraneos, heic per aëra. Eſt via illa plana, omnium hominum ſenſibus expoſita, hæc multis adhuc difficultatum ſentibus obuoluta. Hanc illamue reticet ſapientiſſimus Rex, in generalibus terminis veritatem ipſam proponens, notanter tamen addens, à tot *torrentibus*, *qui mare ingrediuntur*, hoc *non impleri* ſiue redundare. Hunc ipſum nempe in finem, quod alibi diduxi latius, obtinuit mare ab optimo Creatore adeò latè extenſam ſuperficiem, ut quantitas vaporum ex ea ſubleuandorum reſponderet præciſè copiæ influentium aquarum.

Moralis, quam intendit ſereniſſimus Eccleſiaſtes, applicatio ex prædictis eſt facilis. Sunt in perenni motu fontes, & flumina, verſus mare, & vapores è mari ſublati verſus terram per aëra: ita ſanè vita noſtra, omnesque humanæ res continuò & in momenta mutantur ab illis: abſorbentur à mari omnia flumina, à terra & mortis faucibus omnes ſine diſcrimine homines. Excitent hæc deſiderium vitæ illius ſine fine, ubi ne umbra quidem erit mutationis.

Eccleſiaſt. Cap. III. verſ. 11.

Omnia (enim) condidit, & unumquodque pulchrum fit ſuo tempore. DEUS quoque mundum ipſum indidit eorum cordi, ne non inueniret homo opus, quod DEUS condidit à capite usque ad finem.

Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inueniat homo opus, quod operatus eſt DEUS ab initio usque ad finem.

O*Mnibus tempus præfinitum eſt, eſtque tempus, quid velis aut nolis ſub Sole. (Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt uniuerſa ſub cœlo.)* v. 1. Omnes motus fiunt in tempore, & commenſurantur per tempus. Sed *tempus* non eſt ens quoddam reale, diſtinctum à rebus ipſis; duratio quidem rei, exiſtentiæ, motus, quietis continuatio, dependenter à DEO Creatore. Abſtractam de tempore ideam formaturus *Auguſtinus* fatetur, ſe hærere in luto, *Confeſſion.* XI. c. 14. *Si nemo ex me quærat, quid ſit tempus, ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio.* Citius ſeſe extricant è difficultatibus, qui tempus rebus ipſis exiſtentibus combinant. Ita Regius Pſaltes gratiæ diuinæ prouidentiſſimæ perſuaſiſſimus: O DOMINE, DEUS *meus es tu: In manu tua ſunt tempora mea,* (DOMINE, DEUS *meus es tu: In manibus tuis ſortes meæ,)* totus ego, quantillus ſum, corpus meum, anima mea, fata, duratio mea. Pſ. XXXI. 15. 16. Ita & nos pro tempore ſumimus menſuram ejus, & ipſa menſurantia corpora, pro annis, menſibus, ſeptimanis, diebus, motum Solis, Lunæ, Stellarum, quæ corpora in motu ſuo conſtantiſſima DEUS ipſe poſuit *in ſigna, in ſtata tempora, in dies & annos,* Gen. I. 14. Diſtinguimus proin *tempus* in *abſolutum, verum & mathematicum*, quod æquabili ſemper curſu defluit, & in *relatiuum, apparens, & vulgare*, quale nos ad normam aliarum rerum viſibilium corporearum dimetimur. Ducit nos meditatio hæc rectâ viâ ad cognitionem DEI, qui *omnia condidit, ut unumquodque pulchrum eſſet.* τὰ σύμπαντα ἅ ἐποίησε καλὰ ἐν καιρῷ αὐτȣ̃. Sufficientiſſima ſane ſuppetit occaſio DEI tum Sapientiam, tum Bonitatem deuotis concelebrandi laudibus, quoties perennare videmus corpora totalia, Solem & Stellas, καιρόμετρα, alia autem interitura per vices durare per horas, dies, menſes, annos. Παρὰ τῷ ΘΕΩ ȣ̓κ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Jac. I. 17. Æternum ille eſt Ens, in quo neque præteritum eſt, neque futurum. Quum contra omnes κτίσεις tempori ſint ſubjectæ, mutationi, interitui, obliuioni obnoxiæ. *Non durat memoria rerum priorum, neque apud poſteros memoria rerum, quæ poſthac erunt, durabit. (Non eſt priorum memoria, ſed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt.)* Eccleſ. I. 11. Tempora mutantur, & nos mutamur in illis. Sed ſunt hæ ipſæ mutationes, quàm accuratiſſimè à DEO, temporis Authore, commenſuratæ. Argumentum id præbet optimæ DEI Prouidentiæ inuictiſſimum. Sunt hi χρόνοι ἢ καιροὶ, ȣ̔̀ς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξȣσίᾳ. Act. I. 7. ἐποίησε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προτεταγμένȣς καιρȣ̀ς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. Act. XVII. 26. Hinc ſponte fluit Corollarii loco, remittere debere omnia hominem DEO & tempori, tempori ſeruire, ejusque ſedulam habere rationem. Hinc *ſcio*, pergit noſter Eccleſiaſtes v. 12. 13. *quod in illis rebus bonum non ſit, niſi ut homo lætus ſit, &, quod bonum eſt, agat per vitam ſuam. Etenim quantum omnes homines edunt & bibunt, & bono fruuntur ex omni labore ſuo, iſtuc ipſum eſt munus DEI. (Et cognoui, quod non eſſet melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum DEI eſt.)* Non excludit tamen hæc viuendi regula hominis neceſſariam pro ſui ipſius conſeruatione curam, in manus quippe ſuas tradidit ei optimus DEUS media, quibus conſeruari poſſit, imo *mundum ipſum indidit eorum cordi, ne non inueniret homo opus, quod DEUS condidit à capite usque ad finem.* Καίγε σύμπαντα τὸν αἰῶνα ἔδωκεν ἐν καρδίᾳ αὐτῶν, ὅπως μὴ εὕρῃ ὁ ἄνθρωπος τὸ ποίημα, ὅ ἐποίησεν ὁ ΘΕΟΣ ἀπ' ἀρχῆς καὶ μέχρι τέλȣς. Id eſt, totum uniuerſum, & in eo cumprimis καιρόμετρα accuratiſſima, Solem, Lunam, & Stellas tanquam ſpecula Potentiæ atque Sapientiæ fulgidiſſima ante oculos poſuit DEUS, non ut illa aſpiceret aut conſideraret ut cœcus colores, ſed tot opera admiranda, eorum naturam, proprietates, vires, effectus, perquireret, & ad DEI Gloriam, uſumque ſuum proprium applicaret.

Conſiderandum reſtat τὸ καλὸν, *bonum, pulchrum*, quod ex tota natura, & pulcherrimâ omnium corporum, & partium ſymmetriâ prolucet. Aſpice oculis vel nudis, vel armatis animal ex viliſſimis, teſtudinem, viperam, araneam, muſcam, Mechanicam videbis admirandam prorſus, infiniti artificii texturam, quam

citius

citius deſines videre, quàm admirari. Conſidera colorum infinities variantem ornatum in inſectis, auibus, artificibus omnibus inimitabilem. Quot corpora ſunt in uniuerſo mundi theatro, tot ſunt infinitæ pulchritudinis monumenta.

Eccleſiaſt. Cap. III. verſ. 18 - 21.

18. (a) Æſtimaui autem in animo meo conditionem hominum, ut DEUS excellentiſſimos creauerit ſimul cernens, quomodo ipſi ſeſe in pecudum conditionem abjiciunt.

(a) Dixi ego in corde meo ſuper verbo filiorum Adæ, ad ſeparandum eos DEUS & viuendum, quod pecus ipſi ſibi. —— Impiiſſimam opinionem, in qua Epicurei fuerunt, cum ſuis friuolis ratiunculis reddit, hominem totum morte interire, ut cæteras animantes. Ideò ſummam beatitudinem hominis, voluptatibus ſeſe ingurgitare.

19. (b) Eadem enim ſolent hominibus & brutis animantibus euenire: & qualis eſt mors unius, talis eſt mors alterius, & (c) ſpiritus idem omnibus (ineſt): nec habet homo quicquam præſtantius pecore: ſiquidem omnia ſunt inanitas.

(b) Quia euentus filiorum Adæ, & euentus bruti, & euentus unus ipſis.

(c) Pro anima.

20. Omnia tendunt ad locum unum, omnia exiſtunt è puluere, omniaque reuertuntur in puluerem.

21. Quis autem ſcit, an ſpiritus hominum ſurſum adſcendat, & ſpiritus pecoris deorſum in terram deſcendat?

18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos DEUS, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis.

19. Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: Cuncta ſubjacent vanitati.

20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur.

21. Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?

Sunt hi Textus diſcuſſione ſolida digniores tantò, quod iis turpem in modum abutantur Athei tum theoretici tum Practici, Libertini omnes, & quicunque illecebris hujus mundi capti voluptatibus indulgent; prætendentes doceri heic & ſtabiliri, ſapientiſſimi Regis authoritate, mortalitatem animæ; vaniſſimum eſſe omnem pœnarum futurarum metum. Et ſanè, ſi eadem eſt *conditio hominum, quæ pecudum*, imo illi ipſi κτήνη εἰσὶ, ut LXX. ſi *eadem ſolent hominibus & brutis animantibus euenire*, συνάντημα υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ συνάντημα τοῦ κτήνους, συνάντημα ἐν αὐτοῖς, ſi *qualis eſt mors unius, talis eſt mors alterius*, ὡς ὁ θάνατος τούτου, οὕτως καὶ ὁ θάνατος τούτου, ſi *non habet homo quicquam præſtantius pecore*, οὐδὲν ἐπερίσσευσεν ἄνθρωπος παρὰ τὸ κτῆνος, ſi *ſpiritus idem omnibus ineſt*, πνεῦμα ἐν τοῖς πᾶσιν, ſi *nemo ſcit, an ſpiritus hominum ſurſum adſcendat, & ſpiritus pecoris deorſum in terram deſcendat*, οὐδεὶς εἶδεν πνεῦμα υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, εἰ ἀναβαίνει αὐτὸ ἄνω, καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ κτήνους, εἰ καταβαίνει αὐτὸ κάτω εἰς γῆν, ſi hæc, inquam, omnia ita ad literam ſunt intelligenda, actum erit de animæ immortalitate, de cœlo & inferno, fumus erunt beatorum damnatorumque ſedes, inueniet craſſiſſimus quisque Epicureiſmus fundamentum in ipſa Sacra Scriptura; horrendum quid vel cogitatu! Sed patebit ex δοκιμασίᾳ, quam inſtituemus, non inuenire heic quicquam Atheos, quod abſurdas horum ſtabiliat opiniones.

Commatibus 18. & 19. demonſtrare vult Eccleſiaſtes, in hoc, quo viuimus, mundo non eſſe niſi miſeriam & vanitatem; quoad externam ſpeciem non differre hominem ab alio, non impium à pio, non hominem à bruto; corpus illi eſſe ejuſdem ſtructuræ, fragile, ut huic, morbis mortique obnoxium, ut huic.

Quæ omnia negari nequeunt, vera cumprimis ſunt de impiis, qui porcorum ad inſtar in voluptatum cœno ſeſe volutant, mordaces atque contentioſi ſunt ut feles & canes, libidinoſi hircorum ad inſtar, pigri ut aſini: tandem fame, peſte, frigore, morbis, ætate pereunt ut bruta, de termino vitæ ſuæ fatali non plus ſciunt quàm bruta. *Etenim homo etiam ignorat ſuam futuram ſortem: utque piſces capiuntur hamo noxio, & ut aues capiuntur laqueo, ita homines illaqueantur periculoſo tempore, quum eos improuiſus caſus obruit. (Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur: ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſuperuenerit.)* Eccleſ. IX. 12. *Spiritus idem omnibus ineſt,* רוח *ruach,* πνεῦμα, halitus idem, *einerley Athem*, ut benè Vernacula noſtra, vel, *vita eadem.* Heic quippe, ut in multis aliis S. Scripturæ Locis, per רוח intelligi haud debet anima rationalis, Ens cogitando actuoſum, ſed materiale quid, uti & Medici *ſpirituum animalium* nomine intelligunt fluidum ſubtiliſſimum nerueum, quod ſenſum impertitur & motum, per *ſpiritus vitales* ſubtiliſſimas ſanguinis partes. Sunt hæc homini brutisque communia; edunt, bibunt, dormiunt, vigilant, creſcunt, digerunt, nutriuntur, ſentiunt, mouentur, propagantur: Motus ſanguinis tum inteſtinus, tum circularis, utrobique adeſt; eædem ſecretiones: eadem ſtructura organorum, ventriculi, cordis, cerebri, partium aliarum. In his nulla eſt homini præ brutis prærogatiua, imò verò miſerum magis dixeris illum, ſi vitam, quam agit, inordinatam, ſi morbos, quibus obnoxius eſt, ſpectaueris. Ducant hæc omnia nos ad cognitionem noſtri, vitæ noſtræ contemptum, ad temperantiam, humilitatem, ad deſiderium vitæ beatæ futuræ, ad exornandum animam potius quàm corpus. De qua anima Solomon v. 21. *Quis ſcit, an ſpiritus hominum ſurſum adſcendat, & ſpiritus pecoris deorſum in terram deſcendat?* Quæ verba minimè fauent vel Epicureiſmo, vel Pyrrhoniſmo, ſed clarè innuunt *ſpiritum*, animam, *hominis adſcendere ſurſum*, nempe ad DEUM, qui illum dedit, ſed *ſpiritum pecoris deorſum in terram deſcendere.* Elucet, ſi obſcurior heic videtur, ſapientiſſimi hæc Regis confeſſio ex Locis aliis parallelis, ubi & immortalitatem animæ, & vitam futuram adſtruit. Eccleſ. XI. 9. *I, juuenis, & lætare in adoleſcentia tua, & lætum ſit cor tuum per tempus juuentutis tuæ, & perſequere, quod dictat cor tuum, quodque appetibile videtur oculis tuis; & ſcito, quod ob hæc omnia te DEUS in judicium adducet. (Lætare ergo, juuenis, in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuum in diebus juuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quod pro omnibus his adducet te DEUS in judicium.* Eccleſ. XII. 7. *Redeat puluis in terram, qualis fuit, (unde erat) & ſpiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Verſ. 13. 14. colophonem Libro imponit his verbis: *Finis uniuerſi negotii auditus eſt, DEUM timeto, & præcepta illius ſeruato, nam in hoc conſiſtit omnium hominum perfectio. DEUS enim in judicium adducet omne opus, cum omni occulta re, ſiue quid bonum ſiue malum fuerit. (Finem loquendi pariter omnes audiamus. DEUM time, & mandata ejus obſerua: hoc eſt enim omnis homo. Et cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.)* Quod ſi igitur *puluis*, corpus ex puluiſculis conſtans, *redeat in terram*, ſi *ſpiritus redit ad* DEUM, ſi DEUS *in judicium adducturus* eſt homines, horumque opera, ſequetur neceſſariò, eſſe corpus corruptibile, animam immortalem, futurum eſſe judicium, alteram poſt hanc vitam. Diffiteri interim haud poſſumus, fuiſſe in Eccleſia Judaica, qui DEUM, animæ immortalitatem, vitam futuram negabant, qui vitam tranſegerunt *in lætitia & gaudio, cædendo boues, oues mactando, edendo carnes, & bibendo vinum*, quibus in animo ſemper fuit, *edere, bibere, cras enim moriemur. (Gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.)* Jeſ. XXII. 13. Ut hodie integræ dantur ſocietates, quæ omnes ingeniorum neruos in id intendunt, ut omnes de DEO, anima immortali, vita futura ideas extinguant, Spinoſiſtarum, Atheorum, Deiſtarum nominibus notæ, ita & fuere inter Judæos Sadducæi, qui reſurrectionem mortuorum negarunt, Matth. XXII. 23. Et forſan ad hujus farinæ homines reſpicit Solomon erotemate ſuo: *Quis ſcit, an ſpiritus hominis ſurſum adſcendat?* Id eſt, quis eſt, qui attendat ad animæ dignitatem, præcellentiam, immortalitatem? quis eſt, qui modo condigno tanti momenti veritates ruminet? vel, quod ſupra jam innuimus, ſiſtit Solomon externum rerum σχῆμα, quod in morte hominis & pecoris nullum exhibet diſcrimen, de anima, quò tendat, nihil commonſtrans. Valet tandem propoſita quæſtio in metaphyſico ſenſu; adhuc quippe, poſt tot inde à Solomonis ætate ſeculorum decurſum, euecta licet ad ſummum gradum omni eruditione, quærere licet: *Quis cognouit ſpiritum hominis?* hujus eſſentiam, proprietates, vires, effectus, modo rei ipſi adæquato?

TAB.

RPJCB

KOHEL. Cap. VII. v. 7. C. X. v. 8.
Σμιρνο - κακόχαρτος.

Pred. Cap. VII. v. 7. C. X. v. 8.
Eine thörichte Freüde.

G. D. Heüman sculps.

TAB. DXCI.

Eccleſiaſt. Cap. VII. verſ. 7.

Qualis etenim eſt ſonitus ſpinarum ſub olla, talis eſt riſus ſtulti.

Quia ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla: ſic riſus ſtulti, ſed & hoc vanitas.

NUm ſint סירים *ſirim*, ἄκανθαι, genericum nomen omnis generis fruticibus arboribusque ſpinoſis commune, vel quibusdam proprium, determinatu eſt difficile. Silent Lexicographi & Botanici. *Serbin* Perſis eſt arbor quædam ſpinoſa. *Meninzk. Lex.* 2795. Sed pro generico ſenſu militant ἄκανθαι τῶν LXX. uſus omnis generis ſpinarum ſub ollis ſiue culinarius, crepitus ſpinis omnibus communis, Parabola ipſa, quæ non poſcit ſpinarum quandam ſpeciem peculiarem, quæue ampliori illuſtratione non habet opus.

Eccleſiaſt. Cap. VIII. verſ. 17.

Animaduerti omnia opera DEI, quod homo non poſſit deprehendere opus, quod fit ſub Sole, (a) ut minimè id aſſequatur, in quo elaborat homo, ut perueſtiget: & ſi quis etiam ſapientiam dicat ſe ſcire, non tamen inuenire poterit.

(a) In eo, quod laborabit homo ad perueſtigandum, & non inueniet.

Et intellexi, quod omnium operum DEI nullam poſſit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tantò minus inueniat: etiamſi dixerit ſapiens, ſe noſſe, non poterit reperire.

REſpicit quidem rotunda hæc ſapientiſſimi Regum confeſſio primariò imperſcrutabilitatem viarum DEI in operibus Prouidentiæ, quare hæc ita res diſponat, & non aliter? hic inops, ille diues ſit? hic ſanus, ille æger? hic in abjecto degat ſtatu, alius dignitatibus emineat? *Judicia tua abyſſus magna*, Pſal. XXXVI. 7. Sed quoque extendi poteſt & debet ad opera DEI in natura. Sit mihi, aliisque naturæ ruſpatoribus fræni loco, ne nobis blandiamur nimis, ac ſi cœlum attigerimus digito, conſiderantes, eſſe omnem ſcientiam noſtram μέρος, imo nihil reſpectu earum rerum, quas ignoramus. Verum quidem, tantò plus appropinquare nos DEO, quo plus ſcimus. Sed DEUM inter Creatorem & nos, inter Opera DEI & noſtrum ſcire infinita eſt diſtantia, ut approximatio noſtra ad DEUM infinitè parua dici mereatur. Quò plus ſcimus, eò certius videmus, nos nihil ſcire, plus tamen ſcire, quàm antea. Nihil reſpectu Omniſcientiæ Diuinæ, aliquid, ſi reſpiciamus capacitatem noſtram. Locuſtis ſimiles ſaltu aërem verberamus, ſed mox terram repetimus: Piſcibus illis volantibus, qui tamdiu volant, quamdiu alæ aquâ ſunt humectæ. Cadimus protinus, & turpiter, extra centrum αὐτογνωσίας elati. Rumpitur facilè filum imaginationis nimium tenſum. Huic fato obnoxii ſunt, qui altos nimis ſibi ſumunt ſpiritus, plus ſe ſcire ſibi putant, quàm reuerà ſciunt, pro demonſtrato habent, quod ſpecie duntaxat veri fulget. Scientia quantulacunque noſtra licet ſit μέρος, licet vanitas, eſt tamen aliquid, & altius ſalit, qui ſpatio 5. vel 6. pedum ſeſe eleuat ſupra terram, quàm qui dimidium ſaltem pedem. Hæc omnia, nihilum hoc, hoc aliquid humanæ ſcientiæ, commendare nobis debent applicationem ad Theologiam Naturalem & reuelatam, utpote quæ per viam vitæ ſanctæ nos ducit non ſolùm ad cognitionem DEI, ſed & poſſeſſionem ejus, qui omnia eſt in omnibus: porrò humilitatem, & continuam à ſupremo Ente dependentiam. Felicibus nobis eſſe continget, ſi non exſiliamus ultra limites, tum ſcientiæ, tum rerum cognoſcibilium; ſi perpetuò, dum volamus, & alas ingenii vibramus, memores ſimus finitudinis noſtræ & ignorantiæ, continuò ta-

men tendentes ad veritatem, & DEUM. Eſt quidem veritas hæc, quam Solomone duce proponimus, reponenda inter axiomata, demonſtrationis tamen indiga. Sunt ſcientiæ naturalis uſus primarii cognitio DEI, mundi, & noſtri ipſius, ſed en quàm limitata! Oculo vix ſemipollicaris diametri aſpectamus immenſæ amplitudinis machinam mundi, quam dimetiri non ſolemus pedibus, vel perticis, ſed millionibus diametrorum terreſtrium, & hac demum dimenſione immenſa pro Tubo optico utimur viſuri infinitum DEUM. Si fortè imbecilles nimis oculos applicare lubeat ad corpora nobis proxima, illaque intimius contemplari, occurret iterum idem, quod in macrocoſmo obſtaculum, mundus in quouis puluiſculo, diuiſibilitas in infinitum, quo defatigari oculum, exhauriri ſpiritus neceſſe eſt. Ea tamen eſt, & tanta DEI erga nos bonitas, ut ex conſideratione corporum infinitè magnorum, & infinitè paruorum prægustandam dare voluerit infinitatis ſuæ cognitionem, ducendam ad ἀκμὴν, poſtquam exuerimus hanc mortalitatem, viſuri τὰ μεγαλεῖα ΘΕΟΥ illuminatis oculis, colluſtrati undique fulgore diuino. Notari meretur, quod in omnibus omninò corporibus videamus DEUM, qui tamen manet occultus. Corpora quæuis, maxima, medioxuma, minima, Sol, Luna, Stellæ, animalcula, plantulæ, totidem ſunt literæ, ex quibus articulata diuinarum perfectionum formamus elogia; Aulæum ſemidiaphanum, per quod conſpiciendum ſe ſiſtit DEUS. Videre licet, imo manibus palpare, ſupremi Entis Omnipotentiam, Omniſapientiam, Bonitatem, Magnitudinem. Sed eſt ipſa hæc, Gentilibus quoque communis, ſcientia umbra, ſi conferas cum cognitione DEI reuelata, de Sanctiſſimo Triuno, de CHRISTO Redemptore, ejuſque merito infinito, de via ad poſſeſſionem bonorum cœleſtium. Tubo nempe naturæ optico DEUM cognoſcimus Creatorem, Scripturâ Sacrâ Saluatorem. Non tamen contemnenda eſt prior illa cognitio, licet dignitate inferior. Subordinata non pugnant. Diuerſis modis ſe nobis cognoſcendum dare voluit incomprehenſibilis DEUS. Eſt *mundus* magnificum Theatrum, in quo tot peraguntur ſcenæ, quot ſunt motus. Actores ſunt corpora animata & inanimata omnia. Exhibet ſeſe ubique harmonia inordinata, confuſio ordinatiſſima: Natura ſemper variata, ſemperque eadem: Architecturæ Ordo decompoſitus, ſed artificii infiniti. Tanta rerum & multitudo, & varietas, ut omnes omnium hominum, qui vixerunt hactenus, vel victuri ſunt in poſterum, oculi menteſque ſatiari nequeant. Perſpectiua, quæ ſeſe adeò extendit longè, ut viſus noſter, acutiſſimus licet, ei aſſequendæ ſit impar; imo talis, quæ maxima nobis ſiſtit ſub parua ſpecie, & minima præſentat tanquam maxima. Concentratur integer mundus, & quicquid in eo eſt, in cerebro noſtro aliquot duntaxat pollices cubicos amplo, imo forſan piſalis diametri ſpatio, quod ſenſorii communis nomine venit, imò puncto indiuiſibili animæ. Quum è contra muſcæ in admiranda ſua ſtructura fiant Elephantes, imo puluiſculus mundus. Concentratur maximæ extenſionis arbor cum omnibus ſuis ramis, foliis, fructibus, maximæ molis animal cum corde, pulmonibus, partibus quibuſcunque aliis in exiguo ſemine, vel ouulo. Floſculus quilibet pretioſiorem oſtentat amictum, quàm fuit regius ille Solomonis. Quis, quæſo, his omnibus, imo quis uni horum, capiendis eſt par? Imo quotus eſt quiſque mortalium, qui ſui ipſius adæquatam habeat cognitionem? Quàm pauci ſunt, qui ſe ipſos cognoſcunt, ut nobiliſſimam ſimul & miſerrimam creaturam? quibus perſpecta eſt admiranda corporis compages, partium ſingularum ſtructura & uſus? Animæ proprietates, vires, eſſentia, animæ cum corpore unio, modus, quo hoc agit in illam, illaue in hoc, ſenſus externi interniue? Audiamus ſubtiliſſimum *Malebranche Recherche de la Verité* p. m. 46. ubi de operibus DEI: *On n'y voit qu'infinité par tout, & non ſeulement nos ſens, & notre imagination ſont trop limités pour les comprendre, mais l'eſprit meſmes tout pur & tout degagé qu'il eſt de la matiere, eſt trop groſſier & trop foible, pour penetrer le plus petit des ouvrages de DIEU. Il ſe perd, il ſe diſſipe, il s'eblouit, & il s'effraye a la vue de ce qu'on appelle un Atome ſelon le langage des ſens. Mais toutefois l'eſprit pur a cet advantage ſur les ſens, & ſur l'imagination, qu'il reconnoit ſa foibleſſe, & la grandeur de DIEU, & qu'il appercoit l'infini, dans lequel il ſe perd: au lieu que noſtre imagination & nos ſens rabbaiſſent l'ouvrage de DIEU, & nous donnent une ſotte confiance, qui nous precipite aveuglement dans l'erreur.*

Eccle-

Eccleſiaſt. Cap. X. verſ. 1.

Ut enim muſcæ mortuæ fœtere atque fraceſcere faciunt unguentum Pharmacopolæ, ita modica ſtultitia (perdit,) quod pretioſum eſt ex ſapientia & honore.

Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem unguenti: precioſior eſt ſapientia & gloria parua ad tempus ſtultitia.

M*Uſcam* Solomo vocat זְבוּב *zebhubb*, Chaldæi דְּבוּבָא *debhubba*, Syri *debhabba*, Arabes *dſebab, zübab*. Plur. pauc. *ezibbet*. Plur. mult. *zübb, zibzab*: Muſca una *zübabet*, malè *zibbabet*. *Meninzk. Lex*. 2228. 2229. Videtur origo nominis eſſe Arabica, *dſabba* notat incertis ſedibus diuagari, ut muſcæ ſolent. *Lucianus in Encomio muſcæ*: Νεοττίαν δὲ, ἢ καλίαν, ȣ̓χ᾽ ἑνὶ τόπῳ κατεςήσατο, ἀλλὰ πλάνητα τὴν πτῆσιν κατὰ τȣ̀ς Σκύθας ἐπαγηρημένη, ὅπȣ ἂν τύχῃ ὑπὸ τῆς νυκτὸς καταληφθεῖσα, ἐκεῖ καὶ ἑςίαν καὶ εὐνὴν ποιεῖται. *Nidum ſuum non uno in loco conſtruit muſca, ſed hinc inde diuagatur, Scytharum ad inſtar, pernoctans, ubi à tenebris corripitur cunque.* Hinc Arabes de homine vagabundo, qui nulla certa ſede moratur, vel & inconſtanti, leuis armaturæ milite, eſſe muſcâ magis inconſtantem.

De *muſca* Eccleſiaſtes, *mortuam fœtere, atque fraceſcere facere unguentum Pharmacopolæ.* μυῖαι θανατȣ̃σαι σαπριȣ̃σι σκευασίαν ἐλαίȣ ἡδύσματος. Res nemini non nota. Hinc præcauere ſolent Pharmacopolæ muſcarum acceſſum ad ſyrupos, aliasque res fermenteſcibiles. Omnibus nempe inſectis ineſt ſal acre volatile, quod dulcibus, etiam alcalicis commixtum hæcce in majorem ciet motum, ad fermentationem diſponit, & ipſam putredinem, qua principia volatiliora auolant, relictis craſſioribus, mutantur ſimul & odores & ſapores, grati in fœtidos, dulces in inſipidos. Pandit, quæ heic contingit, alteratio viam ad applicationem moralem: *modica ſtultitia perdit, quod pretioſum eſt ex ſapientia & honore.* LXX. τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλην. *Precioſum paululum ſapientiæ ſuper gloriam inſipientiæ magnam.* Ὀυκ ὄιδατε, ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ; 1. Cor. V. 6. Obſcurat & atra veluti maculâ notat vitium qualecunque, inſipiens verbum, inepti geſtus, ſtulta actio, dona aliàs laude digniſſima. Odoratiſſimam etiam hominis famam fœtidam calumniis ſuis reddit ſycophanta, qui cum muſca hinc inde diuagante, & excrementis ſuis omnia inficiente peraptè comparari poteſt, imo cum muſcis caninis, κυνομυίαις, pungentibus. Non deſunt quidem etiam ſapientiſſimis & prudentiſſimis muſcæ propriæ, ἁμαρτάνει καὶ σοφȣ̃ σοφότερος. Nouæ applicationi anſam dat Lutheri Verſio: *Darum iſts zuweilen beſſer Thorheit, dann Weisheit und Ehr.* Præſtat affectata quædam, inſipiens aliis viſa, injuriarum vel obliuio, vel contemptus, ſupremo jure, quo nobis arceſſimus moleſtias, inferimus noxas. *Man muß dann und wann fünfe laſſen gerad ſeyn. Horat. Carm.* L. IV. *Od.* 12.

Miſce ſtultitiam conſiliis breuem,
Dulce eſt deſipere in loco.

Pellicanus quoque noſter in *Eccleſ.* p. 261. b. ſeparat alterum lemma, *ſtultitia parua pretioſior eſt ſapientia & gloria* à priori, à muſcis. Verba illius hæc ſunt: *Laudabilior eſt mediocris & humilis ſapientia, parum vel nihil præſumens, improbitates aliorum ſentiens & diſſimulans, tacensque in medio ſuperborum, ut ſtultus putetur, quàm ſit alius quiſpiam plurimùm de ſapientia ſua confiſus, & honoris ſui magnam habens curam, nolens aliis alius haberi, quàm ipſe ſibi videatur. Satius, inquit, eſt eſſe mediocriter ſtultum vel ſimplicem, quàm ſuperbè prudentem.* Et ſanè videtur translatio hæc poſterior Textui originali magis conformis, qui ita, יָקָר מֵחָכְמָה מִכָּבוֹד סִכְלוּת מְעָט, *pretioſum à ſapientia, à gloria, ſtultitia parum.*

Eccleſiaſt. Cap. X. verſ. 8.

— Qui demolitur maceriam, eum ſerpens mordebit.

— Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.

T*Eſtis* eſt hic ipſe Locus, ut alia plura, attendiſſe ſapientiſſimum Regem omni ſedulitate ad corpora quæuis in natura obuia, ſpeciatim verò ad animalia, horum vitam & actiones, partim ut optimum laudaret Creatorem, partim ut doctrinam moralem, pro more Gentium Orientalium, inde eliceret. Docuit eum, ut nos docet, experientia, degere ſerpentes frequentiſſimè in dumetis, frutice-

tis,

tis, ſepibus. Cerui ſerpentes venaturi apud *Nicandrum.*

Πρόχμαλαθ' αἱμασίας τε καὶ εἰλύες ἐρέπσι,

Saxa petunt, ſepesque, cauernarumque latebras.

Docet τὸ ἠθικὸν, incidere plerunque ἐπιχαιρεκάκους in foueas, quas parant aliis. *Qui demolitur* proximi *maceriam.* ὁ ὀρύσσων βόθρον, εἰς αὐτὸν ἐμπεσεῖται, καὶ καθαιρῶντα φραγμὸν, δήξεται αὐτὸν ὄφις. Σχίζων ξύλα κινδυνεύσει ἐν αὐτοῖς, ἐξαίρων λίθους διαπονηθήσεται ἐν αὐτοῖς. *Qui fodit foſſam, incidit in eam, & qui demolitur maceriam, eum ſerpens mordebit. Quique transfert lapides, dolore ab eis afficietur, & qui findit ligna, in eis periclitabitur. (Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis.)* Eccleſ. X. 8. 9.

Propter affinitatem hujus Loci inſpice ſupra Eccleſ. VII. 7.

Eccleſ. Cap. X. verſ. 11.

Si ſerpens mordeat absque ſibilo, nihilo magis incommodat, quàm (a) maledicus.

(a) Vir linguæ, i. e. abutens lingua, ut conuitiator, delator, detractor, loquax.

Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.

DEtractorem comparatum heic vides cum ſerpente, eoque *mordente*, ἐν οὐ ψιθυρισμῷ, *in non ſuſurro, non ſibilo;* Non magis te præcaueris à conuitiatoribus, quàm à ſerpentibus, illis nempe, qui incantationes nîl curant. Talismodi autem ſerpentes dari, conſtat ex aliis Scripturæ Locis. Jer. VIII. 17. comminatur DEUS rebelli populo ſuo, ſe *immiſſurum in eos ſerpentes regulos, qui incantari nequeunt, mordebuntque eos.* En quomodo depingat calumniatores Regius Pſaltes! *Virus eſt illis, ut virus ſerpentis, ut aſpidis ſurdæ, auremque ſuam obturantis. Ne cogatur audire vocem incantantium, incantatoris, inquam, artibus magicis præſtantis. (Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas: Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.)* Pſ. LVIII. 5. 6. Ex hujusmodi locis infert *AbenEzra*, rebelles erga DEUM ex populo Iſraelitico propterea à ſerpentibus fuiſſe demorſos Num. XXI. quod ſerpentinæ fuerint malitiæ. *Suam linguam acuerunt ut ſerpens, & venenum aſpidis eſt in labiis eorum.* Pſ. CXL. 4. De incantatione ipſa plura lege ad Pſ. LVIII.

Eccleſiaſt. Cap. XI. verſ. 3.

Quum nubes impletæ fuerint, pluuiam effundunt in terram; & quum arbor ceciderit vel ad auſtrum, vel ad aquilonem, in quemcunque locum ceciderit arbor, in eo permanebit.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.

OMnia proprio ſuo & aliorum uſui applicat ſapiens, quæ ſenſibus obueniunt cunque. *Nubes* ſi videat *impletas*, ἐὰν πληρωθῶσι τὰ νέφη ὑετοῦ, pluuiâ turgidas, quarum veſiculæ propius collectæ, mox confractæ, *pluuiam effundent in terram*, hominem videt opibus affluentem, cujus gazæ & horrea ventres ſunt pauperum, qui bona ſua largiter effundit in egenos: Nubes, quæ aquas ſuas aliunde habent, ex ditiſſimo terræ & aquarum inferiorum promptuario: diuites, quibus bona affluunt unicè ex benedictione Diuina: Nubes, quibus Sol & venti aquas adducunt, non ut in atmoſphæra ſuſpenſæ ſemper maneant, ſed repetundarum jure reddantur terræ: Opulentos, qui bona ſua diſtribuunt egenis, diſſimillimi ſtulto illi, qui ita Luc. XII. 17. τί ποιήσω, ὅτι οὐκ ἔχω, ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου;

Sapiens ſi *arborem* videt *cadentem ad auſtrum vel ad aquilonem*, ἐὰν πέσῃ ξύλον ἐν τῷ νότῳ, καὶ ἐὰν ἐν τῷ βοῤῥᾷ, & *in quemcunque locum ceciderit, in eo permanere*, videt veluti in emblemate agonizantem, fide & pœnitentiâ ſalutiferâ tranſiturum mox ex mortalitate hac, ex valle miſeriarum, ad

ad beatam æternitatem, ſed ſi peccatis ſuis immoriatur, infeliciſſimo ſaltu ſeſe præcipitantem in gehennam. Pulchrè *Bernhardus Serm.* 49. *Exciditur arbor in morte, & quocunque ceciderit, ibi erit, quia ibi te judicabit DEUS, ubi inuenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter, & irretractabiliter. Videat, quò caſura ſit, antequam cadat, quia poſtquam ceciderit non adjiciet, ut reſurgat, ſed nec ut ſe vertat. Quò verò caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos ejus attende. Unde major eſt copia ramorum & ponderoſior, inde caſuram ne dubites: ſi tamen fuerit tunc exciſa. Rami noſtri deſideria noſtra ſunt, quibus ad auſtrum extendimur, ſi ſpiritualia fuerint, ſi carnalia, ad aquilonem. Quæ verò præponderent, medium corpus indicat: ea namque præponderant, quæ ſecum traxerint corpus.*

Eccleſiaſt. Cap. XI. verſ. 4.

Qui obſeruat ventum, non ſeminabit, & qui ſpectat nubes, non metet.

Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui conſiderat nubes, nunquam metet.

AGrarias Leges intellexerat Regius Eccleſiaſtes in ſenſu politico & phyſico: Obſeruauerat, *non ſeminare* colonos *vento* forti ſpirante, qui ſemen diſpergit, neque *metere* cœlo pluuio, aut imbribus inſtantibus, ne putreſcant frumenta, ſed in omnibus his tempus obſeruare commodum, non tamen eſſe in exceſſu ſollicitum aut meticuloſum, ſi fortè vel venti ſpirarent, vel pluuia ingrueret, ſic enim μεριμνῶν, nunquam nec ſeminandum ei foret, nec metendum. Inſinuare vult & commendare ſapientiſſimus Rex temporis opportuni verum atque legitimum uſum. Abutitur eo diues opes ſemper corradens, nil inter pauperes ſeminans, ſi metuit futurum fortean bellum, vel ſecuturam annonæ inopiam. Vir prudens bona opera haud intermittit ex metu dubii euentus, vel ſpe temporis magis opportuni, DEI prouidentiâ nixus, nunquam non officia ſua præſtat. Suſpendit atque negligit neceſſariam ſententiam ad minutias usque ſcrupuloſus Judex, Imperator victoriam, Medicus curam. *Wer alle Vögel förchtet, wird nimmer Hirs ſayen. Proinde* v. 6. *mane ſemen tuum ſemina, & veſperi non abſtineas manum tuam, neſcis enim, utrum commodius futurum ſit, an hoc an illud, aut utrunque juxta felix fauſtumque futurum ſit. (Manè ſemina ſemen tuum, veſperè ne ceſſet manus tua: quia neſcis, quid magis oriatur, hoc aut illud: & ſi utrunque ſimul, melius erit.)*

Eccleſiaſt. Cap. XI. verſ. 5.

Quemadmodum ignoras, quæ via ſit (*a*) Spiritus, aut qualia oſſa in (*b*) utero grauidæ, ita ignoras opus DEI, quod perficiet omnia.

(*a*) Vel, venti, vel potius animæ fœtui concepto infundendæ.
(*b*) In ventre pleno.

Quomodo ignoras, quæ ſit via Spiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera DEI, qui fabricator eſt omnium.

DEmonſtrare intendit Eccleſiaſtes, certò & larga manu retributurum eſſe optimum DEUM beneficia iis, qui proximo præſtitere charitatis officia, quamuis viæ DEI ſint occultæ, & remunerationis modi non ſemper patuli in oculis hominum. Theſin hanc illuſtrat binis parœmiis, deſumtis ex binis magnis DEI operibus, ſed nobis incognitis, *via ſpiritus*, & *oſſibus in utero grauidæ*. Ἐν οἷς ȣ̓κ ἔςι γινώσκων τίς ἡ ὁδὸς τȣ̃ πνεύματος, ὡς ὀςᾶ ἐν γαςρὶ κυοφορȣ́σης, ȣ̃τως ȣ̓ γνώσῃ τὰ ποιήματα τȣ̃ ΘΕΟΥ, ὅσα ποιήσει τὰ σύμπαντα.

Ignotæ certè ſunt viæ *Spiritus*, ſiue per רוּחַ intelligamus *ventum*, ſiue potius *animam*, ignota præcellentia hæc opera DEI. τὸ πνεῦμα ὅπȣ θέλει πνεῖ, ϗ τὴν φωνὴν αὐτȣ̃ ἀκȣ́εις, ἀλλ᾽ ȣ̓κ οἶδας πόθεν ἔρχεται, ϗ πȣ̃ ὑπάγει. Joh. III. 8. DEUS eſt, qui *educit ventum è ſuis theſauris.* Pſ. CXXXV. 7. Is *vento pondus adhibet.* Job. XXVIII. 25. Vi hujus Legis à ſupremo DOMINO latæ *ventus procelloſus verbum ejus proſequitur. (Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.)* Pſ. CXLVIII. 8. Par eſt ratio *animæ* noſtræ rationalis, de cujus ortu, & unione cum corpore irriti fuere hactenus Philoſophorum omnis ætatis labores; num fortè propagetur à Parentibus per Traducem, num immediatè creetur à DEO, num infuſio hæc fiat in conceptione, media gra-

grauiditate, vel ad finem ejus, num jam olim in prima creatione atomo corporis infinitè paruæ, ſed perfectiſſimè formatæ, ſociata. Silentio prætereo alia, quæ concernunt animæ eſſentiam, operationes, proprietates, nobis ignotas pariter. Ab anima ſi tranſeamus ad compagem corporis, ad *oſſa in utero grauidæ*, inficiari iterum haud poſſumus, eſſe *opus* DEI, imo μεγαλεῖον ΘΕΟΥ, ex quo, oſſium aliarumque corporis partium omnium numero, configuratione, paulatina induratione manifeſtiſſimè demonſtrari poſſit DEI ſapientiſſima Potentia atque Bonitas. *Tuæ manus elaborauerunt me, ac me fecerunt quantusquantus ſum. — Me velut argillam finxiſti, meque redacturus es in puluerem. Annon veluti lac fudiſti me, & velut caſeum me coagulaſti? Cute & carne veſtiuiſti me, oſſibus etiam & neruis me contexiſti. (Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: — Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me: oſſibus & neruis compegiſti me.)* Job. X. 8. Idem dixeris de omnibus omnino naturæ corporibus, automato ſimilibus, cujus quidem motum Index nobis indicat, ſed interiorem & intimam ſtructuram ignoramus, horologiopœo perſpectam.

TAB. DXCII.

Eccleſiaſt. Cap. XII. verſ. 1. 2.

1. Et memento Conditoris tui tempore juuentutis tuæ, antequam accedant (a) tempora periculoſa, & anni aduenìant, ut dicas, (b) non delector illis.

(a) Dies mali.
(b) Non mihi in eis voluntas.

2. Antequam obtenebreſcat Sol & Lumen, & Luna & Stellæ, & redeant nubes poſt pluuiam.

1. Memento Creatoris tui in diebus juuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.

2. Antequam tenebreſcant Sol, & Lumen, & Luna, & Stellæ, & reuertantur nubes poſt pluuiam.

Est quidem omnis noſtra mortalium vita miſeriarum vallis, per quam deambulandum nobis eſt: Non eſt ætas, quæ non ſit obnoxia ſuis infirmitatibus, morbis, calamitatibus. Sed maximis & numeroſiſſimis occidua, quæ cana niue tempora ſpargit, *ſenectus*, in qua rigeſcentes fibræ flexilitatem ſuam perdunt, ſimul & elaſticitatem, vaſcula extrema vel ſubſidunt, vel concreſcunt, fluidis diſputantes tranſitum, vaſa ſanguifera majora anguſtata tantùm non oſſeſcunt, corrugatur cutis, contrahitur tota corporis fabrica, hinc exſiccatur, immobilis redditur, decreſcit: diminuitur ſanguinis circulus, ſtagnant fluida, & glutinoſa fiunt, Spiritus debilitantur; ceſſat digeſtio, non reparatur abſumptum, ſecretiones ſiſtuntur, ſalia ipſa, ſoliditatis cauſæ, in ultimis vaſorum ſanguiferorum tubulis, minimisque neruulorum fibrillis hærent, ibi impacta compagem deſtruunt, mille obſtructionibus & criſpaturis anſam præbent, ut omnino fundatæ ſint, quas *Petrarcha* cantat, querelæ.

Quand io mi volgo in dietro amirar glianni,
Ch' anno fuggendo i miei penſieri ſparſi,
E ſpento il fuoco, ove agghiacciando i arſi,
E finito il riposo pien d'affanni.

Ita ſenſim appropinquamus tumulo. Quin imò eſt ſera ipſa ſenectus tarda mors, ſepulchrum viuum, *Portus malorum Siculis grauior ſcopulis*, juxta *Bionem* apud *Laërtium*, ætatum reliquarum hyems, fæx vitæ: multa contrahit paucis Solomon, ἡμέραι τῆς κακίας, *tempora* mala *periculoſa*, ἔτη ἐν οἷς ἐρεῖς, οὐκ ἔςι μοι ἐν αὐτοῖς θέλημα. Dies & anni, qui faſtidio ſunt & oneri ipſis ſenibus, ſiquidem vident vires animi corporisque labentes, mille ſentiunt moleſtias, mille cauſantur aliis, vitam trahentes bis pueri curarum, miſeriarum plenam. Si acceſſerint, narrante *Hippocrate Sect.* III. *Aph.* 31. δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, ςραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι. *Spirandi difficultates, & defluxiones cum tuſſi, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, nephritides, vertigines, ſiderationes, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucedines, auditus grauitates.* Egregia ſunt verba *Nyſſeni*

KOHEL. Cap. XII. v. 1. 2.
Senii infirmitates.

Pred. Cap. XII. v. 1. 2.
Alters = Schwachheiten.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

Nyſſeni in ſermone funebri *Pulcheriæ Auguſtæ* habito: *Sed forſitan angis te, quod ad ſenectutem non peruenit? Quid verò, dic mihi, pulcri cernis in ſenectute? an pulcrum, prurire & fricare oculos? corrugari genas? & ex ore defluere dentes? & linguæ balbutiem ingenerari? manibus ſubtremiſcere? ad terram incuruari, titubare, atque ſubclaudicare pedibus? ducibus inniti? deſipere corde ac delirare? voce abſurda & inepta pronuntiare?*

Memento proin, qui hæc pia mente ruminas, florentibus annis, *tempore juuentutis tuæ, antequam accedant tempora periculoſa*, memento inquam, *Conditoris tui*, qui *ſpiritum hominis in medio ejus fingit*, Zach. XII. 1. qui *in abſtruſo formauit eum, & velut opere Phrygio effinxit*, cujus *oculi eum viderunt, quum eſſet fœtus informis*, qui *in libro ſuo uniuerſa membra deſcripſit*, Pſ. CXXXIX. 14. 15. Conditoris, qui vitam tibi dedit & omnia, à quo pendes totus, cui proin te tuaque debes, ſubjectiſſimam inprimis deuotionem. *Meminiſſe Conditoris* idem eſt, atque ſummum hoc Ens, & infinitas ejus perfectiones cognoſcere, cogitatione verſare diurna, verſare nocturnâ, ſeſe totum ei ejusque Legibus tanquam Domino & Judici ſubjicere, ad voluntatis diuinæ normam omnem vitam componere, DEUM amare, timere, venerari, dignis concelebrare laudibus, παρατίθεσθαι ὡς πιστῷ κτίστῃ τὰς ψυχὰς ἐν ἀγαθοποιΐᾳ, 1. Petr. IV. 19. Officium, quod ipſa Naturæ Lex præſcripſit Gentilibus. Egregia ſunt Imperatoris *Marci Antonini*, quem Romanorum Solomonem dixeris, verba. L. III. §. 13. ὥσπερ οἱ ἰατροὶ ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων, οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε πρὸς τὸ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα εἰδέναι. *Quemadmodum Medici inſtrumenta ſua ſemper in parato habere debent, ut promptè ægris poſſint ſuccurrere, ita dogmata de diuinis humaniſque rebus continuò oculis tuis obuerſentur neceſſe eſt.* Inprimis is L. VI. §. 7. inculcat, ut fiant πάντα σὺν μνήμῃ ΘΕΟΥ, quod coincidit cum Solomoneo μνησθῆναι τοῦ κτίσαντός σε. Verba, quæ aureis literis merentur inſculpi hominis cujusuis cordi, uti quoque illa *Epicteti* claudi & egeni, ſed pii, apud *Maxim. Collectan.* c. 52. συνεχέστερον νόει τὸν ΘΕΟΝ ἢ ἀναπνεῖ. *Continentius de DEO cogitandum, quàm reſpirandum.* Et *Diſſert.* L. II. c. 18. μέγας ὁ ἀγών ἐστι, θεῖον τὸ ἔργον· τοῦ ΘΕΟΥ μέμνησο. *Haud leuis eſt agon, diuinum opus: DEI memento.* Merentur porrò locum heic, quæ ſcribit laudatus Gentilis L. II. c. 8. vel ut pudore ſuffundantur, qui ex Chriſtianis officii ſui parum ſunt memores. Ἀλλ' εἰ μὲν τὸ ἄγαλμα ἦς τοῦ Φειδίου ἢ Ἀθηνᾶ, ἢ ὁ Ζεὺς, ἐμέμνησο ἂν καὶ σεαυτοῦ, καὶ τοῦ τεχνήτου, καὶ εἴ τινα αἴσθησιν εἶχες, ἐπειρῶ ἂν μηδὲν ἀνάξιον ποιεῖν τοῦ κατασκευάσαντος, μηδὲ σεαυτοῦ, μήδ' ἐν ἀπρεπεῖ σχήματι φαίνεσθαι τοῖς ὁρῶσι. Νῦν δὲ σὲ ὅτι ὁ Ζεὺς πεποίηκε, διὰ τοῦτο ἀμελεῖς οἷόν τινα δείξεις σεαυτόν. *Opus Phidiæ ſi fores, Mineruæ licet vel Jouis nomen geſtares, cogitares continuò de te ipſo, tuoque artifice, & ſi ſenſu polleres, nîl ageres te tuoque Conditore indignum, ne indecenti quidem habitu compareres in publico. Nunc autem quia te Jupiter finxit, non curæ habes, quomodo te geras cunque.* Et mox: τοῦτο τοῦ δημιουργοῦ κατασκεύασμα ὤν, καταισχύνεις αὐτό; τὸ δ' ὅτι οὐ μόνον σε κατεσκεύασεν, ἀλλὰ καὶ σοὶ μόνῳ ἐπίστευσε καὶ παρεκάθετο, οὐδὲ τοῦτο οὐ μεμνήσῃ, ἀλλὰ καὶ καταισχύνεις τὴν ἐντροπήν; εἰ δὲ σοι ὀρφανόν τινα ὁ ΘΕΟΣ παρέθετο, οὕτως ἂν αὐτοῦ ἠμέλεις; παραδέδωκέ σοι σεαυτὸν, καὶ λέγει, οὐκ εἶχον ἄλλον πιστότερόν σου. τοῦτόν μοι φύλασσε τοιοῦτον οἷος πέφυκεν, αἰδήμονα, πιστὸν, ὑψηλὸν, ἀκατάπληκτον, ἀπαθῆ, ἀτάραχον. εἶτα σὺ οὐ φυλάσσεις. *Pudori es conditori tuo; qui non ſolùm te finxit, ſed tibi ſoli dona ſua concredidit. Attamen, immemor tanti beneficii, ignominiâ cooperis hoc tuum depoſitum. Num ſi quis tibi committeret orphani curam, eum ita negligeres? Te tradidit tibi, atteſtatus, ſe non inueniſſe, qui fidus magis foret, quàm tu tibi. Tradidit autem te tibi, ut cuſtodires te talem, qualis naturâ es, pudicum, fidum, generoſum, terroris, metus, confuſionis expertem. Attamen tu te non ita cuſtodis.* Audite porrò conſectaria viri pii ad officia L. I. c. 14. τούτῳ καὶ ΘΕΩ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οὕτως οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. *Huic DEO debetis homagii juramentum, ut milites Cæſari*, qui ſacramento addicti & ſtipendia merentes ſalutem Principis & Reipublicæ pro prima lege habent. Vos autem, qui tot & tanta à DEO accepiſtis beneficia, ei ne præſtatis quidem homagium? vel præſtitum non ſeruatis? Homagium ipſum autem his concipit verbis: μὴ ἀπειθήσειν μηδέποτε, μηδ' ἐγκαλέσειν, μηδὲ μέμψασθαι τι τῶν ὑπ' ἐκείνου διδομένων, μήδ' ἄκοντας ποιήσειν τι, ἢ πείσεσθαι τῶν ἀναγκαίων. *Ne unquam ſitis inobedientes; ne quidquam conqueramini de eo: ne vituperetis, quod vobis largitur: ne faſtidiatis unquam, quod vobis præcipit.* Preces tandem ſi deſideretis, ad finem hunc conſequendum, Chriſtiano homine haud indignas, legite, quæ *Simplicius* habet ſub finem *Commentariorum* in *Epicteti Enchiridion*, & miramini, quod pluralitatem is memoret in una Diuinitate. Ἱκετεύω σε, Δέσποτα, ὁ πατὴρ καὶ ἡγεμὼν τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου, ὑπομνησθῆναι μὲν ἡμᾶς τῆς ἑαυτῶν εὐγενείας, ἧς ἠξιώθημεν παρὰ σου, συμπράξαι δὲ ὡς αὐτοκινέτοις ἡμῖν, πρός τε κάθαρσιν τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος, καὶ τῶν ἀλόγων παθῶν, καὶ πρὸς τὸ ὑπερέχειν καὶ ἄρχειν αὐτῶν, καὶ ὡς ὀργάνοις κεχρῆσθαι κατὰ τὸν προσήκοντα τρόπον. Καὶ πρὸς διόρθωσιν ἀκριβῆ τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου, καὶ ἕνωσιν αὐτοῦ πρὸς τὰ ὄντως ὄντα, διὰ τοῦ τῆς ἀληθείας φωτός. Καὶ τὸ τρίτον, τὸν Σωτῆρα ἱκετεύω, ἀφελεῖν τελέως τὸν ἀχλὺν τῶν ψυχικῶν ἡμῶν ὀμμάτων, Ὄφρα γινώσκομεν εὖ (κατὰ τὸν Ὅμηρον) ἠμὲν Θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα. Quæ ita, ut præcedentia, reddo: *Votis ſupplicibus fatigo te, Domine, Pater & Rector rationis noſtræ, ut memores nos reddas nobilitatis noſtræ, quâ nos dignatus es: ut aſſiſtas nobis, purges nos ab omni eo, quod ſponte nos commouet, ab inquinamentis corporis, & affectionibus brutis, ut iis reddi poſſimus ſuperiores, & utamur tanquam organis, uti decet. Ut auxilio tuo corrigamus rationem noſtram, & per veritatis lucem uniamus iis objectis, quæ realia ſunt: Tertio ſupplico Saluatorem, ut oculos mentis*

tis noſtræ à caligine ſanet, ut, quod apud Homerum legitur, cognoſcamus, quid DEUS ſit, quid homo mortalis.

Redeo ad Solomoneam ſenectutis deſcriptionem, cui faciem prætulerunt Scriptores ſequentes: *Wits. Miſcell. Sacr. Tom. II. Exercit. VI. de officio juuentutis & incommodis ſenectutis. Wedel. Diſſ. Dec. III. Exercit. III. de Morbis Senum Solomonæis. Solom. Hottinger.* βιογραφία *Phyſico-ſacra, ſeu Diſſ. de vita, hujus natura, eſſentia, interuallis, ſeu ætatibus, cumprimis etiam de incommodis Senii, juxta illuſtrem Locum Eccleſ. XII. 3-8. Tig.* 1706. p. 40-45. *Joh. Smith Regis Salomonis deſcriptio ſenectutis. Cl. Ottonis Philippi Praunii, Med. Doct. Archiatri Campidonenſis, Phyſico-Anatomica Analyſis Cap. XII. Eccleſiaſtis, quo viua ſenii mortisque imago delineatur, & inuentis nouis Anatomicis illuſtratur,* MSC. quam pro beneuolo ſuo affectu mecum communicauit, frontiſpicium ornans carminibus ſequentibus. *Cornelius Gallus:*

Hæ ſunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Defluit, & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
Non ſpecies eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris, demiſſo corpore, veſtis,
Quæque grauis fuerat, jam modo longa mihi eſt.
Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi,
Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cœlum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
Terram, à qua genita eſt, & reditura, videt.
Fitque tripes prorſus, quadrupesque, ut paruulus infans,
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Ortus cuncta ſuos repetunt, mortemque requirunt,
Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.

Meminiſſe juuabit juuenem Creatoris, ex Solomonis conſilio, *antequam obtenebreſcat Sol & Lumen, & Luna & Stellæ,* ἕως ȣ̃ μὴ σκοτισθῇ ὁ ἥλιος ϗ τὸ φῶς, ϗ ἡ σελήνη, ϗ οἱ ἀςέρες. v. 2. Hæc verba explicant plerique Interpretes de oculis corporis, utpote qui non ſolùm ob ſui contractionem presbytici fiunt, ſed & propter condenſationem humorum, & nutrimenti defectum, caliginoſi, vel prorſus lumine orbi. Ita *ſenio confectis Iſaaco,* Iſraeli, Eli, *cæcutiebant oculi caliginoſi.* Gen. XXVII. 1. XLVIII. 10. 1. Sam. IV. 15. *Sedebat* Tobias *in tenebris, nec lumen cœli videbat.* Tob. V. 12. Et rari quid eſt, ſi *centum & viginti annorum* Moſi *oculi non caligant.* Deut. XXXIV. 7. Sed melius Textum explicat Celeb. *Witſius* de lumine interno mentis, obſcurati Solis, Luminis, Lunæ & Stellarum nomine intelligens deficientem intellectum, memoriam, ratiocinandi facultatem ob cerebri ſtructuram vel flacceſcentem nimis, vel rigefactam, fluidi neruei deficientem ſecretionem & ſubtiliſationem, unde & bis pueri redduntur ſenes. Et forſan Solomon digitum intendit ad gradualia virium intellectus decrementa, ut qui in vigore ætatis ſuæ Solis ad inſtar fulſerat, primùm deſcendat ad lumen debilius Lunæ, dehinc Stellarum, usque dum obtenebreſcat totus. Placent hæc præ illa quorundam Scholaſticorum ſcala, qui per *Solem* intelligunt ſupremum & præcipuum mentis lumen, intellectum, per *lumen* facultates quasdam inferiores, intellectum paſſiuum, quo objecta externa excipiunt, per *Lunam*, partem quandam animæ ſenſitiuam magis quàm rationalem, per *Stellas* denique ideas quaſuis in anima veluti firmamento fulgidas. Mallem proin huc primam anteferre ſententiam, quæ de corporis oculis textum exponit, collatis locis antea citatis.

A morbis mentis, fidis incuruati ad tumulum corporis comitibus, deſcendit Eccleſiaſtes ad ægritudines corporis ſenio adhærentes. Ita ille: *Antequam redeant nubes poſt pluuiam,* ἕως ȣ̃ ἐπιςρέψȣσι τὰ νέφη ὀπίσω τȣ̃ ὑετȣ̃. His verbis intelligit procul omni dubio, & ex plerorumque Interpretum mente, *catarrhales affectus*, ſenibus infeſtos. Rigeſcunt ſenſim fibræ tubulorum excretoriorum, & ſunt glandulæ faucium, narium, oculorum, vi retentrice priuatæ, cribro ſimiles, per quod aduentantia ad membranam pituitariam fluida absque impedimento transſtillant, ut genis defluant lacrymæ, è faucibus exſcreentur viſcoſitates, madidique accedat infantia naſi, quas moleſtias vel excitat vel auget aura frigidiuſcula quæuis tranſpirationem alias ſenibus difficilem cohibens, vel quiuis in diæta commiſſus error. Quadrat hoc ratiocinium, principiis Medicinæ Mechanicæ fundatum, præ illo veterum calidi natiui, & humidi radicalis defectu; Et Anatomiæ prorſus non conſentaneum eſt vulgi illud præjudicium, quo corpus hominis comparatur veſicæ aut cucurbitæ, caput alembico, in quo vapores aſcendentes colligantur, ut inde per roſtrum effluant. Veliſicari equidem videtur huic opinioni ipſe Solomon Catarrhos ſub ſymbolo *pluuiæ & nubium* ſiſtens. Valet heic illud: *Omne ſimile eſt ſibi diſſimile.* Verba illa, *antequam redeant nubes poſt pluuiam*, ita intelligi queunt, quod catarrhoſa una defluxio ſequatur poſt aliam, ut unda undam trudit, & effuſâ pluuia mox ſeſe colligunt atræ nubes, nouæ pluuiæ indices.

Eccleſiaſt. Cap. XII. verſ. 3.

Quando (*a*) cuſtodes domus trement, & (*b*) viri validi vacillabunt, & (*c*) deſinunt molentes, ut parum molant, & (*d*) obſcurum viſum habent ſpeculantes in feneſtris.

(*a*) Id eſt, manus tremulæ.
(*b*) Pedes & crura vacillant.
(*c*) Dentes non cibum molunt bené.
(*d*) Oculi obſcuri.

Commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina.

Diuo Gentium Apoſtolo corpus humanum cluet ἐπίγειος οἰκία τοῦ σκήνους 2. Cor. V. 1. Sanè qui corpus noſtrum ejusque fabricam tenerrimam conſiderat, ſimile videt *domibus illis luteis*, *quorum fundamentum eſt è puluere.* Job. IV. 19. Domicilium animæ, quod ſæpe in teneris annis ruinam minatur, & in ætate prouecta certò collabitur, tunc nempe, quando *cuſtodes domus tremunt*, ἐὰν σαλευθῶσι φύλακες τῆς οἰκίας, artus nempe, crura & brachia, homini in cuſtodiam data, ut animantibus certis ungulæ, omnibus aliis organa certa, quibus ſeſe contra inſultus aliorum defendat. Ita Jacobus moriens Joſephi defenſionem contra fratrum potentiam, ſimul & victoriam de iis reportatam deſcripturus, ſymbolo utitur brachiorum, Gen. XLIX. 24. *Manſit arcus ejus firmus*, *roborataque ſunt brachia manuum ejus*, *idque per fortem Jacobi*, *hinc paſtor lapis Iſraeli.* (*Sedit in forti arcus ejus*, & *diſſoluta ſunt vincula brachiorum* & *manuum illius per manus potentis Jacob*: *inde paſtor egreſſus eſt*, *lapis Iſrael.*) *Tremunt cuſtodes* hi in ſenili ætate, tum ob defectum influxus ſpirituum animalium, tum ob neruorum ipſorum contractionem, qui fluidum nerueum non eâ, qua prius, facilitate tranſmittunt. Quin imo poſſunt percommodè *cuſtodum* nomine venire, explicante Cl. *Praunio*, *ſpiritus ipſi animales*, *motus ſenſuumque fabri*, *qui quaſi excubias agunt ad portas domus hujus mirabilis*, *ſcilicet in ſenſuum organis.* *Ex horum penuria in ſenio motus fit tremulus*, & *ſenſus obtuſi.*

Non duntaxat tremunt cuſtodes, ſed *viri validi vacillant.* LXX. ἐὰν διαςραφῶσιν ἄνδρες τῆς δυνάμεως, ſi *peruerſi fuerint viri fortitudinis*, alii, *incuruauerint ſe*, ita & Vernacula noſtra, *die Helden krümmen ſich*, Symmachus, διαφθαρῶσιν οἱ ἄνδρες ἰσχυροὶ, *perierunt viri fortes.* Sunt hi ἰσχυροὶ non ſolùm *pedes* & *crura*, ut Gloſſæ noſtræ Latinæ marginales habent, ſed vertebræ omnes ſpinæ dorſi, potiſſimum corporis fulcrum. Hinc non ſolum fit *homo tripes*, τρίπους βροτὸς *Heſiod.* ἔργ. L. II. ut bacillo inniti debeat, ſed

— ἐπὶ νῶτα ἔαγε, κάρη δ' εἰς οὖδας ὁρᾶται.

— *Humeri fracti ſunt*, & *caput pauimentum ſpectat.*

Hinc eſt, *quod baculo incumbens ruitura ſenectus*,
Adſiduo pigram verbere pulſat humum.
(*Fitque tripes*, *prorſus quadrupes*, *ut paruulus infans*,
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.)

Viri fortes, ita laudatus *Praunius*, *ſunt vertebræ*, *ſpinæ ceruicis*, *Atlas nempe*, *Odontoeides*, *Azon*, & *reliquæ intra humeros decurrentes.* *Hinc Pſalmiſta*: *Miſer factus ſum*, & *curuatus ſum.* Pſ. XXXVIII. 7. *Dependet iſta incuruatio ſpinæ ab infarctu hypochondriorum*, *rigiditate* & *corrugatione membranarum Epigaſtrii*, *quibus corporis erectio impeditur.* *Conf. Cant.* IV. 4. *Sicut turris David collum tuum*, *quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, *mille clypei pendent ex ea*, *omnis armatura fortium*; *ubi* צואר *tſavvar collum denotat*, & *robore* & *firmitudine*, *quæ ipſi eſt à vertebris.* Frangitur non ſolùm ipſius ſpinæ, & interjectarum vertebris cartilaginum robur, ſed & muſculorum dorſalium, quorum vires ſi 120. Libras geſtent, æquales ſupputantur à modernis 25585. Libris. *Schmiedt von Muſculn* p. 31.

Porrò *deſinunt molentes*, *ut parum molant*, ἤργησαν αἱ ἀλήθουσαι, ὅτι ὠλιγώθησαν, *ceſſauerunt molentes*, *quoniam imminutæ ſunt*; Symmachus, καὶ ἀργηθῶσιν οἱ μῦλοι, *ceſſauerint molæ*, Vernacula noſtra, *die Müllerinnen hören auf mahlen*, *weil ſie ſich verminderen.* Indicatur nempe dentium defectus, cui ſenes obnoxii.

Frangendus miſero gingiua panis inermi eſt.

Vocantur dentes pereleganter ab Eccleſiaſte טחנות *thochanoth*, *molares*, *molitrices*, quoniam lapidis ad inſtar molaris cibos comminuunt, ſicque viam pandunt tum maſticationi, tum digeſtioni. Et adhuc dentium poſtremi tum à figura, tum ab officio, Anatomicis nuncupantur *molares*, contradiſtinctè ad anteriores, *inciſores* & *caninos.*

A dentibus pergit Eccleſiaſtes ad oculos: *Obſcurum viſum habent ſpeculantes in feneſtris*, σκοτάσουσιν αἱ βλέπουσαι ἐν ταῖς ὀπαῖς, *contenebreſcent*, *quæ vident in foraminibus*, Symmachus, αἱ ὁρά-

σεις διὰ τῶν ὀπῶν, *aſpectiones per foramina.* Vernacula noſtra, *die werden finſter ſeyn, welche durch die Fenſter ſehen*, Lutherus melius, *die Geſicht werden finſter durch die Fenſter*, id eſt, ut paucis contraham, viſus obtenebratur. Atque per *feneſtras*, ὀπὰς, intelligere percommodè poſſumus non ſolùm *palpebras*, quæ valuis feneſtrarum aptius comparaueris, ſed præſertim *corneam* tralucidam, & retro eam tres ordine *humores*, *aqueum*, *cryſtallinum*, *vitreum*, per quos, veluti feneſtrarum orbes, tranſeunt, licet non abſque mirabili refractione, radii. Præferenda mihi videtur hæc interpretatio præ illa, quæ per ארבות *arijbboth*, *feneſtras*, intelligit ſpecilla, quibus ſenes uti ſolent ad meliorandum viſum; loquitur quippe Solomon de naturali, defectuoſa licet, oculorum diſpoſitione, & non conſtat, lentium opticarum uſum tunc temporis fuiſſe cognitum, licet vitri inuentio Solomonis ætatem ſuperauerit, qua de re alibi.

Eccleſiaſt. Cap. XII. verſ. 4.

Et clauduntur (a) fores in platea, cum (b) exili voce molentis, & ſurgit (homo) ad vocem auis, (c) & ſupprimuntur omnes filiæ cantici.

(a) Id eſt, nares & os.
(b) Quia edentuli non frangunt nuces, nec crepitum edunt dentibus.
(c) Quia ſenes nec canunt, nec audiendo ſonos delectantur.

Et claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis.

Eſt aliud ſenectutis incommodum, ſi *clauduntur fores in platea*, κλείσουσιν θύρας ἐν ἀγορᾷ, *claudent oſtia in platea*: θύρων nomine commodè venit *os* cum *labiis*, utpote per quæ cibi εἰσπορεύονται, & loquela ἐκπορεύεται. Matth. XV. 17. 18. *Plateæ*, ἀγορᾶς, titulo *facies*, aperta, ut plateæ ſolent, neque veſtibus cooperta. *Clauduntur* hæ *fores in platea*, deficiente appetitu, debilitata ipſa appetitus ſede, prima digeſtionis officina, ut paucis cibis contenti viuant ſenes: clauduntur item, ſi ex defectu dentium gingiuæ & labia ſe inuicem accuratè tangant. *Clauduntur fores* quoque in alio ſenſu, ſi *exilis* ſit *vox molentis*, ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης, *in infirmitate vocis molentis*; ſunt ſenes taciturni, pauca loquuntur, imo ob defectum reſpirationis pauca loquuntur, eaque ob dentium defectum inarticulata, minus diſtincta: rauca ſæpe vox ex catarrhis in fauces defluis: pauca tandem ex faſtidio & vitæ & rerum, quas tractant. Latiori ſenſu & eleganter *clauſuram forium in plateis* explicat *Wedelius de Morb. Sen. Salomon.* p. 14. de obſtructionibus, quæ ſenili ætati ſunt infeſtæ, alui, urinæ, menſium, imo extendi poſſunt ad ſecretiones corporis omnes.

Surgit homo ad vocem auis, ἀναστήσεται εἰς φωνὴν τοῦ στρουθίου, *conſurget ad vocem paſſeris.* Indicant hæc ἀγρυπνίαν ſenibus moleſtam, non tam propterea, quod ex cantu cujusuis auiculæ euigilent ſenes, (id enim cum βαρυηκοΐα ſenibus ordinaria conciliari nequit,) quàm quod bono manè, quum auiculæ, ſpeciatim galli gallinacei cantare incipiunt, & alii homines ſomno indulgent, ſurgant ſenes, ſomno ab oculis penitus depulſo. Non clauduntur cerebri valuulæ, non patiuntur extremi tubuli arterioſi cerebri dilatationem, influunt conſtanter elaborati ſpiritus in neruos rigefactos, & organa ſenſuum. Natum hinc prouerbium, quod nil boni portendant ſenex dormiens, & infans vigilans. *Praun.*

Ipſa etiam cunctis, requies gratiſſima, ſomnus,
Auolat, & ſerâ vix mihi nocte redit.
Cogor per mediam turbatus ſurgere noctem,
Multaque, ne patiar deteriora, pati.

Supprimuntur omnes filiæ cantici, ταπεινωθήσονται πᾶσαι αἱ θυγατέρες τοῦ ᾄσματος, *humiliabuntur omnes filiæ carminis*, Aquila, καὶ κλιθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς, *& inclinabuntur omnia, quæ ad cantionem faciunt.* Explicant hæc verba Interpretes de βαρυηκοΐᾳ ſenibus familiari, utpote quibus corrugatur tympanum, aliæque auditui famulantes membranæ & muſculi. Et ſunt *filiæ cantici* aures ipſæ, integrum auditus organum, quod infirmatur totum: vel ſonus ipſe, Muſica tum vocalis, tum inſtrumentalis, ut triticum audit *filius areæ*, Jeſ. XXI. 10. Quadrat huc reſponſum ſenis Barſillai ad Dauidem 2. Sam. XIX. 35. *Natus ſum hodie annos octoginta, num diſcernere poſſum inter bonum & malum? num ſeruus tuus guſtare poterit, quæ comedo, & quæ bibo? num audirem amplius vocem Cantorum & Cantatricum? (Octogenarius ſum hodie: nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue aut amarum? aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus aut potus? vel audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum?)*

Eccleſiaſt. Cap. XII. verſ. 5.

Altum quoque locum timent (ſenes) & humilia in via, & (a) floret Amygdalus, & ſe ipſam geſtat (b) Cicada, & appetitus reſpuit (res oblatas): Homo enim vadit ad domum ſuam (c) perpetuam, & circumeunt in platea lugentes.

(a) Canicies in capite.
(b) Incuruum & querulum ſilicernium.
(c) Sæculi ſui, id eſt, ſepulchrum.

Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit Amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes.

Moleſtiarum ſenio accidentium nondum eſt finis, ſuperſunt aliæ mox enarrandæ: & primò quidem *vertigo. Altum locum timent Senes, & humilia in via.* LXX. εἰς τὸ ὕψος ὄψονται, καὶ θάμβοι ἐν τῇ ὁδῷ, *in ſublime aſpicient, & terrores in via,* alii Codices, καίγε ἀπὸ ὕψους ὄψονται, *etiam ab excelſo videbunt*, Aquila, τρόμῳ τρομήσουσιν ἐν τῇ ὁδῷ, *tremore trement in via.* Senis decrepiti haud eſt, conſcendere turres, tecta, montes: deficit reſpiratio, & prehendit vertigo. Alta nimis eſt ſcala quæuis, anxius ſcandit decliuitatem quamuis. Quin imò terrori ſunt ipſæ plateæ planæ, horizontales.

Stat dubius tremulusque ſenex: ſemperque malorum
Credulus, & ſtultus, quæ facit ipſe timet.

Debilitatur cerebrum, animæ ſedes, deficiunt ſpiritus ſenſus, motus, roboris adminiſtri; vorticoſo motu fluit per canaliculorum rigidorum orificia fluidum nerueum, veluti per infundibulum, & præceps ruit à vertigine ad apoplexiam; obuerſantur præterea menti terrificæ lapſus ideæ. Intelligit heic *Praunius vocis, quæ exaltari nequit, raucedinem, ex defectu lymphæ balſamicæ.*

Floret Amygdalus, ἀνθήσῃ τὸ ἀμύγδαλον. Intelligunt heic communiter Interpretes *canitiem*, quam pulchrè repræſentant Amygdali flores albi vel incarnati; qui omnium fere ſunt primi, uti & canities primum inter ſeniles moleſtias, vel ratione temporis, locum obtinet, ſæpeque ante ætatem venit.

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet alba capillos.
Intempeſtiui funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.

Hinc & reuerendi jam olim pili capitis cani.

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Oritur autem canus hic capillorum color à ſtructura mutata: ut corrugantur omnes fere corporis partes, ita & fibræ radicum capillarium, & pili ipſi, quapropter deficit ſuccus nutritius, per axin pilorum fluere ſolitus, diſputatur radiis ſolaribus tranſitus, qui copioſè reflexi album, vel canum colorem præſentant. Et poſſet hac occaſione oſtendi, cur & quomodo hæc Amygdalus à ſubitaneo terrore unica nocte aliquando floreat. Sed vereor, ne ampliato diſcurſu abripiar ad affectuum doctrinam. Canitiem hominis, ſi lubet, compara cum arborum foliis, quæ appropinquante hyeme, deficiente calore, motu & ſucco nutritio, contractis tubulis elegans & multicolor ſchema oculis præſentant.

Seipſam geſtat Cicada, ita nos reddimus Hebræum וְיִסְתַּבֵּל הֶחָגָב, LXX. καὶ παχυνθῇ ἡ ἀκρίς, Vernacula noſtra, *wann der Heuſchreck beſchwerlich iſt*, Hieronymus & Arabes ſecuti Græcos, *impinguabitur locuſta*, Syrus *creſcet*, alii *ingraueſcet, grauitabit*, quod impinguatur, creſcit, & grauitando ſibi fit moleſtum. Sunt hæc omnia obſcura, & impinguatio incompatibilis ſenio. Hinc fuere benè multi ex veteribus Interpretibus, qui à moleſtiis ſenectutis prorſus diſcedunt, figurati ſenſus fluctibus agitati. *Salonius*, creſcere debere gentes, & ſpiritualibus bonis impinguari. *Olympiodorus*, ſignificare florentem Amygdalum, & impinguationem locuſtæ perpetuum vitæ æternæ ver: qui tamen ſui ipſius immemor locuſtæ impinguationem explicat quoque per infernum, utpote qui pœnis peccatori illatis & inferendis veluti nutriatur, creſcat & impinguetur. R. *Selomoni* placet hic ſenſus, *in pedes erectus eſt*, intelligit namque Coloſſum illum Nebucadnezaris 60. pedes altum, Dan. III. 1. qui toties prociderit in terram, quoties fuit erectus, tandem depoſito ad ejus pedes omni auro Hieroſolymitano ſteterit erectus. Accenſemus hæc Judæorum anilibus fabulis, ut illa linquimus ἀλληγοροφίλοις. Propius accedit R. *Kimchi*, verba Textus explicans de ſene adeò debili, cui & ipſa, leuis licet, locuſta grauis, oneri eſt, imo qui ſibi ipſi eſt oneri:

ri: *Senectus pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut onus ſe Ætna grauius ſuſtinere dicant. Scipio* apud *Ciceronem.*

Jamque parum firmo me mihi ferre graue eſt.

Huc collimant, qui de locuſta referunt, eam in juuentute agilem, in ſenio adeò torpeſcere, ut vix pedibus incedere queat. Contra alii ſenem comparant cum cicada ſiue locuſta extenuata, macra, cui vix cutis cruribus hæret; Sic apud Poëtas *Tithon* mutatus legitur in cicadam, cui *ſola vox remanet, & eſt naturâ loquacior, uti Seruius in Lib.* IV. *Æneid. Virg.* oſtendit. Hinc & decrepiti illi veterani milites *Vcalegon* & *Antenor* apud *Homerum Iliad.* VII. v. 151. leguntur

— τεττίγεσσιν ἐοικότες, ὅι τε καθ' ὕλην
Δένδρῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

— *Cicadis ſimiles, quæ in ſylua*
Arbori inſidentes vocem floridam emittunt.

Sunt ex Judæis, quæ חָגָב heic non interpretantur per locuſtam, ſed idem volunt eſſe, quod עגב, partes generationi dicatas, in ſenio decrepito inermes. Sunt hæc, quæ protulimus hactenus, longè petita, ut ex adductis opinionibus ea fere ſola præualere videatur, qua ſenex ſibi ipſi fit grauis, oneri, *wann der Heuſchreck beſchwerlich iſt*, infirmato magis & magis robore, ob fluidi neruei defectum. Moleſtiam hanc ſenibus familiarem ita ſolemus enuntiare: *Meine Beine mögen mich nicht mehr tragen. Wedelius de Morb. Sen. Salom.* p. 15. cicadæ moleſtæ nomine intelligit tinnitum aurium, qui ſæpe apoplexiæ fit prodromus, vel & pruritum corporis moleſtum, à fixatis ſalibus ortum. Addo his D. *Erhardum*, Memmingenſem Phyſicum, qui Senem incuruum comparat Locuſtis Orientalibus gibbum veluti in tergo gerentibus. Et fatetur ingenuè Cl. D. *Praun*, ſe ſenſum Solomonis haud aſſequi, allegans illud *Ciceronis* L. I. *de Nat. Deor. Quàm bellum eſt velle confiteri potius neſcire, quod neſcias, quàm iſta effutientem nauſeare, atque ipſum ſibi diſplicere.* Crediderim ego, ſi tot celebrium Interpretum ſententiis aliquid addere liceat, illud παχυνθῇ ſignificare impinguationem, ut ita loquar, præternaturalem, habitum cachecticum, vel & diram hydropem, qua tumidi pedes, tumidum abdomen non poſſunt non eſſe ſenibus permoleſta. Sanè *AbenEzra* intelligit quoque tumida crura. Illud ſolum deſidero ſcire, quod ex Naturæ Hiſtoria nondum eſt clarum, cicadam vel locuſtam ſenem fieri quoque cachecticam, vel hydropicam. Vel dici poterit, hominem antea macilentum, *der ſo mager iſt als ein Stecken, der Beine gehabt hat wie ein Storch*, in decrepita ætate reddi cachecticum & hydropicum: Ita obſeruatione illa ex Hiſtoria Naturali, quàm modò deſideraui, ſuperſedere commodè poſſumus. Voces πάχος, παχυσμὸς, παχύτης, παχὺς, ſicuti in ſenſu morali notant craſſi, bardi ingenii hominem, ita in ſenſu Phyſico-Medico corpulentiam ſignificant non ſolùm ſanam, ſed quoque ægram. Exprimit Hebræa vox חָגָב Cl. *Hillero* judice *Hierophyt.* P. I. p. 221. ſenſum Arabici nominis *chagabathon*, id eſt, caput Coxæ, vel Coxendicis. Is proin Textum ita reddit: *Oneratam ſe præbet coxa. Senibus enim coxa eſt infirmiſſima, quæ onere geſtati corporis plurimum laborat.*

Appetitus reſpuit, ſcilicet res oblatas, *wann ihm der Luſt vergehet.* Ita nos, LXX. διασκεδασθῇ ἡ κάππαρις, *diſſipabitur capparis*, quæ alias baccæ ſtimulant appetitum. Symmachus, καὶ διαλυθῇ ἡ ἐπίπονος, quam interpretationem virgulâ cenſoria perſtringit Hieronymus. Redditur communiter אֲבִיּוֹנָה *abhionah*, per *concupiſcentiam, auiditatem, acquieſcentiam*, ab אָבָה *abhah, voluit, acquieuit*; eam nempe, qua delectatus olim juuentutem tranſegit, nunc faſtidit viribus exolutus.

Etiam iuuentis miſera abſtinet, & timet uti.

Eſt hæc jactura voluptatis & cupiditatis peccaminoſæ ætati ſenili percommoda, quatenus nempe occaſionem ſunt nacti abſtrahendi à plurimis vitiis, & damnis. *O præclarum munus ætatis, ſiquidem aufert à nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum, nempe voluptatem. Cicero de Senectute.*

Claudunt Verſiculum hæc verba: *Homo enim vadit ad domum ſuam perpetuam, & circumeunt in platea lugentes.* ὅτι ἐπορεύθη ὁ ἄνθρωπος εἰς ὄικον αἰῶνος αὐτȣ̃, καὶ ἐκύκλωσαν ἐν ἀγορᾷ οἱ κοπτόμενοι. Indicatur heîc mors ipſa, diſceſſus ex hac vita. Ubi בֵּית עֹלָם *beth olam, domus æterna, æternitatis ſedes*, notare poteſt 1. ſepulcrum, in quo homini manendum eſt usque ad reſurrectionem, עֹלָם quippe non ſemper æternitatem ſtrictè ſic dictam, ſed prælongam aliquando durationem ſignificat. 2. Mortuorum ipſorum ſtatum, qui ad hanc vitam, quâ fruiti ſunt, haud redeunt. 3. Duplicem illam æternitatis domum, cœlum & infernum.

TABB.